BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 P
7

F. IVDOCI A CASTRO
Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ
Germaniæ Inferioris Prouincialis

DECACHORDVM MORALE

DE DECEM VIRTVTIBVS IMMACVLATÆ VIRGINIS ANNVNTIATÆ,

Per Tractatus & Diſcurſus prædicabiles diſtinctum: materiam adminiſtrans tum diuerſis prædicandi argumentis, tum COLLATIONIBVS in Veſtitione ac Profeſſione RELIGIOSORVM habendis.

PARS SECVNDA,

Quatuor poſteriores Tractatus complectens, vnà cum ELENCHO qui formandis ſeruit CONCIONIBVS, tam ad ſæculares quàm ad Regulares, in DOMINICIS & FESTIS per annum.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXV.

Digitized by Google

F. IVDOCI A CASTRO EX ORDINE MINORVM

DECACHORDVM MORALE

DE DECEM VIRTVTIBVS IMMACVLATÆ VIRGINIS ANNVNTIATÆ

per Tractatus & Diſcurſus prædicabiles diſtinctum.

TRACTATVS SEPTIMVS.

DE PAVPERTATE.

LVCÆ CAP. II.

Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio: quia non erat ei locus in diuerſorio.

DISCVRSVS I.

Altiſsima fuit Mariæ paupertas poſt illam quam Chriſtus exercuit, qui Virginem nobis vt imitabilem propoſuit, vt per terrenorum contemptum quaſi per ſcalas adſcendendo ſublimemur in cælis.

1. IN aliquibus honoratur paupertas, qui nimirum illam diuitijs pręponunt. Tantò autem magis honoratur, quantò quis amore illius plura relinquit. Macedonum paupertatem altiſſimam vocauit Paulus, dicens: *Altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum.* 2.Cor. 8,2.
Nobiliſſimam etiam vocat illotum paupertatem S. Thomas lect. 1. Nobilitatur autem & exaltatur paupertas ex promptitudine dantis vel relinquẽtis diuitias. Hæc autem promptitudo cauſatur vel ex abundantia diuitiarum (promptè enim largitur pauca, cui multa ſuppetunt) vel ex contemptu diuitiarum. vnde pauper nihil aut parum habens, ſed intenſiſſimè diuitias S.Tho.

Digitized by Google

contemnens, magis poſſet exaltare & nobilitare paupertatem, quàm diues qui multa diſtribuit quidem, plura tamen retinet pro ingruentibus neceſſitatibus. Ex ſecunda illa cauſa, ſcilicet ex contemptu diuitiarum, exaltata fuit illorum Macedonum paupertas, de quibus ibidem loquitur Paulus. Vnde ait, quòd altiſſima illorum paupertas *abundauit in diuitias ſimplicitatis*. quibus verbis ſignificat liberalem & alacrem eorum largiendi voluntatem. Ambr. *Simplicitas* in tribuendo ſcilicet aut relinquendo terrena (ait Ambroſius Epiſt. 10.) *nihil diſcutit*. Simpliciter tribuit, dicit Theodoretus, qui non cogitat an ea quæ habet ſibi ſufficiant, an ad futuros caſus ſint neceſſaria, ſed in Deo confidens, illius ſollicitudini ſe committit.

Theod.

2. Nota, quamuis hoc modo Macedones ſua relinquebant, & pauperibus diſtribuebant, videtur tamen, pace S. Pauli, hyperbolicum, quòd vocet illorum paupertatem altiſſimam: non enim erat comparanda cum præclara Chriſti paupertate, *qui pro nobis egenus factus eſt, cùm eſſet diues*. In quo Iacobus (ſi ita loqui licet) notaſſe videtur eam in dando ſimplicitatem, quam Paulus in Macedonibus commendat, quando nos monet vt fiducialiter ab eo petamus, dicens: *Poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* in Græco habetur *ſimpliciter*, vt notauit Eſtius ad illa verba S. Pauli, *qui tribuit in ſimplicitate*. Porrò quod ibidem ait de liberali ſapientiæ elargitione, hoc de omnibus aliarum rerum neceſſariarum diſtributione affluenter & ſimpliciter facta intelligi poſſe videtur. Cùm enim videamus inter paucos diuites multos pauperes & egenos (in quibus ſicut Chriſtus Filius Dei paſcitur, quando quis dat illis manducare, ita etiam eſurit, quando ex mendicatione non colligunt neceſſaria naturæ) videtur quòd ipſe Filius Dei tanta ſimplicitate ſua diſtribuat, ac ſi non diſcuteret an ad futuros caſus ſibi in pauperibus ſuis non eſſent defutura. Infinito modo igitur altior & nobilior fuit paupertas Chriſti, qui maiori promptitudine quàm Macedones, & multò plura reliquit & diſtribuit, adeò vt non tantùm egeret in membris, ſed ipſe egenus, & pauper, & in laboribus à iuuentute ſua, tandem non haberet vbi caput ſuum reclinaret, qui natus pannis inuolutus, in præſepio reclinatus eſt. Excedit prætereà Chriſti paupertas omnem aliorum paupertatem dignitate & altitudine, quia ipſe ſummæ excellentiæ fuit & dignitatis, de quo Apoſtolus ait, quòd ſit *excelſior cælis factus*. Heb. 7,27. Paupertati autem, ſicut & humilitati, hoc particulare eſſe videtur, vt tantò ſit clarior, quantò is, qui eam exercet, dignior & maior eſt.

2. Cor. 8,9.

Iacob. 1,5.

Rom. 12,8.

3. Propter has duas rationes poſt Chriſti paupertatem, fuit Mariæ paupertas altiſſima. Plura enim reliquit, & ipſa dignitate omnes alios ſuperauit. Magnitudo eius & multitudo eorum quæ hæc Virgo amore paupertatis contempſit, oſtenſa eſſe videtur Ioanni, qui ait: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & luna ſub pedibus illius.* Apoc. 12,1. Per lunam non hoc vel illud, ſed omnium terrenarum rerum vniuerſitas deſignatur, quam mater illius, qui eſt *Dominus vniuerſorum*, calcauit. Ex quarum omnium contemptu, ſummæ excellentiæ & altitudinis etiam facta eſt. Erat quidem in ſe B. Virgo ſummæ excellentiæ, non tantùm ex eo quòd *Regali ex progenie Maria exorta refulget*; ſed maximè quòd mater Altiſſimi fuerit. Hinc ſequitur,

quitur, etſi Regum opes habuiſſet, maior fuiſſet ipſius paupertas, quàm fuiſſet Salomonis aut alterius famoſiſſimi Regis, qui nihil omnino amore
Simile. paupertatis accenſus ſibi retinuiſſet. Si enim Comes aliquis, verbi gratia, haberet diuitias alicuius gregarij militis, poſſet dici ſummè pauper, nam diuitiæ quæ gregario militi ſufficiunt vt ditiſſimus appellari & eſſe poſſit, vix aliquid neceſſario ſtatui Comitis conferrent. Quanta igitur fuit excellentiſſimæ Virginis paupertas, quæ cum Filio ſuo non habuit vbi caput ſuum reclinaret?

Simile. 4. Porrò tantò quis in oculis Dei eſt altior, quantò excellentior eſt eius paupertas, quæ rurſum tantò maior eſt, quantò plura ſub pedibus habet. Maria habet lunam ſub pedibus, non mirum igitur ſi de illa canat Eccleſia: *Exaltata eſt ſancta Dei genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna.* Pueri, qui magno tenentur deſiderio rei alicuius, ad quam non poſſunt extenſis brachijs pertingere (eò quòd in alto loco poſita ſit) iuuant ſe multarum rerum in cumulum congeſtione: & quantò plura pedibus ſubijciunt, tantò altiùs aſcendunt, & faciliùs pertingunt ad locum & rem optatam. Sancti tamquam gratioſi pueri & filij Dei aſpirarunt ad ſanctam paupertatem: quam vt obtinerent, ſi non æqualiter, omnes tamen aliqualiter per contemptum rerum terrenarum in altum conſcendere conati ſunt. Diuerſi ſunt gradus aſcendentium in Eccleſia Dei. Inferior gradus eſt eorum qui obſer-
1. Tim. 6, 7. nant illud S. Pauli: *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Hi dumtaxat ſuperflua perſonæ calcant, quæ nemo retinere poteſt, niſi velit nullius eſſe exiſtimationis apud Deum. Alij parum altiùs aſcendunt, nimirum qui ſibi denegant ſuperflua naturæ, pedibus ſuis ſubijcientes, & affectibus negantes veſtes & cibos quibus natura ad completam ſuſtentationem non indiget. Tandem alij adhuc maiorem rerum cumulum faciunt, vt altiùs aſcendere poſſint, & ſubijciunt pedibus ſuis quæ ordinariè putantur neceſſaria. Illi igitur qui præ ceteris per contemptum rerum terrenarum aſcendunt, altiorem & excellentiorem paupertatem aſſequuntur. Maria poſt Chriſtum plura calcauit, ergo eius paupertas altior & excellentior fuit, quàm paupertas cuiuſcumque alterius Sancti.

5. Præterea Maria prima fuit quæ permota exemplo Chriſti paupertatem coluit. Solent pictores famoſi Simile. primum artis ſuæ opificium ſumma attentione efformare, per quod prætendunt famam acquirere in aliquo regno, prouincia, aut ciuitate. Deus poſuerat egregias picturas tempore veteris Teſtamenti, ſed omnes erant veſtitæ diuitijs, ornatæ & claræ honoribus, vt patet in Abrahamo & alijs Patriarchis, Dauide, Salomone, &c. Prima verò imago noui Teſtamenti, quando artem ſuam voluit oſtendere in efformandis figuris omnium rerum terrenarum poſſeſſione denudatis (in his autem ars pictoria magis elucet) fuit B. Virgo, quam depinxit ſummo ſtudio, ornatam quidem omni virtute, maximè autem margarita Euangelicæ paupertatis fulgentem.

6. Solent etiam pictores omnibus Simile. numeris perfectam & abſolutam imaginem facere, ad quam poſteà à nouitijs & in arte minùs verſatis copiæ extrahuntur. Sic Mariam efformauit tamquam principale quoddam exemplum paupertatis in Eccleſia collocandum, ad quod omnes reſpiciunt, qui

ſe diuitijs nudatos Chriſto Domino intendunt offerre. Sufficere quidem deberet Chriſtus, qui cœpit facere & docere, & qui ſeipſum denudatum oſtendit, ad cuius imitationem per manum eius Maria pauper effecta eſt; ſed ne nimium artificium, quod in illo Deus immediatè expreſſerat, quãdam ignauiæ noſtræ impoſſibilitatem æmulandæ virtutis ingereret, propoſuit nobis etiam Mariam in exemplum. Sicut enim inexperti pictores faciliùs imitantur effictam faciem, & in tabula depictam alicuius hominis quam exemplar vocant, quàm ſi is immediatè ſe efformandum exhiberet: eodem modo magis imitabilis nobis videtur paupertas Chriſti Mariæ tamquam tabulæ impreſſa, quàm ſi illam nimis artificioſam & viuacem in ipſo ſolùm liceret intueri. Facilè enim occurreret corruptæ noſtræ phantaſiæ, quòd is potuerit pauper eſſe, & tamen paupertatis nulla incommoda ſentire, qui quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſine cibo perdurauit.

Simile. Matt.4.

7. Omnes igitur amatores paupertatis in Eccleſia Dei meritò clamant ad hanc Virginem, vt ab ea formam ſanctę paupertatis accipiant, & dicunt: *Reuertere, reuertere, Sunamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te.* vbi Septuaginta legunt: *Conuertere, conuertere Sunamitis.* Sunamitis idem eſt quòd *dormiens*, vt notauit Anſelmus & Bernardus Serm. 3. de Annuntiatione. Hieronymus autem de Nominibus Hebraicis ait, quòd Sunamitis Latinè *ſpoliata* dicatur. Vtraque nominis interpretatio optimè exprimit Virginis voluntariam paupertatem: per hanc enim permiſit vt amor Dei ſe ſpoliaret omnibus bonis, quòd qui vigilant & viuunt non Deo, ſed mundo, haud facilè permitterent. Quæ vt tandem inſtar dormientis eſſet vacua omni ſollicitudine, ſoli illi innixa cui eſt cura de nobis, de quo ait Dauid: *Ego autem mendicus ſum & pauper, & Dominus ſollicitus eſt mei.* Dormiens autem eſt inſtar mortui, qui nihil habet, de quo ait Propheta: *Homo cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.* item: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Quamdiu enim homo in lecto ex propoſito dormit de nocte, eſt inſtar non habentis veſtimenta, nec pecuniam, &c. & non tantùm nihil habet, ſed nec deſiderat aliquid habere. In eodem ſtatu eſt Euangelicus pauper, quem Dei amor ſpoliauit omnibus rebus, & à quo deſiderium habendi etiam abſtulit. Ad dormientem igitur & ſpoliatam ac denudatam Sunamitidem, Mariam ſcilicet, reſpiciunt voluntarij pauperes noui Teſtamenti. Imò hanc reſpicit Deus, qui ſibi complacet in ea, adeò vt fortè de illa præcipuè intelligi debeat quod dicit Dauid: *Oculi eius in pauperem reſpiciunt.*

Cant. 6,12. Anſelmus. Bernar. Hieron. Pſalm. 39,18. Pſalm. 48,18. Pſalm. 75,6. *Simile.* Pſalm. 10,5.

8. Ex his patet, quòd excellentia hominis conſurgat ex altitudine paupertatis, quam quis tantò magis exaltat, quantò promptiori animo plura propter Deum pedibus ſuis vt ſtercora calcat. Apud homines dat cenſus honores, cenſus amicitias, pauper vbique iacet. Vnde admirans Dauid mirabilem & contrarium agendi modum in Deo, qui *depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles*, ait: *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus.* Matthæum ſedentem in telonio ſuſcitauit à terra (inquit

Lucæ 1,52. Pſalm. 112,5. 6.7.8.

(inquit Ayguanus) quando is vocatus ad Apoſtolatum, omnia contempſit, quem proinde cum reliquis Apoſtolis
Pſalm. 44,17. collocauit, de quibus dicitur: *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Nota, quòd Apoſtoli non vocentur principes in terra, ſed *ſuper terram*, quia nimirum terrenorum contemptores ſuper terram collocati, per ea quæ contemnunt, merito ſuæ paupertatis mirabiliter aſcendunt.

9. Diuitiæ quas pauper contemnit, fiunt ei ſcalæ, quibus vtitur vt aſcendat, inprimis ad iudiciariam poteſtatem, quam Chriſtus promiſit om-
Math. 19,28. nia relinquentibus, dicens: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.* Quia verò altiſſima fuit paupertas Chriſti & Mariæ (omnia enim quæ ſinguli Apoſtoli reliquerunt, ad Chriſtum & conſequenter quodammodò ad Mariam pertinebant) in hac iudiciaria poteſtate & dignitate erunt primi & ſupremi. Ex quo patet, quòd paupertas nobilitet eos qui pertinent ad aulam Dei: adeò vt non ſit mirum, quòd Reges & Principes & multæ illuſtres Heroinæ de terra ſuſcitatæ à Spiritu ſancto, & ab eo de ſtercore erectæ (qui prædi-
Ioan. 12,32. cens fructum ſuæ paſſionis aiebat: *Ego cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*) amore paupertatis omnia reliquerunt: quam proinde S. Pater Franciſcus præ ceteris ſuſpiciens, poſt charitatem (quæ regina eſt virtutum omnium) meritò *dominam* appellare ſolebat, cuius quàm magna
Cap. 5. Regulæ. ſit auctoritas, indicat his verbis: *Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos fratres meos, heredes & Reges regni cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit.*

Simile. 10. Mira res! dicit Sanctus, paupertatem, quam ſolo titulo dominij honorauit, Reges conſtituere poſſe. Pro quo notandum eſt, quòd minor ordinariè à maiori nouis titulis honoretur. Qui ordo etiam in Eccleſia ſeruatur. vnde ait Paulus: *Sine vlla autem contradictione, quod minus eſt à meliore benedicitur.* Hebr. 7,7. Reges creant quidem Duces, Comites, Marchiones, Barones, ac ceteros titulares huius ſæculi, quòd verò illi ab his qui ſunt inferioris dignitatis Regio nomine aut diademate donentur, nouum & inauditum eſt. Scio, aliqui eliguntur ab inferioribus, ſed non niſi vnctione aut cærimoniis, altiorem dignitatem ſignificantibus, initiantur Imperio ſiue regno; verumtamen paupertas, quam dominam vocat S. Franciſcus, habet auctoritatem conſtituendi non tantùm heredes, ſed etiam Reges & Principes regni cælorum. de quibus dicit Propheta: *Pro patribus nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Pſalm. 44,17.

11. Per patres intelligit ibi Ianſenius Patriarchas, pro quibus Chriſto nati ſunt filij, Apoſtoli ſcilicet & Apoſtolici viri, patribus longè præſtantiores. Ianſen. Lyranus etiam intelligit per Patres Reges veteris Teſtamenti, de quibus deſcendit Chriſtus ſecundùm carnem. Lyran. Qui etſi ſecundùm diuinitatem Patrem habuit, non tamen ſecundùm humanitatem, ac proinde benè dicitur Melchiſedech aſſimilatus, *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens:* Hebr. 7,3. Dauid autem plures ei tribuit patres, eo ſenſu quo Scriptura omnes illos patres appellare ſolet, ex quibus alij mediatè vel immediatè proceſſerunt. vnde Chriſtus loquens Iudæis ait: *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt.* Ioan. 6,49.

12. Igitur Chriſtus & multos & valdè

valdè ſublimes patres habuit, à quorum recenſione exorditur Matthæus Euangelium ſuum, dicens: *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid*, &c. Matth. 1, 1. Pro his autem patribus nati ſunt ei filij multò clariores, etſi illi magni Reges & Patriarchæ fuerint, hi autem abiecti homines vt piſcatores. Nam Euangelica paupertas Apoſtolos ita nobilitauit, vt non ſolùm fuerint principes & domini in terra (ſicut Reges illi veteris Teſtamenti & Patriarchæ, quibus bona terræ pro mercede ſuæ fidelitatis à Deo promiſſa ſunt) ſed conſtituti ſunt Principes ſuper omnem terram: quibus verbis ad litteram ſignificatur ſpiritualis Apoſtolorum poteſtas. In ſenſu verò morali omnes Apoſtolici viri, quos Apoſtolica paupertas euexit, dici poſſunt Principes & domini ſuper vniuerſa bona terræ.

13. Pro quo notandum eſt, quòd inter homines aliqui ſint domini dumtaxat in regno, Prouincia aut municipio, qui ibidem tantùm habent poſſeſſionem, vel domum feudalem aut aliàs priuilegiatam; ita vt poſſeſſor illius dominus vocari poſſit: nullam tamen habet iuriſdictionem, nec tenentur habitatores & incolæ ei in vlla re obedientiam præſtare. *Simile.* Alij autem ſunt veri domini terræ, aut ſuper terram, qui etſi aliquando parum aut nihil tamquam proprium ibidem poſſident, nec vllos ferè annuos fructus percipiant, tamen ita præſunt locis iſtis, quòd omnes rationabiliter eis aliquid poſtulātibus libenter cum effectu pateant. In hunc modum multi ſunt domini in terra, qui ſcilicet in diuerſis locis habent prædia, ſiluas, viuaria, non tamē ſunt conſtituti à Deo domini terræ, aut principes ſuper terram: quam dignitatem reſeruauit Apoſtolis & Apoſtolicis viris, qui relinquentes omnia ſecuti ſunt Filium hominis, qui non habuit vbi caput ſuum reclinaret. S. Franciſcus cum ſuis non eſt dominus in terra, qui verè dicere poteſt cum Chriſto, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; Ioan. 18, 36. ſed dominus & princeps conſtitutus ſuper terram, adeò vt petenti ei propter Deum eleemoſynam, ab omnibus tam diuitibus quàm pauperibus quaſi domino imperanti (preces enim Magnatū imperia ſunt) obtemperetur. De his igitur dominis & Principibus, quos Deus conſtituit ſuper terram, quam illi ex amore paupertatis contemnunt, intellige illud S. Pauli: *Nihil habentes, & omnia poſſidentes*, 2. Cor. 6, 10. non tantùm quæ in terra, ſed etiam quæ in cælo ſunt, habent enim eum de quo S. Franciſcus totus Apoſtolicus dixit: *Deus meus & omnia*.

14. Prudentiſſimi ſunt igitur in Eccleſia Dei, qui terrena non ambiunt, ſed contemnunt, nec diuitias conſumunt, ſed eas pedibus ſubijciunt, vt ſibi ſcalas ex iis conficere poſſint, quibus per altiſſimam paupertatem conſcendunt, vt obtineant theſaurum omnium bonorum. Ad hunc tam nobilem & Apoſtolicum vſum omnia à Deo facta & data eſſe, ſignificare videntur verba Dauidis dicentis: *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*. Pſalm. 8, 8. Quod quāuis primariò de Chriſto (cui etiam ſupremi Angeli ſubiecti ſunt) ſit dictum, tamen non implicat intelligi poſſe de homine maximè Apoſtolica paupertate præcellenti, cui etſi pauca ſeruiunt ad vulgarem vſum, omnia tamen ſubijciuntur ad meritum, quod ex illorum contemptu conſurgit.

15. Sciebant Sancti in initio Eccleſiæ, ex terrenis rebus potiùs ſcalas, quibus ad Deum conſcenditur, faciendas eſſe, quàm theſauros qui aut con-

Digitized by Google

Act. 4, 34. 35. conſeruentur aut conſumantur. *Quotquot enim poſſeſſores agrorum & domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum*, vt oſtenderent diuitiarum contemptum, quæ quaſi manuum contrectatione indignæ pedibus calcandæ proijciuntur. Vnde Arator, quem hîc citat A lapide:

Calcandumque ducunt quod ſubdunt greſſibus aurum,
De quo terrenæ veniunt ad pectora curæ.

Significauit Chriſtus, diuitias in parua exiſtimatione habendas eſſe, quãdo ait:

Matth. 6, 33. *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Non dicit, hæc omnia dabuntur, aut offerentur, vel addentur, ſed adijcientur. Quod enim Deus tam parui æſtimat vt dedignetur manum erigere aut extendere, vt cum reuerentia recipiatur, ſed proijcit vel adijcit, illud homo cum magno merito calcat, & pedibus ſubijcit. Si quis in ſua poteſtate haberet tempore hiemis faſciculum lignorum, & diceretur ei, Noli ex illis lignis ignem conſtruere, ſed patere parumper frigus, & compone ligna ad formam alicuius ſcalæ: oſtendam tibi in ſublimi loco theſaurum, qui abundè tibi omnia ſuppeditet, vnde non tantùm frigus, ſed etiam famem, ſitim, denique omnes morbos pellas, ac tibi ædificare poteris locum munitum hoſti inacceſſibilem, in quo cum amicis abſque terrore in magna omnium rerum abundantia vitam placidam & ſecuram agas; an non ſtultus cenſendus eſſet, ſi tam ſalubriter conſulenti fidem habens, nollet tamen ad horam frigere, ſed combureret ligna, quibus pro ſcala vti potuiſſet ad conſecutionem magni theſauri?

Simile. 16. Bone Deus, quàm eſt deplorandum, quòd tum ob multa, tum maximè propter inutilem diuitiarũ vſum, verè *ſtultorum infinitus eſt numerus*, qui diuitias conſumunt & comburunt, nimis impatientes frigoris, quod ſentirent, ſi concupiſcentiæ ſuę aliquid ſubtraherent, & eas redigunt in fauillas & cineres, ſicut epulo ille Euangelicus, de quo dicit Euangeliſta: *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.* Lucæ 16, 19. Cum ex iis ſcalas efficere poſſent, per quas aſcendentes obtinerent theſaurum omnia in ſe continentem, & peruenirent ad locum in quo abundè eis daretur ad manducandum & bibendum, ab eo qui inuitat ſuos dicens: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Cant. 5, 1. Qui igitur prudentiores ſunt, & ex diuitiis conficiunt ſcalas, aſcendent, & omnia conſequentur. Non enim ſolùm *exultabunt Sancti in gloria, & lætabuntur in cubilibus ſuis*, & ſplendidè epulabuntur, & glorioſè veſtientur etiam, ſecundùm illud Dauidis: *Gloria & honore coronaſti eum Domine.* Pſalm. 8, 6. Sed quod præcipuum eſt, non accedet ad eos malum, neque flagellum appropinquabit tabernaculo eorum: nam *ſedebit populus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Iſaiæ 32, 18.

17. Porrò ſicut is qui omnia ligna comburit, deſtituitur ſcala ad aſcendendum; ita qui nulli rei renuntiat, non pertingit ad *Dominum innixum ſcalæ*, quem vidit Iacob. Gen. 28, 13. Quemadmodum verò is qui plures gradus in ſcalis percalcat, altiùs aſcendit, ita qui plura bona temporalia actu vel etiam affectu contemnit, altiorem in cælo locum & ditiorem theſaurum conſequetur. Simile. Hinc patet, quòd Chriſtus (cuius pedibus omnia ſimpliciter ſubiecta fuerunt) abſolutè altiſſimam pauper-

tatem colens, meruerit primum & ſupremum locum & præmium in cælis: quem ſequitur B. Virgo, quæ omnes reliquos Sanctos in rerum terrenarum contemptu præceſſit. vnde meritò ei applaudemus dicentes: *Exaltata eſt ſancta Dei genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna.* quam conemur in ſancta paupertate imitari, vt abundare poſſimus in diuitiis ſimplicitatis & æternæ felicitatis, &c. Amen.

DISCVRSVS II.

Chriſtus & Maria omnia poſſidentes, perfectiùs quàm Apoſtoli renuntiarunt neceſſarijs, quorum paupertatem Deo gratiſſimam ſequuntur Religioſi ex ſpontanea inopia mendicantes.

18. FVIT Maria præcipua inter illos, quorum glorioſam paupertatem referens Paulus ait: 2.Cor. 6,10. *Sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Certum eſt, quòd inſtar egentis & pauperis panem otioſa nō comedit, ſed Prou. 31,19. 20. *manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Manum ſuam aperuit inopi*, &c. Hieron. Hieronymus, quem citat Pelbertus in Stellario B. Mariæ, l.7.p.2.a.3.c.10. vocat illam mulierem quæſtuariam, Belgicè *een broodt-vvinſter.* Hæc tamen tam pauper omnia poſſidebat. Quando autem ait Paulus de Apoſtolis quòd erant *omnia poſſidentes*, obſcuriùs videtur locutus.

19. Non vna eſt omnium expoſitio S. Tho. illorum verborum. S. Thomas lect. 2. Apoſtoli, inquit, non ſibi ſed Chriſto viuebant, & ideò omnia quæ erant Pſalm. 23,1. Chriſti reputabant vt ſua. *Domini autem eſt terra & plenitudo eius.* & Chriſtus de ſeipſo teſtatur dicens: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Matth. vltim. vnde Apoſtoli, quibus ab ipſo Chriſto facta eſt poteſtas, vt etiam maiora facerent quàm quæ ipſe fecit, putabant ſe abſque iactantia potuiſſe credere dicenti, *Omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti.* 1.Cor. 3,22. 23. imò ipſe Chriſtus veſter eſt; igitur qui *proprio Filio ſuo non pepercit*, &c. *quomodo etiam cum illo non omnia nobis donauit?* Rom. 8,32. Hinc fit, quòd Euangelici pauperes non murmurent contra Deum, etſi videant plura & delicatoria conſumi in vſus mundanorum & diuitum huius ſæculi, cùm ipſi quaſi egentes, in fame & ſiti & nuditate Deo ſeruiant: meritò enim corripi poſſent, & accuſari iniuſtæ murmurationis, iiſdem verbis quibus pater filij prodigi, pro cuius læto reditu fecit ſaginatum vitulum mactari, & ſplendidum epulum parari, murmur fratris ſenioris compeſcuit, dicens: *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* Lucæ 15,32.

20. Alio ſenſu ſancti & Euangelici pauperes nihil habentes omnia poſſident, quia Deum intra ſe habent, dicit noſter Titelmannus, *qui eſt omnia in omnibus.* Titelm. Si enim *nihil deeſt timentibus Deum*, quomodo non abundè ſuppetunt omnia per amorem intra ſe poſſidentibus eum? Quod enim præ nimio affectu & tædio abſentis filij ſui v.g. dixit mater Tobiæ, hoc veraciter quilibet Sanctus de Deo dicere & ſentire deberet: ſcilicet, *Omnia ſimul in te vno habentes.* Tob. 10.& 5. item: *Sufficiebat enim nobis paupertas noſtra.*

21. Prætereà omnia poſſidebant Apoſtoli, quorum pedibus fideles ſe & ſua ſubijciebant. Cùm enim principes eſſent omnium fidelium, omnia poſſidebant cum poſſeſſoribus eorum,

dicit

Haym. dicit Haymon, quos per arma prædicationum aut virtutem miraculorum ſibi ſubiugauerant. Tarquinius Dux Romanorum reſpondit Legatis cuiuſdam gentis, aurum offerentibus pro componenda pace, & obtinenda libertate; Romanos potiùs velle imperare aurum poſſidentibus, quàm aurum habere & poſſidere. Eodem modo Apoſtoli, quorum nomine ait Paulus, *Non ero grauis vobis, non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* Qui ſimpliciter quærunt animas, non debent eſſe ſolliciti pro neceſſariis: omnes enim piorum ædes illis patent, & omnium poſſeſſiones illis cedunt. Vnde Paulus fiducialiter diſponit de domo Philemonis, non ſupplicando ſicut de aliena, ſed quaſi de propria ordinando, dicens: *Para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* Simile eſt quod ſcribit ad Philippenſes: *Habeo autem omnia, & abundo.* Nimirum hoc erat quod Chriſtus promiſerat relinquentibus omnia, & ſe ſeqnentibus, de quo ait Marci 10. & Lucæ 18. quam promiſſionẽ per hunc Apoſtoli locum, *omnia poſſidentes*, exponit Auguſtinus Epiſtola 89. ad Hilarium. Huc pertinet illud Sapientis ſecundùm LXX. *Eius qui fidelis eſt, totus mundus diuitiarum, illius autem qui infidelis eſt, neque obulus.*

2.Cor. 12,14.

Ad Philemon. V. 22.

Phil. 4, 18.

Prou. 17, 6.

22. A lapide putat, illud *omnia poſſidentes* accipi poſſe pro libris, veſtibus, cibis, ceteriſque vitæ neceſſariis, vt ſit diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, vt idem ſit *omnia poſſidentes*, quod aliqua ex omnibus, id eſt ex cibo, calceis, veſtibus, aliiſque omnibus quantũ ſufficit. Et ſic quidem viri Apoſtolici nihil habentes omnia poſſident. Verùm vt Chriſti & Mariæ voluntaria paupertas clariùs innoteſcat, ſciendum eſt, quòd perfectiori modo omnia poſſederint quàm Apoſtoli: non enim in Deo ſolùm omnia habebant, ſed etiam omnia creata per verum dominium perfectiſſimè ſubiecta illis erãt. Primò quidem Chriſto vt Filio Dei, deinde verò Mariæ matri eius, cum qua omnia ſibi erant communia: adeò vt ſi *omnia poſſidentes* de Apoſtolis intelligi debeat pro aliquibus ſibi neceſſariis, per diſtributionẽ ſcilicet pro generibus ſingulorũ; de Chriſto & Maria pro ſingulis generum accipi poſſet & deberet. Cùm enim, vt dictum eſt, *Domini eſt terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in ea*, & inter Chriſtum Dominum vniuerſorum & Mariam matrem eius minimè interceſſerit frigidum illud verbum *meum & tuum*, conſequens eſt, vt ſicut Filius Dominus, ita mater domina vniuerſorum erat. Pſalm. 23, 1.

23. Ex hac omnium rerum perfecta poſſeſſione patet altitudo voluntariæ paupertatis in B. Virgine, quæ ſibi ſubtrahebat etiam neceſſaria, vt egentibus ſubueniret. Vt autem in nobis perfecta ſit paupertas, poſſeſſioni rerum renuntiare debemus, propter inſtabilitatem noſtræ voluntatis. Chriſtus verò & B. Virgo, etſi omnium habuerint iuriſdictionem & poſſeſſionem, perfectiſſimam tamẽ paupertatem ſeruauerunt, etiam res neceſſarias ſibi denegando, & illas egenis diſtribuendo. Rem miram ſcribit Hieronymus de Exuperio Epiſcopo. *Eſuriens*, inquit, *paſcit alios, & ore pallente ieiunys, fame torquetur aliena.* Eodem modo non eſt dubitandum, quin hæc Mater miſericordiæ faciliùs propriam inediam ſenſerit quàm illam pati potuit in aliis; & ideò inſtar gallinæ pro ſuis pullis anxiæ, proprio ori ſubtraxerit, quod poſſet elargiri neceſſita- Hiero. Simile.

Digitized by Google

tem patienti. De Chriſto dicit Apoſtolus: *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues:* non ſolùm in natura diuina, ſed etiam vt homo diues erat, cùm eſſet omnium Dominus, & ſolus independens & abſolutus. vnde Eccleſia ait: ***Quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus***. Sicut ergo non deſiit eſſe Deus, quando factus eſt homo, ita nõ deſiit eſſe homo diues & Dominus, quando pro nobis egenus & pauper eſſe voluit. vnde benè notauit Eſtius, quòd pro eo quòd legimus, *cùm eſſet diues*, in Græco habeatur, *egenus factus eſt diues exiſtens*. Manſit enim Dominus vniuerſæ terræ, & retinuit omnium bonorum temporalium proprietatem, etiam tunc quando actu egebat & mendicabat. Potuit quidem, ſed noluit Ieſus vti dominio quod habebat ſuper omnes mundi diuitias, inquit Caietanus.

2. Cor. 8, 9.

Eſtius.

Caiet.

S. Tho.

24. Notauit autem S. Thomas lect. 2. quòd Paulus vocet paupertatem Chriſti gratiam (*Scitis gratiam Domini*) quia nec præuentus alicuius bonitate, aut meritis alicuius obligatus, nec alicuius potentia coactus, nec ſua neceſſitate inductus, egenus & pauper fuit; alioquin gratia non eſſet gratia. Igitur de Chriſto intellige, *Simul in vnum diues & pauper*. vnde benè notauit Auguſtinus (quem citat Gloſſa ordinaria) quòd Apoſtolus non inquiat: *Pauper factus eſt cùm diues fuiſſet, ſed cum diues eſſet: paupertatem enim aſſumpſit, & diuitias non amiſit. Intus diues, foris pauper; latens Deus in diuitijs, apparens homo in paupertate.* Cum proportione etiam Maria poſſeſſione omnium rerum diues, ex neceſſariarum inopia pauperrima fuit.

Pſalm. 48, 3.

Auguſt.

25. Virgo beata iam regnans in cælo, notam ſæpè fecit ſuam miſericordiam pauperibus. Ex quo patet, quàm fuerit erga eos miſericors & liberalis, cùm adhuc viueret in terris. Stupendum exemplum refert Auguſtinus Mannus in Hiſtoria rerum mirabilium in Eccleſia geſtarum c. 79. quem citat noſter Carthagena §. 52. de Mirandis B. Mariæ Virginis. Fuit, inquit, in Hiſpania in regno Cantabriæ imago quædã B. Virginis, quam deuotio viſitantium honorauerat multis pretioſis ornamentis, & in particulari crepidis argenteis miro artificio fabrefacti, & pedibus accõmodatis eius quę cõtriuit caput ſerpentis. Contingit vt vir quidã honeſtus, ſed pauperrimus, deuotionis cauſa coram imagine genuflectens, mira ſimplicitate domus & familiæ ſuæ extremam inopiam aperiret, dicens: O mater miſericordiæ, quid aggrediar in hac mea neceſſitate? Infelix ego parens numeroſa prole grauatus, non habeo quod ad manducandum eis porrigam. Et ecce (ô ſtupendam miſericordiam) hilari commotione excuſſit imago vnam de crepidis argenteis, blandis geſticulationibus innuẽs, vt illam de terra tolleret, & de pretio neceſſitati ſuæ & ſuorum prouideret. Suſtulit vir pauper eleẽmoſynam miraculosè oblatam, & crepidam venalem obtulit cuidam aurifabro: qui furtum ſuſpicatus, miſerum prodidit Iudici, à quo ex vehementi ſuſpicione poſt quæſtionem iudiciariam morti adiudicatus eſt. Qui cùm ad ſupplicij locum duceretur, & templum, in quo prædicta Imago honorabatur, pertrãſiret, impetrauit vt ſaltem à longè genibus flexis vltimum ſuum agonem ei commendaret. & fiducia plenus dixit: O Virgo glorioſa, ecce occaſione doni tui ducor ad mortem, &c. Mira res! Beata Mater innocentiam viri omnibus

Auguſt. Mannus.

Exemplum inſigne.

Digitized by Google

bus notam faciens, priori crepidæ eodem modo, eadem benignitate, omnibus aſpicientibus & ſtupentibus, excuſſit ſecundam. Et hoc miraculo egenum, cuius neceſſitati prouiderat, à ſuſpicione furti & ab inſtanti morte liberauit.

Mat. 2. 26. Obtulerunt Magi cum thure & myrrha etiam aurum: quo etſi indigeret Virgo altiſſimæ paupertatis amatrix, non eſt dubium quin egenis illud liberaliter diſtribuerit, adeò vt quæ in imagine prædicta exemplum dedit diuitibus auro & argento circumdatis, vt amore pauperis Christi ea quæ ſunt ſuperflua perſonæ, ſine quibus natura & ſtatus commodè ſuſtentari poteſt, pauperibus elargiantur, dum crepidis argenteis, quibus imago illius ornabatur, miraculoſa porrectione renuntiaret, in vita tamen Euangelicis pauperibus, qui non dedignantur mendicare apud illos, cum quibus ſolebant abundare, exemplo præluxit, quando aurum à Magis oblatum egenis diſtribuens, amore paupertatis libenter neceſſaria ſibi denegauit. A Chriſto vnicuique permittitur quod neceſſarium eſt ſuſtentationi, qui omnimodam munditiam promittit eis qui ſuperflua à ſe reſcindunt, dicens: *Quod ſupereſt, date eleëmoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.* Quæ verba exponens Venerabilis Beda c. 51. in 11. cap. Lucæ ait: *Quod ſupereſt, ſcilicet neceſſario victui & veſtimento. Neque ita facienda videtur eleëmoſyna, vt teipſum conſumas inopia, ſed vt tui cura corporis expleta, inopem, quantum vales, ſuſtentes.*

Lucæ 11,40.
Beda.

27. Ex his patet, quòd neceſſaria tibi à Chriſto permiſſa ſint, quibus ſi amore eius ſubinde aliqua detraxeris, imitaberis Virginem, quæ altiſſimam paupertatem poſt Chriſtum Filium Dei coluit. Sequuntur de longè, ſed non aſſequuntur hanc paupertatem filij ſancti Franciſci, qui non modò ſuperfluis, ſed etiam neceſſariis renuntiant, adeò vt cogantur viuere ex iis quæ eis offeruntur liberaliter, aut quæ ab ipſis oſtiatim mendicantur humiliter. Rident hæretici illorum zelum, qui ſtultitiæ illos arguunt, eò quòd hodie per profeſſionem omnia abijciant, quæ cras ſollicitè mendicando iterùm colligunt. In opinione hęreticorum Euangelici pauperes & Religioſi mendicantes ſimiles ſunt iis, qui nuces de arbore impetuoſè excutiunt, quas poſteà diligenter tollunt à terra, & præripere volentibus contentioſè anteuertunt. Ita Religioſi, qui renuntiant omnibus quæ poſſident, vt diſcipulis Chriſti annumerari valeant, poſteà neceſſaria oſtiatim ſe mutuò protrudentes emendicant. Sed ridendi ſunt irriſores. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* *Simile.* 1. Cor. 2,14.

28. Sufficere debet pauperibus Euangelicis exemplum B. Virginis, quę aurum Magorum diſperſit, & dedit pauperibus, & poſteà neceſſariis deſtituta, eleëmoſynas petere & humiliter recipere non eſt dedignata: quæ etſi oſtiatim ordinariè non mendicauit, cui neceſſaria adminiſtrabant manus quas extendit ad fortia, & digiti qui apprehenderunt fuſum (*manus autem fortium diuitias parat*) tamen probabile valdè eſt, quòd aliquando liberaliùs tribuerit neceſſitatem patienti, vt poſteà ſibi humiliter eleëmoſynam peteret. Non enim ignorabat, in Filij ſui perſona dictum eſſe à Dauide Propheta: *Ego autem mendicus ſum & pauper.* Vix relinquitur dubitandi locus, Virginem (quæ fuit Prou. 10,4. Pſalm. 39,18.

virtutum & maximæ humilitatis & paupertatis Chriſti perfectiſſima æmula) humiliter aliquando mendicaſſe, imò etiam mendicando non impetraſſe, ſed repulſam fuiſſe paſſam, cùm Euangeliſta dicat: *Reclinauit eum in præſepio, quia non erat eis locus in diuerſorio.* Lucæ 2,7.

29. Certum eſt, quòd nullus Virginem in aliqua virtute ſuperauerit, igitur non eſt dubitandum, quin amore paupertatis etiam neceſſariis renuntiauerit. Alioquin vidua quæ plus omnibus miſit, & à Christo laudata eſt, Lucæ 21,4. eò quòd non de abundanti ſolùm (ſicut diuites) ſed quod deerat illi miſit in gazophylacium, in liberalitate eam excederet. Paruifecit Chriſtus magna munera quæ de ſuperfluo & de abundanti mittebantur à ditioribus, ſed æra minuta duo à vidua illa paupercula oblata, ei gratiora fuerunt. Ex quo patet, quòd perfectiſſima & Deo gratiſſima ſit illorum Religioſorum oblatio, qui omnibus renuntiant, adeò vt poſteà neceſſariis deſtituti, mendicatione & eleëmoſynis vitam ſuſtentare cogantur. Simile. Rogatus olim Diogenes, quod vinum palato ſuo meliùs ſaperet; reſpondit, *Alterius.* Si Gallicè fuiſſet locutus dixiſſet, *vin donné.* Eodē modo ſi quis rogaret quæ eleëmoſynæ gratiſſimæ ſint Deo, reſponderi poſſet: Datæ ſiue oblatæ. Pro quo nota, quòd eleëmoſynæ de abundanti & ſuperfluo diſtributæ, debitæ ſint Deo & pauperibus, & ſoluantur potiùs quàm dentur vel offerantur. verùm qui neceſſariis renuntiant amore paupertatis, illi dant & offerunt Deo eleëmoſynas, & imitantur Chriſtum, qui cùm eſſet diues, pro nobis egenus factus eſt; & Mariam matrem eius, quæ prima & præcipua fuit quæ poſt Chriſtū altiſſimam coluit paupertatem, &c. Amen.

DISCVRSVS III.

Euangelici pauperes, qui oblata refutant poſſidere, feruentiùs Deum ſitiunt, quem hîc vberiùs & poſt mortem citiùs deguſtant: nam etiam nihil habentes quod tribuant, ad maius eorum meritum poſſunt eſſe miſericordes.

30. CONSIDERATIONE digna ſunt verba Auguſtini, quibus teſtatur eum à perfecto amore deficere, qui ex omnibus viribus non ſolùm amat Deum. *Minùs te amat* (inquit ad Deum exclamans) *qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.* Auguſt. Eodem modo minùs pauper eſt, qui cum Deo aliquid habet quod propter illum non retinet. Timuit poſſeſſiones recipere B. Clara, & ideò *oblata per Gregorium refutat poſſidere, nihilque tranſitorium cum Chriſto vult habere.* In Officio S. Claræ. Nullus prudens inter aureos nummos vel Simile. vnum vel plures argenteos haberet, ſi certò illi conſtaret, tantum ponderis auro fore detrahendum, quantum de argento ei adijceretur. Hanc iacturam timens virgo Clara, quæ verè fuit ſapiens, & vna de numero prudentum, noluit auro optimo, Deo ſcilicet, argentum terrenę poſſeſſionis apponere.

31. Euangelici pauperes ſunt diuites ſimul & pauperes. *Quis diues?* rogauit vnus ex antiquis ſapientibus. qui reſpondens ſibiipſi, ait: *Qui nihil cupiat. Quis pauper? Auarus.* S. Franciſcus, S. Clara, & vtriuſque Sancti Regulæ profeſſores diuites ſunt dicendi, quia nihil cupiunt, *nihilque tranſitorium cum Chriſto volunt habere.* Sunt nihilominùs pauperes iudicio huius,

Digitized by Google

huius mundi, vtpote nihil habentes. Sed potiùs ad illorum honorem dicēdi ſunt pauperes, quia valdè cupidi & auari. Quidquid enim de Deo & diuinis donis poſſideant, numquam dicunt Sufficit. Sicut enim nihil petunt in mundo, ita Deum non niſi à Deo comprehenſibilem (quantum fieri poteſt) totum deſiderant in cælo, numquam contenti quomodocumque illum poſſideant per gratiam, niſi habeant, & ſemper abundantiùs habeant, donec omnino poſſideant per

Simile. gloriam. Si enim creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit, quomodo deſiderium Dei cum ipſius poſſeſſione non ſemper augebitur? In veteri Teſtamento, quando ſanctis bona terræ dabantur, nemo ſibi totum Deum promittere præſumpſit. vnde

Pſalm. 15,5. Dauid ait: *Dominus pars hereditatis*

Pſalm. 141,6. *meæ*. item: *Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium*. Non enim ſe totum donat iis qui cum illo aliquid aliud habent & poſſident.

Simile. 32. Duo peregrini valdè ſitibundi accedunt ad domum diuitis Abrahæ alicuius, omnes hoſpites benignè recipientis: qui vtrique offert bolum panis, quem vnus illorum præ ardore ſitis manducare non poteſt, cuius ſocio offertur ſcyphus aquæ de amphora hauſtæ, ille verò, depoſita verecundia, petit amphoram ſibi exhiberi vt ſitim explere poſſit. Eodem modo vnus minùs, alter magis de eo qui eſt aqua viua deguſtat. Omnibus offertur credentibus & piè viuentibus, ad quos ſine perſonarum acceptione clamat:

Ioan. 7,37. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Aliqui autē cum illo etiam accipiunt terrena, quaſi quædam fruſta panis, qui contenti ſunt parua & ordinaria portione illius ſalubertimi potus: alij verò, quòd vehementiori deſiderio Dei teneantur, omnia arbitrantur vt ſtercora, dicentes: *Quomodo mihi terra vileſcit, cum cælum intueor?* In horum numero ſunt Religioſi, qui nihil tranſitorium cum Chriſto volunt habere. Solet ſitibundo ante potum offerri bolus panis, ne potus noceat; ſed ex magna miſericordia Dei fit, quòd S. Franciſco, S. Claræ & eorum ſequacibus auferatur appetitus Diſſimile. poſſidendi tranſitoria, vt fiducialiùs petant totam amphoram aquæ viuæ ſibi dari, quæ tunc non tantùm non nocet, ſed etiam ſalubriùs delectat, quando is qui bibit oblata refutat poſſidere; nihilque tranſitorium cum Chriſto vult habere.

33. Cùm Apoſtoli in vltima cœna aſſiderent menſæ, ſumebat quilibet pro ſuo palato de ijs quæ appoſita erant, vnus de hoc, alter de illo diſco: qui quamuis ſinguli etiam participabant de Chriſto, & de cæleſti dulcedine illius aquæ viuæ, ſolus tamen Ioannes appoſitorum in menſa oblitus, vt magis ſitibundus pectori ampliſſimæ amphoræ os àpponens, fluenta cæleſtia de Chriſti pectore potabat. *Erat ergo* Ioan. 21,20. *recumbens* (inquit de ſeipſo) *vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu*. item: *Qui* Ioan. 13,23. *& recubuit in cœna ſuper pectus eius.* Hæc mappa mundi non eſt aliud Simile. quàm inſtructiſſima menſa, ex qua quilibet ſibi neceſſaria cum benedictione Dei accipere poteſt. Interim igitur quod vnus hoc & alius illud ſibi aſſumat, Euangelici pauperes, præſertim filij S. Franciſci, qui refutant poſſidere, poſſunt ſe proijcere in ſinum Chriſti. O felices ſitibundi, quibus tota terra vileſcit, qui nihil tranſitorium cum Chriſto vultis habere, dicite cum Dauide: *Quid mihi eſt in cælo, & à te* Pſalm. 72,25. *quid volui ſuper terram, Deus cordis mei?* Optandum eſſet, vt omnes paupertatis

pertatis profeſſores hoc ex intimo corde frequenter repeterent. Sic enim verè omnia arbitrarentur vt ſtercora, & obtuſis naribus tranſirent cum S Ignatio & S. Franciſco Xauerio per plateas ciuitatum, non minùs anhelantes cæleſtia quàm faſtidientes terrena, dicendo: *Quomodo mihi terra vileſcit, cùm cælum intueor?* Valdè autem iucundæ ſunt Deo huiuſmodi acclamationes, adeò vt Dauid ex ſimilibus aſpirationibus ſperaret Dei dulcedinem ſibi ab eo propinādam fore. vnde aiebat: *Iucundū ſit ei eloquium meum, ego verò delectabor in Domino.* Iucundiſſimum fuit Deo eloquium ſancti Thomæ Aquinatis, qui oblata etiam à Chriſto refutauit poſſidere. Rogatus enim quam mercedem accepturus eſſet pro eruditis ſuis ſcriptis & ſanctis laboribus, reſpondit: *Non aliam, Domine, niſi teipſum.*

Pſalm. 103, 34.

In Officio ſancti Thomæ.

34. Qui in vita ſua ad tam altam paupertatem aſcendunt, vt cum prædictis Sanctis ad nihil omnino anhelent, & cum S. Franciſco & S. Clara oblata refutant poſſidere, eos poſt mortem nihil retardare ſolet, quin ſtatim ruant in amplexus cæleſtis ſponſi. Timendum autem, quòd illi qui in hoc mundo poſſident, etiam à terrenis rebus poſſideantur, ac proinde etſi vacui rebus, non tamen rerum affectibus ex hac vita migrantes, detineantur donec digeratur, quod dum viuerent, cum Deo nō tamen purè propter Deum diligebatur. Sunt hi ſimiles vulpi, quæ (vt habet Apologus) per arctum foramen tranſiens, in quodam penuario ſe carnibus ibidem inuentis ita ingurgitauit, vt poſteà obeſior & ventroſior effecta, fruſtrà tentaret per idem foramen egredi: vnde multùm afflicta, cœpit gemitibus & eiulatibus vulpes ſocias pro conſilio & adiutorio in re tam perplexa aduocare. Vna autem ex eis intellecta tota rei ſerie dixit: Vnicum eſt remedium; abſtinendum eſt tibi, vſque dum tam tenuis exire poſſis, quàm per arctum illud foramen intraſti.

Apologus.

35. Multi detinentur ad tempus in Purgatorio, qui etſi paupertatem profeſſi ſint & obſeruarint, tamen affectum aliquem rerum inaduertenter fortè ita imbiberunt, vt craſſiores effecti, per anguſtum foramen acus redire non poſſint ad Deum vnde venerunt. Nam qui non ita nudati ſunt omnibus affectibus rerum terrenarum in morte, ſicut erant in natiuitate, eis non ſtatim de Purgatorio patebit exitus, ſed magnam patientur famem, & torquebuntur deſiderio videndi & fruendi Dei, donec totum digeratur, quo inordinatè ſe in hoc mundo ingurgitarunt. Euangelici pauperes verò, qui nihil cum Chriſto habere volunt, & oblata refutant poſſidere, abundantiori cautela (quæ non nocet) vtuntur. Multi enim ex illis nunc omnino nudi affectibus terrenorum, ſed valdè diuites rebus, ingreſſi ſunt in hanc vitā dum naſcerentur, qui poſteà cum affectu rebus & poſſeſſionibus renuntiantes, non tantū craſſiores non ſunt facti in penuario huius mundi, ſed macilentiores, adeò vt cum Iobo dicere poſſint: *Nudus egreſſus ſum de ventre matris meæ, & nudus reuertar.* Nudus inquam rebus, poſſeſſionibus, & nudus affectibus.

Iob 1, 21.

36. Notandum autem eſt, quòd illi qui per altam illam paupertatem tam perfectè extenuati ſunt, meritis opimis incraſſantur & pingueſcunt, adeò vt, ſicut in principio dixi, ſimul ſint pauperes & diuites; pauperes nimirum rebus, meritis autem diuites, & virtutibus ſublimes. Pro quo nota,

quòd

quòd Apoſtoli, tamquam nihil habentes, & ſicut egentes, appellantur diuites, multos locupletantes, non tantùm in ſpiritualibus, quod faciunt cum effectu, ſed etiam in temporalibus, ſaltem affectu & bona voluntate, ſua inopia omnes diuites efficiunt. Pro quo notandum eſt oraculum vigeſimumnonum S. Franciſci, quod refert Wadingus lib. 3. Opuſculorum ex S. Bonauent. lib. de Luminaribus Eccleſiæ, Serm. 5. qui docet, pauperrimum, qui refutat poſſidere, magis liberalem & munificum eſſe poſſe quàm ditiſſimum quemque. *Pauper*, inquit, *magis poteſt eſſe largus quàm diues. Si enim non dat cùm habeat, licet vellet dare, ſi ſibi non deficeret, voluntas bona eſt, ſed non reputatur pro facto ſibi, quia adhuc habet ſubſtantiam. Sed pauper qui nihil habet, qui vellet dare pauperi, & nihil habet quod det, & vellet ædificare hoſpitalia, non tamen habet vnde, in hoc voluntas pro facto reputatur.* (S. Bonauent.)

37. Simplicibus & paucis verbis ſanctiſſimus Pater attingit, imò abſoluit quæſtionem illam Theologorum, qua quærunt, vtrùm actus exterior aliquid addat de bonitate & malitia ad interiorem actum, de qua diſputat S. Thomas 1. 2. q. 20. a. 4. (S. Thomas.) Prætereà per hæc verba S. Patris, qui fuit doctus doctrice gratia, exponi poteſt Scriptura, quam adfert S. Paulus dicens: *Si voluntas prompta eſt, ſecundùm id quod habet accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet*. (2. Cor. 8, 12.) Vnde fit quòd voluntas eius qui omnia ſemel reliquit, etſi iam nihil habet, accepta & grata erit Deo ſecundùm feruorem & promptitudinem dandi: quæ ſi tanta eſt, quanta fuit cùm omnia daret, tam accepta erit; ſi verò maior & feruentior, gratior erit voluntas iam nihil habentis quàm fuit olim omnia relinquentis. Pro certo igitur tenendum eſt, cùm voluntas interior abſque opere poſſit eſſe perfecta & efficax, ita vt ſolùm ob defectum poſſibilitatis prætermittatur opus externum, tantumdem præmij vel pœnæ conſequetur eiuſmodi voluntas, quantum ſi ad opus etiam progrederetur. Rationem addit Lyranus noſter, quia impedimentum aut impoſſibilitas inuoluntaria nihil tollit de merito aut de demerito bonæ vel malæ voluntatis efficacis. (Lyran.) Sicut enim omnino inuoluntariè factum nihil meretur præmij aut pœnæ, ita quoque defectus operis inuoluntarius nihil de dignitate præmij aut pœnæ detrahit. Ioannes Euangeliſta ob hanc rationem præter alios meritò honoratur vt Martyr, qui, etſi in multis vexatus à tyranno, tamen de facto non eſt interfectus, de quo ait Chriſtus ad Petrum: *Sic eum volo manere donec veniam*. (Ioan. 21, 21.)

38. Confirmari poteſt hæc doctrina ex Scriptura, quæ ſine opere ſecuto totum meritum tribuit promptæ & efficaci voluntati oper[...]s. Propter hanc ſolam illæſo & intacto Iſaaco remanente, dicitur Abrahæ: *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me*. (Gen. 22, 16.) Religioſam voluntatem Dauidis reſpiciens Deus, cui opus inhibuit, dixit: *Quod cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, benè feciſti, hoc ipſum mente tractans*. (3. Reg. 8, 18.) Præter intentum, hîc prætereà notat Lyranus noſter, quòd homo non tenetur ſemper & in omnibus voluntatem conformem habere voluntati diuinæ. (Lyran.) Dauid enim voluit ædificare templum Domino, & de hoc ab eo commendatur: & tamen Deus noluit quòd ipſe ædificaret, ſed filius eius. Eodem modo poſſet contingere quòd aliquis efficace voluntate ambiret Religionem,

ligionem, qui poſt multas ſollicitationes patitur repulſam ab ijs quorum intereſt illum recipere. Ex quo patet, quòd Deus aliud de illo cogitauerit & voluerit, ac proinde voluntas ſollicitantis non fuerit voluntati Dei conformis, tamen præmium habebit opere non ſecuto.

39. Et quid mirum, ſi bona voluntas reputetur pro facto, cùm etiam mala voluntas operis non ſecuti æterna pœna puniatur? vnde Chriſtus ait: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Eſt hæc doctrina S. Auguſtini, qui lib. 1. de Libero arbitrio, cap. 3. ſic ait: *Si cui facultas non contingat peccandi cum coniuge aliena, planum tamen ſit eum cupere, & ſi poteſtas detur eſſe facturum, non minùs reus eſt, quàm ſi in facto ipſo deprehenderetur.*

Matth. 5, 28.

S. Auguſtin.

40. Ex his patet, quòd Euangelici pauperes, egentes, & nihil omnino habentes, poſſint haberi pro liberalibus & miſericordibus apud Deum, quia efficace affectu & voluntate, ſicut de facto ſemel omnibus renuntiarunt refutantes oblata poſſidere, omnes obuios egenos & pauperes locupletantes cenſendi ſint. Nam (vt ait Caſſianus lib. de Inſtitutione cap. 19.) *Dominus non ſolùm pro operationis effectu, ſed etiam pro voluntatis ac voti deſiderio, vnicuique aut præmium reddet aut pœnam.* Nihil omnino poſſidens S. Didacus *tanto erga Chriſti pauperes amore flagrabat, vt cùm eorum calamitates pro voto ſubleuare non poſſet, vim lacrymarum profundens, verbis eos dulciſſimis ſolaretur.* Nemo ſanæ mentis dicet, quòd hic Sanctus cor ſuum quodammodò in pauperes effundens, minus meruerit, quàm alius, qui, retentis multis poſſeſſionibus, totum fortè marſupium alicui pauperi exhauſit. *Subinde æquatur merito* (inquit Leo Serm. 4. de Ieiunio 10. menſis) *qui diſtat impendio, quia poteſt par eſſe animus, vbi diſpar eſt cenſus.*

Caſſianus.

In Officio ſancti Didaci.

S. Leo.

41. Parum dixit S. Leo: non enim ſolùm par, ſed etiam multò feruentior poteſt eſſe animus, & ignis amoris in voluntario & Euangelico paupere nihil habente, ac proinde nihil omnino dante, quàm in eo qui multa diſtribuit, aliqua tamen retinet. Vt enim purior & vehementior eſt ignis in ſua ſphæra, ſine aliquo pabulo combuſtibili in quod agat, quàm ſit ignis noſter viſualis & focarius, qui magnus vel exiguus eſt ſecundùm minorem vel maiorem lignorum quantitatem in quibus ſuſtentatur; ita fieri poteſt, quòd maior ſit ignis cæleſtis in ijs quibus nihil ſuppetit, quòd in vſus pauperum conſumant, quàm in ijs qui eſurientes paſcunt, & circa egenos cetera miſericordiæ opera corporalia exercent. *In me ſunt Deus vota tua* (dixit Dauid) *quæ reddam, laudationes tibi.* Quæ verba exponens Gregorius ait: *Etſi exteriùs munera offerenda non habeo, intra memetipſum tamen inuenio quod in ara tua laudis impono: quia qui noſtra donatione non paſceris, oblatione cordis placaris. Nihil enim offertur Deo ditius voluntate bona.* Melior igitur & feruentior poteſt eſſe voluntas eius, qui ſemel omnibus renuntians, nihil retinuit quod offerri poſſit, quàm eius qui multa donat, & aliqua quæ dari poſſent in futurum reſeruat. Poſſunt igitur pauperes rebus qui refutant oblata poſſidere, ſanctitate atque adeò virtute miſericordiæ & liberalitatis in pauperes ſublimari.

Simile.

Pſalm. 55, 12.

S. Gregorius.

42. Solet dici à Belgis: *Die gheeft dat hy heeft, die is vveerdt dat hy leeft.* Potiori iure vita æterna digni ſunt

Euan-

Euangelici pauperes, qui, ſecundùm conſilium S. Patris Franciſci, omnia quæ habere poſſunt erogant pauperibus, illorum enim voluntas prompta tunc eſt ſecundùm id quod habet: quæ ſi poſteà efficax eſt ad dandum, ſi poſſibilitas adeſſet, efficitur accepta & Deo gratiſſima etiam ſecundùm id quod non habet. Ex quo fit, quòd ſicut digni erant vita æterna dum darent quod habebant, ita digniores efficiantur affectu & efficace voluntate offerendi quod non habent. Euertunt proinde Euangelici pauperes illud Philoſophorum axomia: *Ex nihilo nihil fit.* Si quidem egentes & nihil habentes ſunt, & nihilominùs multos cum effectu ſpiritualiter, affectu verò corporaliter locupletantes, qui etſi egenis non proſit, cùm affectus eleëmoſynarij ſolùm optet pauperi, ſed non eroget eleëmoſynam, ipſi tamen Euangelico pauperi egeno compatienti acquirit meritum & gratiam, &c. Amen.

DISCVRSVS IIII.

Difficulter diues rebus paupertatem ſpiritus, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt, aſſequitur, ideò in maiori metu viuens, ad excellentiorem ſanctimoniam conari debet.

43. SICVT pauper rebus diues eſſe poteſt virtutibus, quarũ etiam actus externos non exercet (vt in præcedenti Diſcurſu demonſtratum eſt) ita non repugnat quidem, vt quis rebus diues, pauper ſit ſpiritu; adeò vt etiam de illo dici poſſet, quòd
Pſalm. ſit ſimul in *vnum diues & pauper.* Sed
48, 3. ſicut facilè eſt pauperi Euangelico ſine tranſitorijs rebus ſublimari virtutibus; ita valdè difficile eſt, inter diuitias paupertatem ſpiritus illæſam ſeruare. Quemadmodum enim vix fieri *Simile.*
poteſt vt ſpinæ continuò contrectentur, & numquam pungant aut cruentent; ita difficulter quis (retentis diuitijs) earum ſollicitudine ſpiritũ ſuum aliquando non inquietabit. Cùm igitur difficulter haberi poſſint, niſi etiam inordinatè aliquo modo amentur, certum eſt, quòd vix ſine periculo offendendi Deum poſſideantur.

44. Neceſſarium eſt ad ſalutem etiam ditiſſimis, vt ſint pauperes ſpiritu, quibus promittitur regnum cælorum tamquam filiis Dei. Proponebat olim Decius Imperator filio ſuo Imperium cedere, vt ſcribit Valerius Maximus lib. 4. quem citat Nanus in Po- Nanus.
lyanthæa v. Parentes, qui refutauit oblata poſſidere, dicens: *Vereor ne deſinam eſſe filius.* Eodem modo videntur Religioſi ſibi timere, ne deficiant in debita paupertate ſpiritus, & decidant à numero morigerorum filiorum Dei, ſi diuitias apud ſe retinerent, ideò illis omnino renuntiant. Terribilis eſt, vera tamen, ſententia Chriſti contra diuites, qua eos ferè ad deſperationem conſequendi regnum cælorum adigere videtur, dicens: *Diues difficilè* Matth.
intrabit in regnum cælorum. In quod 19, 23.
diſcrimen non ob aliud cadunt, niſi ob defectum paupertatis ſpiritus, quã rebus abundantes habere deberent. Vt ſcias quàm facilè diues offendat contra beatificantem paupertatem ſpiritus, notandum eſt, quòd etiam aliqui pauperes rebus ex defectu eius periclitentur, qui etiam cenſentur in numero illorum diuitum, quibus teſtimonio Chriſti ingreſſus ad regnum cælorum impoſſibilis prædicatur. Vnde Augu- Auguſt.
ſtinus lib. Quæſt. Euangel. cap. 26. ait, quòd Dominus in illa terribili ſententia nomine diuitis intelligat eum qui

habet diuitias, & qui eas inordinatè amans cupit habere.

45. Intellexerunt hanc Chriſti Domini mentem Apoſtoli, qui ad hoc verbum ſtupefacti & commoti dixerunt: *Quis ergo ſaluus eſſe poterit?* ✠.25. Cùm enim pauciſſimi ſint diuites rebus, & infinitus ſit numerus pauperum, clarum eſt, ſi intellexiſſent omnes illos à comminatoria illa Chriſti ſententia immunes eſſe, qui propter defectum diuitiarum pauperes vocantur, ſine fundamento perturbati propter paucitatem ſaluandorum hanc quæſtionem propoſuiſſent. Optimè igitur intellexerunt, non tantùm ibidem diuites vocari qui multa poſſident, ſed etiam illos qui parũ habentes inordinatè multa petunt; qua ratione, pauciſſimis exceptis, omnes ferè diuites eſſe cenſendi ſunt, quibus propter defectum paupertatis ſpiritus terror de impoſſibilitate conſequendi regnũ Dei incutitur.

46. Sciendum tamen eſt, eos qui diuitias etiam actu poſſident, minùs diſpoſitos eſſe vt veram paupertatem ſpiritus (cui regnum cælorum ex promiſſione Chriſti debetur) poſſideant, quàm illi qui earum actuali poſſeſſione nondum illaqueantur. Luc. 12, 21. Nam, Chriſto teſte, *qui ſibi theſaurizat, non eſt in Deum diues.* Diues eſt autem omnis, qui propter paupertatem ſpritus à Chriſto in monte beatificatus eſt. Eſt notatu dignum, quòd Deus promiſſione duplicis benedictionis lætificarit Abrahamum, dicens ei: *Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Gen. 12, 2. Quid eſt hoc? poſſetne fieri vt Deus benedicat alicui, qui non eſſet cum effectu benedictus? An igitur poteſt ore benedicere, & corde ſuo maledicere? An ab illo ſubinde *laudatur peccator in deſiderijs ſuis, & iniquus benedicitur?* Pſalm. 10, 3. Longè eſt Deus ab eorum errore, qui benedicendo *beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* Pſ. 143, 15. Longiùs ab illorum adulatione, de quibus dicit Propheta: *Popule meus, qui te beatum dicunt, illi te ſeducunt.* Iſaiæ 3, 12. Quid igitur ſibi vult, quòd tam ſollicita reduplicatione promittat Patriarchæ: *Benedicam tibi, eriſque benedictus?* Gen. 12, 2.

47. Sine dubio hîc aliquid latet quod eſt dignum inquiſitione. Inprimis igitur notanda eſt lectio Santis Pagnini, Santes Pagn. qui pro eo quòd Vulgata habet, *eriſque benedictus*, legit, *& eſto benedictio.* Eſt phraſis Hebræorum, quæ etiam apud nos vſitata eſt, qua denominationes pro rebus denominatis ponimus, dum in aliquo excellentiam alicuius virtutis vel vitij, aut etiam felicitatis vel miſeriæ ſignificare volumus. Quo ſenſu dicimus de homine benigno & bono, Eſt ipſa bonitas. Hoc modo loquendi vſus etiam eſt Salomon. Dum enim vellet ſignificare, quòd omnia creata vana ſint, niſi ad gloriam regerantur factoris; & quòd *fallax gratia, & vana eſt pulchritudo* mulieris non timentis Deum. Prouer. 31, 30. itẽ quòd verum ſit quod alibi dixit: *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt*; Sap. 13, 1. poſuit denominationem pro rebus denominatis, dicens: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccle. 1, 2. Hac locutione vſus eſt Poëta Cretenſium, taxans illos tamquam pigros, beſtiales,guloſos & ventri deditos. vnde ait Paulus: *Dixit quidam ex illis proprius ipſorum Poeta, Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.* Tit. 1, 12. Cùm igitur Abraham non ſolùm benedictus à Deo vocetur, ſed dictum ſit illi ſecundùm lectionẽ Santis Pagnini, *Eſto benedictio*; abundantia & ſingularitas benedictionis Abrahæ ſignificata eſt.

48. Præ-

48. Præterea non ſolùm ex hac lectione colligi poteſt excellentia benedictionis, ſed etiam ad magnum illius Patriarchæ honorem benedictio vocatur (ſecundùm expoſitionem Hebræorum, quam refert Lyranus noſter) quia futurum erat, vt benedictio Sacerdotum fieret commemoratione nominis Abram in hunc modum: *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob benedicat tibi.* Et notandum eſt, quòd nomen Abraham bis referebatur. nam benedictio inchoabatur à nomine Abram, quod in fine iterata repetitione eamdem claudebat. Sicut igitur de Christo dicitur, quòd *factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur*; quia nimirum ille de condigno nobis meruit iuſtitiam & ſanctificationem: ita Abraham cum quadam proportione benedictio populi vocari potuit, per cuius inuocationem, etſi non de condigno, ſaltem de congruo aliqui benedictionem Dei aſſequebantur.

Lyran.

1. Cor. 1, 30.

49. Sed retenta Vulgata noſtra lectione, notandum eſt cum noſtro Fero, non eſſe tautologiam, nec idem bis promitti, cùm dicitur, *Benedicam tibi, &c. eriſque benedictus.* ſed ſignificatur fortè his verbis differentia benedictionis, qua Deus benedicit, qui dicendo facit; nam *ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt*, & qua homines benè precantur verbotenus ſcilicet, qui vltrà non habent quod faciant, de quibus proinde verè dicunt Belgæ: *'tEn is met ſegghen niet te doen.* Cùm igitur ait, *Benedicam tibi, eriſque benedictus*, idem eſt ac ſi dicat, Benedicam, & benedicendo reipſa benefaciam. quæ quamuis à Deo idem ſint, quia tamen homines ſua benedictione & bona precatione non continuò benefaciunt, ideò more hominum loquens dicit: *Benedicam tibi, eriſque benedictus.* Præterea Gloſſa interlinearis dicit, quòd primis verbis ſolùm exponatur *benedictio temporalis altitudinis.* Et hæc eſt interpretatio quæ multum deſeruit præſenti noſtro intento. Pro quo notandum eſt, quòd multis benefiat à Deo in temporalibus & tranſitoriis diuitiis, qui non ſtatim ideò benedicti ſunt dicendi, audituri ſuaue illud verbum: *Venite benedicti Patris mei.* quinimò *abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cùm ipſe dederit omnia in manu eorũ.* Et Dauid dicit: *Aperis tu manũ tuam, & imples omne animal benedictione.* Etſi enim omnes implentur benedictione Dei, non tamen omnes benedicti ſunt, quinimò multi à ſiniſtris audituri ſunt, *Ite maledicti.* Cùm igitur Deus reduplicat benedictionem, promittens quòd benedicet Patriarchæ, & quòd erit benedictus, ſignificat, quòd per omnia, in temporalibus non ſolùm, ſed etiam in ſpiritualibus erit benedictus, adeò quòd nomen eius ita erit magnificatum, vt omnes qui alteri ſæculis futuris omne bonum precari volent, dicent: Fiat tibi, & benedicat tibi Deus, ſicut fecit & benedixit Abræ. Hoc modo, vt notauit A lapide, olim acclamabant Cæſari dicentes: *Sit Auguſto felicior, ſit Traiano melior, &c.*

Gen. 12, 2.

Matth. 25, 34.

Iob 12, 6.

Pſalm. 144, 16

Matth. 25, 41.

50. Fuit neceſſarium pro omnimoda conſolatione Abræ, vt benedictio modo ſupradicto reduplicata ei promitteretur. Nam, vt ait Christus, *quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Ex ſola igitur temporalium benedictione non tam conſolatus fuiſſet quàm anxius pro animæ

Digitized by Google

ſuæ bonis, quæ periclitari ſolent in abundantia diuitiarum propter defectum paupertatis ſpiritus. Ne igitur temporalis proſperitas ei ſuſpecta ſit, addit poſt promiſſionem primæ benedictionis, *eriſque benedictus*. Poſteà verò clarioribus verbis eumdem confortauit, vt cum ſpe futurorum bonorum ſecuriùs præſentibus vteretur. *Noli*, inquit, *timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*. Videtur Deus loqui homini timorato & cogitabundo, ac de gratia & fauore ſaluatoris ſollicito, cui ſuſpecta eſt diuitiarum ſuarum abundantia. Fortè incipiebat timere, Meſſiam non fore naſciturum de ſemine hominis opulenti & diuitis. Rationem timendi ſuggerebat paupertas futuri Meſſiæ, cuius vitam ab eo in ſpiritu præuiſam fuiſſe probabile facit quod Christus dixit Iudæis: *Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt*.

Matth. 16,26.

Gen. 15,1.

Ioan. 8,56.

51. Porrò quòd omnia nihil proſint homini, ſi totum mundum lucratus, minimum animæ ſuæ detrimentum patiatur (quod facilè in rerum abundantia propter defectum paupertatis ſpiritus euenire ſolet) indicat idem Patriarcha, qui poſt heroicam illam non promiſſionem modò ſed declarationem actualis amicitiæ Dei qui dixit: *Protector tuus ſum*, &c. item: *In te benedicentur vniuerſa cognationes terræ*; quaſi anxius de completione illius promiſſi ait: *Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam abſque liberis*, &c. Ecce ſanctiſſimum Patriarcham ſuſpenſum, timidum, ne fortè occaſione diuitiarum in aliquo Deum offenderit, & meruerit retractationẽ promiſſi ſibi facti de Meſſia ex ſemine ſuo naſcituro, in quo benedicendæ erant omnes cognationes terræ: ecce ſpinæ diuitiarum pungunt ſanctiſſimum Patriarcham.

Gen. 15,1.
Gen. 12,4.
Gen. 15,2.

52. Omnibus quidem dictum eſt ab Apoſtolo, *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*; præ ceteris autem in continuo timore viuunt diuites. Si enim paupertas ſpiritus, ſine qua nemo beatitudinem ſperare poteſt, vix inuenitur in iis qui ſunt pauperes rebus (vt dictum eſt) meritò abundantes in ſæculo timere debent ne illis deſit: in quibus ſi fuerit, ſingulari modo ſplendebit. Vt enim Magnatum & potentatuum humilitas præclarior, ita diuitum paupertas ſpiritus Deo gratior eſt. Ex quo ſequitur, quòd inter ſingulares Sanctos (ſi excipias pauperes qui in ſtatu Euangelicæ paupertatis præ ceteris in perfectione proficiunt) habendi ſunt diuites rebus & ſimul pauperes ſpiritu. Quod etiam Scriptura teſtatur dicens: *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula*, &c. *fecit enim mirabilia in vita ſua. Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi gloria æterna*. Qui igitur eſt ſimul in vnum diues rebus, & pauper ſpiritu, meritò miraculum non naturæ, ſed gratiæ vocari poteſt.

Phil. 2, 12.

Eccli. 31,8.9 10.

53. Porrò tam mirabile eſt in oculis hominum talem videre, quòd olim hæretici quidam etiam impoſſibile iudicarint diuitem ſine macula, & non abeuntem poſt aurum inueniri. Iudicabant illi quidem, ſed errabant, nullum eſſe diuitem, & ſimul pauperem ſpiritu, adeò vt neceſſe fuerit in Concilio Gangrenſi ſtultum illorum errorem damnare, credentium nullum diuitem ſaluari poſſe. Nos ergo poſſibile quidem arbitramur, etſi rarum ſit & mirabile. Subindicat autem Spiritus ſanctus, in quo ſita ſit ratio admirationis. *Fecit enim mirabilia*, inquit, *in vita ſua. Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt*. Ibidem

eſt. Miraculum igitur eſt, iudicio Spiritus ſancti, quòd diues auro & theſauris probatus, perfectus inuentus ſit. Non eſt fortè minor hæc probatio & tentatio, quàm fuit Abrahæ, qui tentatus an potiùs filium amaret quàm Deum, nocte conſurgens ad illum immolandum, inuentus eſt perfectus. Vnde Chilon dicere ſolebat, hominum bonitatem probari auro, perinde ac aurum probatur Lydio lapide.

Gen. 22.

54. Mirabile eſſet, iuuenem inter virgines pulchras verſari, & ad illarum amplexus allici & inuitari, & earum decore non demulceri, aut tam periculoſis blanditiis non labefactari. Mirabilius autem eſt, inter fulgentes pecunias morari, & earum ſplendore non capi. Nam etſi in mulieribus magna ſit vis attractiua, vtpote præparatis ad capiendas animas carnalium; maior eſt tamen pecuniæ tyrannis, quam exercet in illos qui poſt aurum abeunt, & ſperant in pecuniæ theſauris. Non enim de mulieribus, ſed de pecunia vniuerſalis propoſitio poſita eſt qua dicitur: *In riſum faciunt panem & vinum, vt epulentur viuentes: & pecuniæ obediunt omnia.*

Eccle. 10, 19.

55. Adde, quòd diuitiæ vocentur mendacium: *Filij hominum vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* dicit Dauid. Item fallacia. vnde Christus ait: *Fallacia diuitiarum ſuffocat verbum*. Item vanitates & falſæ inſaniæ, de quibus iterùm Dauid: *Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius; & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas*. Item faſcinatio: *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona. Si autem corrumpunt mores bonos colloquia praua*: mirabile erit, quòd aliquis inter mendaces, fallaces, imò faſcinantes diuitias non decipiatur? Patet igitur quòd ſit rara auis in terris, verus pauper ſpiritu, & diues rebus. vnde fit quòd ſicut Religioſæ, ſuæ integritati timentes iacturam, ſtudioſiſſimè excludunt à ſuis clauſtris perſonas alterius ſexus; ita etiam vt paupertatem ſpiritus illæſam ſeruent, renuntiant & abijciunt aurum & diuitias. Pericles inuitauit olim ad ſe Simonem Athenienſem, promittens ei omnium rerum affluentiam, ſi illi cohabitare vellet. At Simon oblata recuſauit. Placuit enim illi imago muris ſilueſtris paruo viuentis, potiùs quàm domeſtici in ſummis deliciis, ſed in continua ſollicitudine verſantis. Refert hoc Laërtius l.2 c.14. Mus ſilueſtris parum habens quod comedat, parum etiam timet quòd à felibus capietur & deuorabitur. Mus verò domeſticus in rerum abundantia vbique timere debet inſidias. Eodem modo ſtatus Religioſorum eſt quidem pauperior, ſed ſecurior quàm diuitum: qui etſi ſint timorati, ſemper formidare debent, ne incidant in tentationem & in laqueum diaboli, à quo tandem teneantur captiui.

Pſalm. 4, 3. Matth. 13, 22. Pſalm. 39, 5. Sap. 4, 12. 1. Cor. 15, 33. Simile.

56. Ceterùm etſi multi ſunt Sancti in Eccleſia Dei, non tamen omnium ſanctimonia omnibus publicè innoteſcit, ſed illorum tantùm & nota & ab omnibus celebrata eſt, qui in vita ſua miraculis clari, meruerunt catalogo Sanctorum inſcribi. Tales eſſe debent qui in hoc mundo ſunt diuites rebus: eorum enim ſanctitas ſi non eſt ſingularis, nulla omnino ſit neceſſe eſt. Alios homines pietas & mandatorum Dei perfecta obſeruantia Sanctos efficiunt, ſanctitatem autem diuitum, qui ſunt ſine macula, mirabilia quæ fecerunt publicant & oſtendunt. Nam de vnoquoque illorum dicit Præſes Cardinalium, cui à Summo Pontifice inquiſitio de veris miraculis Sanctorum

Simile.

rum canonizandorum demandata eſt:
Eccli. 31,9. *Fecit enim mirabilia in vita ſua.* qui
proinde eum beatificandum affirmat,
Ibidem v.8. dicens: *Beatus vir qui inuentus eſt ſine macula*,&c. Rariſſimos autem videmus diuites tam ſingulari ſanctimonia claros, vt mereantur præ ceteris publicè tamquam Sancti honorari & celebrari; ſequitur igitur quòd valdè raro temporalibus poſſeſſionibus & diuitiis vera ſpiritus paupertas coniuncta ſit.

57. Inter reprobos illi peſſimi cenſeri poſſe videntur, de quibus non optando ſed prædicendo ait Prophe-
Ierem. 17,18. ta: *Induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.* Alij enim ſunt qui ſaltem cum diuite Epulone hîc habent ſuam conſolationem,
Lucæ 16,25. Simile. cui dixit Abraham: *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua*, quorum peccata fortè non eò vſque aſcendunt, vt mereantur torqueri in tempore & in æternitate. In hunc modum illorum diuitum ſingularis debet eſſe ſanctitas,& valdè vtilis pietas, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ, qui dum viuunt, bonis terrenis, & nihilominùs poſt mortem cæleſtibus & ſempiternis gaudebunt. vnde non ad vulgarem ſed ad ſingularem gratiam & gloriam conari debet, qui, rebus ſuis retentis, pro ſalute ſua ſollicitus eſſe voluerit: damnabilis eſt enim rerum terrenarum affluentia, niſi illi aſſociata fuerit gratiæ & cæleſtis benedictionis copia. Pro quo notanda eſt benedictio, quam Iſaac pronuntiauit ſuper Iacob filium ſuum, & dilectum
Gen. 27,28. Dei: *Det tibi* (inquit) *Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini.* Attende, quòd non ſolùm illi precetur vini & frumenti, ſed etiam roris cæleſtis abundantiam: parua enim & modica roris cæleſtis influentia non poteſt ſperari copia, ſed debet timeri frumenti & vini inopia. Erratis igitur diuites, qui pro paupertate ſpiritus, pro abundantia gratiæ & gloriæ minùs ſolliciti dicitis, quòd contenti ſitis, ſi vel minimum gloriæ gradum & infimum locum in cælo aſſequi poteritis. Erratis, inquam. Aut enim nihil, aut abundantiam recipitis de rore cæli, ſi ſalua ſalute multum accepiſtis de pinguedine terræ. Sicut enim peſſimi ſunt qui hîc & nunc affliguntur, etiam poſt hanc vitam in æternum cruciandi; ita non niſi optimi tam rectè tranſeunt per multa bona temporalia, vt etiam conſequantur
æterna. *Beati pauperes ſpiritu* (inquit Matth. 5,3.
Chriſtus) ſed nihilominùs beatus diues, qui pauper ſpiritu inuentus ſine macula, & poſt aurum non abiit, nec
ſperauit in pecuniæ theſauris: *fecit* Eccli. 31,9.
enim mirabilia in vita ſua: erit illi gloria æterna,&c. Amen.

DISCVRSVS V.

Quemadmodum nihil poteſt cohibere cupiditatem auari, ita vir cæleſtium deſideriorum nullam temporalium rerum iacturam timet.

58. SALVTARIS eſt monitio
S. Pauli, qua ait: *Sint* Hebr. 13,5.
mores ſine auaritia, contenti præſentibus: ipſe enim dixit: Non te deſeram, neque derelinquam. Innatum videtur Hebræis auaritiæ vitium, & inordinata terrenorum cupido. vnde etiamnum Iudæi per orbem miſerè diſperſi, illicitis contractibus per fas & nefas ſordidiſſimè operam dant rebus accumulandis. Porrò magna eſt auaritiæ tyrannis, adeò vt cogat hominem quatenus ſe exponat periculo mortis tam cor-

Digitized by Google

Laërt. corporis quàm animæ. Refert Laërtius l. 1. c. 9. dictum Anacharſis, quo probatur ab auaris ſpe lucri periculū mortis cōtemni. *Auari*, inquit, *qui lucri cupiditate pernauigant maria, incerti de reditu, quatuor digitis abſunt à morte*, notans paruum interſtitium quod eſt inter mortem & mare, ſeu nauigantem in eo. Quàm verò paruifaciat auarus animæ vitam, dum ſpes aliqua fulget temporalis lucri, ſignificat Sapiens cùm ait: *Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet*. (Eccli. 10, 10.) Iugurtha conſiderans olim quòd multi cupidi & auari eſſent Romæ, dixit: *O vrbem venalem*, & mox perituram, ſi emptorem reperit! Idem dicendum eſt de anima illius qui cupiditatibus & deſiderijs diuitiarum diſtrahitur.

59. Benè dixit Sapiens, quòd nihil ſit iniquius quàm amare pecunias: qui enim ijs inhiant, non tantùm animam venalem habent, ſed etiam obſtinatam, cui vix alicuius monitio prodeſt: imò quia pecuniæ obediunt omnia, quilibet timet quòd non ſolùm ſine ipſius pecunioſi fructu, ſed etiam cum proprio damno illum arguet vel monebit. Facilè enim diues & cupidus Achab, cum impia ſua vxore v. g. promiſſa iniqua mercede, inuenient qui contra innocentem Naboth conſpirabunt falſis teſtimonijs, vt condemnetur & lapidetur. (3. Reg. 21.) Terribiles ſunt diuites propter ſolas pecunias quibus obediunt omnia, adeò vt vix aliquis ſit qui eis veritatem dicere præſumat. Sciebat hoc Fredericus ſenior Dux Auſtriæ, Imperatoris Frederici patruus, de quo refert Æneas Siluius lib. 3. Com. in Panor. quòd ſæpè mutata veſte ſolus inter agreſtes verſaretur, cum quibus ex denario diurno arans, & alia quæuis agriculturæ munia faciens, de ſeipſo & de ſuis purpuratis confabulari ſolebat. (Aeneas Siluius) Interrogatus cauſam, *Neque de me*, inquit, *alio modo verum audire poſſum*.

60. Semiramis conſtructo ſibi monumento inſcribi curauit: *Quicumque pecunia indiguerit, aperto ſepulchro capiat quantum opus eſt*. Darius nimis facilè credens, & leuis corde, aperto ſepulchro non inuenit quidem pecuniam, ſed correptionem meliorem theſauro pretioſo. Incidit enim in huiuſmodi ſcripta: *Niſi vir malus eſſes, & pecuniæ inexplebili cupiditate arderes, mortuorum loculos non mouiſſes*. Verè mali ſunt pecuniarum cupidi & auari, qui à viuis nullam admonitionem aut correptionem accipiunt, nec viui vllum ferè fructum ab ipſis ſperant de monitione aut verbo Dei: nam, ſecundùm Euangelium, *ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud*. (Lucæ 8, 7.) Semiramis igitur dum viueret tacuit, putans poſt mortem admonitionem ſuam & ſecuriorem ſibi, & pecunioſo auaro efficaciorem fore.

61. Multa dixit olim Chriſtus contra eos qui amant pecunias quas poſſident, & inordinatè inhiant ijs quas deſiderant. ſed quo fructu? *Audiebant enim omnia hæc Pharisæi qui erant auari, & deridebant illum*. (Lucæ 16, 14.) Eſt autem notanda traditio, quam reliquit nobis Abdias lib. 5. in Vita S. Ioannis Euangeliſtæ, (Abdias.) quòd Chriſtus Dominus propter irriſionem Phariſæorum non deſtiterit auaris incutere timorem, ſed poſtquam narraſſet Hiſtoriam de diuite Epulone (Hiſtoria enim eſt, non parabola tantùm, vt teſtatur Ambroſius in Lucam, Gloſſa ordinaria, S. Gregorius Hom. 40. in Euangel. quam D. Irenæus etiam l. 2. c. 62. enarrationem vocat, & Lyranus noſter, qui ait: Non dicitur hîc, quòd ſit parabo- (Ambr. Gloſſa ordin. Gregor. D. Iren. Lyran.)

la, quia, ſecundùm Doctores, eſt narratio rei geſtæ) ſuſcitauit quemdam adoleſcentem qui fidem fecit huius Hiſtoriæ, ſed quia Iudæi Moyſen & Prophetas non audiebant vt oportebat, neque crediderunt propter eum qui à mortuis ſurrexit (cogitarunt enim *vt*
Ioan. 12,10. *& Lazarum interficerent*, poſt reſuſcitationem ſuam Chriſto teſtimonium perhibentem) nec ipſi Chriſto reſurgenti crediderunt; ſed dato pretio procurarunt rumorem diuulgari, eum à diſcipulis raptum & furatum eſſe. Hæc omnia fiebant ab illis qui auari erant, & timebant quòd venirent Romani, & tollerent gentem eorum &
Eccli. 33,29. regnum. *Multam enim malitiam docuit otioſitas*, ſed maiorem adinuenit cupiditas.

62. Verè mali ſunt cupidi & auari, quia, reclamante conſcientia, quodammodò inuiti impetu deſideriorum feruntur ad omnia illicita. Refert
Nanus. Nanus Apologum v. Cupiditas huic propoſito accommodatum. Conſcenderat, inquit, adoleſcens equum furibundum, qui illum rapiebat miserè, quà via, quaque nulla via erat; non enim ſufficiebant vires adoleſcenti ad cohibendum impetum equi, nec poteſtas ei erat deſiliendi: plorare igitur ille & lamentari. Tum fortè obuiàm illi factus notus & familiaris, quónam tam impetuosè abiret rogauit, cui reſpondit infelix eques: Quò quidem iſti (equum demonſtrans) libuerit. Sic feruntur ad omnia per fas & nefas, qui à ſuis cupiditatibus ſe rapi permittunt. Mali igitur cenſendi ſunt omnes auari, quos nulla pietas aut ratio regit, ſed potiùs deſideria imperant & mergunt ad interitum, quorum tamen magnus eſt numerus.

63. Pauci verò ſunt qui magno deſiderio feruntur ad Deum & diuina, ad cælum & ad cæleſtia. Soli autem Religioſi illud oſtendunt, qui libenter omnibus per veram paupertatem renuntiant, vt regnum Dei aſſequantur. Multi ſubinde vrgent vt intromittantur ad aliquod amplum & ſpatioſum atrium, in quo erectum eſt theatrum ad repræſentandum iucundum ſpectaculum. Quàm languido verò aliqui ex illis qui feruenter inſtare videntur, deſiderio teneantur videndi eius ſpectaculi, euentus probat. Dum enim Simile. ante oſtium Collegij inconcinnè tumultuantur vt intromitti poſſint, fortè portarius impatiens propter illorum importunitatem, egrediens per poſticum domus vel Collegij, inopinatè adeſt à tergo vi quodammodò irrumpentium: qui, capiens vnius vel alterius galerum de capite, proijcit illum poſt tergum eorum: qui ſtatim deſiſtunt à contentione introëundi, & quilibet, relicto loco ſuo, ex quo data occaſione intrare potuiſſet ad primam portæ reſerationem, currit vt pileum proiectum de terra attollat. In hunc modum multi ſunt, qui videntur teneri magno deſiderio eius qui eſt *totus* 1.Pet. 1,12.
deſiderabilis, in quem deſiderant Angeli proſpicere; qui proinde clamant: *Domine, Domine, aperi nobis*, item, *Adueniat regnum tuum*: imò etiam vio- Matth. 25,11. Matth. 6,10.
lenter videntur vrgere vt intromittantur, ſcientes à Chriſto dictum eſſe: *Contendite intrare per anguſtam portam*. item: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Sed quàm Lucæ 13,24. Matth. 11,12.
parum illud deſiderium cor illorum tangat, ſtatim manifeſtum fit, cùm Chriſtus ex paupere aliquo tuguriolo, in perſona mendicantis per poſticum ſui cæleſtis Collegij progrediens, extenſa manu prætendit eleëmoſynam aliquam, aut per conſilia Euangelica poſſeſſiones eorum proijcere conatur

poſt

poſt tergum. Tunc enim ſtatim deſiſtunt à conatu intrandi, & ambabus manibus tenent quod habent.

64. Adſtabat adoleſcens Euangelicus portæ, & quaſi deficeret præ deſi-
Matth. 19,16. derio eius, dixit: *Magiſter bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam?* Audiens autem quod Chriſtus vellet manum extẽdere ad poſſeſſiones ſuas,
ỷ. 21. 22. & diceret ei, *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, dicitur quòd *abijt triſtis*. Ecce hic ambabus manibus retinet poſſeſſiones, & diſcedens deſiſtit ab vlteriori prætenſione. Alij ſunt, à quibus Chriſtus quaſi galerum detraxit, qui nimirum (ipſo intus monente) alicui pauperi mutuum fortè dederunt, nihil inde ſperantes: qui ſi (vt oportet) magno deſiderio tenerentur illius ſpectaculi cæleſtis, non tam importunè accurrerent ad debitorem, nec illum violenter vrgerent, vt (cùm miſer non ſit ſoluendo) reddere velit quod debet.

65. Videbantur in veteri Teſtamento quidam ſumma contentione velle intrare, & quaſi vim inferre regno cæ-
Iſaiæ 58,3. lorum, qui dicebant: *Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti; humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?* Sed ſi verum & efficax fuiſſet deſiderium illorum, non deſtitiſſent à conatu abeuntes retrorſum, vt debita ſua inhumana exactione à pauperibus repeterent. Vnde reſpondetur per Prophetam:
Ibid. *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis*. Rogabis: An igitur peccatum eſt, repetere mutuum, quod ſine ſpe lucri alteri miſericorditer conceſſum eſt? Notandum, quòd aliquando debitum ſit in aliquo loco in quo à Domino proiectum eſt, ex quo ſine peccato repeti non poteſt, quando nimirum Deus incitauit diuitem vt pauperi, qui poſteà factus eſt non ſoluendo, mutuò ſubueniret, & ſic manifeſtet, an deſiderium ſuum intrandi in gaudium Domini (quod aliquando quibuſdam fortè aſpirationibus manifeſtat) efficax ſit. Porrò *iucundus homo qui miſeretur & commodat*, qui, Pſalm. 111,5.
inquam, non tantùm commodat, ſed etiam miſeretur in tali caſu, ita vt debitum omnino dimittat & relaxet.

66. Diuites quidem aliquos debitores ſine peccato repetere poſſunt, qui ſi omnes repetunt, indiſtinctè deijcientes miſeros, qui cum lacrymis procidentes rogant, *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*; certum eſt Matth. 18,25.
quòd non teneantur vero deſiderio intrandi in gaudium Domini, qui ſic poſt tergum reſpiciunt, imò retrocedunt vt reſumant quod Deo incitante proiectum erat. Deſiſtunt autem, qui huiuſmodi ſunt, violentiam inferre regno cælorum, & damnabilem crudelitatem exercent in proximum, imò vim faciunt ipſi Deo. Vnde Gloſſa ordinaria, quam citat Lyranus noſter, Gloſſa.
ait: *Qui repetit non habentem, Deo facit violentiam*. Abſolutè quidem licet debitum repetere (vt diximus) ſed crudeles ſunt qui opprimunt eos qui non ſunt ſoluendo, & qui magna omnium rerum penuria prætereà grauantur, vt notauit Adamus noſter in c. 58. Adam.
Iſaiæ. Certè qui nolunt habere patientiam, ſed debitorem qui promittit ſe omnia redditurum, mittunt in carcerem, donec reddat debitum, non eſt quòd ſperent ſe fore intromittendos in regnum Dei, quin potiùs certa eos manet damnatio. Vnde Chriſtus Dominus referens ſimilem crudelitatem cuiuſdam ſerui ligatis manibus & pedibus in manus tortorum relegati, concluſit: *Sic & Pater meus cæleſtis faciet* Matth.
vobis, ſi non remiſeritis, &c. 18,35.

Digitized by Google

67. Ex his patet, quàm pauci ſint in mundo, qui per veram paupertatem ſpiritus indicāt efficax deſiderium intrandi in gaudium Domini ad cæleſte imò diuinum ſpectaculum, quod paratum eſt ijs, qui violenter rapiunt cælum, & contendunt, depoſitis & abiectis ſarcinis terrenarum rerum, intrare per anguſtam portam. Pace omnium dicam, quòd ſoli Religioſi, qui omnibus renunciant, & qui iuxta conſilium Saluatoris in tecto auſterioris & altioris vitæ conſtituti, non *deſcendunt tollere aliquid de domo ſua, nec reuertuntur tollere tunicam ſuam*, continuè vrgendo, & regno cælorum violentiam inferendo, exteriùs manifeſtent quòd habeant efficax & perfectum deſiderium intrandi.

Matth. 24,17.

Simile. 68. Si puer abſolutè etiam cum iactura pilei proiecti, imò abſtracti de humeris pallij, inſtaret & vrgeret ad portam Collegij, in quo ſpectatoribus iucunda repræſentatio præparata eſt, certè moueret feruens illud deſiderium Collegij Præfectum, vt intromitteretur: præſertim ſi videret illum cum gaudio pati ſpoliationem pilei & pallij. Eodem modo Deus mouetur ad intromittendum Religioſos, qui publicè tempore veſtitionis hilariter renunciant toti mundo & pompis eius. Meritò autem gaudent Religioſi, qui ſimpliciter ſecundùm verbum Euangelij (ad cuius normam præcepit S. Pater Franciſcus nouitios ſui Ordinis eſſe recipiendos) omnia quæ habere poſſunt vendunt & dant pauperibus. Hoc enim modo ipſum Chriſtum in pauperibus propter debita fortè incarceratis liberant, qui aliquando miraculo oſtendit ſibi factum eſſe in propria perſona, quod putabatur à iucundis diuitibus, qui miſerentur & commodant, pauperi homini fieri. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci*, inquit Paulus; *per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio ſuſceptis.* Vt enim piſcatores, iactis in mare retibus, pro piſcibus attrahunt ſubinde vniones & pretioſas margaritas; ita Abraham & Lot (de quibus ibidem loquitur Paulus) captantes homines, piſcati ſunt Angelos. Et multi ipſum Chriſtum receperunt in propria perſona, ſed mendici forma, adeò vt aliquando propriè etiam contingat, quòd dicitur: *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me miſit.*

Hebr. 13,2.

Simile.

Gen. 12. Gen. 19.

Matth. 10,40.

69. Stabant ad portam cæli & viriliter inſtabant intromitti deuoti illi Hebræi, qui contemptis omnibus quæ Deus (qui diligentibus ſe æternæ iucunditatis ſpectaculum parat) ab illis abſtulit, aut vt auferentur permiſit, gaudebant; ad quos Paulus ſcribens ait: *Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.* De duobus meritò gaudent illi pauperes ſpiritu, quibus Deus tam benignè aufert temporalia. Primò, quia confidere poſſunt ſibi remitti peccata. Nã, vt ait S. Gregorius Homil. 16. in Euangelia, *nobis afflictis & pœnitentibus dimittitur quod iniuſtè egimus, ſi amore illius & hoc quod nobis iuſtè competit, relaxemus.* Secundò ſperare poſſunt, quòd poſt mortem citò ſibi aperietur cælum, vt intromittantur ad viſionem, quam, iacturam bonorum ſuorum paruifacientes, tam inſtanter deſiderant. Vt enim maneamus in ſimilitudine iam relata, clarum ſignum eſt reſerationis portæ, vt quis intret aut exeat, cùm aliquis de Collegio egrediens, eos qui ante illud vrgent & inſtant intromitti, proiectione pileorum ab eo elongare & auocare conatur: vnde

Hebr. 10,34.

S. Gregorius.

de

de tunc gaudent pueri, qui pluris faciunt intromitti, quàm caput pileo aut
Simile. humeros ſuos pallio tegi. Tales erant illi Hebræi, qui propter meliorem & permanentem ſubſtantiam cum gaudio rapinam bonorum patiebantur, quos proinde imitantur Religioſi, præſertim qui ad normam Franciſcanæ Religionis omnibus renuntiant.

Simile. 70. Solent honeſtiores perſonæ, emiſſo forte Religioſo profeſſo illius Collegij, in quo res digna viſu paratur, honeſtè introduci. Eodem modo aliqui cum honore introducuntur in gaudium Domini ſui. Hoc autem notandum eſt, quòd beati ſpiritus, aut alij Sancti, tamquam profeſſi Religioſi illius cæleſtis Collegij ſæpiùs ſoleant mitti ad viliores, vt introducant ſcilicet eos qui puerorum more ad portam cæli inſtant contendentes intrare, etiam cum rapina & iactura bonorum ſuorum. Vt taceam Lazarum mendicum, de quo dicitur: *Factum*
Lucæ 16,22. *eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Notabile eſt quod de S. Ludouico Ordinis S. Franciſci Religioſo, qui pro regno cælorum non tantùm bonorum, ſed etiam terrenorum regnorum gloriæ renuntiauit, legitur. Nam ipſa ſui tranſitus hora viſa fuit anima illius à multitudine Angelorum in paradiſum deferri, voce magna dicentium: *Sic fit ſeruienti Deo in munditia & puritate.*

71. Ad pauperculam virginem Claram introducendam miſſa eſt Virgo virginum, comitata alijs virginibus, in cuius amplexu Deo ſpiritum reddi-
Simile. dit. Porrò vt adhuc aliquid addam propoſitæ ſimilitudini, hoc [illegible] ſine notandum, quòd ad ſpectacula [illegible] Collegijs erecta, ſoleat inuitari, & præ ceteris ab omnibus deſiderari, præclara aliqua perſona, per cuius aduentum Collegio Religioſorum non parum honoris accedit: quæ niſi adſit, nullus eſt qui perſonam ſibi demandatam agat aut ſpectatoribus repræſentet. In hunc modum pater pauperum, & princeps eorum qui contendunt intrare cælum cum iactura omnium bonorum, Franciſcus, iam iam moriturus, vt vnus ex præcipuis perſonis ad ſpectaculum inuitatis, ab omnibus cæleſtibus deſiderabatur & expectabatur, non aliter quàm ſi quædam in cælo cortinis & ſilentio tecta manerent, donec ille, cui præ ceteris à Deo parata erant, adeſſet. vnde ipſe moriturus dixit: *Educ de cuſtodia animam meam,* Pſalm.
me enim expectant iuſti, donec retribuas 141, 8.
mihi, &c. Amen.

DISCVRSVS VI.

Diuitiæ ſuperfluæ obſunt poſſeſſori, cumq́ charitate & bonis ſpiritualibus vacuum arguunt, quæ Deus non infundit niſi ijs qui terrena erogant.

72. NON eſt dubium quin diuitiæ ex ſe indifferentes obſint nimis amanti & ſollicitè conſeruanti.
Eſt & alia infirmitas peſſima, quam Eccle.
vidi ſub Sole, inquit Salomon, *diuitiæ* 5, 12.
conſeruatæ in malum domini ſui. Peri- Simile.
clitatur de vita infirmus, ſi deficiente calore naturali, cibos quos ſumit indigeſtos in ſtomacho conſeruat & coaceruat: eodem modo non ſine periculo perdendæ ſalutis homo diues, ex defectu charitatis, diuitias accumulat, ſi eas tempore & loco pauperibus tamquam membris indigentibus per charitatem digeſtas non diſtribuit. Diuitiarum nimis ſollicitam coaceruationem & conſeruationem deficientis ca-

 loris.

loris ſpiritualis, ſine quo anima mori debet, argumentum eſſe, clarè teſtatur Ioannes, dicens: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere*, &c. *quomodo charitas Dei manet in illo?* 1. Ioan. 3,17.

73. Præmiſerat Apoſtolus clariorem charitatis notam, qua quis vitam pro neceſſitate proximi libenter impendit. *In hoc cognoſcimus charitatem Dei*, inquit, *quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Argumentum igitur Ioannis procedit hoc modo. Si charitas Dei obligat vt quis vitam ponat pro anima fratris, quomodo quis ſperare poterit ſe charitatem Dei habere, ſi negligit per bona fortunæ neceſſitatibus proximi ſui ſubuenire? Ignis veræ charitatis efficax eſt, vt corpus tuum conſumat pro fratrum tuorum neceſſitate; quomodo, ſi in te eſſet, vilem nummum de pera non auferret? An fortè ignis aliquis paleas intactas relinquet, qui ex natura ſua efficax eſt vt duos lapides abſumat & deuoret? Exiſtimabat Ioannes Eleëmoſynarius non eſſe mirabile, quòd ſua pauperibus hilariter diſtribueret. vnde miranti cuidam profuſam eius liberalitatem dixit: *Frater, nondum pro te ſanguinem fudi, ſicut mandauit mihi Dominus meus Chriſtus*, vti habetur in Vita eius à Leontio conſcripta. 1. Ioan. 3,16. *Simile.* Leont.

74. Si ſtrictè examinemus obligationem diſtribuendi diuitias, ſanè deprehendentur multi, qui quod eas inutiliter conſumant, aut ſollicitè nimis cuſtodiant, conuincantur ſine charitate viuere, imò non viuere. Nam anima quidem poteſt eſſe, ſed non poteſt ſine Deo (qui charitas eſt) viuere. Verum eſt, non deſunt Theologi, qui exiſtimant, non ſtatim grauiter peccare eos qui ſuperflua apud ſe retinent & conſeruant, quando nullus eſt qui in extrema aut graui neceſſitate eſt; tamen exiſtimat Bellarminus lib. 3. de Bonis operibus c. 7. veriorem & ſecuriorem eſſe illorum ſententiam qui contrariũ ſentiunt, exiſtimantes quòd diuites teneantur ſuperflua erogare, quia ſuperflua ſunt, quidquid ſit de neceſſitate extrema vel graui pauperum miſerorum. Eſt autem hæc ſententia S. Thomæ 2.2.q.66.a.7. qui alibi, ſcilicet in 4. diſt. 15. q. 2. a. 1. quæſtiuncula 4. affirmat hanc eſſe communem Theologorum ſententiam. Ad ſuperflua naturæ ſcilicet & perſonæ reſpiciens Baſilius Oratione in illud, *Deſtruam horrea mea*, dixit: *At tu nonne ſpoliator es, qui quæ diſpenſanda accepiſti, propria reputas?* Bellar. Baſilius.

75. Porrò notandum eſt, opes non ideò debere neceſſarias aut non ſuperfluas iudicari, quoniam non conſeruantur otioſæ, ſed inſumuntur in vanis pompis veſtimentorum, hortorum, ædificiorum, &c. Nam hæc ipſa dicuntur ſuperflua, & ſunt, quando non ſunt neceſſaria naturæ, vel perſonæ, aut competenti alicuius ſtatui. Verùm ne detur ſcrupulus ijs quos fortè Deus numeroſa prole honorauit & onerauit, ſciendum eſt, neceſſarium dici poſſe etiam illud, quo non indigemus in præſenti, ſed quo paulò pòſt opus habebimus. Vnde fit, quòd is qui habet filios & filias ſuo tempore collocandas, non erit ſuperfluæ coaceruationis reus, ſi diuitias conſeruet quæ pro dotibus erunt neceſſariæ. Hinc fit, quòd S. Paulus indulgeat parentibus moderatam theſaurizationem, dicens: *Nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs.* Ex quo ſequitur, Eccleſiaſticis & innuptis minùs eſſe condonandam rerum temporalium ſollicitudinem, quàm ijs quibus 2. Cor. 12,14.

bus ſuorum filiorum ac domeſticorum cura demandata eſt.

76. Nota proinde, valdè monſtroſum eſſe, & à iuſta ratione alienùm, quòd vnus rerum ſuperfluitate luxurietur, dum alius eſurit & inopia tabeſcit. *Admonendi ſunt* (dicit Gregorius p. 3. Paſtoralis, admonitione 22.) *qui nec aliena appetunt, nec ſua largiuntur; vt ſciant ſollicitè, quòd ea, de qua ſumpti ſunt, cunctis hominibus terra communis eſt, alimenta omnibus communia profert; & idcircò incaſſum ſe innocentes putant, qui commune Dei munus ſibi priuatum vendicant.* Monſtroſum cenſeretur, ſi ex eodem agro eodem tempore duo culmi ſurgerent, & ex vno ſpicæ plenæ ac pulchræ pullularent, ex alio verò tenues & ſqualidæ, præſertim ſi vni culmo non plus de rore & influentia cæli eſſet conceſſum quàm alteri. Cùm igitur omnibus hominibus vna eademque terra communis ſit, quæ etiam (vt dicit Gregorius) alimenta omnibus communia profert, monſtroſum imò iniuſtum eſt, quòd vnus ſibi tam multa vendicat, vt alteri neceſſaria ſuſtentatio deſit. Concedit quidem natura ſpicis, arboribus, herbis, in eodem territorio plantatis cum proportione ſuæ altitudinis, maiorem vel minorem craſſitudinem: & ipſum cælum maiorem influentiam concedit magnis quàm paruis, non tamen permittit vt quæ maiora ſunt, ita ſuccum terræ ebibant, & pinguedinem eius ad ſe trahant, vt minoribus pro ſua conditione deſit neceſſarium nutrimentum: ita Deus auctor naturæ permittit magnis (vt Regibus, Principibus, &c.) plura quidem, quàm paruis & exiguis, hac tamen lege, vt magni ad ſe non attrahant, aut nimis tenaciter teneant quæ paruis, habita ratione ſuæ conditionis, neceſſaria ſunt, alioquin meritò à Deo contemnentur tamquam alienorum raptores.

S.Greg. *Simile.* *Simile.*

77. Cùm igitur ex teſtimonio Ioannis tenaces rerum temporalium charitatem Dei non cenſentur habere, etſi propter externam rerum abundantiam aliquid eſſe videantur, nullius tamen pretij aut valoris ſunt apud Deum. Refert Plutarchus in Laconicis, quòd Pauſanias demirantibus opes & pretioſas quorumdam barbarorum veſtes dixerit: *Præſtaret ipſos eſſe multi pretij, quàm poſſidere pretioſa.* Correxit errorem ſuorum, qui fortè putabant, barbaros, omni ſolido bono vacuos, aliquid eſſe propter ea quæ habebant. Bone Deus, quàm ſtultè multi reſpiciunt diuites huius ſæculi, non attendentes quid ſint, ſed potiùs quid poſſideant, quid habeant, aut quibus veſtiantur. Qui vt auocentur ab inani rerum terrenarum admiratione, & ad verorum bonorum ponderationem reuocentur, poſſet eis dici: Præſtaret illos ſæculi nequam amatores pretioſos ac magnos eſſe, quàm multa & magna poſſidere, & pretioſis ac ſplendidis indui.

Plutarchus.

78. Tenax rerum terrenarum ſicut charitate vacuus, ita omnium ſpiritualium bonorum à Deo contemptus incapax haberi debet. Vt enim ſoliditatem vaſis alicuius experiamur, non primò liquorem pretioſum, vt balſamum aut vinum, infundimus, ſed aquam; quam ſi retinuerit, tum ei credimus rem præſtantioris pretij. Alio autem modo probat Deus ſuorum fidelem ſoliditatem. Si enim tenaciſſimè retinent vilem aquam, id eſt res tranſitorias & fluxas, inepti habentur quibus fidat chariſmata ſua meliora. Si verò quaſi pleni rimarum ſua libenter diſtribuunt, & ſe terrenis euacuant,

Simile.

ſtatim

Eccli. ſtatim Deus illis ſua bona credit. *Sa-*
38,25. *pientia ſcribæ tempore vacuitatis.* Scri-
ba Dei, Spiritus ſanctus eſt. vnde di-
Pſalm. cit Chriſtus per Prophetam : *Lingua*
44,2. *mea calamus ſcribæ velociter ſcriben-*
tis. Velociter ſcribit ille Spiritus, quia
neſcit tarda molimina Spiritus ſancti
S. Am- *gratia*, vt dicit S. Ambroſius. Obſer-
broſius. uat cæleſtis ille ſcriba, quando mentes
hominum vacuæ ſunt, & alienæ à re-
bus terrenis, & tunc participes illas
facit diuinæ ſapientiæ.

79. Res eſt admiratione digna,
quòd mens humana, quæ tenaciter
conſeruat res fluidas huius mundi,
nullo modo continere poſſit ſolidiſſi-
Eccli. ma dona Dei. *Cor fatui quaſi vas con-*
21,17. *fractum, & omnem ſapientiam non te-*
nebit, dicit Sapiens. Reſpectu rerum
diuinarum cor fatuorum confractum
eſt, quod vt terrena & fluida conſer-
uet, tenaciſſimum & ſolidiſſimum ap-
Diſſi- paret. Si videres vaſculum plenum
mile. aqua liquidiſſima, & ne guttam qui-
dem diſtillans, denſiorē autem & ſoli-
diorem liquorem (ac ſi plenum eſſet
foraminibus & ſciſſuris) ſtatim emit-
tens, an non diceres diabolicam eſſe
faſcinationem? Quid igitur eſt, quòd
cor fatui omnem ſapientiam non te-
neat, & tamen ne guttam quidem rei
fluidæ & tranſitoriæ emittat? Verùm
nota. Aliter liquores in vaſe, aliter
res ſunt in hominum corde. Vas enim
liquores continet, cor autem hominis
res, quas amat, tenet. Hinc Dauid
monet benè ad præſens propoſitum:
Pſalm. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.*
61,11. Affluunt diuitiæ ad cor eleëmoſynarij
alicuius hoſpitalis Abrahæ v. g. ſed
quia cor illis non apponit, nec eas te-
net, defluunt in ſinum pauperum &
peregrinorum. Affluunt etiam cor di-
uitis alicuius epulonis, & ſubſiſtunt,
& ne gutta quidem aut mica, etſi cadat
de menſa eius, ad mendicum Lazarum
peruenit; quia cor epulonis, diuitijs
ſuis appoſitum, illas retinens, impedit
illarum defluxum.

80. Pleni erant priſci & primi fi-
deles Eccleſiæ donis Dei, ideò tam
liberaliter res terrenas pauperibus
diſtribuebant, vt vix neceſſaria pro-
priæ neceſſitati retinerent. Vnde Pau-
lus illos monuit, & quodammodò à
nimis liberali & profuſa bonorum
ſuorum diſtributione continere de-
buit. *In præſenti tempore*, inquit, *ve-* 2.Cor.
ſtra abundantia illorum inopiam ſup- 8,14.
pleat. Quòd autem hoc diſcretè fieri
debeat, verbis immediatè præceden-
tibus indicauit, dicens: *Non enim vt* ℣.13.
alijs ſit remiſſio, vobis autem tribulatio,
ſed ex æqualitate. Comparauimus in
hoc Diſcurſu non ſemel res tranſito-
rias & fluidas diuitias aquis defluen-
tibus, quæ benè docent maiores &
ſublimiores in Republica, quàm li-
benter eas impartiri debeant pauperi- *Simile.*
bus paruis ac infimis. Pro quo nota,
quòd aquæ, ſi non retinerentur, vltrò
ſic ad loca infima defluerent, vt altio-
ra exſiccata & arida relinquerentur.
Hinc fit quòd flumina, quæ ab homi-
minibus inuenta ſunt ad maius ciui-
tatum commercium, quale eſt illud
quod Bruxellâ in Scaldim verſus Ant-
uerpiam noſtris ferè temporibus
protractum eſt, debeant artificioſis re-
tinaculis & cataractis ſtagnari; ne, ſi
relinquantur naturali ſuo curſui, al-
tiora loca, vnde proueniunt, arida re-
maneant, & ita nauigatio & commu-
ne commercium impediatur.

81. Communitates & Reſpubli-
cæ conſtant ex magnis & paruis, ex di-
uitibus & pauperibus, nec ſine his
conſtare poſſunt. Non enim minùs
peribit ciuitas, ſi omnes eſſent diuites
& magni, quàm ſi nullus eſſet cui pau-
per

per laboret & ſeruiat pro mercede. Paulus igitur pro conſeruatione Corinthiorum ſollicitus, continere debuit maiores & opulentiores, ne ſic bona ſua in egenos profundant, vt ipſis deſint neceſſaria perſonæ aut naturæ. Nimis aperta erant tunc viſcera miſericordiæ, & ideò quaſi cataractis claudi debebant, ne in largiendo ſine moderamine liberaliter defluerent. Temporibus ergo noſtris, quando abundat iniquitas, & refrigeſcit charitas multorum, ad nihil ferè laborare debent viri Apoſtolici, quàm vt minis, promiſſis & alijs medijs aperiant viſcera miſericordiæ eorum qui poſſent egenis prodeſſe, & vt quodammodò attollant obices aquarios, quibus retinentur aquæ bonorum temporalium, ne egenis & pauperibus deſint neceſſaria, quibus vitam ſuſtentent, & ne in diuitibus extinguatur charitas, quæ, teſte Ioanne, non poteſt manere in eo qui videt fratris neceſſitatem, & non miſeretur eius. Temporibus, inquam, noſtris monendi ſunt diuites, vt defluxum bonorũ temporalium permittant, tempore verò S. Pauli cohiberi debebant, vt diſcretè eum detinerent.

82. Euacuabat Deus in exordio Eccleſiæ corda fidelium rebus & affectibus terrenis, & replebat ea Spiritu ſuo,
Act. 4,31. & donis cæleſtibus & diuinis. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia,* dicit Lucas. Nec mirum quòd hoc diuino oleo lætitiæ replebantur vaſa vacua, de
℣. 32. quibus ſubditur: *Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Non patiebantur illi, vt vno eſu-
℣. 34. 35. riẽte alius ebrius eſſet. *Neque quiſquam egens erat inter illos,* &c. *Diuidebant autem ſingulis prout cuique opus erat.* Hinc factum eſt, quòd Spiritu ſancto pleni eſſent, & charitas Dei maneret in illis.

83. Rogatus olim Diogenes (vt refert Bruſcus lib. 1. cap. 3.) qualiter Bruſcus.
Dionyſius vteretur amicis, Vt vaſcu- Simile.
lis, ait, quæ dum plena ſunt euacuat, & euacuata abijcit. His verbis clarè expreſſit amicitiam mundanorum, qui non ſolent eam colere, ſed ſimulare, donec obtineant quod prætendunt ab
amico. *Donec accipiant* (dicit Sapiens) Eccli.
oſculantur manum dantis, &c. *Et in* 29,5.
tempore redditionis poſtulabit tempus, ℣. 6.
& loquetur verba tædij & murmurationum. Hi ſimiles ſunt incompoſi- Simile.
tis ruſticis in hortis epulantibus, qui poſtquam vaſcula eſcaria, quibus fortè piſa, fabas & ſimilia legumina eis appoſita fuerunt, elinxerunt, proijciunt illa poſt tergum; cùm autem plena aſportarentur, quilibet locum parans volebat eis propinquior eſſe. O quàm miſerè multi defuncti proiecti, & obliuioni traditi ſunt ab ingratis heredibus, qui ſolebant viſitari & honorari dum viuerent & pleni erant!

84. Refert Eraſmus libro 6. Apo- Eraſm.
phtheg. quòd Simonides rogatus, cur, cùm iam eſſet decrepitæ ſenectutis, non ceſſaret anxiè res ſuas augere & accumulare, reſpondit: Quoniam malim moriens relinquere bona inimicis, quàm viuens carere amicis. Quibus verbis taxauit ſimulatas hominum amicitias, qui dum aliquid ſperant ab amico, ei obſequuntur, euacuatum autem vt ignotum negligunt. Non immeritò tales amici pro inimicis habendi ſunt: non enim ſolebant aliter reſpicere amicum quàm canis vaccam infirmantem (vt habet Belgarum proloquium) quia anhelant vt is mortuus euacuetur, & ipſi bonis illius ſaturentur. Multi ſunt amici, quales

Iob 31. Iob ſe habuiſſe teſtatur, dicens: *Si*
31. *non dixerunt viri tabernaculi mei:*
Lyran. *Quis det de carnibus eius vt ſature-*
Titelm. *mur?* Lyranus & Titelmanus noſtri, & communiter alij Expoſitores interpretantur hæc verba in bonam partem, quaſi ijs Iob velit ſignificare, quàm fuerit ſuis domeſticis amabilis, qui ſemper & vbique deſiderabant eius præſentiam, vt de ſocietate illius re-
Hugo ficerentur. Hugo Cardinalis ad pro-
Cardin. poſitum noſtrum in malam partem prædicta verba exponit, quibus Iob mirabilem ſuam patientiam manifeſtat, vt qui foris manifeſtos perferebat aduerſarios, & intus familiares, qui anhelabant fortè mortem eius, vt gaudere poſſent bonis ab eo derelictis, & ita ſaturarentur carnibus illius. Ne autem videatur alicui nimis extorta hæc expoſitio, aut à nobis ſine fundamento ficta vt illam propoſito noſtro adaptemus, nota, carnem alicuius vorare, in Scriptura aliquando ſignificare, aliquem bonis ſuis ſpoliare. Sic
Pineda. intelligit Pineda in Iob 31, 31. illud Iſa. 9, 20. *Vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit*, id eſt proximum opibus ſpoliabit.

85. Mundani igitur deſiderant amicos ſuos vacuos videre, quos tunc abijciunt & relinquunt. Non ſic Filius Dei Chriſtus Dominus, qui per ſe & per ſuos Apoſtolos conatur nos euacuare tranſitorijs bonis, terrenis & humanis, vt poſſit implere æternis, cæleſtibus & diuinis. Non abijcit, ſed inuitat euacuatos ad ſui ſequelam, & cum illis ſolis ſpecialem amicitiam
Lucæ colit. vnde ait: *Qui non renuntiat om-*
14, 33. *nibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe*
Matth. *diſcipulus.* item: *Si vis perfectus eſſe,*
19, 21. *vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me.* Per gratiam Dei Chriſto intus mouente Zachæus omni affectu rerum terrenarum euacuatus eſt, vt ipſe clarè indicauit cùm
ait: *Ecce dimidium bonorum meorum,* Lucæ
Domine, do pauperibus; & ſi quid ali- 19, 8.
quem defraudaui, reddo quadruplum. Pro hac euacuatione non tantùm ipſum Zachæum, ſed etiam totam domum ſuam impleuit ſalutaribus bo-
nis. vnde ait: *Quia hodie ſalus huic do-* ℣. 9.
mui facta eſt, eo quod & ipſe ſit filius Abrahæ. Felices igitur ſunt omnes qui liberi ſunt, & euacuantur vanis & falſis bonis, vt veris & ſolidis à Deo repleantur, &c. Amen.

DISCVRSVS VII.

Qui nimis anxiè incommoda paupertatis declinat, ſubinde incidet in manus Dei irati, à quo vita & omnibus bonis ſpoliabitur.

86. PAVPERTAS timetur ab ignauis, propter incommoda quæ illam comitantur aut ſequuntur, quæ omnia vt hoſtes contra hominem inſurgunt, vt vindictam ſumant de iniuria quæ Deo per peccatum primi hominis illata fuit. Porrò milites paupertatis ſunt, ſitis, fames, frigus, nuditas, &c. quos ille ſuperat, qui eiuſdem paupertatis amore ea patienter tolerat. Qui autem nimis timet, & ſuperfluitate diuitiarum armatus, inordinatè ſe contra illos defendit, vel potiùs turpiter & effeminatè fugit, is indignationem Dei incurrit. vnde Chriſtus non ſemel terribile væ in Euangelio contra diuites intonat. *Verumta-* Lucæ
men væ vobis diuitibus, inquit, *quia ha-* 6, 24.
betis conſolationem veſtram. Væ vobis, 25.
qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.

87. Refert Valerius Maximus l. 2. cap. 8. Valerius Max.

cap 8. quòd Clerachus militum auribus ſubinde ſoleret inculcare, magis illis Imperatorem quàm hoſtem metuẽdum eſſe. Quibus verbis infamem mortem tacitè minabatur militi, qui non ſatis animosè & viriliter ſe in prelio gereret: & honeſtius eſſe vitam cum laude impendere patriæ, quàm cum dedecore ſubire mortem. Eodem modo Chriſtus Dominus predicit indignationem ſuam ijs, qui vitæ præſentis nimio amore capti, eam diuitijs & voluptatibus tueri conantur. vnde ait: *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* item: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, &c. *ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Qui fortiter pugnans in bello contra aduerſarium ſuccumbit, vitam quidem amittit, ſed, ſaluis omnibus bonis, ſaluo etiam, imò aucto honore: qui verò turpiter effugiens, aut alio modo infidelis eſt Imperatori cui militare tenebatur, confiſcatis omnibus bonis, reus eſt mortis. Si proinde animoſus miles ſciret ſe ab Imperatore, cui militat, reſuſcitandum, & tunc ampliori gloria & honore donandum, ac diuitijs multis ampliandum eſſe, certè ſaltem tunc eligeret gloriosam mortem in bello potiùs, quàm obſcuram & breuem vitam non diutiùs duraturam, quàm Imperatori (cuius manus effugere non potuit) viſum eſſet, qui pro ſuo beneplacito, quando & vbi voluerit, mortis ſententiam eſſet laturus.

Ioan. 12,25.

Matth. 10,28.

Simile.

88. Promittit Chriſtus cæleſtis Imperator cum glorioſa corporum reſurrectione magnos honores, & ampliſſimas diuitias militibus ſuis, qui in voluntaria & Euangelica paupertate (nihil veriti incommoda eius, quæ etiam nata ſunt vitam hominis abbreuiare) ei fideliter militarunt. *Cùm ſederit Filius hominis*, inquit, *in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Ecce ampliſſimos honores, quibus addit incomprehenſibiles diuitias gloriæ dicens: *Omnis qui reliquerit domum*, &c. *centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Qui autem diuitias ſuperfluas retinent, & nimis ſollicitè ſe armant contra incommoda huius vitæ, quæ omnibus modis effugere conantur, verè *trepidauerunt timore vbi non erat timor*; & tamquam effeminati, & Imperatori ſuo infideles, ab eo morte mulctabuntur, numquam ad vitam glorioſam reſuſcitandi, quia ad gloriam *non reſurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum.*

Matth. 19,28.

ỹ. 29.

Pſalm. 13,5.

Pſalm. 1,5.

89. Epulo diuitijs ſuis ſe muniuit contra omnia huius vitæ mala. Fugit turpiter moleſtias, quas fortiter patiendo ſuperare debuiſſet. Non timuit Imperatorem, dum effeminatè nimis fugit hoſtem. Incidit ideò in manus eius, à quo vita & omnibus bonis priuatus eſt. Benè igitur docet Paulus nimis militem timeri poſſe, ſed numquam ſatis Imperatorem timeri. Fames, ſitis, nuditas, quæ omnia paupertatem voluntariam ſequuntur, milites ſunt & aduerſarij. Cum his autem patientia potiùs quàm anxia reſiſtentia pugnandum eſſe, docet ſuo exemplo, qui Deo ſeruiuit die ac nocte, *in fame & ſiti, in frigore & nuditate.* Summis laudibus extollit Chryſoſtomus Homil. 25. & 26. has paſſiones Pauli, quas victorias eius vocat. Paulus, inquit, *luctator orbis, & pugil omni lucta genere certat & vincit.* Vicit autem Paulus eodem genere certaminis, quo Chriſtus mortem moriendo deſtruxit. Sic enim ipſe fame, ſiti, nuditate, huius vitæ paupertate

2. Cor. 11,27.

Chryſoſtom.

 ſupera-

ſuperanit miſeriam vitæ futuræ, in quam proijciuntur ab Imperatore, qui non tam illum quàm aduerſarios illos milites timuerunt.

90. Ex his patet, quòd diuitiæ ſint cauſa quòd immortificati, & turpiter viui, diſcedentes ex hac vita, incidamus in manus irati Imperatoris noſtri, ab eo æterna morte & omnium bonorum confiſcatione plectendi. Hanc enim per Apoſtolum ſuum curauit contra ignauos publicari ſententiam: Coloſſ. 3,5. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Rom. 8,13. *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* Hebr. 10,31. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Cadunt autem omnes, id eſt offendunt & peccant, qui ſine mortificatione ſui viuunt, qui tandem mortui incidunt in manus Dei. Limites enim nobis conſtituti ſunt ab eodem Apoſtolo, vltra quos non licet affectus extendere, niſi nunc cadere, & poſt hanc vitam in manus Dei viuentis in- 1. Tim. 6,8. cidere velimus, duriter puniendi. *Habentes autem alimenta*, inquit, *& quibus tegamur, his contenti ſimus.*

91. Ceterùm quòd ſint in periculo caſus, qui his plura ſollicitè conquirunt, manifeſtat ſequentibus verbis, ✝.9. dicens: *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Notandum autem hîc eſt, quòd non dixerit Apoſtolus *qui ſunt*, ſed *qui* diuites fieri *volunt*. Nam, vt ait Auguſt. Auguſtinus (quem hîc citat Cornelius) *cupiditates accuſauit, non facultates: auaritia enim eſt, velle eſſe diuitem, non autem eſſe diuitem.* Sic ille Homilia 13. inter 50. Plus autem periculi imminet ei ab inordinato amore diuitiarum qui ſollicitudine & proprio labore factus eſt, quàm ei qui natus eſt diues. Vnde ſæpè videmus diuitias prodigaliter dilapidari & vilipendi à filijs, quas turpiter congregarunt & ſollicitè conſeruarunt parentes. Cadunt igitur faciliùs homines per ſordidam auaritiam, & illaqueantur citiùs amore diuitiarum proprio labore acquiſitarum, quàm ſibi hereditaria ſucceſſione ex alieno labore relictarum. Sæpè enim diuitiæ illicitis contractibus, & turpi lucro acquiſitæ abominabiles ſunt, quæ tamen ſpecioſæ videntur auaro conquiſitori. Vt Simile. enim mater vix turpitudinem notat in proprio infante, facilè autem in alieno; ita auarus conquiſitor vix turpitudinem aliquam agnoſcit in diuitijs proprio labore acquiſitis, quæ ſi alieno ſubderētur examini, iudicarentur ſanguis paupetū & mammona iniquitatis.

92. Monet igitur Paulus ſollicitudinem moderandam, nec vltra victum & amictum eſſe extendendam. *Ha-* 1.Tim. 6,8. *bentes autem alimenta*, inquit, *& quibus tegamur*, &c. Per alimenta verò & corporis tegumenta intelligi poſſunt omnia illa, quæ ſunt neceſſaria naturæ & perſonæ, quibus monet eſſe contentos. Si enim non caret culpa (vt præcedenti Diſcurſu ex probabili Theologorum ſententia dictum eſt) ſuperflua poſſidere, quæ fortè iure hereditario ſine labore & ſollicitudine ad aliquem deuoluta ſunt; quis innoxium iudicabit eum, qui nocte & die, Gentilium more, per mare per terras pro acquirendis ſuperfluis deſudat? Domicella Hiſpanica cogitur mode- Simile. ſtè incedere, & ne veſtigia protendat ad efformandum inconcinnos & nimis diſtantes paſſus. Ratio eſt, quia intra circulum ambulat: pro more enim gentis illius ſolent nobiliores feminæ circulum fimbriæ & extremitati tunicæ inſutum circumgeſtare, qui cogit vt modeſtè paſſus protendant: nam ſi excedant, neceſſe eſt vt cadant.

93. In

Digitized by Google

93. In hunc modum Paulus Apoſtolus cohibet pedes affectuum noſtrorum, quibus limites præſcribit, ne ſe extendant ad ſuperflua, & prolabamur in peccatum. Circumſcribitur igitur licita ſollicitudo Chriſtianorum, qui ſe continere debent intra circulum earum rerum, quæ ad victum & amictum, & alia naturæ & perſonæ neceſſaria requiruntur. Vnde etſi pij intra circulum ambulent, multùm tamen abſunt ab inordinata impiorum
Pſalm. 11,9. auaritia, de quibus dicitur: *In circuitu impij ambulant.* Magna eſt enim differentia ambulantium in circuitu, inordinata rerum cupiditate ſine modo, ſine limitibus, & feruenter quærentium Deum intra certos limites rerum tranſitoriarum. Hi enim moderata rerum neceſſariarum poſſeſſione
Pſalm. 58,7. contenti ſunt, illi verò *famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Eſt vſitatum ſacræ Scripturæ, per circuitionem alicuius magnam eiuſdem famem indicare. Vtitur autem hac phraſi in bonam & in malam partem.

94. Hoc modo loquendi indicauit ſponſa magnum deſiderium inueniendi
Cant. 3,2. ſponſum: *Surgam*, inquit, *& circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* De Chriſto Domino qui ſitiebat anima-
Matth. 4,23. rum ſalutem, dicit Euangeliſta: *Circuibat Ieſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni.* Idem dicitur Matth. 9. ℣. 35. Ad exemplum eius Apoſtoli
Lucæ 9,6. zelabant ſalutem animarum: *Egreſſi autem circuibant per caſtella, euangelizantes & curantes vbique.* Eodem modo loquendi in malam partem manifeſtatur nobis rabies diaboli ſitientis ſanguinem animarum noſtrarum. Rogatus enim à Deo vnde veniret, re-
Iob 1,2. ſpondit: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* de quo poſteà Petrus ait,
1. Pet. 5,8. quòd *tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Hoc eodem modo loquendi obiecit Chriſtus Phariſæis impium zelum ſuum, quem habebant vt multos congregarent, quos imbuere poſſent deprauata ſua doctrina. *Væ*
Matth. 24,15. *vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ*, inquit, *quia circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proſelytum: & cùm fuerit factus, facitis illum filium gehennæ duplo quàm vos.*

95. Pij intra propoſitos limites quaſi circulo quodam concluſi, ſic tranſeunt per bona temporalia, vt tandem cum ſponſa inueniant & perueniant ad ſponſum ſuum cæleſtem. Impij autem timentes hanc concluſionem, nec vllo modo contenti moderata rerum temporalium poſſeſſione & vſu, hîc peccando miſerè cadunt, & tandem incidunt in manus irati Dei, quem omnibus rebus præferre & reuerentialiter timere debebant. Refert
Plutarchus. Plutarchus in Apophthegmatibus, quòd Epaminondas militẽ quemdam exauctorauerit, qui à captiuo magnam pecuniæ quantitatem acceperat. Spoliauit igitur eum armis, & dixit: Tibi cauponam emito, in qua vitam degas; poſt hęc enim noles ſubire periculum, quippe iam vnus ex numero diuitum & beatorum effectus es. Ecce hic egregius & bellicoſus vir putabat, nullum forte & animoſum facinus ſperandum eſſe ab eo qui inordinato amore diutiarum teneretur. Nemo ignorat
Iob 7,1. quòd *militia eſt vita hominis ſuper terram.* Dominus autem exercituum odit eos milites qui ſuperfluis inhiant, quos militia ſua indignos iudicat. Non enim facilè manum ſuam mittet ad fortia, quem diuitiarum cupido vt ignauum deiecit. Nemo enim carnem ſuam mortificat, qui res terrenas inordinatè

amat. Nam veræ & feruenti charitati, ex qua procedit mortificatio, non poteſt inordinata rerum concupiſcentia
Simile. admiſceri. Sicut enim ignis cæleſtis nullo modo ſecum patitur ſordidum & fumoſum ignem culinarium & focarium, ſic purus Dei amor à ſe longè propellit obſcurum amorem terrenum.

96. Voluit Chriſtus vt ſui diſcipuli in paupertate Euangelica viuentes, indicarent ſe nullo modo amore rerum temporalium teneri, neque timere incommoda quæ ex paupertate ſequuntur. Ideò miſit eos omnino exo-
Lucæ 10,4. neratos ad prædicandum, dicens: *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam ſalutaueritis.* Ecce quàm longè abeſſe debeant ab eorum ſollicitudine, qui volunt diuites fieri, cùm etiam ſaccum & peram prohibeat, in quibus aliquid pro imminenti neceſſitate poſſet repo-
Gregor. ni. *Tanta enim prædicatoris debet eſſe in Deo fiducia*, dicit Gregorius Homil. 17. in Euangel. *vt præſentis vitæ ſumptibus quamuis non prouideat, tamen ſibi hæc non deeſſe certiſſimè ſciat. Ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minùs alijs prouideat æterna.* Fiducia quam quis habet de Deo, non tantùm efficit vt mala quæ inſtare videntur, non eueniant, ſed etiam vt ſi euenerint, non affligant. Sciebat hoc Iob, qui vt morti aculeum, quo pungit, detrahi curaret, ſpem ſuam collocabat in Deum qui illam immittit. vn-
Iob 13, 15. de ait: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Ac ſi dicat, etſi omnium terribilium terribiliſſimum ſit mors, tamen illam mihi mitem efficiam, fiduciam habens in eum qui pro ſuo beneplacito rigorem & acerbitatem illius temperare poteſt. Vult igitur Chriſtus, vt ſine ſacco & ſine pera diſcipuli ambulent, nec timeant incommoda paupertatis, quæ ipſe facilè auertet, aut ſi permiſerit vt tangant, cohibere tamen poteſt, ne nimia triſtitia aut dolore afficiant, &c. Amen.

DISCVRSVS VIII.

Sicut ſollicitudinibus lacerantur qui nimis terrena cupiunt, ita mira pace gaudent qui ea animoſè contemnunt.

97. NON ſine cauſa Chriſtus diuitias pungétibus ſpinis comparauit, quia animum ſollicitudinibus lacerant & affligunt: *Quod autem inter ſpinas cecidit, hi ſunt*, inquit, *qui* Lucæ 8,14.
audierunt, & a ſollicitudinibus & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur. verùm

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Patet hoc in Hilarione, qui dum latro- *Exemplum.*
nibus in ſilua occurreret, ridens, animo placido & hilari vultu illos aſpexit. Rogatus cur non (ſicut ceteri ſolent) timeret propter latronum occurſum, dixit: Quia pauper & nudus nihil habeo quod perdam. Indicans, quòd is à latronibus nihil mali ſibi infligendum formidare debeat, qui bona nulla habet quibus illum ſpolient. Contra res eſt plena timoris, amor diuitiarum. Refertur de Sigiſmundo *Hiſtoria.*
Imperatore, quòd cùm ei quodam tempore copioſa pecuniarum maſſa allata eſſet, de qua noctu ſollicit nimis cógitanti ſomnus ab oculis fugiebat, miſerit qui ſtatim accerſerent Proceres & amicos, quibus ſine mora importuno tempore aduentantibus, & percunctantibus quid negotij vrſiſſet tam feſtinam Procerum conuocationem. Inſidiæ mihi fiunt (inquit Sigiſmundus)

mundus) ab hoſtibus infeſtis capiti meo, & placidam noctis quietem impedientibus. Stupentibus omnibus ad hunc ſermonem, iubet ipſe pecuniarias ciſtas aperiri, & ſaccos nummarios diſſolui, & aureos nummos oſtendens; Iſti, inquit, ſunt hoſtes, qui non ſinũt me ſomnum capere, horum vos, quæſo, importuna ſollicitudine me liberate: & ita pecuniam auferendam & inter ſe diuidendam eis tradidit.

98. Parum eſt quòd corporalem ſomnum impediant, ſed diuitiæ nimis conſeruatæ ſubinde etiam metum mortis incutiunt. Refert Dominicus Nanus in Polyanthea v. *Paruulus*, quemdam Regis ſubditum pecunioſum valdè fuiſſe, quem Rex expilare cupiens, ne vim feciſſe videretur, palliatum quæſiuit titulum. Citat hominem ad ſe quaſi perduellionis reum, vnde ſubornauit accuſationem, ac ſi hoſtes recepiſſet cum quibus aliquid mali contra patriam moliretur. Mira videbatur accuſatio viro quieto & pacis amantiſſimo. Tum vnus ex accuſatoribus. Etiam nunc, inquit, in domo ſua hoſtes Regis abſconditos eſſe arbitror. Olfaciens vir pecunioſus, quò vergeret excogitata ſtropha; Ita, inquit, eſt, veritas extorquet confeſſionem. Sed mitte mecum, ô Rex, quibus illi ſtatim tradantur. Rex ſatellites cum illo deſtinauit, quibus omnem pecuniam diſtribuens ad Regem deferendam, dixit: Hi ſunt hoſtes non tam Regis quàm mei, parum enim abfuit vt me perdidiſſent. *Hiſtoria.*

99. Excogitata hæc fallacia Rege quidem indigna fuit, nobis tamen vtilis eſſe poterit, vt ex ea diſcamus, in quanta diſcrimina aliquando diuitiæ in malum domini conſeruatæ hominem deducant, quæ etſi ſecundùm ſe indifferentes ſint, nec malæ nec bonæ, tamen non rarò auaros incitant, vt ipſi verè fiant latrones & traditores Regis Regum, & Domini dominantium. In vno Iuda veritas hæc clarè apparet. Proditor eſt Regis, qui intromittit hoſtes in caſtrum illius. Caſtrum Dei eſt anima humana, quam facilè pecunioſus vendit vt theſaurum augeat, aut inordinatè conſeruet. *Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam. hic enim & animam ſuam venalem habet: quoniam in vita ſua proiecit intima ſua.* Taxatur hîc meritò auaritia, quæ magnam habet deformitatem, vt docet S. Thomas. 2. 2. q. 118. a. 5. quia per eam ſubditur appetitus humanus pecuniæ, quæ inter bona temporalia vltimum locum habet. Turpius eſt autem, ſubeſſe viliori, quàm digniori. Meritò etiã exoſa eſt auaritia, quia, vt docet Auguſtinus lib. 83. Quæſt. *cupiditas eſt venenum charitatis. Auarus terrarum peſtis eſt*, dicit Chryſoſtomus Homil. 81. in Matth. *vrbium pernicies, ſingulorum calamitas. Sibi maximè eſt moleſtus, dolet quòd terra pro ſpicis aurum non producat, & quòd montes loco lapidum non habent aurum; omnium denique miſerrimus eſt.* *Simile.* *Eccli. 10, 10.* *S. Thom.* *Auguſt.* *Chryſoſtom.*

100. Sed præcipuam malitiam habet auaritia, ex iniuria quam auarus eius occaſione Deo facere paratus eſt, qui animam ſuam, nobile caſtrum Dei, facilè venalem habet. Non ſolùm Iudas Chriſtum vendidit, ſed etiam accepto pretio ſuæ proditionis, tradidit eius caſtrum diabolo. *Et poſt buccellam introiuit in eum ſatanas.* Ad quem reſpexiſſe videtur Sapiens, cùm ita taxaret auaritiam, vt nihil ea nequius eſſe affirmaret. vnde præmiſit: *Auaro autem nihil eſt ſceleſtius.* Nam ad litteram circa Iudam completum eſt quod idem Sapiens ait: *Quoniam in vita ſua proiecit intima ſua.* Per intima intelligit *Ioan. 13, 27.* *Eccli. 10, 9.*

Gloſſa. git Gloſſa interlinearis virtutes, quas auarus non ſolùm proijcit, ſed etiam oppoſita vitia intromittit. Eodem modo exponit Hugo Cardinalis cum noſtro Lyrano. Virtutes enim ſunt intima animæ ornamenta, de quibus ait Dauid: *Omnis gloria filia Regis ab intus.* Auarus proijcit etiam intima, ſcilicet viſcera miſericordiæ, imò intimos cognatos & fratres. *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors*, dicit Sapiens; *qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abijcit à ſe.* Non habebat Iudas in cælo aut in terra aliquem ſibi propinquiorem & magis intimũ quàm illi Chriſtus erat, quem per S. Euchariſtiam ſibi etiam porrectam receperat, illum tamen ſine vlla miſericordia oſculo tradidit, & à ſe abiecit.

Hugo Cardin. Lyran. Pſalm. 44,14. Prou. 11,17.

101. Intima igitur proiecit crudelis hic omnium auarorum anteſignanus in vita ſua. Verùm vt manifeſtum ſit, quòd auaritia ſit venenum charitatis (vt dicit S. Auguſtinus quem ſuprà citaui) idem Iudas, quaſi intoxicatus *ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Per auaritiam igitur homo ſibi moleſtus eſt dum viuit. Vt enim qui venenum ſumpſit, ſentit moleſtiſſima tormina & doloroſas viſcerum contractiones; eodem modo ſemper cruciatur, quem intus auaritia peſſima vipera rodit, adeò vt vitam morte amariorem ducat. Multi ſunt vitioſi homines, quibus tamen vita non eſt moleſta. Vnde etiam vanæ & leuiculæ ſubinde mentiuntur ætatem ſuam, quaſi hoc modo vitam prolongent. Notatur aliquando hæc puerilis vanitas in viris etiam. Cicero ſuo tempore quemdam lepidè arguit, qui de ætate rogatus reſpondit, quòd eſſet triginta annorum. & mirantibus fortè in virili ætate vultum vicinitatem ſenectutis repræſentantem, ait Cicero: Verum dicit, quando fatetur ſe annos triginta habere, nam iam ab annis duodecim idem audiui ex ore ipſius. Hic diſſimilauit ætatem ſuam, non tamen apertè negauit; non enim dixit quòd tantùm triginta annorum eſſet, ideò mitiùs cum eo agens Cicero, facetè correxit potiùs quàm traduxit. Duriùs autem excepit alium, qui referens acta quædam iuuentutis, & impingens contra veritatem, dixit: Si ita res ſe habet, ergo cùm mecum operam dares Logicæ, nondum natus eras. Ex his patet, quòd omnia vitia non reddunt vitioſum grauem ſibi, & vitæ ſuæ pertæſum. Eſt autem hæc pœna quaſi ſpecialis auaris: multi enim occaſione auaritiæ leguntur ad laqueum cucurriſſe. Inter quos primus & præcipuus eſt Iudas.

Simile. Act. 1, 18.

102. His omnibus moleſtijs per Euangelicam paupertatem liberi ſunt Religioſi profeſſores alicuius Ordinis approbati, qui viuunt in ſumma tranquillitate ad normam eorum de quibus dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat.* Politianus dicere ſolebat, quòd beſtiæ agerent vitam communem, quia Deus ſingulis piſcibus dedit omnes aquas maris, & ſingulis animalibus totum orbem terrarum. Soli homines litigioſam introduxerunt rerum diuiſionem, ex qua ortum habet frigidum illud verbum, & omnium diſcordiarum ſeminarium, *Meum* ſcilicet & *Tuum.* Pythagoras ſaltem inter amicos omnia volebat eſſe communia. Plato ſanciuit idem inter ciues alicuius vrbis aut Reipublicæ de nouo erectæ. Non mirum igitur ſi inter Religioſos ſit hæc amica & conſolatoria bonorum communio, quæ ſine dubio naſcitur

Actor. 4,32. Politianus. Pythagoras. Plato.

naſcitur ex communione animorum: inde enim orta eſt in primis & priſcis illis Chriſtianis, de quibus Lucas ait: *Multitudinis autē erat cor vnum*, &c. *vt quibus erat vna fides* (inquit Auguſtinus Serm. 27. de Verbis Apoſt.) *eſſet vna ſubſtantia : quibus erat communis Chriſtus, communis eſſet & ſumptus. Non quærit charitas quæ ſua ſunt.*

August.

103. Propter hanc bonorum communionem, quæ liberat Religioſos ab omni ſollicitudine, vita illorum iucundiſſima eſt. vnde Dauid hanc communionem tam animorum quàm bonorum reſpiciens ait: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Ante cōuerſionem ſuam ex naturali iudicio necdum fide illuſtratus, cognouit Auguſtinus iucunditatem quamdam in hoc modo viuendi. vnde ipſe fatetur lib. 6. Confeſſ. cap. 14. ſe cum ſocijs deliberaſſe de vita communi ineunda, vt remoti à turbis quietè viuerent. *Vt vnam rem familiarem conflaremus ex omnibus*, inquit, *vt per amicitiæ ſinceritatem non eſſet aliud huius & aliud illius, ſed quod ex cunctis fieret vnum, & vniuerſa ſingulorum eſſent, & omnia omnium.*

Pſalm. 132, 1.

Auguſt.

104. Tam iucunda eſt vita eorum qui propria contemnunt, vt Chryſoſtomus Homil. 38. in 1. ad Corinth. dicat, quòd cùm in principio Eccleſiæ eſſent exterminata friuola illa verba *Meum* & *Tuum*, quæ tot bella mundo inuexerunt, inhabitabatur non aliter terra ab hominibus quàm ab Angelis cælum. Notandum eſt autem, quod hæc cōcordia & bonorum communio tribuebat Eccleſiæ magnam fortitudinem. vnde benè dicit Lucas: *Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri : & gratia magna erat in omnibus illis.* Quàm primum enim Apoſtoli verbum ſalutis diſſeminare cœperunt, ſtatim eis annumerati ſunt tria millia, & iterùm quinque millia. Sed quis tam fortificantis concordiæ auctor? vnde tam arctum charitatis vinculum ortum eſt? ex opum contemptu, & bonorum communione.

Chryſoſtom.

Act. 4, 33.

105. Quid mirum, ſi omnes ſimul fortes ſunt, cùm ſinguli diuitiarum contemptores, & paupertatis Euangelicæ cultores, ſingulari fortitudine & mira virtute induantur ex alto, qua de inordinatis ſuis affectibus victoriam reportant, quæ animabus illorum miram infundit iucunditatem & conſolationem? Solent pedibus victoris hoſtes proſterni, ita etiam diuitiæ, quas Euangelici pauperes ſpernunt, ijs ſubijciuntur. In ſignum huius, primi fideles diuitias & poſſeſſiones, quæ ſunt irritamenta malorum, & ſeminaria inordinatorum affectuum: *Ponebant ante pedes Apoſtolorum*; ſignificantes hac cærimonia, quòd glorioſè & iucundè de his ſuis hoſtibus triumpharent. Fuit Salomon fortè Euangelicis pauperibus ſapientior, quo tamen ipſi fortiores ſe oſtēdunt. Aggrediuntur enim & amplectuntur paupertatem & mendicitatem, quam ipſe vt moleſtam nimis & diſcriminoſam deprecabatur à Deo, dum diceret: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi*. Timebat Salomon quòd per egeſtatem laberetur in impatientiam, vnde ſubdit: *Ne fortè*, &c. *neceſſitate compulſus furer, & periurem nomen Dei.* Non timuerunt Euangelici pauperes, ex inopia & mendicitate ſe fore impatientes, aut in Deum blaſphemos, ſiue periuros, quin potiùs viriliter ſtatum paupertatis amplexi ſunt, vt aptiores fierent ad laudandū Deum, ſcientes, tales laudatores maximè ab eo quæri, ſecundùm illud Dauidis:

Act. 4, 35.

Prouer. 30, 8.

v. 9.

Pſalm. 73,21. *Pauper & inops laudabunt nomen Domini.*

106. Pro tranquillitate eorum qui contemptis diuitijs pauperem vitam eligunt, etiam hoc facit, quòd ſint dæmoni terribiles. Non ignorans hoc S. Franciſcus, extremæ ſuæ paupertati omnimodam nuditatem addidit, dum præſentiret ſibi ex hac vita eſſe diſcedendum: *quatenus hora illa extrema* (verba ſunt S. Bonauenturæ cap. 14. §. 3. Vitæ eius) *in qua poterat adhuc hoſtis iraſci, nudus luctaretur cum nudo.* Ex ſerpente dæmonis conditionem colligere quis poteſt, de quo ferunt, quòd is inſilire ſoleat in hominem optimè veſtitum, relicto eo qui nudus aut ſeminudus eſt, ac ſi ei terrori eſſet. Eodem modo ſerpens ille antiquus maximè ſæuit in eos qui terrenis abundant, fugit autem illos quos Euangelium & Chriſti amor denudauit. Numquam Chriſtus dæmoni maiorem terrorem incuſſit, quàm poſtquam ſe pauperrimum exhibuerat quadraginta diebus & quadraginta noctibus, ieiunans & conuerſans cum beſtijs terræ. Tunc orta fuit diabolo ſuſpicio de illius diuinitate. *Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es.*

S. Bonauent.

Simile.

Math. 4,3.

107. Notandum eſt, quòd non ſine fundamento orta ſit tunc ſuſpicio illa, Dei enim eſt ſe ſolo contentum eſſe. Fuit autem Chriſtus tunc maximè ſe ſolo contentus, quando nec cibum nec hominum conſortium admiſit. *Eratque cum beſtijs*, dicit Marcus. Et notat Lyranus noſter, quòd beſtiæ non nocebant ei, ſed potiùs applaudebant, quoniam agnoſcebant Dominum. vnde per Iſaiam dicitur: *Glorificabit me beſtia agri.* Notandum autem (vt dicit Plinius) quòd beſtiæ quæ olim paſſim non tantùm priuatos homines, ſed etiam populos, vrbes & regiones deuaſtabant, à Chriſti temporibus videantur ex parte manſuefactæ, quæ fideles & Sanctos (ſicut in plurimis Sanctorum Hiſtorijs legimus) coluerunt, & ſedulò eorum iuſſis paruerunt.

Marc. 1,13. Lyran.

Iſa.43, 20. Plinius.

108. Eſt autem ſententia Socratis (vt ait Cyprianus lib. 2. Epiſt. 2.) quòd quantò paucioribus quis contentus fuerit, tantò ſimilior Deo efficiatur, qui, vt dixi, ſe ſolo contentus viuit. Vt igitur beſtiæ terræ in Chriſto reſpexerunt Deum, ita dæmones (qui beſtiæ vocantur) deferre coguntur amatoribus paupertatis, in quibus Dei ſimilitudinem, velint nolint, & honorent & horreant. vnde fit quòd in maiori quiete viuant, quàm illi qui volentes diuites fieri, facilè incidunt in tentationem & laqueum diaboli. Pro pauperibus ſpecialiter orauit Dauid, dicens: *Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem.* Gloſſa interlinearis per beſtias intelligit diabolum & angelos eius. Sic etiam Hugo Cardinalis, qui addit, pro conſolatione eorum vtique qui voluntariam paupertatem coluerunt, *Beſtias terræ non formidabis*: in morte ſcilicet non erunt tibi formidini diaboli, qui meritò beſtiæ terræ vocantur, quibus terra pro cibo à communi omnium diſpenſatore aſſignata eſt, qui dixit ſerpenti: *Maledictus es*, &c. *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Hæ beſtiæ terræ non erunt Euangelicis pauperibus terrori in morte. Illi enim ſunt, quos memoriæ Dei Propheta commendat, quando ait: *Et animas pauperum tuorum*, &c. Multi ſunt pauperes in hoc mundo, ſed non omnes ſunt Dei pauperes: illos pro ſuis tantùm agnoſcit, quos amor Chriſti pauperis & ſanctum

Cypr.

Pſalm. 73,19.

Gloſſa.

Iob 5, 22.

Gen. 3, 14.

Pſalm. 73,19.

ctum Euangelium eius bonis temporalibus ſpoliauit: hi non ſunt in obliuione apud Deum, de quibus ait Dauid: *In memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit.* (Pſalm. 111,7.)

109. Pauperes Euangelici ſunt terra illa bona in qua verbum Dei fructificat. Sicut cupidi & auari arenoſæ terræ ſimiles ſunt, quæ nihil in aliorum vtilitatem profert, ſed pluuiam & rorem & alias cæli influentias ſibi auidiſſimè inſorbet. *Quod autem in terram bonam* (inquit Chriſtus loquens de auditoribus verbi Dei) *hi ſunt, qui corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* (Lucæ 8,15.) Euangelici pauperes, qui non modò patientes, ſed & læti ſunt & hilares in ſua paupertate, fructus proferunt Deo glorioſos, & ſibi conſolatorios. Franciſcus aratro Euangelici conſilij magnam bonæ terræ partem proſcindens, ita fructificare fecit, vt Religioſi ſui ante profeſſionem omnia quæ habere poterant, pauperibus relinquerent. vnde iubet in Regula cap. 2. vt Miniſtri affectantibus Ordinem dicant verbum Euangelij, *quòd vadant & vendant omnia ſua, & ſtudeant ea pauperibus erogare.* Non poteſt hic fructus non eſſe Deo ſummè glorioſus, ex quo multi conſolatorij fructus proueniunt tam perfectè omnibus propter Deum renuntianti, quorum vnus ſi ſufficere debet, ſecura ſcilicet ſpes regni cælorum. ait enim Chriſtus: *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei,* &c. (Lucæ 6,20.) Amen.

DISCVRSVS IX.

Diuites huius ſæculi nihil habent quod ſpiritus guſtet; pauperes verò Chriſti bona animæ poſſident, quibus ditati reficiuntur.

110. EST notabilis ſententia, & præſenti inſtéto non parum accommodata, quam reliquit nobis Sapiens in hunc modum: *Eſt quaſi diues, cùm nihil habeat: & eſt quaſi pauper, cùm in multis diuitÿs ſit.* (Prou. 13,7.) LXX. legunt: *Sunt qui ditant ſe, nihil habentes; & ſunt qui humiliant ſe in multis diuitÿs.* Non eadem eſt omnium huius ſententiæ expoſitio. Vna eſt Venerabilis Bedæ, quæ propoſito noſtro deſeruit; (Beda.) qui ad animæ diuitias vel inopiam reſpiciens, eam hoc modo interpretatur, Vt videlicet homo in tenuiſſimo cenſu ditiſſimus cenſeatur, qui virtutibus & bonis ſpiritualibus abundat; econtrà verò alius infelici paupertate conteratur, & præ inopia contabeſcat, eò quòd bonis animæ omnino ſit vacuus. Eodem modo exponit verba illa Gloſſa interlinearis. *Eſt quaſi diues in mundo,* inquit, *cùm nihil habeat apud Deum; & eſt quaſi pauper in mundo, cùm in multis diuitÿs ſit in Deo,* (Gloſſa interlin.) id eſt apud Deum, vbi veræ diuitiæ ſunt. Concordat Gloſſa ordinaria, probans exemplo diuitis epulonis & Lazari mendici veritatem illius ſententiæ. Ille enim quia Deum non habuit, comperit in fine nihil eſſe quod habuit: econtrà pauper videbatur Lazarus, ſed quàm fuerit diues, Angeli qui eum portarunt in ſinum Abrahæ, manifeſtarunt. Crumena (Simile.) vento inflata plena exteriùs videtur eſſe argento & auro, cùm præter inanem aërem nihil contineat; ita diuites

 quidam

quidam huius ſæculi pleni exiſtmantur, cùm tamen intus nihil ſolidi poſſideant. Simile. Si crumena plena leui flatu acicula transfixa fuerit, ſtatim aër quem continebat euaneſcit, & apparet quòd id quod priùs turgebat, nullam rem ſolidam continebat. Si autem crumenam, quæ verum argentum in ſe concludebat, perfoderis, niſi magna fiat ſciſſura, nihil excidet eorum quæ priùs illi ingeſta erant. Eodem modo, quando diuites huius mundi à morte punguntur, ſtatim apparet quàm falſæ & inanes erant diuitiæ, in quibus gloriabantur. Pſalm. 48,18. Nam *homo cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.* Verùm amator paupertatis, dum pungitur in morte, niſi grauem rupturam incurrat per peccatum mortale, nihil de veris ſuis diuitijs amittit: Apoc. 14,13. nam, teſte Ioanne, *beati mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum ſequuntur illos.*

111. Abuſiuè igitur dicuntur diuites, qui pietate vacui multa temporalia poſſident; ſicut nec pauperes cenſeri debent, qui refutant cum S. Franciſco & S. Clara poſſidere, & nihil tranſitorium cum Chriſto volunt habere, præſertim ſi virtutibus ſublimes fuerint. Sicut enim errat & ſe ſeducit, qui putat ſe aliquid eſſe, cū nihil ſit; ita verè decipitur, qui exiſtimat res terrenas aliquid eſſe, & hominem verè ditare poſſe. Habebat Dauid regias diuitias, quæ quàm parui valoris fuerint in oculis & iudicio Dei, indicat cùm ait: Pſalm. 38,6. *Subſtantia mea tamquam nihilum ante te.* Simile. Solent oculi in ſenectute caligare, ideò homines perſpicillis vtuntur, quibus res maiores apparēt quàm reuerà in ſe ſint. Omnes diuitiæ huius mundi parui pretij ſunt, ſi cum minimo damno aut profectu animæ comparentur. Matth. 16,26. vnde Chriſtus ait: *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?* & ideò in principio Eccleſiæ, poſtquam Chriſtus mundum reformauerat, & quaſi floridæ ætati reſtituerat, parui valoris & viles apparebant in oculis fidelium clarè videntium, adeò vt proijcerentur ad pedes Apoſtolorum. Iam autem mundus conſenuit & homines, *in quos fines ſæculorum deuenerunt*, putant illas magnum quid eſſe, quia eas non intuentur ſecundùm quod in ſe ſunt, ſed exiſtimant illas ex iudicio mundi: quo fit vt maiores appareant quàm ſint, quia vtuntur deceptoriis perſpicillis, vanis ſcilicet hominum iudiciis, de quibus ait Dauid: *Beatum dixerunt* Pſalm. 143,15. *populum cui hæc ſunt.*

112. Benè vocauit Ioannes inordinatum rerum terrenarum appetitum, concupiſcentiam oculorum: non enim res verè magnas deſiderant diuites huius ſęculi, ſed paruas & viles, quę cæcutientibus & perſpicillis vtentibus magnæ apparent. Non tam ventrem quàm oculos paſcunt, qui terrenis inhiant. Significauit hoc clarè vnus illorum, qui indigni habiti ſunt cœna magna, qui dixit excuſationem prætendens, *Villam emi, & neceſſe habeo exire* Lucæ 14,18. *& videre illam.* Narrat rem ridiculam Melchior de S. Cruce part. 6. c. 8. §. 6. Melch. de S. Cruce. de quodam, cui fortè exigua portio ad prandendum appoſita fuerat: qui cùm comederet ceraſos, & vteretur perſpicillis, rogatus cauſam, reſpondit: Deſiderauerām maiores & groſſiores ceraſos, ſed nimis cari ſunt, ideò iſtos tenues cum perſpicillis comedo, quorum adminiculo magni apparent, & vt tales eos æſtimo.

113. In hunc modum diuites huius ſæculi ſeipſos decipiunt. Cùm enim nihil aut parum habent, putant ſe multa.

Digitized by Google

multa habere,& valdè diuites eſſe, decepti nimirum ex communi hominum iudicio & errore, qui putant diuitias magnum quid eſſe, cùm nihil ſint. Cæcutiebat ille & perſpicillis vtebatur, qui dicebat: *Diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo*: cui dictum eſt ab eo *qui eſt teſtis fidelis & verus, qui eſt principium creaturæ Dei*, &c. *Neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus?* Benè igitur monuit Gregorius Hom. 15. in Euangelia: *Si ergo, fratres chariſſimi, diuites eſſe cupitis, veras diuitias amate.* Mira res, non ſolùm actualis poſſeſſio, ſed etiam amor ſpiritualium bonorum diuitem facit. vnde ait Gregorius, *Veras diuitias amate.* Econtrà appetitus terrenorum pauperem facit eum qui multa poſſidet. vnde, *Quis diues*, inquit Cato? *Qui nihil cupit. Quis pauper? Auarus.* Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet. Non ſic in cæleſtibus donis, quibus non ſolùm fruimur quando illa actu poſſidemus, ſed iis etiam quodammodò ditamur quando efficaciter deſideramus. Non enim dicit Gregorius, *firma poſſeſſione tenete*, ſed, *veras diuitias amate*, ſi diuites eſſe cupitis.

Apoc. 3, 17.
℣. 14.
Greg.
Cato.
Greg.

114. Amor rerum temporalium affligit potiùs quàm recreet, ſpiritualium verò conſolatur & quodammodò ditat. Ratio diuerſitatis in eo conſiſtit, quòd terrena non redament auaros & inordinatos eorũ amatores, ſed potiùs odio habeant. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc.* Eſt proſopopœia, vt notauit Chryſoſtomus, per quam ſignificat Apoſtolus magnam creaturarum auerſionem, ita vt ſi haberent ſenſum, gemerent quòd cedant in vſum hominum maximè malorum, quales ſunt diuites huius ſæculi. Anhelant igitur ad libertatem, à ſeruitute corruptionis, de qua egit Apoſtolus verbis immediatè præcedentibus. Similes mihi videntur mulieri, quæ inuita viro alicui tradita eſt, qui amando illam, non accipit conſolationem, eò quòd videat ſe ab ipſa non redamari. Eodem modo res acquiſitæ non ſatisfaciunt impiis & iniuſtis ſæculi & diuitiarum amatoribus: nam etſi eas amẽt, non tamen ab illis redamantur; quinimò occultum odium gerunt, quod tandem apertè manifeſtabunt in die iudicij, quando iudex *armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Si igitur diuites, & verè conſolati eſſe velimus, veras diuitias ſic amemus, vt eas tandem ſecurè poſſideamus in cælis.

Rom. 8, 22.
Chryſoſtom.
Simile.
Sap. 5, 18.

115. Diuitiæ ſpirituales non tantùm verè diuites efficiunt, ſed etiam ſatisfaciunt, eò quòd redament dum amantur. Hinc diuina ſapientia ſuo & omnium cæleſtium donorum nomine dicit: *Ego diligentes mè diligo.* Affligeretur ſummè carnalis homo, cui vxor à ſe vſque ad inſaniam amata, numquam ſui copiam facere vellet. Eodem modo *deſideria occidunt pigrũ.* Nam etſi diuitiarum conquiſitor per mare per terram diſcurrat, vt rem ſuam augeat, piger tamen imò otioſus cenſendus eſt, quia vacat ab operibus quibus in anima ditetur, ac proinde ſemper eſt in afflictione, quia res terrenæ quas amat, non redamant, ſed inſtar moroſæ mulieris, ſui copiam ſtultis amatoribus negant. Non eſt ergo mirum, ſi miſeri ſint, & pauperes habeantur, qui multa terrena poſſident, cùm non ſint in Deum diuites.

Prou. 8, 17.
Simile.
Prou. 21, 25.

116. Ex his patet, quòd Sancti, etſi pauperes rebus, tamen verè ſint diuites, qui de ſuis diuitijs comedunt toties quoties illis viſum eſt. Quòd verè diuites ſint (præter ea quæ diximus)

 pro-

1. Cor. 1,5. probant verba S. Pauli, qui dixit: *In omnibus diuites facti eſtis in illo.* In omnibus pertinentibus ad ſalutem, dicit Lyrau. Lyranus noſter. In omnibus quæ verè Titelm. ſunt ſpiritus bona, ait Titelmannus. Caietanus. Eodem modo interpretatur Caietanus S. Tho. & S. Thomas, qui addit, ideò Chriſtum egenum factum eſſe, vt nimirum nos per ſuam inopiam ditaret in iis quæ ad ſalutem pertinent.

117. Ceterùm quòd pauperes rebus tranſitoriis, ſed virtutibus ſublimes, & donis cæleſtibus diuites cibum animæ guſtent quando volunt, patet ex eo quòd regnum Dei intra ſe habeant, cuius dulces fructus cùm Lucæ 17, 21. libet, decerpere poſſunt. *Ecce enim regnum Dei intra vos eſt*, dicit Christus. Regnum Dei ſeipſum nominat, inquit Gloſſa interlin. Gloſſa interlinearis, in cordibus fidelium regnantem, & Reges conſtituentem. Accipi hîc etiam poteſt regnum Dei, pro virtutibus, quæ hominem non tantùm ſanctificant, ſed etiam lætificant, adeò vt illarum ſuauitatem guſtent, & quodammodò comedant quàdo Rom. 14, 17. volunt. *Non eſt regnum Dei eſca & potus*, inquit S. Paulus, *ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Vnde Greg. Nyſſ. Gregorius Nyſſenus: *Fortè regnum nobis inſitum dicit inditam animabus noſtris lætitiam per Spiritum ſanctum. Ea enim eſt velut imago & arrha perennis lætitiæ, qua in futuro ſæculo ſanctorum animæ gaudent.* De hoc regno, quod hîc inchoatur, & poſt hanc vitam conſummabitur, etiam intelligi poteſt Chriſtus, quando pauperes beaLucæ 6, 20. tificans dixit: *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei.*

Melch. de S. Cruce. 118. Refert Melchior de S. Cruce in ſua Silua p. 6. c. 8. §. 4. cuidam medicè fortè viuere volenti, & in illum finē ſollicitè inquirenti qua hora diei cibus conuenienter ſumi deberet, reſpōſum eſſe, diuites comedere quando liberet, pauperibus autem exſpectandum eſſe donec quod comedant habent. Fuit illud reſponſum conforme Belgarum proloquio, quo dicitur: *Den rycken eet als hy vvilt, den armen als hy't heeft.* Quod dictum eſt de cibo corporis ſumendo, idem de cibo animæ dici poteſt. Qui enim in Eccleſia verè diuites ſunt, vtpote nihil habentes & omnia poſſidentes, ferè toties quoties ipſis viſum eſt, ſpiritum & animam reficere poſſunt. Illi verò qui nihil habent quod nimirum ad animæ ſalutem pertinet, ac proinde per vmbratilem apparentiam diuites, verè tamen pauperes cenſeri debent, illis non de hora qua comedendum ſit, ſed de eſca quā comedere poſſint ſollicitudo incumbit. Non comedunt illi quando placet, ſed quando quod comedant habent; ſunt enim quaſi diuites, ſed nihil habentes aut poſſidentes, de quibus cecinit B. Virgo dicens: *Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.* Lucæ 1, 53. Ecce diuites appellātur, ſed non ſunt, quia vacui & inanes à Deo dimittuntur. Incipiunt hi ſentire miſeram damnatorum ſortem, de quibus Dauid teſtatus eſt, dicens, quòd *famem patientur vt canes*; Pſalm. 58, 7. 15 ſicut econtrà Euangelicæ paupertatis profeſſores glorioſam Beatorum in cælo regnantium conditionem ex parte adepti ſunt in terris, quibus Chriſtus dixit: *Veſtrum eſt regnum Dei.* Lucæ 6, 20. Hæc autem eſt differentia inter Eccleſiæ triumphantis incolas, & viatores Eccleſiæ militãtis, quòd illi continuò contemplentur & guſtēt ſuauitatem Dei; hi autem etſi eumdem intra ſe per fidem & charitatem habeant, & quodammodò fruantur quādo efficaciter volunt, non tamē permittit huius vitæ inſtabilitas, vt quis hoc ſemper velit aut continuè velle poſſit.

119.

119. Verùm aliud eſt in quo paupertatis amatores magis cæleſtibus aſſimilari videntur, nimirum quòd ſicut hi, ita etiam illi ſua ſorte contenti ſint. Verum eſt, quòd non ſit omnium beatorum eadem felicitas, maior copia diuitiarum vni ſuppetit, minor verò alteri; omnes tamen ſic conquieſcunt in eo quod ſibi ex Dei miſericordia obtigit, vt nullius alterius pinguiorem conditionem appetant. *Sic habebit donum alius alio minus* (dicit Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 30.) *vt hoc quoque donum habeat ne velit amplius.* Eadem eſt doctrina S. Gregorij in cap. 40. Iob ad illa verba, *Dedit illis pater ſuus hereditatem.* Et Anſelmus l. de Similit. c. 64. *In illa*, inquit, *glorificatione ciuitatis Dei ita quiſque quod adeptus fuerit amabit, vt ſtatum ſuum potiori gradu immutari non velit.*

Auguſt. Greg. Anſel.

120. Sicut in cælo multæ & diuerſæ manſiones ſunt, ita etiam in Eccleſia non eſt vnus omnium Religioſorum & Deo famulantium ſtatus. Omnibus autem Religioſis hoc commune eſt, vt paupertatem voueant, & certo modo ſeruent: qua quilibet ita contentus viuit, quamdiu Ordinis amans & vocationis ſuæ memor eſt, vt illam nolit cum diuitijs totius mundi commutare. Sanctus Franciſcus ſicuti voluit vt ſui alumni ceteris minores eſſent, ita ſtrictiore paupertate eos diuites fecit. vnde ait in ſuo Teſtamento: *Illi qui veniebant ad recipiendum vitam iſtam, omnia quæ habere poterant dabant pauperibus, & eramus contenti vna tunica intus & foris repetiata*, &c. *& nolebamus plus habere.* Nota illud, *nolebamus plus habere.* Sicut igitur infimi in cælo ſua ſorte contenti ſunt, ita pauperrimi filij S. Patris in ſua vocatione conquieſcebant. Interim pauperes rebus & virtutibus ſublimes, & diuites in omnibus quæ pertinent ad ſalutem, poſſidebant eum de quo S. Franciſcus ſæpè clamabat, *Deus meus & omnia*: ad cuius ſuauitatem prælibandam nouerant ſe inuitari à Spiritu ſancto, qui ait per Dauidem: *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus*: expectantes interim donec admitterentur ad cœnam magnam, in qua perfectiori modo deguſtarent eum, de quo intelligi poteſt quod ſerui dixerunt inuitatis, *quia iam parata ſunt omnia.* Porrò qui Deum habent qui eſt omnia in omnibus, etſi pauperes ſint rebus terrenis, quia tamen diuites cæleſtibus, quando volunt quodammodò comedunt, & ſe in ſpiritu reficiunt cum illo, qui ideò inuitatos ad cœnam vocari curat, vt cum illo manducēt, & ipſe cum eis. Inuitat enim vt inuitetur, intromittit vt intromittatur. *Ecce ſto ad oſtium*, inquit, *& pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum*, &c. Amen.

In Teſtamēto S. Franciſci. Pſalm. 33.9. Lucæ 14.17. Apoc. 3.20.

DISCVRSVS X.

Pauperes Religioſi, qui nec retinent quo alijs egenis ſubuenire poſſint, ab omni exactione liberi ſunt; quibus beatius eſt mendicare vnde viuant, quàm poſſidere vnde eleëmoſynas tribuant.

125. Dici ſolet à Belgis, *Daer niet en is, daer verlieſt den Heer ſijn recht.* Iuſtè exigunt Reges vectigalia. vnde Paulus monet illa reddenda eſſe tāquam debita. *Reddite ergo omnibus debita*, inquit, *cui tributū, tributū: cui vectigal, vectigal.* Sed Euangelici pauperes ab his exactionibus liberi ſunt, nā à nihil habente non poteſt aliquid exigi. *Vincli pariter ſine moleſtia*,

Rom. 13.7. Iob 3. 18.

moleſtia, non audierunt vocem exactoris. Loquitur Iob ad litteram de ijs, qui in cælo ab omni importunitate & moleſtia liberi, ampliùs non vexabuntur ab inhumanis dominis, aut duris creditoribus. Sed ad propoſitum noſtrum intelligi poteſt de pauperibus Religioſis qui Deo ſeruiunt in pulchritudine pacis, & in requie opulenta; exempti nimirum ab omni exactione aut extorſione tributi aut vectigalis. Eſt magnum Dei beneficium, vocari ad ſtatum talem, quia minùs eſt moleſtum omnia relinqnere & nihil omnino habere, quàm multa poſſidere, & pauca debere tribuere. Religioſus igitur vinctus eſt, votis ſcilicet, ſed nullam ex vinculis illis ſentit moleſtiam; quinimò cum gratiarũ actione clamat ad Deum, dicens: *Funes mihi ceciderunt in præclaris, etenim hereditas mea præclara eſt mihi.* Cui proinde dictum eſt per Prophetam: *Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis*, &c. *Et vinculo illius alligatura ſalutaris.* Pſalm, 15,6. Eccli. 6,30. & 31.

122. Eſt alia exactio minùs quidem moleſta, ſed magis perplexa timoratis diuitibus, quàm ſit illa quæ fit auctoritate Regum & Principum tributa & vectigalia exigentium, qua Chriſtus in perſona pauperum iuſtiſſimo titulo petit eleëmoſynas. Ab hac etiam liberi ſunt Religioſi, qui amore illius omnia reliquerunt, ad magnam conſcientiæ ſuæ quietem & ſinceritatem, quę in diuitibus non immeritò obfuſcatur & obtúditur, ex tot pauperum gemitibus & clamoribus. Si enim Theologicè examinemus, quantum debeant diuites his gratioſis exactoribus, qui oſtiatim eleëmoſynas petunt titulo amoris Dei, pauci videntùr qui ſatisfaciant, & ſe à debito ſuo expediant. Quis enim eſt diuitum huius ſæculi, qui exactè ſoluit tributum quod ex decreto Chriſti pauperibus debetur? Quis inquam eſt, qui ſuperflua naturæ vel perſonæ apud ſe retinens, non defraudet Chriſtum in pauperibus, qui mandauit dicens: *Quod ſupereſt, date eleëmoſynam?* Non ſufficit quòd Regibus & Principibus vectigalia ſoluantur, ſi eleëmoſynæ negentur pauperibus, quæ eis ex Dei mandato debentur. Nam Chriſtus dixit: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Lucæ 11,41. Matth. 22,21.

123. Verendum eſt, quòd multi diuites diſcedant ex hac vita ære alieno multùm grauati, qui nimirum Deo in pauperibus non reddiderunt quæ Dei ſunt. Nec excuſabuntur quòd ſuperflua apud ſe fortè non retinuerunt, ſed conſumpſerunt in equis, hortis, mundi vanitatibus: nam ab huiuſmodi ſuperfluis ſumptibus tenebantur abſtinere, vt habere poſſent quod tribuerent neceſſitatem patientibus. Hæc enim etſi diabolus, mundus & caro exigant, illis tamquam iniquis exactoribus neganda ſunt. Qui Deo & Regibus ſoluit, liberatur quidem à debitis; qui verò diabolo, mundo & carni quod iniuſtè petitur concedit, eorum mancipium, & debitor efficitur. vnde fit, quòd is qui exaudit diabolum ad culpam, eumdem poſt hanc vitam tolerare debebit ęternam exigentem pœnam. Hinc benè nos monuit Chriſtus, vt conſcientiæ & æquitati auditum tribuamus, aures verò claudamus iniquiſſimis exactoribus, qui volunt vt ſubſtantiam noſtram diſſipemus, ſtudendo ventri & ſplendidè epulando, ac viuendo luxurioſè: *Cùm autem vadis cum aduerſario tuo*, inquit, *ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori*, &c. Caietanus per *Diſſimile.* Lucæ 12,58. Caiet.

per aduerſarium intelligit conſcientiam, quæ contradicit & latrat, dum, multis pauperibus in magna neceſſitate relictis, bona in vanitatibus conſumuntur. *Aduerſarius noſter in via* (dicit Beda cap. 55. in 12. cap. Luc.) *eſt ſermo Dei, contrarius noſtris carnalibus deſiderijs, à quo liberatur qui præceptis eius humiliter ſubditur.* Qui verò contemnit conſcientiam remordentem, aut ſermonem Dei qui ſuperflua vult pauperibus erogari, ille exactori, id eſt diabolo, tradetur, qui pœnam exiget à mundanis & vanis, pro reatu quem ſuggeſſit. Ecce dum ſatisfacimus diabolo ſuggerenti mala, vt mundi vanitates & pompas, & carni delicias exigenti obligamur, non liberamur à debitis: qui enim ſuggeſſit culpam, æternam exiget pœnam. Vene. Beda.

124. Ab his iniquiſſimis exactoribus liber eſt Religioſus & pauper Chriſti: is enim non contemnit modò, ſed nec audit quidem impium exactorem ſuggerentem culpabilem vanitatem, pro qua poſteà exiget æternam pœnam. *Cui dedi in ſolitudine domum* (dicit Spiritus ſanctus) *& tabernacula eius in terra ſalſuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, & clamorem exactoris non audit.* Quæ hìc ad litteram de onagro dicuntur, non ineptè accommodantur ad Religioſorum ſtatum: libet proinde huius ſententiæ expoſitioni parum inhærere. Iob 39. 6.7.

125. Deus igitur onagro in ſolitudine domum dat, dum ſancti Euangelij pauperes à carnalibus deſiderijs remoti & abſtracti viuunt, & eius colloquio in ſecreto mentis perfruuntur. *Ducam eam in ſolitudine* (dicit per Prophetam) *& loquar ad cor eius.* Præterea ponit tabernacula eorum in terra ſalſuginis, vt ſemper ſitiant cum Dauide, qui dixit: *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.* Solent bibaces inter compotandum (vt potus ſapiat) ſalſa aliqua & ſitim irritantia comedere, vt ſemper bibant, & nihilominùs continuò ſitiant. Eodem modo qui à Deo vocati ſunt ad ſtatum Euangelicæ & religioſæ paupertatis, tabernacula ſalſuginis inhabitare videntur, quia omnia eorum exercitia ad hoc ordinantur, vt inceſſanter accendi poſſint igne diuini amoris, quo mediante quantò magis Deum guſtant, tantò ardentiùs deſiderant, & quò magis bibunt, eò vehementiùs ſitiunt, ſecundùm illud: *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Oſee 2, 14. Pſalm. 41,3. Simile. Eccli. 24,29.

126. Addit Iob, quod ſpiritali onagro, id eſt pauperi Religioſo optimè conuenit: *Contemnit multitudinem ciuitatis.* Conſortia ſcilicet malorum, qui multi ſunt, nam *ſtultorum infinitus eſt numerus.* Facilè enim quis inter eos, qui moribus & vita ſtulteſcunt, amittit ſapientiam, *Quotieſcumque hominum conſortio interfui* (dicit Seneca) *minùs homo redij.* Benè igitur iuſti talium conſortia fugiunt, ſecuti conſilium Prophetæ dicentis: *Relinquite ciuitates, & habitate in petra.* Separationem illam etiam ſuadet Paulus, dicens: *Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis; & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias.* Eccli. 1, 15. Seneca. Ierem. 48,28. 2.Cor. 6,17. 18.

127. Qui Deo vocante ita ſe ſeparant, ſuggeſtiones iniquiſſimi exactoris inuitantis ad luxum & pompam veſtimentorum, & alias mundi vanitates, quibus Chriſti patrimonium, quod pauperibus debetur, diſſipatur & conſumitur, non exaudiunt, imò nec audiunt quidem. Clamorem exactoris non audient, id eſt tentatio-

tam hoſtiles latronum incurſus, quàm importunas Regum & Principum exactiones, imò etiam à gemitibus & egenorum mendicationibus exempti & immunes ſunt. Vt enim nudus à nudo non tegitur, ita nec pauper à paupere reficitur; ſed opportunè ad
Prou. 22,2. vtriuſque vtilitatem *diues & pauper obuiauerunt ſibi; & vtriuſque operator eſt Dominus.* Duo igitur pauperes non ſunt ſibi mutuò moleſti, quandoquidem vnus ab altero non poteſt iuuari.

131. Verùm diuites non tantùm periculis furum & latronum expoſiti, nec ſolùm exactionibus Regum & Principum ſubiecti ſunt, ſed & pauperum poſtulationes audire, imò exaudire, iiſque ſatisfacere coguntur: qui prætereà inter ſe propter bona temporalia ſæpè litigant. De Abrahamo & Lot cognato ſuo dicit Scriptura,
Gen. 13,6. quòd erant diuites valdè, *nec poterat eos capere terra vt habitarent ſimul: erat quippe ſubſtantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.*
ỽ.7. *Vnde facta eſt rixa inter paſtores gregum Abraham & Lot.* Benè notauit hîc
Ambr. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 3. *Sæculare vitium eſt, vt diuites terra non capiat. Quantò ditior quis fuerit, tantò auidior ad poſſidendum eſt: extendere agri terminos cupit, & vicinum excludere.*
Chryſoſtom. Chryſoſtomus Homilia 3. ſeminarium omnium diſcordiarum ex diuitijs oriri aſſerit. *Aucta ſunt armenta,* inquit, *& multiplicati greges, affluxerunt diuitiæ multæ, & ſtatim diſcinditur concordia. Anteà pax erat & charitatis vinculum, nunc rixa & contentio: vbi enim meum & tuum, illic omne litium genus.* Verè dicit, *omne litium genus*: nam experientia docet, non rarò lites diffamatorias & iniurioſas excitari occaſione controuerſiarum, in quibus contendebatur de terris & poſſeſſionibus defendendis aut amplian-dis. Vnde præclarè Thyeſtes apud Senecam: *Bene paupertas humili tecto contecta latet: quatiunt alta ſæpè procella, aut euertit fortuna domos.*

132. Exiſtimauit Paulus, moraliter eſſe impoſſibile, vt litigantes in tribunalibus, & contendentes de rebus terrenis, non excedant limites; & dum prætendunt poſſeſſiones & pecunias, maledicentia non tangant honorem & perſonam partis contra quam agunt.
Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, inquit, *quòd iudicia habetis inter vos.* Nemo viens iure ſuo peccat: & 1. Cor. 6,7.
licitum eſt in foro contentioſo ſua ſubinde repetere, alioquin illicitum eſſet iudices conſtituere, qui huiuſmodi præſint & proſint contentioſis negotijs, finem illis imponendo, & omnibus ius dicendo, cùm præceptum ſit (quod notauit S. Thomas lect. 2. in S.Tho.
cap. 6. 1. ad Cor.) Deut. 1. ỽ. 16. *Audite illos*, qui habent cauſas forenſes ſcilicet, *& quod iuſtum eſt iudicate, ſiue ciuis ille ſit, ſiue peregrinus.* Præſupponit tamen Paulus, vix aliquem tam moderatè inſtare poſſe vt ei fiat iuſtitia, quin paſſionibus iræ & rancoris ſuperetur, & incitetur ad calumnias & iniurias perſonales. Si ſalua igitur charitate & Chriſtiana amicitia quis litigaret & contenderet, tolerabile eſſet malum; nunc autem litibus & contentioſis noſtris negotijs ille ſe miſcet, qui dum homines de lana caprina altercantur, ſanguine animarum
paſcitur. Ciſtiferæ Leodienſes, ſiue Simile.
baiulæ corbium dorſuariarum (*Botreſſes* vocant) inter ſe optimè conueniunt, & amicè confabulantur; & quamuis vnius corbis aliquando impingat contra ſarcinam vel corbem alterius; non tamen ideò inter ſe amici-

tiam frangunt, aut vna alterius corpus aut perſonam lædit. Eodem modo etſi de poſſeſſionibus aut rebus terrenis ſit altercatio, tamen pace & ſaluis ſaluandis hoc fieri deberet. Nunc autem ſæpè fit, quòd, relicta cauſa reali, vaſa lutea faciant ſibi anguſtias, adeò vt ſubinde ſe mutuò detractionibus confringant potiùs, quàm id quod prætendunt obtineant. Certè inſaniret ſitiens, ſi quis conaretur frangere vaſculum quod continet vinum quo
Simile. ſitim extinguat. Huic ſimiles ſunt, qui in litigio proximum iniurijs & dicteriis lacerant, à quo aliquid per ſententiam iudicis obtinere contendunt.

133. Fortè propter has rationes admittet aliquis, magnum quidem eſſe Religioſorum & pauperum Chriſti priuilegium, qui à latronibus & raptoribus nullum damnum timent, nec Regum exactionibus vexantur, neque ſibi inuicem ſunt moleſti; ſed cùm
Actor. 20,35. *beatius eſt magis dare quàm accipere*, illi autem nihil habeant quod tribuant neceſſitatem patientibus, quinimò ab alijs debeant emendicare vnde viuant, videtur quòd diuitibus tamquam minùs beati poſtponendi ſint. Reſpondeo, in voluntarijs & Euangelicis pauperibus prædictam ſententiam exceptionem pati: ad maiorem enim beatitudinem conducit ſemel omnino expropriari, quàm ſua retinere, & de eo quod ſupereſt eleëmoſynas dare. Illud enim conſilij eſt, hoc verò præcepti. Conſilia autem Euangelica ſunt de bono potiori & perfectiori. Non aſſeruit ergo Chriſtus, omnes qui de eo quod ſupereſt dant eleëmoſynas, continuò perfectos fore, ſed mundos
Lucæ 11,40. dumtaxat. *Quod ſupereſt, date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*, inquit; adoleſcenti verò inquirenti quid vltrà faciendum ſit, dixit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Simul & Math. 19,21. ſemel, inquit, omnia da pauperibus: nihil enim habere, & viuere ex ijs quæ offeruntur liberaliter, aut quæ mendicantur humiliter, perfectionis eſt; verùm ſua retinere, & de ſuperfluis pauperes paſcere, neceſſitatis. Itaque etſi melior ſit conditio poſſidentis in cauſis & controuerſijs forenſibus, tamen conditio Religioſi & pauperis Chriſti nihil omnino habentis & melior & ſecurior eſt.

134. Inſtituit Chriſtus ſtatum Euangelicæ paupertatis, ad quem neminem cogit præcepto, omnes autem inuitat conſilio: de quo loquens ſanctus Franciſcus cap. 6. Regulæ ait: *Hæc* Regula S. Franciſci. *eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos heredes & Reges regni cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit.* Nota, quòd poſſeſſores altiſſimæ paupertatis, occaſione illius fortiùs contendant pro virtutibus acquirendis quæ animam ornent, quàm alij qui ſua retinent, & ex ſuperfluis Chriſtum in pauperibus paſcunt & ſuſtentant. Lycurgus condidit legem, Lycurgus. ne cum filiabus in matrimonio collocandis aliqua dos ſponſo detur. Rogatus cauſam, dixit, quòd non erat æquum, vt filiæ nihil habentes manerent innuptæ. Addens autem præcipuam rationem huius decreti, ait: Ideò indotatæ nuptui tradendæ ſunt, vt magna ſollicitudine ſtudeant ſe modeſtia, morum grauitate, & virtutum ornamentis decorare, vt ita deſiderentur & eligantur propter intrinſecam ſuam perfectionem & elegantiam, non propter aurum & argentum & diuitias, quæ etiam equis & mulis adijci poſſent. Diuites qui ſponſum Simile. ſuum in ſuis membris diuitijs ſuis

quaſi

Digitized by Google

quaſi dote quadam reficiunt, ſe poſſunt ſua liberalitate inſinuare in gratiam ſui ſponſi; Religioſi autem & pauperes Chriſti, cùm nihil habeant quod pro dote offerant, ſolliciti eſſe debēt vt ſanctitate & virtutibus compenſent, quod hac in parte illis deeſt. Hac conſideratione multæ virgines ſeipſas ad chariſmata meliora efficaciter ſtimulant. Cùm enim nihil habeant quod pauperibus Chriſti amore tribuant, nec recordantur aut magnifaciunt quòd ſemel amore illius omnia reliquerint, cogitant ſe meritò à cæleſti ſponſa delerendas eſſe, niſi virtutum ornamentis & ſplendore perfectionis eidem placere ſtudeant.

135. Religioſus nihil habens quo peccata ſua redimat, & cælum emat (redimuntur enim peccata, & emitur cælum eleëmoſynis pauperum, ſecundùm illud Danielis: *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum*) regnum cęlorum violenter rapiunt, & aperto Marte, ac proinde glorioſè illud inuadunt. Verùm *ſubſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius*, dicit Sapiens. Cæleſtem Ieruſalem ingreditur diues, inquit Ambroſius in Pſalm. 118. bona ſua liberaliter diſtribuens, etſi parum rigoris aut incommodi pro eo patiatur. Pro quo nota, quòd duobus modis vrbs aliqua capi poſſit. Primò muneribus, corruptis videlicet ijs, ſine quorum patrocinio & aſſenſu nemini paret ingreſſus. Probè hoc nouit vnus ex bellicoſis Monarchis, quos celebrat antiquitas, qui nullam ciuitatem inuincibilem eſſe aſſerebat, ad quam pateret aſino auro & argento onuſto ingreſſus. Hoc modo vtuntur diuites & viri miſericordiarum, vt in cælum intromittantur, quem conſuluit illis Chriſtus dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Alio autem modo capitur ciuitas, vi ſcilicet armorum, violenta & armata manu irruptione facta. Et hic quidem moleſtior, ſed tamen glorioſior eſt. Hoc modo pauperes Religioſi rerum potiuntur in cæleſti Ieruſalem, qui quòd neminem donis aut muneribus in ſuam ſententiam trahere potuerint, bellicis ſunt vſi tormentis, & poſt Ioannem Baptiſtam indicant, quòd *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; ieiunijs nimirum, vigilijs, & alijs auſteritatibus, ac ſpiritu vehementi facta carnis mortificantes, ingreſſi ſunt.

Dan. 4,21. Prouer. 10,15. Ambr. Simile. Lucæ 16,9. Matth. 11,12.

136. Magnificè ſatisfaciunt Chriſti pauperes iuſtitiæ Dei, qui cùm non habeant in ære (vt dici ſolet) ſoluunt in pelle. Diuitibus verò eleëmoſynis pauperum peccata ſua redimentibus, dici poſſe videtur illud Pauli: *Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes*: & quodammodò vili pretio cælum conſecuti ſunt. Quid enim ſunt omnia terrena, ſi cæleſtibus comparentur? Vnde idem Paulus dicebat: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* Igitur *pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*, qui in illam cæleſtem Ieruſalem admiſſi ſunt per eos quos ſibi amicos fecerunt de mammona iniquitatis. Religioſi verò pauperes Chriſti ſi non adæquato titulo (*nam non ſunt condignæ paſſiones huius temporis*, &c.) tamen iuſtiori & honeſtiori illud accipiunt. Non ergo obeſt quòd omnibus bonis nudati ſint, ſed prodeſt illis, vt quietiùs, liberi ab omni exactione, Deo ſeruiant, & diligentiùs pro virtutum ornamentis laborent, ac tandem fortiùs pro

Hebr. 12,4. 1.Cor. 9,11. Pſalm. 105,24. Rom. 8,18.

cælo pugnantes, glorioſiùs illud rapiant, &c. Amen.

DISCVRSVS XI.

Voluntarij pauperes, & Euangelici mendicantes, de Dei prouidentia ſecuri, ac paruis & paucis contenti, hilares efficiunt datores, quibus amicè congaudent.

137. PERMISIT quidē Deus vt eſſent pauperes inter Iſraëlitas, inhibuit autem ne ſint mendicantes. Deut. 15,4. *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos*, dicit lex. Explicat Caiet. hanc ſententiam Caietanus, non vt habeat vim præcepti, ſed vt ſonet affluentię omnium terrenorum promiſſionem & benedictionem. ac ſi diceret: Tantam curam veſtri geram, quòd à maximo vſque ad minimum abundanter omnibus erit prouiſum. Sed hunc ſenſum Caietani non admittunt ℣.11. verba ſequentia, quibus ait: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcircò ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno*. Certum eſt igitur, prædicta verba continere rationem præcepti, quo tenebantur Iudæi ſuis Fratribus prouidere de neceſſarijs Hugo Cardin. ad vitam. Vnde Hugo Cardinalis vim faciens in illo verbo *omnino*, putat eis ſtrictè præcipi, ne patiantur aliquem extrema paupertate laborare, & ita arctari penuria cibi aut veſtimenti, vt præ inedia moriatur: talem enim putat omnino egenum vocari debere. Nota igitur, his verbis non promitti, nullum pauperem futurum eſſe inter Iudæos, nec etiam præcipi diuitibus, vt ita omnibus prouideant vt nullus ſit qui aliqua re indigeat, alioquin omnes diuites huius temporis, quos ligat illud præceptum, cùm non ſit cærimoniale, ſed morale, eſſent tranſgreſſores illius; ſed, vt benè notauit Lyranus noſter, Lyran. præceptum eſt Iudæis, ne permittant vt pauperes cogantur publicè & oſtiatim mendicare, ſed vltrò eis prouideant, antequam ad talem neceſſitatem redigantur.

138. Diſpenſauit Chriſtus Dominus, qui per Prophetam dixit de ſeipſo, *Ego autem mendicus ſum & pauper*, Pſalm. 39,18. in hoc præcepto, qui ſicut pro magno diuitum bono permiſit, imò Matth. 26. promiſit, quòd ſemper pauperes ſecum eſſent habituri; Ioan. 12. ita etiam ipſo ordinante, & Vicario illius Pontifice Romano euangelicæ paupertatis ſtatum approbante, factum eſt, vt aliqui non ſolùm voluntarij pauperes, ſed etiam mendicantes eſſent in Eccleſia, quibus cùm vellent diuites benefacere, poſſent: quique illam vitæ rationem Deo vouerent, vt oblata teneantur recuſare, quibus eis ita prouiſum eſſet, vt ſine mendicatione (quam Franciſcus recurſum ad menſam Domini appellauit) poſſent viuere. Hos pauperes dicebat idem Franciſcus vltimis his diebus à Deo huic mundo miſericorditer commodatos eſſe, vt nimirum diuites cum illis amicitiam contrahant, à quibus poſt hanc vitam in æterna tabernacula recipiantur.

139. Reſpiciebat Xenocrates omnes, etiam plebeios pauperes, vt amicos ſuos. Cui Alexander magnus quodam die miſerat quinquaginta talenta, quæ ille recuſauit, dicens, ſe ijs non indigere. Ad quem Alexander: Non eſt tibi amicus aliquis qui ijs indigeat? Reſpondit: Omnes diuitiæ Darij non ſufficerent, vt omnibus amicis meis prouideam; & tu tam paucos habes amicos, vt quinquaginta talenta diſtribuere non poſſis? Quibus verbis ſignificabat, ſe omnes egenos & paupe-

res

Digitized by Google

res tamquam amicos reſpicere. Meritò igitur Chriſtiani eos vt tales amare debent, ſpecialiter autem Euangelicos & voluntarios pauperes: illorum enim maior eſt auctoritas recipiendi eos in æterna tabernacula, qui dum viuerent per diſtributionem eleëmoſynarum, eorum patrocinium & amicitiam ſibi obſtrinxerunt. Nō enim omnibus pauperibus, ſed voluntarijs & Euangelicis promiſſa eſt aſſeſſoria & iudi-
Matth. 19,28. ciaria poteſtas cum Chriſto. *Sedebitis & vos*, inquit, *ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

140. Quàm magni ſint huiuſmodi pauperes apud Deum in cælis, patet ex mirabili cura & ſollicitudine, quam de illis gerit in terris, cuius cùm diſtinctam notitiam haberet S. Franciſcus, dicere ſolebat ſuis ad prædicandum miſſis:
Pſalm. 54,23. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Sunt verba Dauidis, quibus ſeipſum allocutus eſt, vt in Deo ponat ſpem ſuam: qui pro hac fiducia expertus eſt eiuſdem circa ſe continuam etiam in rebus deſperatis & ſpecialem prouidentiam. Vnde etiam in locis deſertis cum viris ſuis vixit longo tempore, vt patet 1. Regum 10. Anxia ſui cura eſt vermis continuè rodens & conſumens hominem; in Deum verò proiecta ſollicitudo, eſt ſemen ex quo ei omnia neceſſaria pullulant.

141. Nota, omnes debent ſollicitudinem moderari: offenditur enim Deus ab eo qui nimis eſt ſui ſollicitus.
Auguſt. *Qui habuit tui curam antequam eſſes* (dicit Auguſtinus in Pſalm. 39. ℣. 18.) *quomodo non habebit curam cùm iam hoc es quod voluit vt eſſes? Iam enim fidelis es, iam ambulas in via iuſtitiæ.* Deus autem vti eſt creator, ita eſt creaturarum conſeruator & prouiſor, maximè autem fidelium & iuſtorum. vnde idem Auguſtinus lib. 3. Confeſſ. cap. 11. *O tu*, inquit, *omnipotens, qui ſic curas vnumquemque noſtrum, tamquam ſolum cures, & ſic omnes tamquam ſingulos.* Conſonat hæc Auguſtini ſententia dictis Sapientis, qui ait:
Non eſt alius Deus quàm tu, cui cura Sap.12,
eſt de omnibus. Verùm, vt dicit Hiero 13.
nymus in cap. 6. Matth. *à cura non* Hieron.
penitus liberamur, ſed præcipitur ne ſolliciti ſimus. Cùm enim Chriſtus dixit, *Nolite ſolliciti eſſe dicentes, Quid* Matth.
manducabimus, &c. non verat mo- 6,31.
deratum ſtudium & ordinatam diligentiam, vt volunt ſtolidi Anabaptiſtæ, qui deſides à Deo ſolo ſibi omnia in os ingerenda putant, ſed prohibet ſollicitudinem, quę mentem diſtrahat, diſcruciet, & quodammodò diſſecet.

142. Cùm autem ſpecialem curam gerat eorum qui ſunt Euangelicæ paupertatis amatores & profeſſores, illi præ ceteris, ſepoſita omni inordinata ſollicitudine, cogitare debent quæ Domini ſunt, quomodo placeant Deo, omnem cogitatum iactantes in eum:
de quo etſi Sapiens dicat, *quoniam ma-* Sap.6,
gnum & paruum ipſe fecit, æqualiter- 8.
que curam gerit de omnibus, tamen illorum habet ſpecialem prouidentiam, qui magis confidunt, & ſe fiducialiùs ei committunt. Quòd enim dicitur *æqualiter*, non ſignificat quòd tam magnam curam habeat vnius formicæ v. g. quàm habuit B. Virginis Mariæ. Verum eſt, ſi actus prouidentiæ diuinæ accipiatur prout eſt in mente diuina, ſic non eſt ibi aliqua diſtinctio; ſi verò accipiatur pro effectu exteriori, magna admittenda eſt, quamuis in omnibus ſit quædam æqualitas proportionis, qua vnicuique rei prouidet ſecundùm exigētiam naturæ & dignitatem ſuæ conditionis. Hoc igitur modo eſt Deo æqualis cura de omnibus.

143. Quòd

Digitized by Google

143. Quòd verò Sancti qui habent firmiorem fiduciam de Dei prouidentia, ſuauiùs, imò aliquando mirabiliùs ab eo curentur, multa exempla probant. S. Ioannes Silentiarius, Alamundano tyranno inuadente monaſterium, noluit fugere, ſed magna ſpe ſe Deo reſignans, *Si Deus*, inquit, *mei curam non gerit, cur viuo ?* dixit hoc ex ſpeciali inſtinctu Dei, ſine quo nemo ſe debet cõmittere diſcrimini, quando ei patet euadendi locus. Placuit autem Deo hæc fiducia, vt rei probauit euentus. Nam miſit leonem horribilem, qui Ioannem cuſtodiret, vt ſcribit Cyrillus in Vita eius. S. Saba ingreſſus ſpeluncam, ibique reperiens leonem cum catulis, fidenter dixit illi: *Si vis, mane mecum; eſt enim ſufficiens locus vtrique: ſin autem, egredere; te enim mihi locum cedere decet, non me tibi.*

Hiſtoria.

Cyrill.

Exemplum.

144. Maximè autem claret Dei prouidentia circa pauperes Chriſti, quibus etiam miris modis prouidet vitæ neceſſaria. Vnde Chryſoſtomus ſuper Matthæum monet: *Qui credit ſe iudicio Dei gubernari, eſcam ſuam in manu Dei committat.* Scribit etiam S. Clemens initio Recognitionum, dogma fuiſſe S. Petri, à quo fideles inſtituti, omnia ſua Deo committebant, quod ipſe teſtatur his verbis: *Nos Chriſtiani de nulla re vel euentu ſolliciti ſumus, ſed in Dei prouidentia planè conquieſcimus.* Ægerrimè fert Deus, ſi illi, quibus inſpirauit miſericorditer ſpiritum Euangelicę paupertatis, defecerint in fiducia quã debent habere de prouidentia ſua: compertum eſt enim aliquando, quòd monaſteriis S. Franciſci minùs prouiſum fuerit, eò quòd Præfecti, minùs quàm decebat in Deum confidentes, nimis ſolliciti erant. vnde experti ſunt ſubinde Religioſi circa filios S. Franciſci maximè verificari illud Sapientis: *Expectatio ſollicitorum peribit.* Prou. 11, 7.

Chryſoſt.

S. Clemens.

145. Longum eſſet miracula referre, quibus Deus oſtendit, quòd ei relictus ſit pauper Euangelicus. Vnũ ex Marco de Liſbona p. 2. l. 1. c. 46. hîc adducam de quodam Luſitano valdè auaro, & in pauperes inhumano, cui Fratres Minores ſpecialiter exoſi erãt. Qui cùm quodam tempore eſſent in magna neceſſitate, Deus, qui Eliam per voracem coruum, & S. Rochum per canem famelicum pauit; miro modo tenaci viro Fratrum neceſſitatem manifeſtauit, & durum cor illius emolliuit. Surgens enim quadam nocte è lecto, & proſpiciens per feneſtram, vidit in tecto templi, dum Fratres nocturnis precibus inſtarent, vigintinouem accenſos cereos bono ordine & æquali diſtantia diſpoſitos. Retulit totus ſtupefactus viſionem vxori, quæ Fratribus multùm erat deuota: qua teſtimonium perhibente de eorum pietate, ſenſit vir durus affectum ſuum erga eos, quos exoſos habere ſolebat, moueri in melius. Acquieſcens igitur deuotæ vxoris petitioni, valdè manè acceſſit ad monaſterium, acciuit Guardianum, inquiſiuit de numero Religioſorum, quem reperit cereis ſibi in nocturna viſione diuinitus oſtenſis conformem: vnde ita mutatus eſt in alium virum, vt facta relatione prædictæ viſionis, prouideret non ſolùm pro illo die pauperum Chriſti neceſſitati, ſed prætereà deinceps valdè miſericors fuerit in omnes egenos, & ſpecialiter liberalis in pauperes S. Franciſci filios, apud quos, vt ſingularis benefactor, poſt mortem obtinuit locum ſepulturæ.

Marcus de Liſbona.

146. Deus igitur, *qui conſolatur humiles*, mirabiliter recreat Euangelicos pauperes, qui ferè ſingulis diebus ſua- 2. Cor. 7, 6.

uem

uem illius prouidentiam circa ſe ſentiunt. Quemadmodum paruuli & lactentes, qui totaliter pendent à matrum ſuarum cura & ſollicitudine, ſemper ferè inter brachia & ad vbera portantur; ita voluntarij pauperes benigniſſimè à Deo curantur, adeò vt de illis intelligi poſſit quod ait Dauid: *Paraſti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Vt enim mater grandiuſculis filijs cibum quidem parat, ſed paruulum lactentem paſcit lacte quod ex propria ſubſtantia natura operante ei præparatum eſt; ita Deus Euāgelicis pauperibus modo ſingulari, quodammodò ex propria ſua dulcedine ſuſtentat.

Simile. Pſalm. 67,11. Simile.

147. Nec ſufficit quòd illos modo aliquo occulto dulciùs quàm ceteros omnes paſcat, ſed prætereà ordinauit, vt multi alij curam illorum gerant, qui eos & liberaliter alant, & tenerrimè ament. Si infantulus vteretur ratione, magis eſſet conſolatus ex matris affectu quo ipſa incitatur ad ſollicitam curam illius gerendam, quàm de expenſis quas facit. Eodem modo, pauperes Euangelici ſummam conſolationem meritò accipiunt, conſiderantes miram omnium erga ſe beneuolentiã & promptitudinem, qua Deo mouente illorum neceſſitati ſubueniunt. Cùm enim non moueant miſericordes benefactores per auctoritatem quæ illos perterreat (pauca enim ipſi parui & abiecti, & parua quæ eis ſufficiunt humiliter mendicant) omnes ita relinquunt in ſua libertate, vt niſi libenter velint dare, ſine vllo reſpectu liberrimè audeant negare quod petitur. Itaque omnes qui ſuis eleëmoſynis eos paſcunt, ſunt de numero illorum eleëmoſynariorum, quos deſiderat Paulus cùm ait: *Non ex triſtitia* (tribuant ſcilicet) *aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Quiſque det ſpontè quòd vult, inquit, non ex neceſſitate ſcilicet pudori aut famæ ſuæ conſulendi, nec motus aut coactus auctoritate petentis.

2. Cor. 9,7.

148. Qui magna petunt, & auctoritate terrent, ſæpè efficiunt triſtes & inuoluntarios datores, qui, vt dicit Auguſtinus in Pſalm. 42. & donum & meritum perdunt. Vnde etiam id quòd offertur, parum conſolationis aut gaudij adferre debet ipſis petentibus. Qui verò paruis & paucis contenti ſunt, illi lætificantur non tam dono quàm donantis prompto animo, & placido vultu. Monet Sapiens, vt is qui aliquid tribuit, cum hilaritate id faciat. *In omni dato*, inquit, *hilarem fac vultum tuum*, vt ita is qui accipit non tantùm reficiatur, ſed etiam delectetur. Qui magna dat, non quia charitas, ſed quia petentis auctoritas vrget, ille vix internam tergiuerſationem per externam ſimulatam hilaritatem diſſimulare poteſt. Qui verò pauperi mendicanti exigua elargitur, gaudet quòd paruis ſumptibus Chriſti pauperem conſolari & hilarem reddere poſſit, qui proinde hoc aduertens, ex minimo quolibet dono non rara nec minima perfunditur conſolatione. Vt enim paruuli frequenter gaudio affici poſſunt, quia non minùs exultant, ſi eis nux, ceraſus aut pomum detur, quàm ſi diues aliquis à Rege honoraretur magno auri vel argenti pondere; eodem modo humiles Euangelici pauperes, cum maiori lætitia & gratiarum actione accipiunt ſingulis diebus panem oſtiatim mendicatum, quàm alij ingentem pecuniarum quantitatem. Hi enim percipiunt ſubinde paruo & anguſtiato corde magna illa dari, iſti verò hilari datori congaudent, quia clarè cognoſcunt quòd ſine vlla ſimulatione viſcera miſericordiæ aperiant,

Auguſt. Eccli. 35,11. Simile.

riat, & vera charitas cor eius dilatet.

149. In extorſionibus magnarum rerum quæ fieri ſolent ab ijs qui au-ctoritate ſpectabiles ſunt, non eſt ve-
Pſalm. 48,3. rum dicere, quòd *ſimul in vnum diues & pauper:* vnus enim inſtat vt magna recipiat, alter verò (ſi ſaluo honore poſſet) mallet ſua retinere. Non igitur
Ioan. 4.37. ſimul conſentiunt, *in hoc enim eſt verbum verum, quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit.* Nam etſi fortè is qui accipit aſſequatur aliqualem ſatisfactionem, tamen qui tribuit coactus vt conſulat pudori vel honori, nullo modo lætus, ſed omnino triſtis dedit. Verùm Euangelicus pauper, qui paucis & paruis gaudet, hilarem etiam efficit datorem, & optimè inter
℣.36. ſe conſentiunt, adeò *vt & qui ſeminat, ſimul gaudeat & qui metit.* Qui autem tali occaſione tam charitatiuè conueniunt in hoc mundo, poſt hanc vitam ſimul gaudebunt in cælo, &c. Amen.

DISCVRSVS XII.

Auari non ſatiantur, ſed ſuffocantur in diuitijs, qui tamquam idololatræ Deo exoſi & ſibi graues ſunt. Beati autem quos amor Dei pauperes rebus fecit.

150. EST notabile dictum,
Vegetius. quo Vegetius li.4. c.7. militibus modeſtiam & temperantiam conatus eſt perſuadere. *Numquam periclitati ſunt fame,* inquit, *qui frugalitatem in copia ſeruarunt.* Beatus diues, qui ſaltem eatenus amat paupertatem ſpiritus, vt nolit abuti diuitijs ad ſumptus ſuperfluos: præſertim ſi ideò frugaliter viuat, vt habeat quòd pauperibus elargiri poſſit. Non enim famelicis futuræ vitæ annumerandus eſt, de quibus dixit Dauid: *Famem patientur* Pſalm.
vt canes, & circuibunt ciuitatem. 58,7. & 15.

151. Nota, quòd aliqui vilitatem potiùs in copia ſeruare dicendi ſint quàm frugalitatem: illi nimirum, qui parcè viuunt vt diuitias accumulent, hi verò periclitantur quòd poſt hanc vitam fame cruciabuntur, & quòd malè morientur. Multi ex noſtratibus Simile.
moriuntur in Italia & in alijs regionibus, quia fructuum ſuauitas eos ad nimiam ingurgitationem allicit; occidit enim eos inordinatus vuarum, limoniorum, & refrigerantium melonum appetitus. Eodem modo auari, quibus diuitiæ (quæ ſunt frigidum charitatis venenum) non neceſſariæ ad vitæ ſuſtentationem nimis ſapiunt, in periculo damnationis verſantur. Eſt *alia in-* Eccle.
firmitas peſſima, quam vidi ſub ſole, di- 5.12.
cit Sapiens, *diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui.*

152. Benè dicit, quòd in malum domini accumulentur & ſtudioſè conſeruentur diuitiæ, quia homo per eas excæcatur, ne ſcilicet cognoſcat animæ ſuæ periculum. Cognouit hoc famoſus Doctor ſacræ Theologiæ Ro- Exem-
dolphus, cui ſecundò in ſomnis diabo- plum.
lus apparuit, qui conabatur infricatione fimi oculos ſuos excæcare. ſequenti die prælegenti publicè in ſcholis in Vniuerſitate Pariſienſi, traditæ ſunt litteræ, quibus eum obnixè rogabat Epiſcopus quidam, vt ſibi cohabitaret, promittens ei pinguem prouiſionem & multos annuos cenſus. Qui hac occaſione memor nocturnæ viſionis, cogitabat illam ſibi diuina diſpenſatione oſtenſam fuiſſe, vt intelligeret, oblatas diuitias ſtercora eſſe quæ excæcant oculos ſapientium. Vt ergo à tanto periculo liberaretur, oblata non ſolùm recuſauit, ſed etiam omnibus quæ poſſidebat iuxta Chriſti conſilium,

Digitized by Google

ſilium renuntiauit; & in Ordine ſancti Franciſci Deo fideliter ſeruiens, in eo ſanctè mortuus eſt. Refert hoc Marcus de Liſbona in Chronica p. 2. lib. 1. cap 13.

Marcus de Liſbona.

153. Ceterùm diuitiæ, quæ excæcant, maximè nocent ijs qui inordinato illarum deſiderio tenentur. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt*, &c. *in deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*. Nota, incidit auarus in deſideria in quibus ſuffocatur. Qui vehementer ſitit, ei cum moderamine propinatur potus ab illo, qui pro ſanitate eius conſeruanda ſollicitus eſt. Potus enim à ſitibundo immoderatè ſumptus, non tam ſitim quàm vitam extinguit. Maximè autem hoc verum eſt in ſiti diuitiarum: nam deſideria mala & inutilia & nociua mergunt homines ad interitum. Si auarus ſemper aſſequatur quod inordinatè concupiſcit, ſignum eſſe videtur iræ Dei, qui permittit vt pro libitu ſuo bibat, vnd eſanitatem & tandem animæ vitam amittat.

1. Tim. 6, 9.

Simile.

154. Narrrat Ludouicus Guicciardinus in Horis fol. 27. rem miram, quæ nobis occaſionem præbet edocendi, quòd auarus inſtar ſitibundi facilè ſe conijciat in multa diſcrimina & perplexos euentus. Quidam (inquit) vir doctus, vxoris ſuæ pertæſus, quæ de inhoneſta & adulterina conuerſatione non minùs apud omnes infamis, quàm ille propter eruditionem & modeſtiam vitæ clarus & famoſus erat, duro quidem, ſed aſtuto excogitato medio ſe expediuit de illa. Curauit mulam domeſticam, qua vxor, dum aliquò proficiſcendum erat, vtebatur, tribus diebus recludi abſque omni potu. Die quarta finxit ſe teneri deſiderio capiendi auram, & exſpatiandi per campos. Mandauit autem vxori vt mulam conſcendat, & data opera cum magno comitatu inſtituit iter prope famoſum flumen Franciæ, cui nomen Rhodanus, à Francis *Rhoſne* vocatur. Mula igitur ſitis impatiens, ſtatim vt appropinquauerat rapidiſſimo flumini, ſe præcipitauit cum domina ſua in illud, adeò vt propter profundam illius impetuoſitatem, impoſſibile eſſet adulteram feminam liberari, imò mulam ipſam ſaluari difficilè fuerit. In hunc modum Deus iratus cõtra adulteras animas diuitiarum amantes, permittit vt earumdem affluentia abſorbeantur.

Guicciardin.

155. Patitur enim Deus multas animas adulteras, verùm inter illas maximè exoſæ ſunt, quæ relicto Deo vero propter cupiditatem rerum temporalium idololatræ fiunt, adorantes mammona. Eſt autem ſententia S. Pauli, quòd auaritia ſit *idolorum ſeruitus*. ſuper quæ verba Ambroſius: *Vt auaritiam rem periculoſam eſſe doceret, idololatriam hanc nuncupat, qua nullum peccatum maius eſt*. ¡Inquirunt docti, cur auaritia præ alijs vitijs dicatur idolorum ſeruitus. Sciendum autem, quòd non ſit idolorum ſeruitus propriè (inquit Lyranus noſter) ſed ſimilitudinariè: quia de cenſu facit auarus Deum ſuum, ipſum ceteris præponendo. Deinde omnem ſpem vitæ & victus ponunt cupidi in ſuis opibus, vnde ignorem quo animo dicant cum ceteris Chriſtianis: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. hoc enim cuique Deus eſt, à quo vitam & vitæ neceſſaria ſperat & expectat. Quòd non ignorabant gentilium Poëtæ, qui dicebant, Paulo teſte: *In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus*. Præterea ſicut idololatræ colunt imagines aureas & argenteas, ita auari

Epheſ. 5. 5.
Ambr.
Lyran.
Simile.
Matt 6.
Act. 17, 28.
Simile.

Theophylact. nummos ſuos. vnde appoſitè Theophylactus notauit inuerſionem Pauli, quam is fecit, comparans idololatriam auari cum ea quam faciebant veri idololatræ. Pſalm. 113,4. *Quod*, inquit, *Dauid dixit ſimulacra gentium argentum & aurum, hoc magna ſapientia inuertit Paulus, dicens: Argentum & aurum ſunt ſimulacra & idola auarorum.*

156. Verùm occurrit alia ratio, ex qua patet quòd diuitiæ ſint auarorum Deus. Pro quo nota, quòd Deus non ſic mentem hominis expleat, vt is eumdem ampliùs non concupiſcat. Eccli. 24,29. vnde dicitur: *Qui edunt me, adhuc eſurient*, &c. Nec huic veritati contrarius eſt Dauid, quando ait: Pſalm. 16,15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* ſignificat enim his verbis, non ſolùm conſummatam ſatietatem in facto eſſe, ſed etiam continuum deſiderium & delectationem in fieri; ideò eſt vſus verbo Simile. futuri temporis *ſatiabor*. Quemadmodum igitur mens humana in omnem æternitatem ſic fruetur Deo, vt 1. Pet. 1,12. tamen eum, *in quem deſiderant Angeli proſpicere*, quemque ſponſa deſcribẽs ait, Cant 5, 10. & 16. quòd ſit *totus deſiderabilis, electus ex millibus*, numquam deſiſtent concupiſcere; eodem modo auaritia inexplebilis eſt. Cùm enim ceteræ cupiditates ſaltem ad tempus conquieſcant, hæc numquam dicit Sufficit. Cupiditas gulæ ſatiatur cibo & potu: quinimò ſi guloſus ſe nimis onerauit, euomet aliquando, ne exceſſus obſit ſtomacho & ſanitati: auaro autem tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. Et quamuis conſcientia ei dictet, nimiam accumulationem ſaluti non parum obeſſe, tenaciſſimè tamen omnia apud ſe reſeruat, nec priùs euomet quàm moriatur, & cum Iuda Act. 1. auaro crepet medius, quando, velit nolit, diffundet cum viſceribus etiam diuitias ſuas. Sicut igitur gula, ita etiam luxuria fornicatione ſatiatur & abit in nauſeam, auaritia & amore nummi cum ipſa pecunia ſemper creſcente. Pecunia igitur auarorum Deus dici poteſt, quæ etſi poſſideatur, tamen etiam deſideratur.

157 Præterea mens eius qui Deo Simile. fruitur, ita abſorbetur, vt nil aliud cogitari aut contemplari libeat, aut ſi circa alia occupetur, nõ tamen à viſione Dei aut impeditur aut diſtrahitur. Vnde Chriſtus de paruulorum cuſtodibus teſtatur, dicens: *Angeli eorum in* Matth. 18,10. *cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Eodem modo auarus noctes & dies non cogitat, non ſomniat aliud, quàm de diuitijs acquirendis, & augendis pecunijs. Et ſicut ve- Simile. ri Dei cultor & amator à multis delectabilibus amore illius abſtinet, & mortificat membra ſua quæ ſunt ſuper terram, vigilijs & abſtinentijs corpus ſuum; macerans; ita auarus propter mammona iniquitatis, ſibi neceſſariũ victum & competentem veſtitum aliquando denegat. Abſorbet igitur auaritia totam hominis mentem, & ſibi vendicat cor eius, quod totum Deo debetur. Non ſic alia vitia. ebrius enim aliquando ſic mente captus eſt, vt ſi velit, non poſſit de potu cogitare. Fornicatur ſubinde, abominatur & horret, & ne cogatur cogitare, à ſe abigit eam, quam priùs ſtultè amabat, vt patet de Amnon qui Thamar ſubdolè oppreſſit, quam conſummato nefario actu exoſam habuit *odio magno nimis,* 2. Reg. 13,15. *ita vt maius eſſet odium quo oderat eam, amore quo antè dilexerat.*

158. Ex his patet, quòd auari ſint etiam adulteri, & vt tales odio habeantur à Deo, non tantùm ideò quia (vt dicit Ambroſius in Gloſſa ordinaria) Ambr. res alienas ſibi vſurpant, cùm quòd paupe-

Digitized by Google

pauperibus debetur, apud ſe retinent, ſicut adulter alienam vxorem; ſed ideò maximè, quòd cor & mens, quæ Deo vero debentur, ita mammonæ proſtituant, vt vix ſemel de vero animarum ſponſo cogitare poſſint aut velint. Vt igitur ille, de quo ex Guicciardino mentionem feci, adulteram vxorem permiſit cum ſitibunda mula præcipitari in Rhodanum; ita Deus iratus contra adulteras animas, permittit vt incidant in deſideria quę mergunt homines in interitum. *Dimiſi eos* (inquit per Dauidem) *ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.*

Simile.

Pſalm. 80,13.

159. Facilè ex his colligi poteſt, in quàm probabili periculo perdandæ ſalutis verſentur auari, qui attendant ad verba Chriſti dicentis: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Paruulorum hæc conditio eſt, vt ita à matris vberibus dependeant, vt nihil aliud eis ſatisfacere poſſit. Si verò pauliſper excreuerint, adeò vt ad tempus fortè aliquando alteri infantili more arridere aut colludere poſſint, tamen oborta quacumque neceſſitate, omnibus derelictis ad matrem vt vnicum & ſolum aſylum ſuæ inſufficientiæ & miſeriæ confugiunt. Eodem modo neceſſarium eſt ad ſalutem vt Deum agnoſcamus tamquam ſalutis & animę noſtræ vnicum remedium, dicentes cum Dauide, *Deus refugium noſtrum & virtus.* In hoc autem auari grauiter offendunt, quòd non ponant ſpem ſuam in Deo; ſed in pecunia & theſauris. In quanto autem diſcrimine ſalutis ſuæ verſentur qui huiuſmodi ſunt, patet ex verbis Dauid. *Videbunt*, inquit, *iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum; & prævaluit in vanitate ſua.* Meritò videntes iuſti hanc cupidorum hominum effrenem inſaniam, nunc quidem timent eorum ſaluti, qui poſt hanc vitam illos amarè ridebunt & deridebunt. Præterea vident hîc punitionem eorum futuram, & inde magis timebunt Deum per concupiſcentiam oculorum offendere.

Matth. 18,3.

Simile.

Pſalm. 45,2.

Pſalm. 51,8. & 9.

160. Pro quo notandum eſt, quòd pauper Euangelicus, qui timet Deum offendere per concupiſcentiam oculorum, & zelosè eidem cupit placere per voluntariam paupertatem, ſecurè viuere poſſit & mori. Quia enim cum metu & tremore ſuam ſalutem operatur, diabolo tantò fit terribilior, quantò Deo, qui ſe ſolo contentus eſt, ſimilior. Vt enim auari vacui ſunt omni pietate, ita voluntarij pauperes multis virtutibus ornati & contra diabolum armati ſunt. Notabilis fuit illa repræſentatio, in qua oſtenſa fuit conuerſatio quędam inter Virtutem & Pecuniam. Porrò rogabat Virtus Pecuniam, quid cauſæ ſit quòd ipſa communiter adſit improbis, & inſit crumens; & peris vitioſorum, rarò autem inueniatur apud ſanctos & pios. Quia, inquit, Pecunia, tu prohibes iuſtis & ſanctis rerum terrenarum ſollicitudinem, maximè autem cohibes eos ne vel leuiter mentiantur, ſubdolè agant, aut per vſuras rem proximi ſui extorqueant. Hoc Apologo non incommodè repræſentatur nobis Sanctorum fidelitas & miſeria cupidorum hominum, in quorum plateis non deficit vſura & dolus, & ſæpè mendacium & periurium, vt quod deſiderant aſſequantur.

Apologus.

161. Quemadmodum auari in continua apprehenſione viuunt, non ignorantes quòd *homo, cùm interierit, non ſumet*

Pſalm. 48,18.

Digitized by Google

ſumet omnia, *neque deſcendet cum eo gloria eius*, qui prætereà ſentiunt aſſiduam conſcientiæ arroſionem; ita pauper Euangelicus ſperans centuplum ſibi reddendum, cuius *ſecura mens quaſi iuge conuiuium*, eò quòd ex ſincero Dei amore omnibus renuntiauerit, viuit in lætitia & conſolatione. Refertur de quodam filio prodigo, qui quòd ſua diſſipauiſſet cum quadam meretrice viuendo luxurioſè, poſteà incidit in ſummam melancholiam. Rogatus cauſam, dixit: Quia meretricem non amaui, in cuius manibus omnia mea reliqui. Eodem modo auari mundum aut diabolum non amant, etſi tyrannidem illius ferant: ideò Chriſtus dixit quòd nemo poſſit duobus dominis ſeruire, aut vnum, ſcilicet diabolum, ſuſtinebit. Nota, non amabit, ſed *ſuſtinebit*: tamen inſtar prodigi, nudati omnibus diuitijs, & vacui bonis operibus de mundo tempore mortis expellentur. Euangelici verò pauperes meritò exultant & gaudent, quia Deo omnia ſua ex mero amore reſignant. Cùm enim amicorum omnia ſint communia, quòd dilecto datur, hoc ab amante quodammodò retinetur, imò in dilecto ſecuriùs deponitur, vt ſuo tempore cũ fœnore reddatur. Gaudebat Paulus, quòd omnia amore Chriſti reliquiſſet. Rationem reddens ait: *Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem.* & alibi: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die.* Vnde canunt virgunculæ Religioſæ, iam per votum paupertatis omnino expropriatæ: *Regnum mundi, & omnem ornatum ſæculi contempſi propter amorem Domini mei Ieſu Chriſti.* quæ tandem expectant dulce illud inuitatoriũ: *Veni ſponſa Chriſti, accipe coronã*, &c. Amen.

Prou. 15,15.

Simile.

Matth. 6,24.

2. Tim. 1,12.

2. Tim. 4,8.

DISCVRSVS XIII.

Nemo eſt qui nullius egeat: certiores autem ſunt Religioſorum diuitiæ, quæ per terrenarum rerum poſſeſſionem non periclitantur.

162. GRAVE onus olim impoſitũ eſt Ioanni Euangeliſtæ. Nam videtur quòd illi demandata ſit viſitatio ſeptem Epiſcoporum, qui in aliquibus emendandi & reformandi erant. Sed quia informatio de omiſſis & commiſſis Prælatorum difficulter haberi poteſt, nec decet vt oues ſuos paſtores traducant, per Dei reuelationem innotuerunt Apoſtolo ſingulorum delicta. Vt autem illorum expreſſio fiat in debita forma, iuſſus eſt, nullo ſubditorum accuſante, aut aliquid deponente, ſed Deo dictante, illa litteris mandare. Vnde dictum eſt ei: *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe*, &c. item: *Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe.* & ſic de ceteris. Ad propoſitum noſtrum notanda ſunt illa, in quibus Epiſcopus Laodiciæ maximè reprehenſibilis erat. Inter alia multa ægerrimè tulit Deus, quòd is ſe diuitem & opulentum oſtentaret, adeò vt ſuperbè nimis diceret, *Nullius egeo.* Gratum eſt quidem Regibus terræ, quando intelligunt ſuos clientes opulentos de diuitijs ſe iactare, quantò enim magis oſtendunt ſe nullius egere, tantò liberiùs eorum opibus ærarium ſuum publicum augere conãtur. Diuitiæ enim Regum proueniunt illis de manibus ſubditorum. Verùm aliter res ſe habet apud Deum, qui quòd bonorum noſtrorum non egeat, pauperes elegit ſubditos, quibus petentibus ſua bona elargiri poſſet, quoſque ad petendum inuitat dicens: *Si quid peteri-*

Apoc. 2, 1. ℣. 8.

Apoc. 3,17.

Diſſimile.

Ioan. 16,23.

petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Magna iniuria Deum afficiunt, qui non verentur dicere, *Nullius egeo*; Rom.3,23. nam *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*. Deinde *in ipſo viuimus, mouemur,* Actor.17,28. *& ſumus*. item: *Sufficientia noſtra ex* 2.Cor.3,5. *Deo eſt*. ac proinde iniuſtè agit cum Deo, qui negat ſe oneratum inſolubili cenſu quo tenetur, in omnem æternitatem profiteri & agnoſcere, quòd ſicut ſine Deo non potuit ſubſiſtere quãdo non erat, ita ſine continua eiuſdem conſeruatione neceſſariò interiret. Meritò igitur eum qui dicebat, *Nullius egeo*, multis verbis arguit falſitatis, Apoc.3,17. dicens: *Neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cacus, & nudus?* Nullus enim eſt in cælo, multò minùs in terra qui verè dicere poſſit, *Nullius egeo*. Hoc autem certum eſt, quòd is omnino vacuus ſit bonis animi, qui putat ſe nullius egere; qui etiam Deo permittente, & ſuperbiam illius puniente, facilè premetur tandem inuoluntaria rerum terrenarum inopia, & quia prodigus grauabitur ære alieno, aut quia auarus nõ audebit vti, indigebit proprio. Fiunt enim aliquando mendaces illi ſuperbi, qui dicunt, *Nullius egeo*, bonorum ſuorum dilapidatores, aut ſordidi auari omnibus ridiculi. Ac proinde etſi eis ſuppetant bona, deeſt tamen illis benè diſpenſandi & vtẽdi gratia, quam humiliter tamquam mendici & pauperes poſtulare debent. Egent igitur gloria Dei, qua ipſe afficitur, cùm aliquid Luc.11,9.&13. ab illo poſtulatur, qui *dabit ſpiritum bonum petentibus ſe*. vnde ait Filius eius: *Petite, & dabitur vobis*.

Silua Hiſpan. 163. Refert Auctor Siluæ Hiſpanicæ p.1.c.2.§.12. de quodam Magnate Alonſo Mantiquez, qui valdè ſumptuosè viuendo ſua conſumebat, adeò vt multi annui cenſus grauatum ære alieno non exonerare potuerint: qui etſi meritò ab omnibus tamquam bonorum ſuorum dilapidator, & multorum creditorum debitor, reprehendendus erat, tamen non eſt veritus amarè deridere quemdam beneficiatum & pecunioſum Eccleſiaſticum, qui vt ſumptibus proprijs parceret, raro domi comedebat, & nihilominùs non tam pro neceſſitate, quàm pro vana magnificentia, inter alios domeſticos etiam diſpenſatorem aut rei culinariæ præfectum ſiue dapiferum alebat, dicens ei: Ad quid alis menſæ ſeruitorem, quandoquidem vix vmquam eius opera indiges, aut illius ſeruitio vteris? Ille autem præſentiens, ſed non ferens calumniam, ac ſordidæ ſuæ auaritiæ & promiſcuæ hoſpitalitatis exprobrationem, quam reprehendit Sapiens, dicens: *Vita nequam hoſpitandi de domo in domum*; Eccli.29,31. magna libertate replicans, obiecit illi acutè ſuam ſtolidam prodigalitatem, dicens: Verum dicit Illuſtris tua dominatio: nam dapifer meus & theſaurarius tuus, tamquam vagabundi & otioſi in ius vocari poſſent. Ingenioſè illum magis ridiculum perſtringens, quòd aleret theſaurarium, cui numquam aliquid ſuppeteret, quod eius nomine in futurum recondi poſſit, quàm quòd ille dapiferum retineret, quem etſi raro, tamen aliquando in ſuo officio occuparet. Hæc libertas in replicando oſtendit, aliquando exceptionem pati, quòd Sapiens ſuprà dictis verbis de paraſito & amico menſæ addidit. *Vbi hoſpitabitur*, inquit, *non fiducialiter aget, nec aperiet os ſuum*. Ibidem. Hic enim amicus menſæ acutè retorſit calumniam in irriſorem.

164. Hic igitur ad propoſitum offerunt ſe duo diuites, cùm vterque ſit pauper & egenus, non minùs rebus ad

vitam

vitam corporis ſpectantibus, quàm virtutibus ad animæ ornatum neceſſarijs. Primus enim erat ſuperbus & prodigus, & ære alieno grauatus, ſecundus verò vilis & auarus, adeò vt ſordidè frequẽtaret menſam alienam, & ne minuat ſubſtantiam, vix vmquam ſterneret propriam, cui proinde tam deerat quod habebat, quàm quod non habebat. Diuitiæ non deerant illis, ſed illi diuitijs. Sapienter autem dictum eſt à quodam, *Malo virum pecunia indigentem, quàm pecuniam viro.* Non erat vir cordatus ſcilicet & prudens, qui ſua inutiliter prodigebat; nec viri nomine dignus ille, cui nummi elingues ita imperabant, vt eos non auderet attingere. Nullus qui diuitijs inordinatè afficitur (tam eſt autem inordinatus affectus prodigi abutentis, quàm auari non vtentis) dicere poteſt, *Nullius egeo*, quia ſeipſum non habet. Ille autem ſui iuris eſt, & nomine viri dignus, quem Spiritus ſanctus vt talem honorans, ait: *Beatus vir qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia theſauris.* Eccli. 31, 8.

165. Ex his patet, quàm ſit falſum, quòd aliquis præſumat dicere, *Nullius egeo*; cùm multi aut neſciant, aut non audeant debito modo vti rebus quas habent. Verè enim neſcit prodigus, timet autem rebus ſuis vti auarus, ergo nullius non egent, quandoquidem donorum ſpiritualium vacui, & temporalium rerum ſerui non domini cenſeri debent. Si quis autem poſſideat diuitias debito modo, ita vt virum habeant qui ſciat & audeat eis vt oportet vti, ille ſe temperabit quidem à multis, nec ſibi per omnia ſatisfaciet, ſciens à S. Paulo dictum eſſe: *Et qui emunt tamquam non poſſidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur,* 1. Cor. 7, 31. *præterit enim figura huius mundi.* Væ autem illis, qui credunt per hæc terrena eò vſque ſe peruenturos, vt dicere poſſint, *Nullius egeo.* Nam *qui gloriatur in ſubſtantia, paupertatem vereatur.* Eccli. 10, 34. id eſt æternam & temporalem: aut etiam timeat nuditatem virtutum, vt explicat locum hunc Hugo Cardinalis. Hugo Cardin.

166. Manet igitur verum, quòd nulli in hoc mundo ſperanda ſit omnimoda abundantia. Nam, vt multa alia taceam, nullus eſt qui non inſtar mendici quotidie clamare & pulſare debeat fores cæleſtis Ieruſalem, dicens: *Adueniat regnum tuum.* Verum Matth. 6, 10. eſt, qui ſunt pauperes ſpiritu, diuites quidem eſſe poſſunt in ſpe & bonis operibus, meritis & virtutibus, tamen quia necdum gaudent ſecura poſſeſſione regni cæleſtis, pauperes nihilominùs haberi debent. Quibus conuenit illud Apocalypſis: *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed diues es.* Apoc. 2, 9. *Scio*, id eſt approbo, placet mihi quòd anxius ſis, quia necdum ſecurus es de cæleſti regno, & quia agnoſcis te pauperem. Nam etſi ſecundùm præſentem iuſtitiam habeas ius ad regnum, tamen necdum facta eſt inueſtitio, quæ differtur, nec vmquam peragitur niſi in altera vita. Pauperes igitur ſunt ſancti dum hìc viuunt & tribulantur, cum *metu & tremore* Phil. 2, 12. *ſuam ſalutem operantes*, ex incertitudine: etſi diuites ſint, & dici poſſint, ex eo quòd gratia Dei illos heredes fecerit & coheredes Chriſti, ſed *quamdiu heres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo.* Galat. 4, 1.

167. Si quis ſtultè ſibi blandiretur de rerum abundantia cum illo qui dicebat: *Anima mea, habes multa bona* Lucæ 12, 19. *poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare*, audire deberet: *Stulte, hac nocte*, &c. Meritò ſtulti vocantur,

Digitized by Google

cantur, qui ponunt ſpem ſuam in rebus ſublunaribus & incertis, quæ, velint nolint, poſſeſſoribus aliquando auferuntur. Hi enim ſolida animæ bona & veras diuitias numquam aſſequuntur, & ſæpè bonis illis incertis, etiam dum viuunt, ſpoliantur. vnde omnium pauperrimi cenſendi ſunt.

168. Rogatus quidam ſapiens, quomodo quis ſecuriùs bona ſua cōſeruaret; reſpondit: Si volubili fortunæ ea non expoſuerit. Hoc conſilium arripuiſſe videntur Religioſi, qui cùm non ignorent, omnes egenos & pauperes eſſe debere, quamdiu peregrinantur à Domino, cùm certum ſit, vera & permanentia bona nō eſſe in mundo, Da-
Pſalm. 111,3. uide dicente, *Gloria & diuitiæ in domo eius*; eligunt ſtatum Euangelicæ paupertatis, vt ſi non omnimoda certitudine, maiori tamen ſecuritate veras animæ diuitias conſeruent, quas exponunt probabili periculo, qui, retentis terrenis, eas cōſeruare volunt. Vidit & horruit Chriſtus periculum in quo diuites huius ſæculi verſantur, vnde
Lucæ 18,24. cum gemitu exclamauit: *Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum cælorum intrabunt.* qui poſteà Apoſtolis pro diuitibus ſollicitè rogantibus,
℣.26. & dicentibus, *Quis poterit ſaluus fie-*
℣.25. *ri?* Si nimirum, vt ais, *facilius ſit camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei?* Re-
℣.27. ſpondit: *Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum. Porrò attendas illud quòd diuitem quidem impoſſibile dicit ſaluari* (inquit
Theophylact. Theophylactus) *poſſidentem verò diuitias difficile. diues enim qui captus eſt diuitijs, & famulatur eis, non ſaluabitur. Habens verò illas, ſcilicet qui eis dominatur, vix ſaluabitur cauſa humanæ fragilitatis.* Non prohibet dita-
Chryſoſt. ri, ſed opibus famulari (dicit Chryſoſtomus Homil. in Ioannem) famuli eſt & mancipij, ſtudioſè cuſtodire; Simile
ſed domini, diſpenſare diuitias, & mittere quò mittendæ ſunt.

169. Videntes igitur Religioſi pauperes, quòd vera & ſolida bona animæ, fortunæ & valdè perplexæ incertitudini exponantur ab ijs qui tranſitorias diuitias retinent (tantò enim magis periclitantur cæleſtia, quantò terrena ſtudioſiùs conſeruantur) hæc libenter abijciunt, vt illa non amittant. Diſpenſant ergo vt domini, ſimul & ſemel ſe ab illis expediendo, ne illis irretiti, vt mancipia capiantur, & bonis cæleſtibus ſpolientur. Meritò igitur, qui ſentiunt ſe vel minimo affectu propendere ad terrenas diuitias, clamant ad Deum, cum Dauide dicentes:
Cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerunt Pſalm.
mihi, & à ſcandalis operantium iniqui- 140,9.
tatem. Qui ſi miſericorditer liberati fuerint, & in loco & ſtatu ſecuritatis cum Religioſis collocari, gratias agendo dicere poſſunt: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati* Pſalm.
ſumus. Non eſt hæc omnium felicitas, 123,7.
ſed paucorum electorum. Vnde addidit Dauid: *Cadent in retiaculo eius* Pſalm.
peccatores, ſingulariter ſum ego, donec 140,10.
tranſeam. Qui enim terrena per affectum intus intromittit, is regnum cælorum foris exponit direptioni & mille periculis; qui verò per contemptum terrena à ſe abijcit, vera ſua bona à magno periculo liberat, & quodammodò intra ſe ſecuriori cuſtodię committit. Certum eſt, ſimul in eodem corde non morari diuitias tranſitorias & æternas, ſed dum illæ intromittuntur, iſtæ foris excluduntur.

170. Nullum caſtrum admittit duorum Regum inter ſe diſſentientium milites præſidiarios. Dæmon eſt *rex* Iob 41,
ſuper 25.

ſuper vniuerſos filios ſuperbia, & diuitias huius mundi ſibi arrogat, tamquam ſtipendiarios milites, atque hoc modo magnam tyrannidem exercet. Per hos enim milites non eſt veritus oppugnare inſuperabile illud caſtrum Dei, cor ſcilicet Christi, quando *oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Veros autem Dei milites qui caſtrum illius benè cuſtodiunt, enarrat Paulus, dicens: *Non eſt regnum Dei, eſca & potus; ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Apoſtolus hîc & alibi regnum Dei vocat gratiam, quia ipſa eſt inchoatio gloriæ & regni cæleſtis, per quam etiam Deus in nobis regnat, quæ numquam ſola eſt, ſed ſecum habet multas ſocias virtutes. Hoc regno meritò contenti & conſolati ſunt pauperes, nec grauis eſt eis aliarum rerum inopia, quibus ſuppetit tot cæleſtium donorum copia. *Vt enim* (Chryſoſtomo teſte) *nulla eſt diuitiarum commoditas, anima patiente penuriam; ita nec læſio paupertatis, anima diuitijs affluente.*

Simile. Matth. 4,8.9. Rom. 14,17. Chryſoſtom.

171. Nota, quòd ſæculares diuites hoc regnum cum annexis bonis quidem intra ſe habere poſſint, ſi nimirum diuitijs dominentur, nec eis locum præbeant per inordinatum affectum in corde, obſeruantes illud Dauidis, *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*; ſed tamen periculo & fortunæ ea exponunt. Religioſi verò per Euangelicam paupertatem ſecuriùs illa conſeruant. Pro quo notandum eſt, quòd diues, etſi diuitias à corde excludat, dum tamen illas poſſidet, ſemper moliuntur irruptiones & aſſultus facere, adeò vt cor hominis diuitis mihi ſimile videatur caſtro, vel ciuitati arctiſſimè obſeſſæ. Anguſtatur enim diues qui retinet, & obſidetur à diuitijs qui eas poſſidet; intromittuntur verò ſtatim vt amantur. Difficile autem eſt habere & non amare. vnde Bernardus Serm. de Bonis deſerendis, *Hæc fugiendarum cauſa diuitiarum præcipua eſt*, inquit, *quòd aut vix aut numquam ſine amore valeant poſſideri.* Religioſus verò qui illas relinquit, ab ijs omnino relinquitur, & cor eius importuna obſidione liberatur. Vnde bona, quæ intus habet, in pace ſunt, & ſecurè conſeruantur. Rex, qui ſemel per offenſiuum bellum hoſtem omnino ſubiugauit, nullo defenſiuo bello fatigari debet: qui verò fugauit quidem inimicum, ſed non interemit, multis incurſionibus inquietatur. Religioſus mundo mortuus per votum paupertatis omnes diuitias interfecit, & pedibus ſuis ſubiugauit, ſacræ cohorti adſcriptus illius benedictæ mulieris, de qua Ioannes ait: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius.* Per lunam tranſitoriæ diuitiæ deſignantur, de quibus paupertatis profeſſores triumphantes eas pedibus calcant. Sæcularis autem qui illas tantùm de corde excludit, & ab affectu ſuo fugat, continuè ſollicitus eſſe debet, vt ſe irrumpentium conatibus opponat.

Pſalm. 61,11. Simile. S. Bern. Simile. Apoc. 12,1.

172. Apparet quidem ex hac pauperum ſecuritate, quòd Religioſus ſaltem dicere poſſet, *Nullius egeo*, cùm tamen (vt dictum eſt) falſitatis ſit reus omnis, qui dum adhuc viuit, hoc aut dicere aut ſentire præſumit. *Verumtamen vniuerſa vanitas, omnis homo viuens.* Nam etſi non periclitentur ſpiritualia bona Religioſorum, ſicut ſæcularium diuitum, qui ea volubili fortunæ omnino expoſita habent, tamen nondum eſt ſecura illorum poſſeſſio propter fragilitatem. Vnde fit, quòd etiamſi

Apoc. 3,17. Pſalm. 38,6.

Digitized by Google

etiamſi in minori, tamen adhuc in magna paupertate viuant, quorum cor nondum eſt confirmatum, etſi in gratia aliquo modo ſtabilitum & confortatum ſit. Adde quòd multis egeant, quia voluntariè etiam neceſſariarum rerum temporalium inopiam
2. Cor. 6,10. ferunt, *nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

173. Cæterùm etſi certum ſit, quòd nemo poſſit & terrenorum & cæleſtium ſimul plena poſſeſſione gaudere, tamen exiſtimabunt fortè nonnulli, quòd ita alicui ſatisfieri poterit in terris (ſaltem ſecundùm opinionē ſuam) vt præſumat dicere, *Nullius egeo.* An hoc fieri poſſit, non diſputo; hoc ſaltem omnibus conſtare debet, à Chri-
Lucæ 6,25. ſto dictum eſſe: *Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.* Intellige etiam af-
Caiet. fectu (inquit Caietanus) quorum ſcilicet carnalia deſideria in hac vita adimplentur. Nam tales veri boni famem tandem patientur, vt dicit Gloſ-
Vene. Beda. ſa interlinearis. Benè igitur Venerabilis Beda in cap. 6. Luc. *Si beati ſunt illi, qui iuſtitiæ ſemper eſuriunt opera, infelices è contra æſtimandi, qui ſibi in deſiderijs placentes, nullam veri boni famem patiuntur.*

174. Poſſet hîc oriri ſcrupulus, qui ex verbis Bedæ ſolui poteſt, quo ſenſu nimirum dicatur, Væ ijs qui ſaturati
Pſalm. 21,27. ſunt, cùm Propheta dicat, quòd *edent pauperes, & ſaturabuntur; & laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Item Chriſtus legitur refeciſſe eos qui illum ſequebantur vſque ad ſaturitatem, miraculoſa panum & piſcium
Marc. 8,8. multiplicatione. *Manducauerunt omnes*, inquit Marcus, *& ſaturati ſunt.* Notandum igitur, quòd nullus illorum ita ſaturatus eſſet, vt non tangeretur fame iuſtitiæ & deſiderio Dei. Vnde notauit Angelus del Paz lib. 6. c. 42. quòd non fuerint ſaturati ſicut illi de quibus ait Dauid: *Manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis.* Nimia fuit horum ſatuitas & inordinata, quia cau- Pſalm. 77,29.
ſauit obliuionem & contemptum Dei. Illa autem quatuor millia, quæ à Chriſto ſunt ſatiata, in amore & cognitione Dei profecerunt, & ſaturitas illorùm deſiderium auxit.

175. Manet igitur verum quod in principio dixi, nimirum neminem eſſe qui verè dicere poſſit, *Nullius egeo.* Qui enim profeſſionem fecerunt Euangelicæ paupertatis, illis parum eſſet fructuoſa paupertas, niſi ei aliquando aſſociaretur egeſtas: nam nemo meretur fauorem & adiutorium Dei ſolo titulo paupertatis. vnde Dauid ait: *Ego verò egenus & pauper* Pſalm. 69,6.
ſum, Deus adiuua me. Veri eſt Religioſi pauperis, aliquando in ijs quæ ſpectant ad commoda corporis, fortiter penuriam pati, & præterea in ijs quæ animæ ſunt, ſuam inopiam humiliter fateri. Qui enim aſcenſiones perfectionis in corde ſuo diſpoſuit, ſi ſubſiſtit, deſcendit; ſi dicit Sufficit, ſine dubio deficit.

176. Notatu digna eſt alluſio, quam temporibus noſtris puer quidam pediſſequus, ſi non ex propria inuentione, ſaltem ex alterius ſubornatione fecit, ad inſignia domini ſui equitis Aluari de Luna, quæ (quod agnomen ſonat) mediam lunam continebant, cui ingenioſè ſubſcripta ſunt hæc duo verba, *Numquam plena.* Poſteà reprehenſus & coactus puer intentum huius ſubſcriptionis exponere, reſpondit, *Si plena, neceſſe eſt vt decreſcat.* Inſoleſcebat fortè & abutebatur Aluarus de Luna ſecunda fortuna, qua ex Regum & Principum incerto & mutabili fauore gaudebat, & his verbis præmonebatur, vt modeſtiùs &

Digitized by Google

temperatiùs ageret, ne (quòd communiter euenire ſolet) ſi nimis ſibi prouideret, abutendo hac oblata occaſione Regis gratia, tandem excideret, & tantò abiectior & vilior fieret, quantò in proſperis ſe exaltauerat; & paulatim plenus effectus, ſubitò cum omnium irriſione decreſceret.

177. Quidquid ſit de intento illius ſubſcriptionis, hoc indubitatum eſt, omnes illos diminutionem & decretionem experturos, qui tam abundè ſe voluerunt rebus terrenis ingurgitare, quaſi ſibi perſuaderent, poſſibile eſſe
Apoc. 3,17. ſe vt tandem verè dicere poſſent, *Nullius egeo.* Sordidiſſimè decidit à ſua famoſa magnificentia Salomon, cuius cor deprauatum eſt per mulieres, adeò vt idolis ſe proſterneret, quia ſe vſque ad ſummum replere conatus eſt. Nam,
Eccle. 2,10. vt ipſe teſtatur, *omnia quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Non eſt ſecutus ſalutarem monitionem, alibi omnibus, qui nolunt de ſtatu ſuo turpiter deijci, datam
Eccli. 18,30. his verbis: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.*
Simile. Qui ex nimia familiari conuerſatione cum Regibus arripiunt occaſionem vt ſine modo diteſcant, etiam cum damno ærarij publici, omnium odium incurrunt, & tandem miſerè deijciuntur. Eodé modo ſi is cui fortè fortuna fauet, nihil ſibi negat eorum quæ ipſa arridente obtinere poteſt, multorum inimicitias ſibi conflat, eò quòd communia multis, cum damno publici boni, ſibi ſoli appropriat. In primis talis fit inimicus non ſolùm Sanctorum, ſed etiam ipſius Dei, Iacobo
Iacob. 4,4. Apoſtolo teſtante, qui ait: *Adulteri, neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Dei?*

178. Intolerabilis fuit quorumdam aſſentatorum familiarium impudentia, qui non ſunt veriti petere & accipere à Regibus dona tanti valoris, vt poſteà vix ſuppeteret vnde proprijs filijs ſufficienter prouidere poſſent: ſed ad vnum omnes finaliter è gratia Regum exciderunt, & omnibus ridiculi facti ſunt. Vt de multis taceam, *Simile.*
non ſolùm occiſus fuit, ſed etiam à fæce plebis fœdè laceratus temporibus noſtris in Francia Marchio d'Ancre. Idem iudicium expectare debent, qui fortuna ad miniſtratrice ſibi tam multa de bonis Dei attribuunt, vt filijs Dei, id eſt pauperibus, (qui verè ſunt filij regni, quibus dictum eſt, *Beati* Lucæ 6,20.
pauperes, quia veſtrũ eſt regnum Dei,) neceſſaria deſint. Minatur Sapiens ijs qui huiuſmodi ſunt, futuram deiectionem, dicens: *Si præſtes animæ tuæ* Eccli. 18,31.
concupiſcẽtias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Primò loco Deus declarabit ſuam inimicitiam iam miſerè deiectis dicens: *Deſpexiſtis omne con-* Prou. 1,25.
ſilium meum, &c. Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Suggerit Chriſtus ỽ.26.
conſilium Euangelicæ paupertatis ijs qui volunt perfecti eſſe; tandem monet illos qui non capiunt verbum hoc, vt de ſuperfluis faciant eleëmoſynam. Omne illud conſilium deſpiciunt diuitiarum helluones, qui ſaturati tandem eſuriunt, & pleni turpiter decreſcunt, quorum miſeram ſortem Deus irridebit. Nec ſolùm Deus, ſed etiam quilibet Sanctus declarabit ſe inimicum illorum. *Lætabitur iuſtus* Pſalm. 57,11.
cùm viderit vindictam (dicit Dauid) *manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoru.*

179. Porrò ſicut decreſcunt qui ſe nimis replere conati ſunt terrenis; ita deficiunt qui exiſtimant ſibi ſatis eſſe quod poſſident de donis cæleſtibus,

&

& cogitare videntur (ſi fortè non præ-
Apoc. ſumant eloqui) *Nullus egeo.* Nam in
3,17. via Dei non progredi, regredi eſt. vn-
de neceſſe eſt quòd anima decreſcat,
ſi, cùm non ſit, tamen ſatis illi prouiſum
eſſe putetur. Sciebat hoc Paulus,
qui præteritorum oblitus, ſemper fuit
Phil. 3, pro futuris ſollicitus. *Fratres* (inquit)
13. *ego non arbitror me comprehendiſſe. vnum autem, quæ quidem retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora*
Simile. *extendens meipſum*, &c. Nulli naufrago
prodeſt quòd natándo diu & multum laborauerit, ſubmergetur enim prope littus maris, niſi enatet, & brachia moueat. Eodem modo qui multis annis laborauit, non aſſequetur portum ſalutis, ſi errore deceptus cogitat, *Nullus egeo*, & per menſem à bono opere omnino abſti-
Simile. nere præſumat. Condemnatus per ſententiam Dei vt in ſudore vultus ſui veſcatur pane, morietur fame, ſi in vltima hebdomada ſibi victum quæritare deſiſtat. Nullus otioſus, etſi olim infinitos labores exantlauerit, vitam conſeruare poteſt, ſi in fine deſinat lucrari, putans ſibi ſatis eſſe quod habet. Nam etſi in cælo Beati viuant ex fructibus bonorum operum, tamen in terra ex ipſis laboribus ſuſtentari de-
Pſalm. bet vita: *Labores manuum tuarum quia*
127,2. *manducabis, beatus es, & benè tibi erit*, dicit Dauid. Nemo igitur dicat in vita ſua, etſi omnia Sanctorum merita ſo-
Matth. lus habeat, *Nullus egeo*; nam omni-
10,22. bus neceſſaria eſt perſeuerantia. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, &c. Amen.

DISCVRSVS XIV.

Diuitiæ cum ſollicitudine acquiſitæ & conſeruatæ, dolorem poſt ſe relinquunt in eo cui violenter tandem auferuntur: qui verò ſpontè illis renuntiat, ſerenitate conſcientiæ gaudet.

180. COPIOSE demonſtrat Chryſoſtomus Homilia 74. ad Populum, paupertatem maiorem adferre voluptatem & ſecuritatem, quàm diuitias: quæ dum non habentur, deſiderio torquent, acquiſitæ curis affligunt, amiſſæ doloribus afficiunt. Spinis comparantur quidem diuitiæ, Simile.
ſed in hoc deficit & claudicat ſimilitudo, quòd illæ quidem cum dolore infigantur, nec ſine moleſtia extrahantur, non tamen ſollicitè deſiderentur. Contingit aliquando vt pars aliqua Simile.
corporis, quæ ſpinâ confixa fuit, dolore afficiatur, non tantùm cùm actu ei inhæret, ſed etiam poſtquam cum magno dolore extracta vel exciſa eſt, eò quòd membrum cui inerat malè affecerit, & putrefactionis cuiuſdam in eo cauſa fuerit, adeò vt ex relicto vulnere ſubinde etiam homo miſerè moriatur. Dum viuit diues, ſæpè animam ſuam malè afficit, eamque diuitiarum ſpinis configit, ita vt inordinata aliqua inflammatio in ea producatur, quam corruptio ſequitur. vnde Iacobus ait: *Di-* Iac 5,
ues in itineribus ſuis marceſcet. Et 11.
quamuis occaſione diuitiarum earumdem amatores lacerentur ſollicitudinibus, tamen maior illos manet pœna poſt hanc vitam, quando extractis ſpinis (relictis inquam diuitiis in hoc mundo) exulceratio ab illis in anima cauſata, & in æternum remanſura, eamdem cruciabit propter indebitos

 modos,

modos,quibus ſæpè ſunt acquiſitæ,aut etiam conſeruatæ. Cruciatum illum idẽ Iacobus Apoſtolus prędiuidens,optat diuitibus, vt conſcientiæ remorſum in
Iac 5,1. hac vita ſentire incipiant,dicens: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs veſtris,quæ aduenient vobis. Agite nunc*,&c. quaſi dicat,Expedite nunc, dum viuitis, affectus veſtros à ſpinis iſtis; nolite expectare donec vi extrahantur vobis diuitiæ per mortem, tam magnam enim tunc facient rupturam & lacerationẽ,vt nulla ſit ſpes medelæ.
Ierem. 30,12. 13. *Quia hæc dicit Dominus: Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua. Non eſt qui iudicet iudicium tuum ad alligandum, curationum vtilitas non eſt tibi.* Ad litteram Propheta loquitur de plaga captiuitatis Babylonicæ,ſed ſententia accommodatitio ſenſu poteſt propoſito noſtro conuenire. Verè inſanabilis fractura remanet in anima eius, qui in morte ſpoliabitur violenter diuitijs in vita inordinatè amatis. Nec eſt apud inferos iudicium ad alligandum & curandum: hoc enim (diuitibus ex hoc mundo per mortem decedentibus) remanet in Eccleſia Dei, pro ijs qui ſponte ſua ſe expediunt à ſpinis iſtis. Ideò benè dicit Iacobus:
Iac. 5,1 *Agite nunc diuites, plorate*,&c.

Simile. 181. Si quis minùs circumſpectè ambulans, fortè ſpina plantas pedum configeret, & ſciret certò inſanabile fore vulnus, nec vllum eſſe chirurgum qui vnguentum adhibebit aut malagma, niſi ipſe propriis manibus ſine dilatione extrahat ſpinam, certè mẽte captus cenſeri deberet, ſi traheret moram. Multi ſunt qui minùs circumſpectè amando ſpinis diuitiarum configuntur, quibus nullum eſt remedium, niſi ſeipſos ab illarum inordinato affectu expediant. Non enim Chriſtus magiſter erit aut chirurgus, qui vnguento gratiæ ſuæ fracturæ medeatur, niſi illorum infirmorum qui ſunt ſub eius diſciplina & obedientia tamquam diſcipuli: (nam etiam chirurgis noſtris vulnerati obedire debent, ſi velint curari) nullum autem agnoſcet pro diſcipulo, niſi eum qui vltrò extrahit ſpinas, & abalienat animum à diuitijs. *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet* (inquit) *non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Non loquitur hîc de diſciplinatu perfectionis, ſed neceſſitatis, neque de renuntiatione quæ eſt conſilij, ſed præcepti, etſi Caietanus contrarium putet. Vnde Ven. Beda cap.61. in 14. c. Luc. ait: *Diſtat autem inter renuntiare omnibus & relinquere omnia: paucorum enim perfectorum eſt relinquere omnia, hoc eſt curas mundi poſtponere; cunctorum autem fidelium eſt renuntiare omnibus, hoc eſt ſic tenere quæ mundi ſunt, vt tamen per ea non teneantur a mundo.* Omnes igitur qui volunt vt à Chriſto plaga vulneris curetur, quam fortè inordinatus rerum temporalium affectus cauſauit, ſi ſtatus eorum non permittit vt omnia more Apoſtolorum relinquant, neceſſe eſt ne ſaltem nimis tranſitoriis rebus inhæreant: imò requiritur vt forti & virili renuntiatione, ſi quid inhæſerit, extrahatur, alioquin poſt mortem plaga erit peſſima, quia fractura inſanabilis. Lucæ 14,33. Ven. Beda.

182. Miſeri ſunt proinde, qui dum viuunt, lacerantur à ſollicitudine diuitiarum, miſerrimi futuri poſt hanc vitam, quando plaga peſſima & inſanabili fractura conſcientiæ cruciabuntur. Erunt enim ſeparati à Sacerdotibus, qui in Eccleſia habent iudicium ad alligandũ, gerentes vices veri illius Samaritani, de quo dicit Euangelium, quod miſericordia motus ſuper ſemiuiuo relicto *appropians alligauit vulnera* Lucæ 10,34.

nera eius, infundens oleum & vinum. Et quod peſſimum eſt, erunt deſperati & derelicti ab eo, qui non tantùm diſpenſatiuè,ſed etiam auctoritatiuè ſanat contritos corde. De illis enim loquitur Dauid quando ait: *Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius: & ipſi de manu tua repulſi ſunt.*

Pſalm. 87,6.

183. Non tantùm igitur ſollicitudine diſtrahuntur, ſed etiam læſione conſcientiæ dilaniantur, qui inordinatè feruntur ad diuitias acquirendas, quas ſæpè cum maiori dolore tamen etiam perdunt in hac vita: aut ſi illas vſque ad mortem retinent, tunc ſaltem *relinquent alienis diuitias ſuas, & ſepulchra eorum domus illorum in æternum.* Refert Matthæus Tympius in ſua Menſa Theolophiloſoph. cap. 59. num. 19. de quodam Lugdunenſi, qui vt lucra augeret, vinum aqua miſcebat, & quia ementes ab illo vinum, aquam pecunia comparabant (erat enim mercator vini) non parum hac fraude locupletatus eſt. Quodam autem tempore nauigio traijciens Ararim fluuium, marſupium pecunia oppletum penes ſe repoſitum habebat. Interim ipſo fortè aliquid aliud agente, miluus marſupium (quia piloſum erat) animal arbitratus, raptum in ſublime tulit, ipſo vidente & dolente. At vbi miluus deprehendit prædam ſibi inutilem fore, dimiſit in profluentem, & vlterius conſpici nuſquam potuit, quia pondere ſuo fundum petiit. Iniquus autem mercator ſenſit pœnam inuitus, qui ſicut per aquam pecuniam congregauit, in aquam omne lucrum delapſum, ſine fructu indoluit. Milui mores mercator imitatus, meritò à miluo criminis ſui animaduerſionem ſenſit.

Pſalm. 48,12. Matth. Tymp.

184. Pauper Euangelicus non tantùm à conſcientiæ ſcrupulis,ſed etiam à ſæculi curis liber eſt. Refert Plutarchus in Laconicis, quòd cùm Ageſilaus quemdam intelligeret admirari, quòd Rex talis & tantus cum ſuis Lacedæmonijs tam parcè victitarent, & tam humili vterentur veſtitu, dixit: Pro hac parcimonia optimam metimus meſſem, libertatem ſcilicet. Sapienter admonens, nullam eſſe voluptatem viris ingenuis libertate ſuauiorem, nec ibi diu libertatem eſſe poſſe, vbi abundantia eſt vel deſideratur, aut luxus regnat. Mirati ſunt olim multi, nec deſunt etiam hodie, qui obſtupeſcant magnam ne dicam frugalitatem, ſed paupertatem magni illius ſancti & humilis Franciſci, ac ſequacium illius. Sed meſſem magnam metunt, libertatem ſcilicet, ex eo quòd nec recipere nec quidquam poſſidere poſſunt vt proprium, etiam in communi. Nam (vt Diſcurſu X. huius Tractatus dictum eſt) liberi ſunt ab omni omnino exactione, cũ à nihil habente nihil exigi poſſit, & prætereà magna gaudent pace & libertate conſcientiæ, quæ non rarò ab iis qui in litibus & forenſibus negotijs rixoſum & diſcriminoſum Meum & Tuum exagitant, inquietatur. Hæc autem pax & libertas viris ſanctis & Euangelicæ paupertatis amatoribus omni voluptate ſuauior eſt.

Plutarchus.

185. Nullus eſt,cui ex rerum copia poteſt adeſſe continua voluptas, quinimò illa ſemper anxietatem ſociam habet. Verùm pax, quam paupertas adfert, ſemper adeſt. *Omnes dies pauperis mali, ſecura mens quaſi iuge conuiuium.* Non eſt prior pars huius ſententiæ contraria ijs, quæ in hoc Tractatu de bono paupertatis dicta ſunt. Sed ſignificat, quòd pauperibus in hac vita ſaltem deſit completa voluptas, Prou. 15,15.

quam

quam in cælo expectant: quo ſenſu fortè dixit Iacob, quòd dies vitæ eius eſſent *parui & mali*. Deinde non loquitur hîc Salomon ex proprio iudicio, ſed ex opinione vulgi: communiter enim homines exiſtimant, pauperum, etiam voluntariorum, dies malos eſſe, & calamitoſos, ideò addit, *ſecura mens*, &c. quaſi dicat, Ego aliter decerno & ſentio. *Paupertas*, inquit Chryſoſtomus Homil. 30. in Matthæum, *ſemper ſecura eſt, & omni metu vacua: ſumma autem poteſtas ſine timore periculi numquam eſt.*

Gen. 47, 9.

Chryſoſt.

186. Verùm alij aliter interpretantur hanc Scripturam, *Omnes dies pauperis mali*. Cuius priorem ſententiæ partem ad conſcientiæ angores & inopiam boni ſpiritualis, poſteriorem verò ad ſolatia bonæ conſcientiæ referendam eſſe putant. Itaque per pauperem, cuius dies mali dicuntur, ſecundùm hanc expoſitionem etiam ditiſsimú quemque licet intelligere, qui non poteſt gaudere conſcientia recti. Quæ enim eſt aut eſſe poteſt maior paupertas, quàm hominis, cuius conſcientiam vermis continuè rodit? Vnde Gregorius in ſeptem Pſalmos de pœnitentia ait: *Conſcientia mala ſemper in tenebris atque vmbra mortis eſt: noctem habet, cui nulla ſuccedit dies.* Quis dicet, pauperem hominem ſua ſorte ſuauiter contentum, liberè quocumque fert animus ambulantem, non feliciorem ditiſſimo in carcere obſcuro detento, ſingulis momentis, audito minimo tumultu, aduentum tortoris ſuſpicante? Porrò vix fieri poteſt vt quis ſpinas diuitiarum amet, & puncturas & compedes earum in conſcientia non patiatur. Felix igitur pauper eſt, qui conſcientiæ libertate & ſerenitate gaudet.

Greg.

187. Ex his patet, quàm ſapienter faciant Euangelici pauperes, qui vt liberi ſint à vulneribus, libenter carent ſpinis. Refert Dominicus Nanus in ſua Polyanthæa v. Prudentia, rem huic propoſito accommodabilem. Duo, inquit, qui data fide inter ſe conuenerant omnia communia fore, profecti ſunt ad bellum. Horú vnus infirmitate impeditus, æger in itinere decubuit; alter propoſitum militiæ executus felici Marte pugnauit, adeò vt re & gloria parta (etſi non incruenta) ad ſocium redierit, iam meliuſculè habentem. Qui gauiſus, ob ſocij proſperitatem, & ſpem participationis ex vi pacti initi, eum cum magna lætitia complectitur, & tandem de diuidendis ſpolijs quæſtionem inſtituit. Faciam, inquit alter, ſed alia mecum tuli quæ communia eſſe oportet, vt vndequaque initum fœdus ſeruetur. Ille lætior, pretioſam veſtem aut ſupellectilem arbitratus, Ita fieri, inquit, par eſt. Sed quidnam prætereà attuliſti? Plagas, inquit alter, & cicatrices, quales & æquales tibi infligi debent. Non mihi (inquit ille) hæc placet ſocietas, pecunia carebo potiùs; ſatius eſt eſſe pauperem & ſanum, quàm pecunioſum & vulneribus debilem, ac cicatricibus deformatum.

Dominic. Nanus.

188. Eodem modo Sancti renuntiant libenter ſocietati & communioni mundanorum & diuitú, cum quibus lege fraternitatis aliquando poſſent æqualiter diuidere. Sed timentes quòd non poſſint ſpinarum partem habere cú eis, niſi etiam participes fiant plagarum & ſollicitudinum ac diſſipatarum cogitationú, cor hominis torquẽtium, publica profeſſione paupertatis, dicunt quòd non placeat eis iſta ſocietas. Vt igitur liberi ſint à periculo damni, malunt humiliter neceſſaria petere titulo paupertatis, quàm propria ſibi arro-

Digitized by Google

arrogare iure ſocietatis. Ita horruit Franciſcus omnem proprietatem, ne ſecuritas & libertas mentis eius aliquid pateretur, vt nec imaginem aut minimam illius ſimilitudinem admittere vellet. Vnde refert Piſanus l. 2. Conf. 4. quòd Fratrem quemdam è cellula, in qua beatus Pater habitare ſolebat, venientem interrogarit vnde veniret. cui reſpondenti, E cellula tua, Pater extemplò ait: *Meam dixiſti, quam non meam iudicaui: alienam igitur deinceps habitare debeo, qui nihil meum habere promiſi.* Quam alienus fuit à proprietate, qui nec ſonum illius ferre potuit?

Piſan.

189 Ad imitationem illius Sancti, Religioſi horrent illud verbũ *Meum*, adeò vt etiam cùm de proprij corporis membro loquuntur, propter laudabilem conſuetudinem, qua omnia quæ illorum vſibus deputata ſunt, communitati tribuere ſolent, vix manuum, capitis aut oculorum ſibi proprietatem arrogare audeant. Vnde his & ſimilibus loquendi formulis vtuntur: Dolet caput noſtrum, oculi noſtri catharris caligãt, &c. Fortaſſis videbitur naſutulis hæc ridenda ſimplicitas, non tamẽ caret apparenti Scripturę fundamento. Non enim deſunt qui vim faciunt in modo loquendi, quo vſus eſt Dauid, promittens Beatis in vita futura liberum ſenſum, & ſpecialiter oculorum vſum, dum ait: *Quoniam oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis.* Oculis, inquit, *tuis* tunc conſiderabis, quorum cuſtodia tibi in hac vita demandata eſt iure obedientiæ. Non aliter igitur abominantur Religioſi Meum & Tuum, frigidum illud verbum, eò quòd potiùs proprietatem quamdam ſonet, quàm incontinentiæ aut fornicationis, pronuntiationem, de qua ait Paulus: *Nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.*

Pſalm. 90, 8.

Epheſ. 5, 3.

190. Timent quidem, Franciſcus præſertim cum ſuis, ſocietati diuitum & poſſidentium adſcribi, ſcientes quòd omnes qui admittunt ſpinas, vix euadere poſſint ſollicitudines & animæ fracturas: ſed ſocietati penuriam patientium ſe libenter adiungunt, quia norunt dictum eſſe: *Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Item: *Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione & regno.* Porrò *qui certat in agone, ab omnibus abſtinet. Non coronatur niſi legitimè certauerit.* Iniuit Chriſtus Dominus nobiſcum fœdus & pactum, quòd vna erit nobis cum illo pars hereditatis: non tamen admittemur vt cũ illo diuidamus, niſi participemus in cruce & paſſione. vnde Paulus ait: *Heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Sicut igitur ſanctis & paupertatis amatoribus non placet ſocietas diuitum, ita multis diuitibus non placet hæc ſocietas cum Chriſto patientium. Non erant adhuc ſatis verſati in ſchola paupertatis Iacobus & Ioannes, qui affectabant ſedes & delicias regni terreni, quibus proinde benè dictum eſt à Chriſto: *Neſcitis quid petatis: poteſtis bibere calicem?* Calicis mentionem facit, quia fruſtrà quis ſperat cum illo regnare, niſi ex vulneribus & cicatricibus clarè oſtenderit, ſe non timuiſſe pro ipſo & cum ipſo crucem portare. Ceterùm quia paupertas non eſt ſine cruce, beati qui illam amplectuntur, vt liberi ſint à plagis & fracturis animæ, & participes in corporis tribulatione, talium eſt enim regnum cælorum, &c. Amen.

2. Cor. 1, 7.
Apoc. 1, 9.
2. Tim. 2, 5.
Rom. 8, 17.
Matth. 20, 22.

DISCVRSVS XV.

Voluntaria inopia Chriſti, Euangelicam paupertatem amatoribus ſuis amabilem & imitabilem reddidit.

191. Si comes facundus in via (vt dici ſolet) pro vehiculo eſt, & ſi leuat, ſocium habere in in pœnis, non debet mirum videri, quòd ſocietas Filij Dei omnem aſperitatem auferat, quæ fortè in paupertate timenda videretur. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti*, dicit Paulus, *quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues.* Vrgeri debet (vt alibi notatum eſt à nobis) quòd dicat, *Scitis gratiam Domini*, quibus verbis ſignificatur, quòd egenus factus ſit voluntate, non neceſſitate: non quia non poſſet habere, ſed quia vellet relinquere vitæ commoda. Nihil erat in mundo quod non poterat vt verus Dominus exigere: quod vt omnibus innoteſceret, voluit in fine vitæ argumenta dare vniuerſalis ſui dominij; vt cùm mitteret duos ex diſcipulis pro aſina ſibi cum pullo adducenda, dicens: *Etſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos.* Item quando auctoritatiuè curabat dici Domino domus in qua paſcha celebrari volebat: *Magiſter dicit: Vbi eſt refectio mea, vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem?*

2. Cor. 8. 9.

Matth. 21, 3.

Marc. 14, 14.

192. Notat hîc noſter Angelus del Paz lib. 14 cap. 14 in Marc. quòd cùm mitteret ad aſinam & pullum, dixit: *Dominus his opus habet*; cœnam verò facturus, iubet dicere, *Magiſter dicit.* Nam aſinam & pullum duci, eſt peccatores vtriuſque populi, gentiles ſcilicet & Iudæos, conuerti: hoc autem eſt opus dexteræ Excelſi, & ſupremi dominij. Dominus enim ſaluat, mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. vnde Dauid ait: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem. Non moriar, ſed viuam: & narrabo opera Domini.* In cœna autem oſtendit opus non ſolùm dominij, ſed & ſtupendæ ſapientiæ & ſingularis magiſterij, qua talem ſub talibus ſpeciebus nobis reliquit cibum & potum. Hinc dicitur: *Sapientia ædificauit ſibi domum, miſcuit vinum, propoſuit menſam.* quæ verba multi Patres intelligunt de Euchariſtiæ inſtitutione. Ita Cyprianus in Epiſtola ad Cæcilium, Ambroſ. l. 4. de Fide c. 7. Chryſoſtomus Hom. in Pſal. 22. & inter Auctores moderniores Lyranus noſter & Hugo Cardin. in hunc locum.

Angelus del Paz. Pſalm. 117, 16. 17. Prou. 9, 1. 2. Cypr. Ambr. Chryſoſt. Lyran. Hugo Cardin.

193. Porrò ad propoſitum noſtrum facit, quòd ex his clarè oſtendat, ſe voluiſſe egere. Cùm enim poteſtatem haberet panem in ſuum Corpus, & vinum in Sanguinem conuertendi, manifeſtum eſt, ei nihil ex neceſſitate defuiſſe. Similis fuit Chriſtus famoſo illi Duci exercitus, cuius benignitatem in milites celebrat antiquitas, qui potum ſibi oblatum, quem ſitibundus in manu tenebat, effudit, vt milites præ ſiti aridos animaret, cùm Imperatorem in ſua neceſſitate ſocium ſpontaneum haberent. Eodem modo magna gratia eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui *ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit*; tamen voluit eſurire, ſitire. & egenus ac pauper eſſe, vt nos ſua voluntaria inopia non tantùm diuites efficeret, ſed etiam, vt paupertatem eorum, qui illam omnibus diuitijs mundi præferunt, ipſis ſalutarem, imò gratam & ſapidam redderet.

Exemplum. Ioan. 13, 3.

deret. Certò ſciuit Ieſus, quòd ſicut à Deo exiuit, ita ad Deum vadat: ex quo patet, quòd eius paupertas non mercenaria, ſed omnino gratioſa fuerit illius egeſtas. Sancti ſicut per bona opera, ita etiam per paupertatem voluntariam, cui regnum cælorum promiſſum eſt, certiorem ſuam electionem & vocationem reddere nituntur. Chriſtus non indigebat ſignis prædeſtinationis, certus omnino quia ad Deum vadit à quo exiuit. Fuit igitur illius paupertas ad exemplum, & ad noſtrum ſolatium.

194. Sobria erat portio olim appoſita turbæ, ſaltem in qualitate, etſi in
Ioan. 6,13. quantitate ſufficeret; nam *impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis*: omnes tamen optimè fuerunt contenti, ac ſi regali menſæ accubuiſſent, vnde hoſpitem ſuum regio honore dignati ſunt, adeò vt applauſum fugere cogeretur.
℣.15. *Ieſus ergo cùm cognouiſſet* (inquit Ioannes) *quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus.* Sed quid, obſecro, eos tam frugali & paupere refectione adeò contentos & conſolatos reddidit? Quia meritò conſiderabant, quòd ille qui habebat poteſtatem multiplicandi quinque panes hordeaceos & duos piſces, ſibiipſi ſplendidè potuiſſet prouidere, niſi elegiſſet propria ſponte paupertatem & egeſtatem. Non ſemel viderant illum egenum & mendicum, quem iam ſtupebant tanta poteſtate præditum.

195. Religioſus, Chriſti gratioſam paupertatem deuotè contemplans, non poteſt non eſſe contentus de ſua. Re-
Cœlius. fert Cœlius Calcaguinus in ſuo Com-
Hiſtoria. mentario de Profectu, Diogenem ſemel melancholiam quamdam inuaſiſſe, ac in dolio ſuo verſatili vitæ ſuæ fuiſſe pertæſum, eò quòd Athenienſes videret hilariter curſitantes, conuiuiis & compotationibus ſe reficientes, ac profuſis gaudijs Mineruæ feſta celebrantes. Et ecce dum communis illa diſſolutio Philoſophi propoſitum conaretur labefactare, adeò vt inciperet abominari dolij ſui anguſtias, & pauperem vitæ ſuæ ſupellectilem; contigit vt muſculus fiducialiter per dolij ſui rimas ingreſſus, hinc inde diſcurrens, hilariter ſe reficeret micis ſibi fortè in cœna elapſis: qui hoc exemplo commotus, mutauit ſententiam, & ſe in propoſito confirmans ait: *Ecce quàm paucis natura contenta ſit!* Non mirum igitur eſſe debet, quod idem cochlear aliquando abiecerit, videns quemdam volâ manus aquam ori ingerentem, & ita ſuperfluitatem cochlearis edocentem, qui etiam à viliſſima beſtiola philoſophandi exemplum & motiuum accepit, ita vt inchoatam paupertatem lætanter continuaret.

196. Si mus recolligens & ſe reficiens micis, Diogenem conſtantem & lætum in ſua paupertate effecit; quid mirum ſi Religioſi contemplantes Chriſtum Filium Dei pro nobis egenum & pauperem, paupertate ſua contenti ſunt? Eſt Chriſtus Dominus muſculo illo Diogenis magiſtro modeſtior & verecundior, ille enim fragmenta & reliquias, vt ſuas, de iure ſibi arrogauit & collegit, Filius verò Dei diuinũ ſuperflua non priùs attigit, quàm humiliter emendicauit. *Quod* Lucæ
ſupereſt, date eleëmoſynam, inquit. Ho- 11,41.
minem Ethnicum mouit & mutauit beſtiola. Quid mirum, ſi Religioſum paupertate ſua contentum & diuitem reddat Dei ſapientia? Mus ille paucis contentus fuit, ſed nihil eorum quibus indigebat ſponte reliquit; verùm

Digitized by Google

Lucæ 9,58. etſi *vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet*, cui omnia iure & poteſtate ſuppetunt.

197. Miro modo placuit Franciſco paupertas, quam multis nominibus & glorioſis titulis honorauit, quia vidit Chriſtum pauperem. vnde cum Ieremia dicere poteſt: Thren. 3,1. *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis meæ.* Chriſtus, quem vocat Dauid virgam directionis, & virgam regni Dei, meritò dici poteſt virga indignationis eius. Nam per eum Deus ſupremam ſuam iram manifeſtabit in die iudicij: Ioan. 5,22. *Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium.* Non Pater ſed Filius apparebit in viſibili forma, qui pronuntiabit ſententiam æternæ indignationis, dicens, Matth. 25,41. *Ite maledicti.* Deinde virga indignationis appellari poteſt, quia Pater in eo omnium aliorum peccata puniuit. In hac virga indignationis vidit S. Franciſcus paupertatem ſuam. Paupertas enim Chriſti, dici poteſt S. Franciſci & omnium ſequacium eius paupertas, eo modo loquendi, quo formatura optimi ſcriptoris vocatur exemplar diſcipuli, qui diſcit ſcribere, non quòd ipſe effinxerit, ſed quòd eam ſibi ſemper proponat, ad quam tãquam ad prototypon omnes ſuas litteras efformare conatur, quæ proinde ita rapit aſpectum eius in ſcribendo, vt nihil aliud aſpicere velit aut poſſit. Ita meritò Chriſti paupertas, Franciſci & omnium hominum oculos auertit, ne videant vanitatem. *Simile.*

Exemplum. 198. Refert Xenophon, quòd Tygranes Rex Armeniæ captus cum ſua coniuge, & rogatus à Cyro Monarcha Perſarum, quid loco lytri pro redemptione ſuæ vxoris libenter perſolueret, reſpondit: Regnum quod amiſi, ſi in mea poteſtate eſſet, deinde nec vitæ propriæ parcerẽ. Hoc verbo commotus Cyrus vtrumque regno reſtituit, & dimiſit. In reditu verò Tygranis liberalitatem extollenti, & quid vxori videretur de tanti Regis gratia & beneuola affabilitate ſciſcitanti, reſpondit Regalis matrona: Ignoſcat mihi Rex, ſi nihil horum quæ ibidem geſta ſunt, notaui, quia nihil aſpicere vel audire potui, præter eum qui nec regno nec vitæ propriæ parceret, vt me captiuam priſtinæ libertati reſtitutam videre poſſet.

199. Meritò S. Paulus omnia arbitratus vt ſtercora dixit: *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei.* Phil. 3, 8. Qui ad nihil attẽdit niſi ad Chriſtum pauperem in cruce. vnde ait: *Non enim iudicaui me aliquid ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* 1.Cor. 2,2. Nam id quod Rex Armeniæ pro redemptione ſuæ vxoris obtulit, hoc pleniſſimè Chriſtus pro animabus noſtris redimendis præſtitit: dimiſit enim regnum, & tradidit ſemetipſum. *Reliqui domum meam* (inquit per Prophetam) *dimiſi hereditatem meam; dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius.* Ierem. 12,7. Meritò ergo oculos Pauli rapuit.

200. Ad Chriſtum hereditatem & domum ſuam relinquentem pro animarum noſtrarum redemptione, attentiſſimè etiam reſpiciens Franciſcus, perfectiſſimam formam illius in ſe expreſſit; & ſuis alumnis c. 5. ſuæ Regulæ præſcripſit his verbis: Regulæ S. Franciſci. *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem.* Commoda huius vitæ & delicias horruit, reſpiciens Chriſtum non habentem vbi caput ſuum reclinaret. Sed non tan-

tùm formam pauperis, ſed etiã Chriſti crucifixi præbuit, qui viuens & moriens ſignis redemptionis noſtræ inſignitus fuit. Quo ſtupendo miraculo Deus probauit, eum continuam memoriam habuiſſe paupertatis & amariſſimæ paſſionis eius, quam omnibus Chriſtianis commendans per Prophe-
Thren. 3.19. tam, ait: *Recordare paupertatis meæ, & abſynthij & fellis.*

Alexius de Salo. 201. Refert Alexius de Salo in ſua Methodo cap. 15. quòd Hedwiges continuam memoriam celebrauerit pauperrimę Virginis Marię, quæ poſtquam peperit Filium ſuum primogenitum, pannis eum inuoluit, & reclinauit in præſepio, cuius imaginem penes ſe portauit in vita, quam etiam iam annis 25. mortua, reliquis corporis partibus corrupta, integris digitis firmiter tenuit. Eodem modo in ſignum continuæ memorię, quam Franciſcus habuit in vita de paupertate & paſſione Chriſti, omnino mori nudus voluit, *Fratribuſque ſibi aſſiſtentibus in obedientia charitatis iniunxit, vt cùm viderent eum iam eſſe defunctum, per tam longum ſpatium, nudum ſuper humum iacere permitterent* (inquit
S. Bonauent. Bonauentura in Vita eius c. 14. § 4.) *quo vnius milliarij tractum ſuauiter quis perficere poſſet:* & non tantùm in digitis, ſed in volis, plantis, latere, imaginem & formam Chriſti crucifixi geſſit. Chriſtum pauperem & crucifixum omnes Religioſi paupertatis amatores reſpiciunt, qui in ea viuere
2. Cor. 4.10. & mori volunt, *ſemper mortificationem Ieſu crucifixi in corpore ſuo circumferentes*; qui pro hac continua paſſionis Chriſti meditatione & paupertatis imitatione poſt hanc vitam diuites in cælis regnabunt, &c. Amen.

DISCVRSVS XVI.

Diuites huius ſæculi ſolida animæ bona contemnunt, vt terrena, quæ nihil proſunt, accumulent; Religioſi verò pauperes, his abiectis, illis diuites ex hac vita recedunt.

202. CONSIDERANS Aggæus populi miſeriam, prouenientem ex neglectu cultus diuini, di- Aggæi 1.6.
xit: *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bibiſtis, & non eſtis inebriati*, &c. *& qui mercedes accepit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Loquitur Propheta ad litteram de agricolis, operarijs, mercatoribus, ac quibuſcumque alijs hominibus, qui terrenis lucris tam ſollicitè intendunt, vt quæ Dei ſunt negligant; qui proinde parum fructus percipiunt ex laboribus ſuis. *Nam neque* 1. Cor. 3.7.
qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Notent hoc agricolæ, diſcantque ſe parum fructuũ ex abundanti ſemine ſubinde colligere, quia templum Dei, frequentationem Sacramentorum, Miſſas & Feſta Sanctorum neglexerunt. Fuit temporibus noſtris tabellarius quidam, qui in temporalibus miro modo proficiebat, quem omnes magna beneuolentia proſequebantur. Rogatus à quodam religioſo viro, quænam domus (ſuo iudicio) ſibi magis eſſet quæſtuoſa, ex omnibus quas frequentaret; dixit ſe hoc probè ſcire non poſſe. At ego, inquit alter, optimè noui, & huius rei te certiorem faciam. Præ omnibus familijs templum S. Petri (quod ipſe ante omnia negotia Miſſam deuotè auditurus manè frequentare ſolebat) tibi maximè lucroſum

eſt. Addere potuiſſet, quòd poſt templum D. Petri monaſteria pauperum Religioſorum, ſibi communem omnium beneuolentiam & fauorem conciliarent. Solebat enim ille magna alacritate illorum epiſtolas deſtinare amore Dei ante omnes alias pro quibus ſibi merces baiularia debebatur. Itaque Chriſti conſilium ſequens, eiuſdem expertus eſt promiſſum, qui
Matth. 6,33. omnibus ſuaſit dicens: *Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

203. Qui autem negligunt quæ ſunt ſalutis & cultus Dei, & inordinatè lucris inhiant, illi ſine dubio, etſi vniuerſum mundum lucrentur, parum inferunt, & multùm pro ſemente proijciunt. Sed non ſatis exaggeramus illorum ſtoliditatem, ſi cum Propheta admiſerimus, eos ſaltem parum inferre, quandoquidem Chriſtus omnia terrena tamquam nihilum æſtimanda eſſe indicat, ſi cum minimo
Matth. 16,26. animæ damno comparentur. *Quid enim prodeſt homini*, inquit, *ſi mundum vniuerſum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?* Super quæ verba
Chryſoſtom. Chryſoſtomus Hom. 56 in Matth. *Si regnaueris ſuper vniuerſum orbem terrarum*, inquit, *non poteris animam*
Simile. *tuam emere.* Non tantùm non poteſt redimi omnibus creatis diuitijs iam capta, ſed nec indemnis fieri, minimā ſpiritualis profectus iacturam paſſa. Quid autem mirabile eſt, ſi in anima hoc contingit, cùm idem etiam in corpore videre liceat? Etſi enim omnes theſauros huius mundi corpori inſanabiliter ægroto circumpoſueris, non reſtituetur ſanitati; ita minima animæ infirmitas viribus naturæ inſanabilis
Origen. eſt. *Non habet aliquid homo*, dicit Origenes Tract. 2. in Matth. 16. *quod dans quaſi commutationem animæ ſuæ, liberet eam à morte, Deus autem pro animabus hominum dedit commutationem pretioſum Sanguinem Filij ſui.* Cùm verò ſine ſanguinis effuſione nulla fiat remiſſio, ſine hoc pretio anima nec à minimo damno, quod paſſa eſt, liberari poteſt. Sicut enim meritis Chriſti debet ſuſcitari mortua, ita etiam curari debet infirma. vnde Dauid ait: *Sana me Domine, & ſanabor; ſaluum me* Ierem. 17,14.
fac, & ſaluus ero. item: *Sana animam* Pſalm.
meam, quia peccaui tibi. Nam hoc ipſo 40,5.
quo quis tibi in minimo peccat, incurrit infirmitatem tibi ſoli ſanabilem.

204. Nihil igitur ſunt omnia quæ inferuntur ab ijs, qui peccando regnum cælorum, imò ipſum Deum inſtar ſeminis à ſe proijciunt. *Aſpexi* Ierem.
terram (inquit Ieremias) *& ecce vacua* 4,23.
erat & nihili. Dicit Moyſes, quòd aliter Deus indicauerit de rebus creatis. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat*, in- Gen. 1,
quit, *& erant valdè bona.* Hæc omnia 31.
bona, & multò plura in terra erant tempore Ieremiæ. Miram igitur videtur, quòd ille dicat terram fuiſſe vacuam, & nihil in illa ab eo viſum eſſe. Nota, quòd Deus viderit omnia hæc creata abſolutè, & per ſe, & ita bona iudicabantur, & ſunt. Ieremias verò eadem conſiderans fortè comparatiuè cum damnis & iactura animæ & ſalutis, quæ Iſraëlitæ peccando paruifaciebant, verè dicere potuit, quòd omnia nihil erant. Vnde vir ſapiens ſenſu tropologico vtens his verbis, in meditatione gloriæ cæleſtis (quam peccando homines perdunt, & à ſe abijciunt) contemplans totius orbis terrarum amplitudinem, eam inſtar puncti deſpicit, & dicit: *Aſpexi terram,* Ierem.
& ecce vacua erat & nihili. 4,23.

205. Ceterùm etiamſi terrena aliquid in ſe eſſe iudicentur, tamen terrenorum inordinati amatores, qui pro ijs

ijs multa ſeminant, id eſt ſpiritualia vilipendunt, nihil de terrenis inueniunt tempore neceſſitatis. nam dicitur, quòd qui *mercedes accepit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Aggæi 1,6. Verè in ſacculum pertuſum, & in peram laceram miſſæ ſunt diuitiæ ab his qui confidunt in illis. Simile. Similes mihi videntur tales ancillæ culinariæ magnæ alicuius domus, quæ iactabunda pergens ad macellum, magna cum liberalitate multa coëmit quæ ad luxum & delicias pertinent, confiſa nimirum in pecunijs ſibi traditis, quas in pera repoſitas ſecum tulit: verùm nimis intenta rebus emendis, non cauit ſibi à fure, qui furtiua dexteritate crumenam abſtulit. vnde ancilla, quæ ſe valdè pecunioſam exiſtimauit, in fine negotiationis manum extendens vt de pera ſumat vnde vnicuique ſoluat, deprehendit ſe & pera & pecunijs omnino ſpoliatam: & ita omnibus in macello derelictis, tota deſolata, vaga & profuga non audet domi coram patrefamilias comparere. Eodem modo diuites huius ſæculi tempore mortis dimittuntur inanes, abſciſſa nimirum crumena corporis, & ablatis omnibus diuitijs temporalibus in quibus confidebant, qui videntes ſe temporalibus deſtitutos, & ſpiritualibus nudos, meritò perterriti propter negligẽtem ſuam adminiſtrationem, verentur comparere coram illo qui dixit in veteri Teſtamento: Exod. 23,15. *Quando egreſſus es de Ægypto, non apparebis in conſpectu meo vacuus.*

206. His verbis ad litteram præcipit oblationem cuique accedenti ad tabernaculum vel templum, tamquam religionis actum, qui pertineat non ſolùm ad cultum Dei, ſed etiam ad ſuſtentationem Leuitarum. Sed ad propoſitum noſtrum in figura nobis ſignificatur, quòd nemo debeat præſumere egreſſus de Ægypto huius mundi per mortem, vt vacuus appareat bonis operibus, vt explicat Gloſſa interlineatis. Gloſſa interlin. Accedentes tunc ad Deum pleni operibus miſericordiæ, ſecum adferre debẽt omnium virtutum manipulos, alioquin timidi plangent imprudentiam ſuam. nam quòd non eodem animo compareant omnes coram Deo, qui dedit nobis huius vitæ bona, non ad qualemcumque, ſed ad bonum vſum, patet ex verbis Sapientis, qui ait: *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes.* Eccle. 12,5. Prior pars ſententiæ ad iuſtos peculiariter pertinet, dicit Titelmannus noſter, Titelman. qui per mortem pergunt fiducialiter ad domum æternitatis ſuę; conferunt enim ſecum bonæ ſuæ negotiationis fructus, ſecundùm beneplacitum eius qui dedit illis vnde negotiari poſſent. Illud verò quod de circumeuntibus & plangentibus in plateis dicitur, eos concernit qui nihil boni adferunt, & talenta à Deo tradita diſſipaiunt, nec ſibi ſatis cautè cauerunt ab infernali crumeniſeca. vnde per negligentiam ſpoliati coram Deo comparere verentur.

207. Diuites igitur huius ſæculi, qui ſeminarunt & quaſi abiecerunt multum in vita ſua, paruipendentes bona animæ, vt terrenis abundent, tunc vacui erunt, nihil omnino habentes. Prudentiores illis ſunt pauperes ſpiritu, maximè autem Euangelicæ paupertatis profeſſores; illi enim ſeminant in hac vita parum, dum terrena contemnunt & abijciunt, & multa inferunt. Vnde diuites & pleni bonis operibus fiducialiter ſe ſiſtunt coram Deo. Totam pecuniam cum ipſa crumena perdunt, qui pro temporalibus ſolùm aggregandis ſolliciti ſunt, pauperes verò

ſpiritu,

Digitized by Google

ſpiritu,& ſacculum corporis integrum cum multis denarijs ſecum portant poſt mortem. Illi enim in carne ſeminant, hi autem in ſpiritu, *quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, metet vitam æternam.*

Gal. 6, 8.

208. Nouit Chriſtus, quòd infernalis crumeniſeca facilè rapiat omnia terrena: quæ tunc ſolùm illæſa & integra ſeruantur, quando neceſſitatibus pauperum impenduntur, bona autem ſpiritus attingere non poſſit; ideò monet nos, dicens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*, &c. *vbi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi fures non effodiunt.* Dum in manu pueri panis eſt, facilè à circumſtantibus canibus auferetur; ſi tradiderit illum manibus patris ſui, extra omne periculum eſt. Habet mundanus opes, circumſtant canes multi, latrat caro, incitat ad luxum; mundus rapere conatur, vt conſumantur in pompis & vanitatibus: optimè igitur, & non ad inſipientiam ſibi, omnia reliquerunt pauperes Euangelici, reponentes illa in manu Patris cæleſtis, cuius amore paupetibus diſtributa ſunt.

Matth. 6, 19. ℣. 20. Simile.

209. Vix canes tanta dexteritate panem rapiunt de manu pueri, quin & ipſum lædant, aut ſaltem valdè perterreant in ereptione eius. Eodem modo vix fieri poteſt, vt mundanus ſine læſione aut ſaltem timore conſcientiæ ſibi diuitias per earum abuſum eripi ſinat à famelicis canibus, qui eum in hoc ſæculo nequam circumdant. *Væ ei qui multiplicat non ſua?* &c. *Numquid non repentè conſurgent qui mordeant te? & ſuſcitabuntur lacerantes te?* Væ dicitur ijs, qui multiplicant non ſua. Certè ſi quis fortè ſex, octo aut decem mutatorias veſtes domi conſeruet, relictis multis paupetibus in frigore & nuditate, non video quomodo hæc inordinata multiplicatio iuſta dici aut eſſe poſſit. Si mundus raperet diuitias cum moderamine, nec fieret vllus exceſſus, ſed quilibet illis vteretur tam temperatè, vt honeſtati & ſtatui ſuo ſolùm ſatisfaceret, eſſet tolerabile. Nam etſi hoc modo fortè infructuoſè conſumerentur, tamen fieret hæc conſumptio ſine læſione animæ & conſcientiæ. Nunc autem damnabiles mundi conſuetudines tam exceſſiuum luxũ inuexerunt, vt nullus ijs ſatisfacere poſſit, quin mordeatur & laceretur, adeò vt etiam illi qui inter mundanos modeſtiæ & moderamini ſtudent, in conſcientia terreantur, cùm vident quòd mundus, vt nimis famelicus canis, tanto impetu multa abſumat, quæ pauperibus Chriſti diſtribui poſſent.

Simile. Habac. 2, 6. ℣. 7.

210. In hoc igitur magna eſt pauperum Religioſorum felicitas, quòd ſecum ferant vera bona, & quòd nil habeant de bonis terræ quæ à canibus rapi poſſent; vnde non tantùm liberi ſunt ne ab ijs lacerentur, ſed etiam omnia ſua tam ſecurè cuſtodita habent in manibus Patris cæleſtis, vt infructuoſè conſumi ampliùs non poſſint. Aquam perdit, qui lignum infructuoſo & aridum ac combuſtioni deputatum rigat. Mundus lignum aridum eſt, æternæ combuſtioni deſtinatum: quidquid ei impenditur, infructuoſè perditur. Religioſi ſua Chriſto ligno viridi & fructuoſo libenter & liberaliter reſignant, fructum accepturi tempore ſuo ab eo qui dicet: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.*

Simile. Matth. 25, 34.

211. Pera Religioſorum, in qua ſuas diuitias repoſitas habent, eſt ſpiritus; ſicut mundanorum & cupidorum hominum crumena, corpus eſt

&

& caro. Igitur ſicut hi ſine crumena quæ illis inſecta eſt, vadunt ad Deum poſt mortem ſpoliati omnibus bonis; ita illi qui ſemel omnia terrena propter Deum reliquerunt pauperibus, ſecum ferunt diuitias quibus ſemper abun-
S.Greg. dent. Nota eſt S. Gregorij lib. 21. Moral. cap. vlt. animaduerſio, qua dicit,
Simile. vitam hanc nauigio ſimilem eſſe, in quo prudenter ex naui proijciuntur grauiores ſarcinæ, ne abſorbeantur nauigantes à fluctibus & tempeſtate: qui quando appellunt ad portum, indigent pera & pecunia; primò vt naulum ſoluant, aut per notulam & ſignaculum plumbeum oſtendant quod
Simile. anteà ſoluerint. Nouerunt hoc qui Bruxellâ Antuerpiam traijciunt, quibus in nauis ingreſſu datur nummus plumbeus, quem pro ſignaculo præſtiti nauli ſeruare debent. Item indigêt pecunia pro eo qui parui ponderis ſarcinulam, quæ nauem in tempeſtate periclitantem non multùm grauabat, portet, & in ſe ſuſcipiat. Item ſi porta ciuitatis clauſa ſit, iterùm honorario opus eſt, vt aliquis mittatur qui pro clauibus ſollicitet.

212. Pro his omnibus habent ſufficientem prouiſionem pauperes voluntarij, qui onera & ſarcinas deprimentes terrenarum rerum, ne mergantur, per profeſſionem paupertatis proiecerunt in mare: à quibus quantò magis expediti fuerint, tantò maiorem prouiſionem bonorum cæleſtium, quibus opus eſt, quando homo ad portum huius vitæ nauigando appellit, tunc ad manum habent. Si quid oneris peccatorum in illis remanſerit, non deſunt portitores, quos ad portandum obligarunt, quos eleëmoſynis pauperum peccata ſua redimentes ſibi amicos fecerunt de mammona iniquitatis. Denique pauperes ſpiritu, & maximè Religioſi, habent clarum nauli ſoluti ſignaculum, quia renuntiarunt omnibus quæ poſſidebant, aut cum tempore poſſidere potuiſſent. Hæc enim eleëmoſyna ſummæ liberalitatis etiam fit ab ijs, qui parum aut nihil cum beato Petro actu habuerunt quod relinquere poſſent, perfecta nimirum cupiditatum renuntiatione & diuitiarum contemptu, qui aliquando maior eſt in ijs qui nihil omnino vmquam habuerunt, quàm qui multa reliquerunt. De hac liberalitate maximè intelligi poteſt quod ait Sapiens: *Eleë-* Eccli.
moſyna viri quaſi ſignaculum cum ipſo 17,18.
eſt, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit. Alia lectio habet, *Quaſi ſacculus cum ipſo eſt.* Ex hac enim Religioſorum eleëmoſyna duo fiunt. Primò oſtenditur plumbea notula perſoluti nauli, & ideò ſecundùm vnam lectionem vocatur ſignaculum. Deinde, ſi quid adhuc perſoluendum occurrit, ex merito illius quaſi ex ſacculo ſumitur; adeò vt tales pauperes cum applauſu intromittantur, ab omnibus exemplo Chriſti beatificandi, qui di-
xit: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam* Matth.
ipſorum eſt regnum cælorum. 5,3.

213. Erunt fortè aliqui qui in eleëmoſynis erogandis liberales fuerunt; non tamen hinc ſtatim ſequitur quòd habeant plumbeum ſignaculum perſoluti nauli. Si enim cùm aliqua pauperibus erogarent, plura retinuerunt, quibuſ affectum & cor affixum habuerunt, non dederunt ſufficiens pretium quod requiritur pro hoc ſignaculo, ac proinde dum appellunt ad portum, non ſtatim intromittentur ad regnum, ad quod nemo admittitur, niſi etiam in magnis diuitijs paupertas ſpiritus in illo fuiſſe comprobetur. Inordinati affectus ad res terrenas, quibus alligamur, ſunt vincula poſt

hanc vitam, quibus ab ingreſſu regni cælorum præpedimur. Portò per Euangelicam paupertatem maximè ab his vinculis liberamur, vt cum Dauide Deo gratias agere, & eidem penſum diuinæ laudis in omnem æternitatem perſoluendum promittere poſſimus, Pſalm. 115,17. dicentes: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.*

214. Meritò S. Chryſoſtomus Homil. 2. ad Populum, comparat paupertatem Euangelicam camino, ad quem ex ſingulari miſericordia Dei quidam vocati ſunt vt mundentur & à vinculis abſoluantur, de quo Propheta ait: Iſa. 48, 10. *Elegi te in camino paupertatis.* Addit autem Chryſoſtomus, quòd in illo camino paupertatis renouetur miraculum trium puerorum, quorum Dan. 3. vincula in fornace ignis rupta & ſoluta ſunt, quos ignis non tetigit, ſed ros de cælo miſſus in medio eius illos ita refecit, vt prorumpentes in vocem ỷ. 52. laudis vna voce canerent: *Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis & glorioſus in ſecula.* Eodem modo Euangelici pauperes ſic ex tædio non fiunt moroſi, quin potiùs ipſa paupertas eis refrigerium confert, qua ad laudandum Deum excitentur, Pſalm. 21,27. ſecundùm illud Dauidis: *Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Meritò laudant Deum: non enim ſolùm per paupertatem abſoluuntur, ſed etiam præſeruantur à vinculis & ſordibus peccatorum. Nam Euangelica paupertas includit eleëmoſynam viri, de qua iam ex Sapiente dictum eſt, quòd ipſa habeat ſignaculum ſecum, & gratiam hominis quaſi pupillam Simile. conſeruet. Nota, manus & pedes non ſtatim dolore afficiuntur ſi ſordeſcant, verùm pupilla oculi ex minimo puluere affligitur: ita eleëmoſyna viri gratiam & hominis conſcientiam puriſſimam conſeruabit, quæ nec minimi puluiſculi attactum ſine magno dolore patitur, &c. Amen.

DISCVRSVS XVII.

Religioſi moleſtias paupertatis fortiter ferunt, ſcientes ſe tamquam artificioſas imagines Deo amabiles in cælo collocandos eſſe.

215. QVOD *hominibus altum eſt*, inquit Chriſtus, Lucæ 16,15. *abominatio eſt ante Deum.* Inuehitur his verbis contra Phariſæos, qui erant auari, & deridebant illum ſuadentem diuitiarum contemptum. Indicat autem, verum eſſe quod anteà per Iſaiam ſignificauerat, dicens: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ; neque viæ veſtræ, viæ meæ.* Iſa. 55, 8. Quæ autem ſint cogitationes & iudicia hominum, declarat Sapiens, cum ait: *Abominatio eſt ſuperbo humilitas: ſic & execratio diuitis pauper.* Eccli. 13,24. Apud homines *dat cenſus honores, cenſus amicitias, pauper vbique iacet.* Non ſic apud Deum. Iacobus Apoſtolus obiecit hominibus ſui temporis, quòd in hac materia diſſiderent à iudicio & cogitationibus Dei. *Audite fratres mei dilectiſſimi,* Iacob. 2, 5.6. inquit, *nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo,* &c. *Vos autem inhonoraſtis pauperem.* vnde D. Leo ait Serm. 10. D. Leo. de Quadrag. *Quos viles facit carnalis ſapientia, neſcimus quàm pretioſos ſpiritualis ſit factura gratia.*

216. Huius electionis pauperum variæ ſunt & iuſtæ rationes. Prima, quia id requirit apta rerum diſtributio, vt nimirum abundent cæleſtibus, qui bonis terrenis carent, & vice verſa. vnde S. Hieronymus in Epiſt. 34. S. Hier. ad Iulianum, *Difficile*, inquit, *imò impoſſibile.*

Digitized by Google

poſſibile eſt, vt præſentibus quis & futuris fruatur bonis, vt hic ventrem & ibi Simile. *mentem expleat.* Secūda, quia meliùs ſapient bona cæleſtia ei qui numquam bona terrena expertus eſt: cibus enim eſurienti gratior quàm faſtidienti. Igitur *eſurientes impleuit bonis.* Lucæ 1,53. Tertia, Deus vacua petit corda, vt illa ſolus poſſideat. Eligit igitur voluntarios pauperes, quibus dicitur: Pſalm. 61,9. *Effundite coram illo corda veſtra.*

217. Sicut ergo pauperes mundo abominabiles ſunt, ita Deo amabiles eſſe, nemo dubitare poteſt. Eſt enim pauper, præſertim Euangelicus & voluntarius, imago Chriſti. vnde verè Auctor Operis imperfecti apud Chryſoſtomum Homil. 21. *Si diuitem honoras,* inquit, *propter perſonam ipſius honoras eum; ſi autem pauperem honoras, propter perſonam Chriſti honoras.* Eſt enim cultus imaginis, imago autem ſemper reſpectum dicit, vt docet ſan- S. Bonauent. ctus Bonauentura in 1. diſt. 28. dub. 5. & in 3. diſt. 9. a. 1. q. 2. Reges & Prin- Simile. cipes terræ in aula degentes, in diuerſis prouinciæ & regni ſui partibus cognoſcuntur, ſed in pictura, & in imagine. Eodē modo Chriſtus qui aſcendens in cælum, ſedet ad dexteram Patris, ſeipſum quidem viuum reliquit, inuiſibilem tamen ſub ſpeciebus panis & vini: vt autem pleniùs ſatisfaceret eis qui tenentur deſiderio eius videndi, reliquit amatores & profeſſores voluntariæ paupertatis, in quibus ſeipſum ad oculum præſentat. Pſalm. 40,2. Porrò *beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Multi quidem vident pauperes, ſed illi ſoli in eo intelligunt Chriſtum nobis oſtendi, qui vera & viua fide ipſum agnoſcunt. vnde Chryſologus Serm. 14. ſuper hæc Chryſologus. verba ſic ait: *Oremus Fratres, vt ipſe nobis intelligere intelligenda concedat, qui ſe intelligi in paupere ſic demonſtrat.*

218. Magna eſt igitur pauperis dignitas, etſi multi eum inhonorent, vt conqueritur S. Iacobus Apoſtolus, *Deridetur enim iuſti ſimplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diui-* Iob 12, 4.5. *tum, parata ad tempus ſtatutū.* Splen- Simile. dent quidem diuites in hoc mundo, ſed poſt hanc vitam erit tempus quærendi & emendicandi oleum: quia cùm nihil habeant in vaſis ſuis, eorum lampades extinguentur. Pauperes verò maximè parantur ad ſtatutum tempus, qui hîc negliguntur. Etſi enim lux bonorum exemplorum luceat coram hominibus, non tamen omnes inde glorificant Patrem illorum qui in cælis eſt. Negliguntur enim lampades quæ aptantur tempori futuro, quæ in præſenti tempore inſtar imaginis Chriſtum repræſentant.

219. Nota, quòd pauperes Euan- Simile. gelici non ſint imagines Chriſti qualeſcumque, non enim ſunt pictæ, ſed ſculptæ, quæ ex arboribus & lignis fiunt cum ſui decorticatione & diminutione ſubſtantiæ: à quibus non tantùm cortices, nodi & alia ſuperflua auferuntur (hoc enim ſolùm patiuntur arbores quæ ſtructuræ domus aut alteri fabricæ deſtinantur) ſed poſtquam ſunt diligenter læuigatæ, adhuc ſculptor perſeuerat in auferendo & abſcindendo, donec perfecta imaginis forma poſita ſit. In Scriptura ſacra comparatur homo arbori. Vt autem Simile. intelligamus, quòd paupertatis amatores ordinentur vt ſint imagines Chriſti, notandum eſt, aliquas arbores ad nihil eſſe aptas, quàm vt comburantur, illæ nimirum quæ dum abſcinduntur, omnino emortuæ ſunt & aruerunt. Aliæ ſunt quas ſecuris tetigit dum adhuc eſſent in vigore & virore;

Digitized by Google

tales ad ædificium, aut ſi aptæ ſunt, etiam ad imaginem aut honeſtum aliquod ſimulacrum ordinari poſſunt. Eodem modo ſunt homines, quos in vita non tangit ſecuris alicuius mortificationis, quorum proinde ſalus ſecura non eſt. Nam *qui amat animam* Ioan. 12,25. *ſuam, perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Alij verò ſunt, qui in vita admittunt ſecurim, ſed non omnes ſtatim imagines Chriſti efformantur. Nam qui de eo quod ſupereſt dant eleëmoſynam, ſeruient quidem ſtructuræ cæleſtis Ieruſalem; ab iis verò quos Deus ſegregauit vt ex illis imagines filij ſui fiant, non tantùm cortices, nodi & alia ſuperflua auferuntur, ſed nec neceſſaria iis relinquuntur; nam per profeſſionem Euangelicæ paupertatis renuntiant omnibus quæ poſſident.

220. Triſtis videtur hæc abſciſſio, & irrationabilis arboris ſculptura parentibus & amicis, qui ſine lacrymis vix videre poſſunt filiam ad pedes Sacerdotis ſe diſponentem, vt habitum approbatæ alicuius Religionis recipiat, dum ei priſtinæ veſtes auferuntur, & crines eius abraduntur, ac ſi magnum pateretur damnum, vix præ compaſſione temperant à lacrymis. Sed ſimilitudine ſilueſtris alicuius arboris ſelectæ ad ſculpturam conemur felicem ſortem talis filiæ & religioſæ paupertatis amatricis oſtendere, & fortè qui ſolebant compati, congaudebunt, & qui condolebant, inuidebunt, aut ſi verè amauerint, congratulabuntur ei de tanta promotione.

221. Fingamus igitur arborem quamdam magna vi eradicari, aut excidi de terra à ſculptore: & alias circumſtantes arbores amariſſimè vices illius dolere, quia tam crudeliter ſpoliatur frondibus, ramis, ſine ſpe vmquam reuiueſcendi aut fructificandi. Si arbor illa intellectu prædita eſſet, *Simile.* reliquas his aut ſimilibus verbis meritò poſſet cōſolari. Nolite triſtari, magnū enim fit mihi beneficium ab hoc ſculptore, qui me ex omnibus ſegregauit. Verum eſt, eradicor de terra, cuius vobiſcum hactenus humorem imbibi, ex quo etiam ſoleo florere & frondere; attamen in hac ſilua relicta, ventis, pluuiæ, inclementiæ aëris, tempeſtatum & hiemis etiam expoſita eram, imò periculo quòd tandem non à ſculptore imaginum, ſed à fiſſore lignorum abſciſſa traderer igni comburenda. Nunc autem ab omnibus his incommodis & periculis libera, ſtudioſè cuſtodiar in domo. Et quamuis ad tempus patiar ſecurim, dolabram & ſculptoris cultrum, tamen ſic paulatim polita tandem efficiar artificioſa imago Chriſti, S. Mariæ, aut alicuius alterius Sanctorum. Poſt ſculpturam verò magnis ſumptibus adornabor, & auro, argento, & raris coloribus ac artificioſiſſima cælatura omnium oculis admirabilis & ſpectabilis apparebo. Tandem collocabor in templo Dei, & à prætereuntibus honorabor cereis, genuflexionibus, & multis aliis cærimoniis.

222. Tamquam in figura hîc oſtēſa eſt pauperum Religioſorum felicitas, qui à Deo miſericorditer colliguntur & ſegregantur ex ſilua huius mundi, multis aliis ibidem relictis innumeris incommodis, & prætereà periculo damnationis expoſitis. Illi quidem ad tēpus de terra eradicati, & ſeparati ab omni illius humore, vnde ſuperbire ſolebant, ſubire debent raſuram, dolabram & ſculptilem ſciſſionē mortificationis, ſed poſteà tradentur concinnatori auro & argento, & miris om-

omnium virtutum celaturis adornandi. Nec deſiſtet is qui eos ſelegit, donec vt abſolutiſſimæ imagines Chriſtum Filium Dei ita repræſentent, vt ab eodem digni habeantur, quatenus in cælis collocati ab omnibus honorentur.

223. Huiuſmodi pauperes qui abominatio ſunt ſuperbis & mundanis, non tantùm Deo tandem fiunt amabiles, ſed etiam honorabiles & ſpectabiles hominibus in terris & Angelis in cælis. De his maximè intelligi poteſt

Pſalm. 138, 17 quod dicit Dauid: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*. Quàm magni autem illos Deus facturus ſit in cælis, hoc colligi poteſt ex amore & honore, quo adhuc degentes in terra, necdum illorum ornatu completo, proſecutus eſt. Rapuerunt tunc oculos eius: nam,

Pſalm. 10, 5. Dauide teſte, *oculi Domini in pauperem reſpiciunt*. Nihil poteſt ab homine fieri quod dignum iudicet ſuo aſpectu, ſi deſit humilitas & paupertas ſpiritus. Cogitabant olim Iſraëlitæ magnificam domum illi ædificare, & ita vultum illius ſibi intentum & ad ſe conuerſum reddere: ipſe autem conſiderans in illa deeſſe imaginem ſuam, omnibus apparatibus & pom-

Iſa 66, 1, 2. pis negat aſpectum. *Quæ eſt iſta domus*, inquit, *quam ædificauistis mihi*, &c. *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum?*

224. Facilè negligitur & abijcitur pictura nullius artis, ſi lacerata aut fracta fuerit; ſed opus alicuius Apellis aut Protogenis ſollicitè reparatur, ſi fortè aliquid infortunij illi accidit,

Simile. propter ratum eius artificium. Eodem modo Deus ſpecialẽ curam illorum gerit in quibus conſiderat artificium voluntariæ paupertatis, adeò vt ſi collapſi fuerint, erigat, & ſi confracti,

Pſalm. 71, 14. rupturã diligenter reparet. *Parcet pauperi & inopi*, dicit Dauid, *& animas pauperũ ſaluas faciet*. An non omnes animas ſaluat? Nota: *Vult omnes homines ſaluos fieri*. Et nullus quidem ſaluatur, niſi per eũ de quo dicitur: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me*. Cùm autem dicat Propheta quòd *animas pauperum ſaluas faciet*, ſignificare videtur, quòd vt plurimum ſaluentur, nec tantùm velit illos communi modo, ſed efficaci voluntate ſaluari. Pſalm. 117, 16 Pſalm. 71, 13.

225. Ceterùm cùm nemo non videat voluntariam paupertatem, quæ Filium Dei in imagine præ ceteris virtutibus clariùs repręſentat, iã tenerè ab illo amari, vt propter eam profeſſores eius ſpeciali auxilio, quo efficaciter ſaluentur, digni habeantur, meritò Religioſi illam diuitijs & regnis præponunt. *Ob hoc vnum amanda paupertas*, dicit Seneca, *quòd à quibus ameris oſtendit*. Neſcit diues an ipſe, an verò aurum eius & argentum ametur. Diligebatur Eſau non quia amabilis erat, ſed quia cùm venationi deditus eſſet, aliquando pater ex ea comedebat. *Iſaac amabat Eſau*, dicit Scriptura, *eò quòd de venationibus eius veſceretur*. Pauper verò ſi ametur, amor in illo quieſcit, nec quidquam aliud ab amante reſpicitur. Seneca. Simile. Gen. 25, 28.

226. Parum eſt autem quòd paupertas tibi clarè oſtendat qui ſint veri tui amici, valdè autem multùm eſt, quòd ipſa ingerat Euangelico pauperi certam ſpem amicitiæ Dei, qui ſibi complacet in illo, tamquam in imagine illius de quo ipſe teſtatus eſt, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Imago perſonæ dilectæ non tam propter ſuum valorem, quàm propter amorem eius quem amanti repræſentat, in æſtimatione eſſe ſolet. Noui virgunculam orbatam Matth. 17, 5. Simile.

Digitized by Google

vtroque parente, ita vtriuſque paren-
tis imagine delectari, quòd mallet om-
nibus bonis (vt ingenuè faſſa eſt) quã
illa deſtitui, præponens fortè valorem
50. ducatorum (pro quo etiam ab ex-
pertiſſimo pictore fieri poſſet) multis
millibus, imò toto patrimonio ſuo: tã-
ti enim facit gaudium quod ex paren-
tum ſuorum repræſentatione accipit.
Eodem modo etſi quis fortè in ſe parui
valoris fuerit, ſi tamen illæſa pauper-
tate imaginem Filij Dei retinuerit, in
magna æſtimatione habebitur apud
Deum.

227. Sed occaſione verborum, quæ
ex Dauide iam attulimus, quibus pau-
peribus certam ſpem ſalutis promittit
Pſalm. dicens: *Parcet pauperi.* Videri poſſet,
71,13. Deum ipſam tabulam imagine Filij
ſui aliquando ornatam, poſteà verò
abraſam, id eſt paupertatis profeſſo-
rem, qui peccando illam deleuit, con-
ſeruare, ea ſpe, quòd in ipſo ad Deum
per pœnitentiam conuerſo, iterùm
priſtina imago reponetur. Nota, quòd
omnes tam boni quàm mali habeant
Deum in Patrem, qui omnes paſcit, &
Matth. *qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos*
5,45. *& malos.* Pauperes verò Euangelici
præ omnibus alijs habent prætereà
Filium Dei tamquam Epiſcopum ani-
marum ſuarum, à quo, ſi lapſi fuerint,
facilè benedictionem obtinent; ita vt
de his verè intelligi poſſit quod ait
1. Pet. Petrus: *Eratis enim ſicut oues erran-*
2,25. *tes, ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorem*
& Epiſcopum animarum veſtrarum.

Simile. 228. Notanda eſt pia Epiſcopi cæri-
monia, qui procedens ad templum,
habet manum nummis impletam, vt
cuique pauperi mendico illius aduen-
tum deſideranti impendat eleëmoſy-
nam: qui, omnibus diſtributis, ſe be-
nigno vultu ad eos conuertens, extenſa
manu facto ſigno Crucis, omnes cum
ſua benedictione & ſpiritualis boni
alicuius adprecatione in pace dimit-
tit. Omnes quidem mendici ſumus, &
ſi quis ſe extollens ſuperbè vellet ſibi
tribuere quod habet cum illis *qui di-* Pſalm.
xerunt: Linguam noſtram magnifica- 11,5.
bimus, labia noſtra a nobis ſunt, quis
noſter Dominus eſt? contra eum inue-
heretur S. Paulus, dicens: *Quid habes* 1. Cor.
quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, 4,7.
quid gloriaris quaſi non acceperis? ve-
rùm non omnes cum ſpeciali benedi-
ctione dimittuntur à magno eleëmo-
ſynario & Epiſcopo animarum noſtra-
rum: nam *ſuper populum tuum bene-* Pſalm.
dictio tua, dicit Dauid. 3,9.

229. Pauperes igitur voluntarij,
ſunt ſpecialis populus Chriſti ab illo
præ ceteris benedicendi. Quia enim
quodammodò maledicuntur, & abo-
minatio ſunt ſuperbis & diuitibus hu-
ius ſæculi, ab illo qui ait, *Non enim co-* Iſaiæ
gitationes meæ, cogitationes veſtræ, &c. 55,8.
facilius æternam benedictionem aſſe-
quuntur. Solet Deus in omnibus ſe
contrarium oſtendere iudicio huius
mundi, improbans quod probat, &
laudans quod vituperat. *Maledicent* Pſalm.
illi, & tu benedices, inquit Dauid. Eo- 108,28
dem modo beatificant mundani qui
beatum dixerunt populum cui hæc ſunt, Pſalm.
quos damnat conditor mundi, & tutor 143,15
ac ſaluator pauperis & egeni, dicens:
Væ vobis diuitibus. Lucæ

230. Ex his patet, quòd ſecura ſpes 6,24.
ſalutis fulgeat amatoribus Euangelicæ
paupertatis, qui ſunt imagines Chri-
ſti. Contingit aliquando hominem *Simile.*
diſtrahere & diuendere ſupellectilem
domus ſuæ, qui tamen picturam ſuam
& imaginem ipſum ad viuum repræ-
ſentantem, ſi vllo modo fieri poteſt,
retinebit, quam, niſi coactus, à ſe non
alienabit. Eodem modo ſingulari ſtu-
dio Deus eos conſeruat, qui propter
volun-

Digitized by Google

voluntariam paupertatem, imaginem
Filij ſui præ ceteris expreſſiùs portant.
Non facilè igitur illos dimittet ex hac
vita ſine pace & benedictione ſua Epi-
ſcopali, per quam tamquam oues in
die iudicij ab hœdis ſegregandæ, ſpe-
rare poterunt vltimam benedictionem
Matth. qua dicet: *Venite benedicti*. Profeſſor
25,34. paupertatis dicere poteſt cum Dauide:
Pſalm. *Ego verò egenus ſum & pauper, & Do-*
69,6. *minus ſollicitus eſt mei*. Ergo *in pace*
Pſalm. *in idipſum dormiam, & requieſcam*,
4,10. *quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe*
conſtituiſti me.

231. Ex duobus fundamentis Euā-
gelicus pauper regnum cælorum ſpe-
rat, ex humilitate nimirum, qua effici-
Matth. tur diſcipulus eius qui dixit, *Diſcite*
12,29. *à me quia mitis ſum*, &c. & ex pauper-
tate, qua ipſius viua imago redditur.
Lucæ *Nolite timere puſillus grex*. (dicit hu-
12,32. milibus tamquam diſcipulis ſuis)
quia complacuit Patri veſtro dare vo-
bis regnum. Si autem omnino ſecuri
eſſe velitis, adiungite humilitati pau-
pertatem, vt non tantùm diſcipuli, ſed
℣. 33. etiam viuæ imagines ſitis: *Vendite*, in-
quit, *quæ poſſidetis*. Nota, humiles par-
ui ſunt, ſed non ſemper apparent ta-
les, & ita illis deeſt ratio imaginis, quæ
Pſalm. tota in repræſentando conſiſtit. *Non*
130,1. *eſt exaltatum cor meum, neque elati*
ſunt oculi mei, dicebat Dauid. Qui in
multis diuitijs & honoribus humilis
quidem erat, ſed quia non apparebat,
ideò ſemel volens affectum pauper-
2. Reg. tatis oſtendere, *nudatus eſt* (vt ei ob-
16,20. iecit Michol) *quaſi ſi nudetur vnus*
de ſcurris. Non permittebat ſtatus il-
lius, vt omnibus rebus pauper non ſo-
lùm eſſet, ſed etiam appareret ſemper
humilis, ideò voluit ſaltem ſemel an-
te Arcam pauper videri, vt ita ad tem-
pus imaginem illius, qui per arcam fi-
gurabatur, omnibus oſtenderet. Quòd
enim vix appareant humiles qui ſunt
diuites, patet ex verbis Theophylacti Theop.
in cap. 12. hîc ad hæc verba: *Nolite*
timere puſillus grex, qui ait: *Puſillum*
gregem Dominus vocat volentes eius di-
ſcipuli fieri, quia in hoc ſæculo ſancti
parui videntur cauſa voluntariæ pau-
pertatis.

232. Vt hunc Diſcurſum finiam,
negligenda hîc non eſt opportuna oc-
caſio taxandi ſtultam mundanarum
leuitatem, quæ ſollicitæ ſunt, vt tam-
quam formoſæ & ornatæ imagines om-
nium oculis mirabiles appareant. Sed
rarò aſſequuntur intentum: ſæpè
enim, dum honorari & præ ceteris lau-
dari affectant, tamquam ſtultæ riden-
tur, & vt diſſolutæ nimis ab hone-
ſtioribus vituperantur. de illis dici po-
teſt: *Etenim in imagine pertranſit ho-* Pſalm.
mo, ſed & fruſtrà conturbatur. Fru- 38,7.
ſtrà fit, quod intentum facientis non
obtinet. Verùm *filiæ eorum ornatæ vt* Pſalm.
ſimilitudo templi, quæ omnium oculos 143,12.
in ſe rapere conantur, à multis negli-
guntur, maximè autem à viris illuſtri-
bus & Eccleſiaſticis, qui eas ſuo aſpe-
ctu dedignantur; fruſtrà igitur labo-
rant. Feliciores ſunt imagines Chriſti
& voluntarij pauperes, nam, vt iam di-
ctum eſt, *oculi Domini in pauperem* Pſalm.
reſpiciunt. Illi enim ſunt imagines in 10,5.
cælo collocandæ, de quibus maximè
intelligi debet illud S. Pauli, *quos præ-* Rom. 8,
ſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri 29.
imaginis Filij ſui. Loquitur de confor-
mitate imitationis: nam naturalē Dei
omnes per creationem acceperunt.
Dixit enim Deus: *Faciamus hominem* Gen. 1,
ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. 26.
Vocati à Chriſto Petrus & Andreas,
Iacobus & Ioannes, protinus linea-
menta paupertatis cœperunt ponere,
vt pingerent imaginem Chriſti; ſic
enim ait Matthæus: *At illi continuò* Matth.
reli- 4,20.

Digitized by Google

relictis retibus ſecuti ſunt eum. Super hanc imaginem Filij Dei ſibi impreſſam factum eſt quod Chriſtus illis in primo illo inuitatorio promiſit, dicens:
ỳ.19. *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Præterea eorū amore Deus quodammodo captus, non obſtantibus multis imperfectionibus, parcens pauperi & inopi, finaliter animas pauperum ſaluas fecit, &c Amen.

DISCVRSVS XVIII.

Non minùs ſecurus eſt de centuplo, qui pauca feruenti amore paupertatis reliquit, quàm is qui multa eodem feruore Deo obtulit.

233. NVLLVS eſt profeſſor Euangelicæ paupertatis, qui non ſperet ad magnam animæ ſuæ conſolationem, ſibi à Domino promiſſum eſſe quòd centuplum ſit accepturus, & vitam æternam poſſeſſurus. Verùm moueri poſſet aliquibus ſcrupulus, quorum nimirum fuit curta ſupellex, quando mundum relinquentes omnibus renuntiabant. Nam à Chriſto iis promiſſum eſt centuplum (vt videtur) qui cum patre & matre, vxore & filiis reliquerunt domum & agros, &c. vnde dubium oriri poſſet, quo iure centuplum ſperent, qui parentibus fortè orbati, nec domum nec agros habebant, quando per profeſſionem Euangelicæ paupertatis ſe obſtrinxerunt.

234. Vt huic dubio ſatisfiat, imprimis notandus eſt modus loquendi, quo Chriſtus vſus eſt; non enim dixit copulatiuè, ſed diſiunctiuè:
Matth. 19,29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Si enim cētuplum tantùm promitteretur illis qui omnia hæc ſimul relinquerent, ex mille Euangelicæ paupertatis profeſſoribus vix inueniretur vnus, qui ſe huius ampliſſimæ promiſſionis ſpe conſolari poſſet. Nam, vt cetera taceam, pauciſſimi ſunt qui vxores & filios ſaltem relinquunt, cùm ferè omnes ante nuptias corporales per profeſſionem ſponſalia cum Chriſto contrahere ſoleant.

235. Nota igitur, ſufficere vt quis, mortuo patre, amore Chriſti relinquat matrem, aut ſi vtroque parente orbatus eſt, fratri aut ſorori dicat Neſcio vos. Sed ſi nec parentes nec vllos conſanguineos habuerit ſuperſtites, & tam pauper rebus fuerit, vt nec agrum, nec domum, aut aliquam rem actu poſſideat, quam amore Chriſti relinquere poſſit, non ideò excludi debet à numero illorum, quibus facta eſt promiſſio de centuplo illo Euangelico. Pro quo notandum eſt, quòd Petrus qui cum vxore nec domum propriam nec agros (vt qui quotidiana opera ægrè victum parabat) imò fortè nec fratrem aut ſororem reliquit (habuit enim Andream fratrem ſuum ſuæ vocationis ſocium, an autem ſororem habuerit ſuperſtitem, non conſtat) locutus eſt confidenter dicens: *Ecce nos* Matth. 19,27.
reliquimus omnia, &c. ſuper quæ verba ſic rogat Chryſoſtomus Hom. 65. in Matth. *Qualia omnia, ô Petre? A-* Chryſoſt.
rundinem, rete, nauigium. Omnia quidem hæc dicis, non propter munificentiam, ſed vt per interrogationem, inopem inducat plebem. quia enim Dominus dixerat, Si vis perfectus eſſe, &c. ne dicat aliquis inopum, Quid igitur? ſi non habuero, non poſſum eſſe perfectus? Interrogat Petrus vt tu inops diſcas, quo-

Digitized by Google

quoniam in nullo hic diminutus es.

236. Etſi quis igitur parum aut nihil poſſidet, tamen per profeſſionem omnia reliquiſſe cenſetur, ſi omnium cupiditates relinquit. Ideò enim Deo gratum & Religioſo meritorium eſt omnia relinquere, quia res tranſitoriæ obſunt ſaluti & animarum profectui. Non autem obſunt, niſi quia inordinatè amantur. *Plus enim concupiſcentia mundi, quàm ſubſtantia nocet*, dicit Bernardus. Ergo ſicut nō prodeſt omnia relinquere, manente affectu rerum, ſic non obeſt, nihil, quod poſſit relinquere, poſſidere, ei qui perfectè propter Deum cupiditatibus renuntiat. vnde Origenes Tract. 9. notat Petrum fiducialiùs quidem, verè tamen dixiſſe, *reliquimus omnia*, qui ait: *Etſi enim minima cum fratre reliquit, ſed non minima æſtimata ſunt apud Deum conſiderantem, quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt, vt etiamſi multas habuiſſent poſſeſſiones, omnia reliquiſſent.*

Bernar.

Origen.

237. Reliquit Petrus omnia, quando Chriſto eum vocante cum fratre ſuo Andrea, & ipſe & ille *continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Retia relinquere, eſt curas mundanas* (dicit noſter Ferus accommodatè ad præſens propoſitum) *& terrenorum amorem prorſus abijcere*. Eodem myſtico ſenſu vtitur Remigius can. 3. in Matth. *Relictis retibus, id eſt mundi cupiditatibus*, inquit, *ſecuti ſunt Chriſtum. Perfecta eſt conuerſio, vbi cum cupiditate rerum carnalis quoque rumpitur dilectio*, dicit Gloſſa interlinearis. *Mutatur intentio, non piſcatio*, addit Gloſſa ordinaria, *mutantur retia in doctrinam, cupiditas in amorem animarum.* Retia noſtra ſunt voluntas habendi, quæ damnabilis eſt, ſi aliena quis concupiſcit, quæ raperet ſi poſſet, & ideò prohibetur in Decalogo illis verbis: *Non concupiſces domū proximi tui*, &c. *nec omnia quæ illius ſunt.* Si igitur qui iniuſtè cōcupiſcit, reus eſt apud Deum, ac ſi de facto rapuiſſet, non aliter quàm *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Mirum videri non debet, ſi deuota nihil habentis voluntas, qui libenter pro amore Dei omnibus renuntiaret, pro facto reputetur. Refert Guicciardinus in Horis ſuis fol. 54. de quodam auaro per propriam cupiditatem ridiculè decepto, qui cùm ab amico intellexiſſet, quòd notabilem auri & argenti theſaurum in terra reconditum haberet, & is paucis pòſt diebus repetiſſet theſaurum ſibi ſurreptum eſſe; ſuſpicatus (vt res erat) perfidiam amici, cui ſecretum ſuum crediderat, aſtutia conatus eſt auaritiam eius decipere. Acceſſit igitur capta opportunitate, ſimulans ſe hilarem & conſolatum, dicens: Laus Deo, arridet mihi fortuna; alios mille florenos cogito craſtina die addere tibi noto theſauro à me recondito. Quo audito raptor ille theſaurum ſublatum repoſuit, proponens ſuperadditum argentum cum priori ſurripere. Veniens igitur dominus ad locum, ſuſtulit lætus quod ſuum erat, & perfidus ille homo trium litterarum voto ſuo fraudatus, in oculis Dei fuit pro toto quod concupiuit reus. Dici ſolet à Belgis: *De gierigheyt bedrieght de vvyſheyt.* Hic auarus verè fuit ex ſubdola ablati theſauri repoſitione deceptus, & nihilominùs propter ſolam rei alienæ concupiſcentiam animam fœdauit, cur ſola pia voluntate parum habentis, tamen omnia ſi ſuppeterent amore Dei relinquentis, anima non augebitur meritis.

Matth. 4, 20.

Ferus.

Remig.

Gloſſa.

Exod. 20, 17.

Matth. 5, 28.

Guicc.

238. Hoc ſenſu etiam intelligi poteſt

Marc. 12,42. teſt quod vidua Euangelica, quæ miſit duo minuta in gazophylacium, plus miſiſſe dicatur à Chriſto, quàm multi diuites qui iactabant multa. Cuius exemplo omnes Religioſi, qui pauca habebant, quando per profeſſionem omnibus renuntiabant, ſe confortare poſſunt, ſi tamen perfectè rerum omnium cupiditates deponentes, ita affecti ſunt, quòd ſi multa haberent, libenter relinquerent. Hoc modo ſeipſum conſolans Hieronymus, quem citat
Hier. Gloſſa ordinaria in c. 12. Marc. v. 42. ait: *Hæc paupercula me & ſimiles ſignificat, qui mitto quod poſſum, & deſidero* (nimirum mittere) *quod non poſſum.*

239. Huc commodiſſimè adduci poſſent verba S. Pauli, quibus totam rationem meriti tribuit promptitudini voluntatis, deficiente poſſibilitate pro-
2.Cor. 8,12. pter defectum mediorum, dicens: *Si enim voluntas prompta eſt; ſecundùm id quod habet, accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet.* Quibus verbis ſignificat, quod promptitudo accepta ſit, non donum; quæ cùm magna eſſe poſſit in eo qui parum habet, magna dediſſe cenſeri poteſt. *Subinde æquatur*
D.Leo. *merito, qui diſtat diſpendio* (dicit D. Leo Serm. 4. de Ieiunio 10. menſis) *quia poteſt par eſſe animus, vbi diſpar eſt cenſus.* Et Anſelmus, *Omnes*, inquit, *tam pauperes quàm diuites æqualiter dant, ſi quis ex tanto det quantum habet.* Ille qui parum actu poſſidet, poteſt affectum habere offerendi regna, ſi haberet: ergo in oculis Dei tantum dat, quantum S. Ludouicus Rex Siciliæ dedit, cùm regno renũtians, numero pauperum S. Franciſci adſcribi voluit. Ex his patet, quod pauperrimus cum Petro & Andrea dicere poſſit,
Matth. 19,27. *Ecce nos reliquimus omnia*, ac proinde centuplum in hac vita expectare, & ſpe vitæ æternæ ſibi promiſſæ gaudere poteſt. Non habet hîc locum quod alibi dicit Paulus, quod nimirum *qui parcè ſeminat, parcè & metet.* 2. Cor. 9,6. Nam fieri poſſet, vt plus metat qui nihil omnino habens, per conſequens nihil reliquit aut ſeminauit quàm alius, qui ex ditiſſimo factus eſt pauper; quia non tam reſpicit bonorum operũ remunerator ad copiam ſementis, quàm ad bonam & amplam voluntatem ſeminantis quod habet, & renuntiantis quod non habet.

240. Nullus eſt qui tam parum habet, qui per paupertatis profeſſionem amore pauperis Chriſti non fiat vilior & pauperior: nam per eam fit pauper incapax poſſeſſionis. Quia igitur homo in Deum tam pium & liberalem ſe exhibet, ideò ei centuplum promittit, & de vita æterna aſſecurat. Hæc eſt fortè pietas, de qua Apoſtolus teſtimonium ferẽs ait, quòd *ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.* 1.Tim. 4,8. Omnes accipiunt particulare iudicium in morte, de quo ait Paulus: *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium.* Hebr. 9,27. Ex quo præſciunt quale ſint iudicium habituri, cùm filius hominis ſederit in ſede maieſtatis ſuæ. Religioſæ paupertatis profeſſores tunc moriuntur ſaltem mundo, quando illi per vota monaſtica renuntiant: ac proinde ſicut ex parte moriuntur, ita etiam quodammodò iudicantur, quorum ſecundum iudicium in morte abſolui videtur.

241. Pro quo nota, quòd Euangelici pauperes iudicabunt quidem, ſed videtur quòd non iudicabuntur in die illa tremenda, quando cæli mouendi ſunt & terra, quibus non tantùm vita æterna, ſed etiam iudiciaria poteſtas à Chriſto promiſſa eſt, quãdo ait: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicãtes*, &c. Matth. 19,28. vnde Gregorius lib. 10. Moral. Greg.

ral.cap.17. ait: *Quiſquis enim ſtimulo diuini amoris excitatus hic poſſeſſa reliquerit, illic procul dubio culmen iudiciariæ poteſtatis obtinebit, vt ſimul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc conſideratione iudicij ſeſe ſpontanea paupertate caſtigat.*

242. Qui diuitijs & earum cupiditatibus perfectè renuntiant, in iis ſerpens, cui dictum eſt, *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, nihil habet, ac proinde toti cedunt Deo in cibum. de quibus intelligi poteſt quod ait Dauid: *Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum.* Ad litteram hoc prædicit Dauid de vanis & ſuperbis Doctoribus Philoſophis, Platone, Ariſtotele, qui ſi Chriſto, qui eſt Dei Sapientia, comparentur, quaſi nihil eſſent, euaneſcunt. Sed myſticè poteſt intelligi de ijs, qui omnia terrena relinquentes, cum Petro & Andrea & alijs Apoſtolis adiungunt ſe petræ, *Petra autē erat Chriſtus*, qui pro hac omnium rerum perfecta renuntiatione, & deuota Filij Dei imitatione, futuri ſunt totius mundi iudices, abſorpti, & ad ſalutem eorum illi incorporati, qui ait: *Qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in illo.*

Gen. 3, 14.

Pſalm. 140, 6.

1. Cor. 11, 4.

243. Hac iudiciaria poteſtate etiam illuſtres erunt, qui quamuis ante ingreſſum Religionis obſcuri fuerint & pauperes, nihil aut parum actu poſſidentes quod pro Chriſti amore à ſe abijciant, aut à ſe abalienent, tamen ita affecti fuerunt, vt ſicut nec aquæ multæ, ita nec totius mundi diuitiæ (ſi eis præſtò fuiſſent) vllo modo aut charitatem eorũ extinguere, aut Euangelicæ paupertatis perfectionem retardare potuiſſent, adeò vt non tantùm pares, ſed etiam in charitate potuerint eſſe feruentiores & puriores ijs, qui multa ob Chriſti amorem reliquerunt. Quemadmodum enim ignis purior eſt, qui actu nullas combuſſit ſpinas, quàm qui multas conſumpſit; ita feruentior poteſt eſſe charitas illius qui nullas diuitias habuit conſumendas, quàm ſit eius qui multa reliquit. Vt enim aliquando fumus poſt combuſtionem ponderoſi alicuius trunci in domo cauſari ſolet, non autem ex leui ſtupa vel palea feruenti igni iniecta; ita memoria multarum diuitiarum, quibus aliquando quis gaudere ſolebat, ſerenitatem animæ ſubinde obfuſcare poſſet. Eſt fortè in hac materia idem quod in caſtitate contingit, quam is non minori merito, quamuis minori difficultate, ſeruat qui deſpondit vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto, nec vnquàm ſordidas carnis delicias expertus eſt, quàm alius qui ignem aliquando fouit, cuius poſteà ſcintillas ſentire cogitur.

Simile.

Simile.

244. Porrò ſancti Patres hanc iudiciariam dignitatem ob varias rationes putant Apoſtolis conuenire, quarum aliquas refert S. Thomas in Supplemento q.89. art. 2. Primò propter voluntariam paupertatem, quia per eam omnia quæ mundi ſunt contemnunt, ſoli Chriſto inhærentes, ideoque nihil eſt ob quod eorum iudicium à recta iuſtitia deflectar. Deinde propter voluntarium contemptum & humilitatem quæ paupertati adhæret, cui meritò reſpondet exaltatio & iudiciaria dignitas. Parens habens multas filias, maiorem dotem promittit cum illa quæ exteriùs minùs gratioſa apparet, vt ſi non propter ſe, ſaltem propter dotem ametur. Paupertas ſenſualitati minùs accepta eſt, etſi inſtar Liæ ſit magis fecunda ei qui Iacob, id eſt ſupplantator rerum temporalium eſſe voluerit, ideò cæleſtis Pater, vt illam nuptui tradat, auget dotem, promittens

S. Thomas.

cum ea centuplum, & iudiciariam dignitatem. Non honorantur autem promiſſione tam opulentæ dotis aliæ virtutes, manſuetudo, caſtitas, iuſtitia, prudentia, &c. Cùm enim illæ per ſe non ſolùm ſint, ſed etiam pulchræ & amabiles appareant, facilè eas Deus collocare poteſt, etſi nihil addat præter mercedem quæ omnibus virtutibus ſupernaturalibus communis eſt, quibus Sancti merentur vitam æternam. Præterea voluntarij pauperes meritoriè ſunt extra & ſupra ſtatum eorum qui iudicabuntur, quibus quæſtio mouebitur de operibus miſericordiæ, & erogatione bonorum temporalium,
Matth. 25,42. quando iudex dicet: *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi*, &c. quæ cùm propter Deum à ſe abiecerint, non poterunt de eorum diſtributione aut detentione examinari, neque iudicari, ſed digni ſunt vt honorentur iudiciaria poteſtate & alios examinent, qui hæc bona aut nimis tenaciter ſeruarunt, aut ſi pauperes fuerunt, non voluntate ſed neceſſitate nimis auidè affectarunt. De voluntarijs igitur pauperibus verum erit
Greg. quod dicit S. Gregorius lib. 27. Moralium cap. 10. deſcribens diuerſas diuerſorum conditiones in iudicio futuras: *Alij* (inquit) *non iudicantur, & regnant*. qui ſicut hîc ſingulariter in ſpe, ita tunc in ſpeciali honore & dignitate conſtituentur, ſedentes ſuper ſedes iudicantium, ſegregati à communi congregatione iudicandorum, &c. Amen.

DISCVRSVS XIX.

Religioſi pauperes rebus, & nudi inordinatis affectibus, ac vera charitate feruentes, non facilè incurrunt damnum ſalutis propriæ, & aptiſſimi ſunt vt proſint alienæ.

245. NON eſt tantùm magnæ vtilitatis, ſed etiam eximiæ dignitatis & excellentiæ, Euangelica paupertas. Non prodeſt ſolùm, ſed etiam promouet multùm amatores & profeſſores illius. Incepimus hoc probare ex ijs quæ dicta ſunt Diſcurſu præcedenti, in quo oſtenſum eſt, quòd Euangelici pauperes non tantùm ſint de promiſſo centuplo ſecuri, ſed etiam in die iudicij erunt iudiciaria dignitate præ ceteris clari. Sunt autem in magna exiſtimatione apud Deum, quia inſtrumenta calcant, quibus dæmon fideles impetere & multos ſibi ſubiugare ſolet. qui poſtquam Filium Dei fruſtrà alijs medijs impugnaſſet, tandem oſtenſione gloriæ huius mundi, & diuitiarum promiſſione tamquam efficaciſſimo medio vſus, non eſt veritus ab eo cultum latriæ poſtulare, dicens: *Hæc* Matth.
omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. 4,9.

246. Superba nimis fuit hæc dæmonis præſumptio, qui per terrenas diuitias voluit illum ſuperare, quo docente & intus monente, multi omnibus quæ poſſidebant renuntiarunt. Si hic tentator Dominum gloriæ cognouiſſet, nullam potuiſſet victoriam ſperare in hac materia belli, in qua fuit *vir bellator ab adoleſcentia ſua*, imò 1.Reg.
ab infantia ſua: de quo diu anteà 17,33.
ſcripſit Propheta: *Antequam ſciat* Iſaiæ
vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, 8,4.
auſe-

auferetur fortitudo Damaſci. Nullus Regum Iſraël fuit ſimul infans, & de inimicis ſuis triumphans, niſi Chriſtus, qui non eſt Rex ab homine creatus, ſed à Patre vnctus antequam natus. Quis, inquit Athanaſius lib. 1. de Incarnatione Verbi, ille Rex fuit, qui fortitudinem aliquam contra hoſtes exercuit, antequam patrem aut matrem nominare potuit, à quorum nominum pronuntiatione pueri ſolent infantiæ finem & loquendi initium ponere? Dauid triginta annorum erat, & Salomon iam adultus regnauit. Ioas quidem annorum ſeptem natus, & totidem annorum erat Ioſias cùm regnare cœpiſſet: ſed illa ætas infantiæ finem poſuit. Pueri enim ſeptem annorum non ſolùm matrem & patrem vocare, ſed etiam verbis indebitè prolatis contriſtare poſſunt. Vnius quinque annorum mentionem facit Eccleſiaſtica antiquitas, quem blaſphemum indoluit parens à diabolo ex gremio ſuo raptum.

Athanaſius.

247. Prædicit igitur Propheta de Puero qui natus eſt nobis, & de vnigenito Dei Filio, qui datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius, quod antequam ſciat naturali & vulgari modo fari, aut dicere, Pater mi, mater mea, quòd infantes primò dicere ſolent, auferet fortitudinem Damaſci. Porrò quæ ſit illa fortitudo, quam abſtulit, inquirendum eſt. Chryſoſtomus in cap. 2. Matth. per eam Magos intelligit, qui ex Oriente venerunt Ieroſolymam. Sed Auguſtinus Serm. 4. de Epiphania ait: *Puer accepit virtutem Damaſci, illam ſcilicet vnde Damaſcus præſumebat: in diuitijs ſiquidem ciuitas illa ſecundùm ſæculum florens aliquando præſumpſerat. In diuitiis autem principatus aurum defertur, quod Chriſto Magi ſuppliciter obtulerunt.* Aufert hæc puer ille non vt ipſe poſſideat, ſed vt illi qui poſſidebant, eadem amore illius contemnant.

Chryſoſtom.

Auguſt.

248. Eſt victoria ſummæ gloriæ pro Chriſto, dum aliquis fit illi ſimilis in paupertate. Hanc non obtinuit Deus in veteri Teſtamento, ſed illi reſeruata fuit, qui pro nobis egenus factus eſt cùm eſſet diues. Fides erat in veteri Teſtamento, & quidem valdè fortis: nam *Sancti per fidem vicerunt regna.* Obedientia ſumma, humilitas, caſtitas, imò etiam charitas: verùm voluntaria paupertas voto firmata nuſquam apparet. Omnia membra quorumdam Sanctorum veteris Teſtamenti ſpirarunt miram virtutum fragrantiam, ſed nuſquam apparuerunt pedes pulchri, qui ex diuitiarum contemptu & conculcatione, ſuam venuſtatem Deo gratiſſimam acquirunt. vnde pedes Apoſtolorum laude digni cenſentur, adeò vt Paulus citans Iſaiam dicat: *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Si per pedes affectus intelligamus, valdè pulchri & mundi fuerunt, quibus nihil de puluere terrenarum rerum adhæſit. vnde dictum eſt: *Excutite puluerem de pedibus veſtris.* Certè ille excutit puluerem de affectibus, qui diuitias loco honorabili non dignatur, ſed patitur vt ad pedes proijciantur. *Afferebant pretia eorum quæ vendebant* (inquit Lucas) *& ponebant ad pedes Apoſtolorum.*

Hebr. 11,33.

Rom. 10,15.

Matth. 10,14.

Act. 4, 34.35.

249. Maxima ſimilitudo duorū hominum cōſurgit ex eo, quòd vnus faciē alterius perfectè referat. Sed Chriſtus ad pedes præcipuè reſpicit eorum, qui illū imitari & ad viuum repræſentare conantur. *Conuerſus* (ait Ioannes) *vidi, &c. ſimilem Filio hominis, & pedes eius ſimiles aurichalco ſicut in camino ignis.*

Diſſimile.

Apoc. 1,14.

ignis. Aurichalcum inter omnia metalla plus aſſimilatur auro (dicit Hugo Cardinalis) ſic Apoſtoli Chriſto, quorum pedes etiam igniti ſunt per contemptum diuitiarum. Daniel in veteri Teſtamento vidit alium ſimilem Filio hominis, de quo ait: *Brachia & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis.* Nota, *vſque ad pedes* excluſiuè ignita qualitas tunc tantùm ſe extendebat; patres igitur veteris Teſtamenti nitebantur Chriſto venturo aſſimilari brachiis, id eſt operibus charitatis, ſed tantùm vſque ad pedes, qui etiam in nouo Teſtamento incenſi ſunt in camino paupertatis, qua terrena omnia calcant.

Hugo Cardin. — Dan. 10,6.

250. Hos pedes tamquam pulchros laudat: nam quorum affectus ab omni re terrena alieni, & vera charitate Dei igniti ſunt, maximè idonei cenſentur vt alijs proſint, quibus vix aliquis obeſſe poteſt. Pro quo nota, quòd ignis omnia in ſe conuertat. Non habent hos Euangelicos pedes, ſed potiùs rerum cupiditate quàm ſincero animarum zelo & charitate ardent, qui huic ſæculo, ſtatu tamen & vocatione, ac profeſſione ab eo ſegregati, ſe conformant, in quibus illud Prophetæ compleri videtur: *Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos.* quæ verba S. Bernardus, à rigore litterali parum deflectens, adaptat Monachis & Sacerdotibus, qui vanitati huius ſæculi ſe accommodantes, vitam quodammodò laicorum agunt, adeò vt videantur antiquo illo dicto notari poſſe.

Simile. — Iſaiæ 24,2. — S. Bern.

Quidquid agit mundus, Monachus vult eſſe ſecundus.

251. Ignis naturâ ſuâ vorax eſt: eodem modo vult Deus vt viri Apoſtolici, mediante charitate, quæ ſine rerum temporalium contemptu aut ſenſualium deſpectu illæſa non conſiſtit, ſint ſalutares animarum helluones. Hinc demiſſo cælitus linteo reptilibus & beſtijs terræ oppleto, capiti Apoſtolorum dictum eſt: *Surge Petre, occide, & manduca.* Nota, quòd is qui per charitatem non fit efficax vt deuoret alios, facilè deuorabitur ab alijs per inordinatam cupiditatem. Ignito autem Prophetæ populus inſtar ligni ſubijcitur, qui in tepidum Sacerdotem tamquam ignis dominatur. Ieremias Propheta fortè timens diſcriminoſum congreſſum cum mundo, qui aliquando corrūpit eos qui eidem remedium videbantur adferre velle, à Deo confortatus eſt. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum* (inquit) *Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum iſtum in ligna, & vorabit eos.*

Simile. — Act. 10, 13. — Ierem. 5,14.

252. Timebat fortè Propheta à populo deuorari, quem proinde Deus his verbis eſt conſolatus. Qui manducat cibum viuum, meritò timere debet ne ipſe ab eo comedatur. Viuebant reptilia, quæ Petro in linteo oſtēſa erant, vt ſciant omnes, quòd ſibi cauere debent ab iis, quibus ad ſalutem ex officio prodeſſe debent. Non ſine cauſa dixit Chriſtus: *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cauete autem ab hominibus.* Non tam à gladio, quàm ab hominum maximè mulierum blandimento, ſibi cauere debet, qui ſic illarum conuerſioni & profectui ſtudet, vt extra periculum peruerſionis ſe contineat. Famoſus ille noſtri ſæculi apoſtata Henricus Boxhorinck, Decanus quondam Thenenſis, & poſteà Bredanus miſer hæreticorum Miniſtellus, minùs ſibi cauens à ſuæ Sibyllæ blanditiis, expertus eſt quòd *melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Nimis enim timens Eccleſiaſticam cenſuram, fugit viros, & incidit in laqueum mulieris, non igno-

Simile. — Matth. 10,16. — Eccli. 42,14.

Digitized by Google

Prou. 6,26. ignorans tamen, quòd *pretium ſcorti vix eſt vnius panis, mulier autem viri pretioſam animam capit*. Infelix eſt **Simile.** venator, qui cedit feræ in cibum. Miſerior eſt animæ venator, qui per ſuam imprudentiam deuoratur à muliere, quam ille videbatur ſua conuerſatione Domino delicatum cibum parare velle.

253. Non deſunt in Eccleſia Dei Religioſi vtriuſque ſexus, qui prætextu promiſſæ beatitudinis, quæ à Chriſto facta eſt ijs qui proximi ſalutem deſi- **Matth. 5,6.** derant & promouent, quando ait, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam*; propria ſponte ſe implicant ſæcularium conſortijs: ſed ſi cum metu & tremore operarentur ſalutem propriam, fortè nollent cum periculo curare alienam, præſertim inexperti & minùs in ſpiritu fundati. *Si poſſet patienter comedere olus, Regibus vti nollet Ariſtippus.* Sapiens cui per ſuperiores licet cum Magdalena manere ad pedes Chriſti, non vult abſorberi & turbari erga plurima. Nam ſi minùs lucratur, minùs etiam periclitatur. Si quis magno de- **Simile.** ſiderio ſentiret, ſe ferri ad carnem ferinam in venatione capiendam, & probè ſciret, fortiſſimos venatores, vt ſimili deſiderio ſatisfaciant, à feris deuoratos eſſe, certè inſanus eſſet dicendus, ſi, cùm domi honeſta refectione gaudere poſſet, ſe periculo ex- **Simile.** poneret. Porrò in venatione ferarum à pluribus & fortioribus ſimul aggregatis maius periculum imminet: verùm in animarum venatione maximè periclitantur qui ſolas & infirmiores aggredi præſumunt. Sincera erat Chriſti fames iuſtitiæ & animarum, reſpiciebāt tamen eum Apoſtoli, tamquam nimis animoſum; quòd ſolus cum ſola, & quidem infirma fera tra- **Ioan. 4,27.** ctaret. *Continuò venerunt diſcipuli eius* (inquit Euangeliſta) *& mirabantur quòd cum muliere loquebatur.*

254. Significauit Chriſtus Samaritanam illam cibum ſuum eſſe. vnde ait Apoſtolis inuitantibus eum ad manducandum: *Ego cibum habeo* **ŷ.32.** *manducare quem vos neſcitis*. Totus ignis & ignitus erat Chriſtus. Non eſt mirum, quòd ipſe ſolus cum ſola loquens mulierem conuerteret, & vt lignum deuoraret. verùm multi ſunt, qui cum mulieribus nimis imprudenter & frequenter agentes, titulo quidem charitatis & ſpiritualis profectus, ſed reuerà impulſu ſenſualitatis ab ijſdem deuorantur, & dum obligantur eſſe Prophetæ comedentes panem, quem ad exemplum Chriſti ad gloriam Dei deberent habere, qui dixit: *Ego cibum habeo*, &c. potiùs à feris illis comeduntur & habentur. Fera **Simile.** enim manet fera, dum venatorem ſuperat; fit autem eidem panis & cibus, ſi ab eo ſuperatur. Deploranda quarumdam leuitas & diſſolutio puellarum confirmat hanc veritatem, ad quas ſi quis fortè inutilis viſitationis aut collocutionis gratia diuerterit, continuò ſanctæ ſuæ deſponſationis immemores, de quo Apoſtolus, *De-* **2 Cor. 11,2.** *ſpondi enim vos vni viro*, inquit, *virginem caſtam exhibere Chriſto*, ſe mutuò rogant: *VVie heeft hem? vvie heeft hem? Quænam illum habet?* in fautorem ſcilicet & ſpecialem. Verè dicunt venatorem feram non habere, ſed ab ea haberi, dum diſſoluta ab eo, qui modeſtiam & grauitatem ex officio prætendere tenebatur, non conuerſa, ſed ipſe potiùs ab illa peruerſus eſt.

255. Manens igitur diſſoluta & irreligioſa quæ erat, ſæpè incipit continua cogitationum reuolutione in mente habere quem priùs hoc inutili modo non habebat. Non enim abſo-

luta-

luta viſitatione & infructuoſo colloquio finitur ſtatim remanens diuerſorum phantaſmatum impreſſio. Sap.9.15. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Quod vtique de proprio corpore verum eſſe, cum dolore ſentimus, & nihilominùs de alieno, cuius imprudenti conuerſatione diſtrahimur, experimur: cum quo ſi fortè per horulam locuti ſumus, poſteà de illo per menſes & annos cogitando diſtrahimur. Benè monet Paulus, vt attendat ſibi qui proximum curat, & vt inſtruat peccantem Gal.6,1. in ſpiritu lenitatis: *Conſiderans teipſum,* inquit, *ne & tu tenteris.* quibus verbis ad litteram monet, ne quis propter peccatum alicuius ſe durum & immitem exhibeat. Sed ſi velit conſumere alienum malum, inſtar ligni aggrediatur illud igne amoris. Quam praxim Auguſtinus hunc locum tra- Auguſt. ctans docet. *Numquam,* inquit, *alieni peccati obiurgandi ſuſcipiendum eſt negotium, niſi cum internis interrogationibus, examinantes noſtram conſcientiam, liquido nobis coram Deo reſponderimus, dilectione nos facere.* id eſt ſola dilectione proximi nos moueri. Sed ad propoſitum noſtrum, qui prætendit alterum lucrari, aut ad maiorem profectum promouere, ſollicitus eſſe debet vt ſit liber ab inordinata concupiſcentia (maximè ſi cum perſona alterius ſexus tractandum eſt) ne cadens in tentationem, ſeipſum perdat, ſed potiùs eum cui decreuit prodeſſe, igne ſinceræ charitatis ad ſe conuertat.

256. Laudat igitur Deus (vt ad propoſitum reuertamur) per Prophetam pedes euangelizantium bona cæleſtia, nec deſiderantium ſed calcantium terrena. Nam charitas, ſine qua nemo fructuosè proximo laborat, & inordinata quælibet cupiditas, qua ſeipſum periculo peruerſionis & corruptionis exponit, numquam ſimul morantur. Quemadmodum, Auguſtino teſte, *venenum charitatis eſt cupiditas* poſſidentium, ita eiuſdem charitatis vis & efficacia, ad conuerſionem animarum, eſt Euangelica paupertas, omnibus quę habere poſſent renuntiantium. vnde Chriſtus volens mundum conuerti, & Apoſtolos per eum non peruerti, mandauit illis voluntariæ paupertatis generale omnium vitiorum antidotum, dicens: *Nolite portare ſacculum, neque peram.* Notat hîc Caietanus, Lucæ 10,4. quòd non modò argentum, ſed ar- Caieta. genti loculum prohibeat, vt deſignet cum pecunia etiam illius concupiſcentiam relinquendam eſſe viris verè Apoſtolicis. *Vt omni ſuſpicione auaritiæ carerent apud eos* (dicit Toletus Tolet. in Commentario huius loci) *quibus prædicaturi erant verbum, ſacculum in quo aſſeruantur pecuniæ prohibet.* Aliam adhuc rationem aſſignat Eu- Euthymius. thymius. *Dat,* inquit, *diſcipulis legem perfectæ paupertatis, volens vt non ſolum ſine ſuſpicione, ſed etiam in admiratione ſint.* Summoperè mirabatur Soldanus S. Franciſci paupertatem, qui obtulit ei multa munera pretioſa, quę vir Dei, non mundanarum rerum, ſed ſalutis animarum auidus (inquit Bonauentura in Vita illius c. 9. §. 7.) S.Bonauentura. ſpreuit omnia quaſi lutum. Soldanus autem admiratione permotus, maiorem erga ipſum deuotionem concepit, rogans vt prædicta reciperet pro ſalute ipſius, Chriſtianis pauperibus vel Eccleſijs erogāda. Ipſe verò, quia in animo Soldani verè pietatis non videbat radicem, nullatenus acquieuit. Nota, recuſabat oblata, quia videbat ſaluti offerentis non profutura. vſque modò habet filios, quibus gratæ ſunt offerentium

Digitized by Google

rentium eleëmoſynæ, non quia eis neceſſariæ, ſed quia dantibus meritoriæ, adeò vt non reciperent libenter eas, quas pudor aut reſpectus aliquis humanus extorſit, & dantibus infructuoſas reddit.

257. Pro concluſione huius Diſcurſus alia adhuc occurrit ratio, ob quam voluit vt Apoſtoli nihil habentes omnino recuſarent oblatas diuitias, parco & ſimplici victu contenti, quam ex S. Thoma attigimus in fine præcedentis Diſcurſus, vt nimirum nihil ſit quod eorum iudicium à recta iuſtitia detorqueat. Fit enim facilè, ſecundùm illud Belgarum proloquium: *Het ghelt dat ſtom is, maeckt recht dat crom is: Ex multa pecunia facilè claudicat iuſtitia.* Principes Sacerdotum pecuniam copioſam dederunt militibus ſepulchri Chriſti cuſtodibus, dicentes:
Matth. 28,13. *Dicite, quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus.*
℣. 15. *At illi accepta pecunia fecerunt ſicut erant edocti. Et diuulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos vſque in hodiernum diem.*

258. Item qui eſt capax poſſeſſionum, facilè adulatur pecunioſo, ne gratiam illius perdat, etſi in aliquo fuerit reprehenſibilis, ſpes pecuniæ,
Iſa. 56, 10. quæ muta eſt, facilè efficit *canes mutos neſcientes latrare.* Excogitantur ſæpè nouæ & laxæ ſententiæ ab iis vtique *qui non amore æternæ patriæ* (vt verbis
Gregor. vtar Gregorij Homil. 17. in Euangel.) *ſed præmiorum ambitu ſalutem audientibus prædicant.* Verumtamen *væ*
Ezech. 13,18. & 19. *qui conſuunt puluillos ſub omni cubitu manus, &c. viuificarent animas quæ non viuunt.* Voluit igitur Chriſtus, vt Apoſtoli cum pecunia etiam peram relinquerent, id eſt nec diuites, nec diuitiarum cupidi eſſent, vt verbum Dei, quod non eſt alligatum, liberiùs prædicarent, nec publicè aut priuatim erubeſcerent Euangelium. Qui enim hæc terrena amant, & accipere ac poſſidere poſſunt, vt experientia docet, ſæpè *beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt,* Pſalm. 143,15
& in via ſalutant. quòd Apoſtolis etiam prohibetur à Chriſto: *Neminem per viam ſalutaueritis,* inquit. *Quaſi in* Lucæ 10,4.
itinere ſalutat, dicit Gregorius loco ſuprà citato, *qui ex occaſione & non ex intentione ſalutem audientibus exoptat.* Gregor.
Adfert Lyranus noſter aliam horum verborum expoſitionem, etſi communem, aſſerit tamen non eſſe litteralem, ſed ſpiritualem & myſticam. *Neminem per viam ſalutaueritis*, id eſt ſaluum dixeritis in hac vita, in qua quilibet eſt incertus de ſalute futura. Secundùm hanc expoſitionem prohibet, ne quemquam nimis ſecurum reddant. Præſertim autem monendi ſunt diuites vt cum metu & tremore ſalutem ſuam operentur. quibus ſæpè inculcanda eſt terribilis illa Chriſti Saluatoris ſentẽtia: *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum.* Quod vt veraciter & fideliter fiat, elegit Apoſtolos à rerum terrenarum appetitu omnino alienos, qui tantò feruentiùs omnium ſalutem procurent, quantò perfectiùs omnibus terrenis renuntiant, &c. Amen.

Lyran. Lucæ 10,4. Matth. 19,23.

DISCVRSVS XX.

Qui ita paupertatem voueant, vt non vereantur amore eius ſubinde inediam pati, Martyribus annumerandi cenſentur.

259. DISPVTANT Doctores, vtrùm mors ſit de ratione martyrij. Affirmat S. Thomas 2. 2. q. 124. a. 4. pro quo contendens Caietanus contra quemdam Martinum de S. Th.

Magiſtris, doctè & multis probare conatur, ad perfectam martyrij rationem pertinere, vt quis pro fide moriatur. Non deſunt autem alij qui largiùs intelligunt nomen martyrij. vnde multi Mariam Virginem non conferunt modò, ſed etiam præferunt in gloria martyrij ijs qui mortem propter Chriſtum paſſi ſunt. Et certè Auctor Sermonis de Aſſumptione apud Hieronymum, Virginem martyrem vocat.

S. Bonauen. Quid hac in re ſenſerit S. Bonauentura, non adeò clarè conſtat, etſi multa SS. Patrum loca citet lib. 4. Pharetræ cap. 49. Ex quibus patet, eos ab illis etiam nomine Martyris fuiſſe honoratos, qui deſiderabant quidem pro Chriſto mori, ſed in pace fuit amaritudo illorum amariſſima.

Gregor. *Mori à perſequente, in aperto opere eſt* (inquit Gregorius Homil. 35. in Euangel.) *ferre verò contumelias, & odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione.*

Iſidor. Iſidorus in Etymologijs lib. 9. cap. 11. ait: *Duo ſunt genera martyrij, vnum in aperta paſſione, alterum in occulta animi virtute. Nam multi hoſtis inſidias tolerantes, & cunctis carnalibus deſiderijs reſiſtentes, per hoc ſe omnipotenti Deo in corde mactauerunt, & pacis tempore martyres facti ſunt.*

260. In particulari multi ſunt, qui voluntariam paupertatem opinione & nomine martyrij honorãt.

Chryſoſtom. *Habet paupertas martyrium ſuum, & egeſtas verè tolerata facit martyrem*, dicit Chryſoſtomus, quem citat Bonauentura ſuprà, *ſed egeſtas propter Chriſtum, non propter neceſſitatem.*

S. Bernardus. Idem ſentit Bernardus Serm. 1. in Feſto omnium Sanctorum, qui ait: *Veri martyrij genus eſt paupertas voluntaria.* Multum facit pro hac doctrina, quòd Chriſtus idem præmium ijſdem verbis decreuerit pauperibus & martyribus. *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* & tandem in fine: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Matth. 5. 3. ꝟ. 10. In hac ſententia fuit Patriarcha pauperum Franciſcus, vt patet apud Waddingum Collatione 8. lib. 3. Opuſculorum. VVaddingus. *Si frater ſubditus*, inquit, *aperiens neceſſitatem corporis, propter paupertatem habere non poteſt quo indiget, ſuſtinet amore Domini patienter, qui etiam ſuſtinuit quærens qui eum conſolaretur, & non inuenit. Et hac neceſſitas ſibi à Domino imputabitur pro martyrio. Et quia fecit quod ſuum eſt, id eſt quòd petijt humiliter ſuam neceſſitatem, excuſatur à peccato, etiamſi corpus inde grauiùs infirmetur.*

261. Docet idem ſanctiſſimus Pater Collat. 10. Fratres ſuos, ne citò eos terreat quæcumque neceſſitas. *Si adeſt Fratri vera neceſſitas*, inquit, *& ſtatim ſatisfacere properat, quid mercedis accipiet? Ipſas namque indigentias non patienter ferre, nihil aliud eſt quàm Ægyptum repetere:* vnica neceſſitate moueri debet Religioſus, maximè S. Franciſci filius, vt nimirum vitam vtcumque ſuſtentet. Huic neceſſitati pauca ſufficiunt, ei autem qui voluptati deditus eſt, omnia deſunt, & multis neceſſitatibus premitur: quas ſi propter Deum toleraret, facilè impetraret à Domino conſolationem ſpiritus, dicens cum Dauide: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.* Pſalm. 62. 6. Infirmo corpori medicamentum potiùs quàm nutrimentum quæri debet. Simile. Eodem modo ægrotanti animo illius, qui paupertatis eſt impatiens, & multas palliatas neceſſitates fingit, non ſunt quærendæ res concupitæ quæ nutriant, ſed potiùs medicinales mortificatio-

Eccli. 18,30. ficationes quæ ſanent. *Poſt concupiſcentias tuas non eas*, dicit Salomon, *& à voluntate auertere*. Ignaui eſſet Martyris, qui ſub tortoris manu conſtitutus pro Chriſto patiens, procuraret ſibi vinum, quo ſenſus omnis hebetaretur: Simile. iniuſtè enim ſibi arrogaret martyrij honorem & gloriam, pro quo nollet percipere dolorem & pœnam. Eodem modo pro furto ei reputandum eſt nomen pauperis, qui omnibus neceſſitatibus ſuis ſatisfieri deſiderat.

262. Errant, qui liberi ab omnibus neceſſitatibus eſſe volunt in valle lacrymarum. Petijt hoc Dauid non pro hac vita, qui ait, Pſalm. 114,3. *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui*; ſed pro futura, quando nullius rei erit neceſſitas, & ſummi boni promittitur Pſalm. 35,9. vbertas, ipſo teſte. *Inebriabuntur*, inquit, *ab vbertate domus tuæ*. Quodam igitur die valdè obrutus triſtitia, clamauit ad Dominum, dicens: Pſalm. 24,17. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me*. Per neceſſitates intelligit pœnalitates & aduerſitates huius vitæ, vt exponit Ayguanus. Hugo Cardin. Ayguanus & Hugo Cardinalis. hoc ſenſu dicitur: Eccli. 6,10. *Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis*. Ab iſtis neceſſitatibus non petit liberari in hac vita. Si enim iuſtus ſine illis viuere poſſet, profectò neceſſitates non eſſent. Sunt igitur illæ neceſſitates ineuitabiles, dicit Haymon: vnde Auguſt. Gloſſa interlin. Gloſſa interlinearis citans Auguſtinum, ſic inducit Dauidem ad Deum clamantem, vt poſt hanc vitam liberetur: *Quia hoc mihi tolerare neceſſe eſt vſque ad finem, vt ſaluus fiam*. Petit liberari de neceſſitatibus, per quas Lyran. neceſſe habet tranſire, dicit Lyranus noſter. Non tranſit autem, qui in illis per impatientiam ſuffocatur.

263. Franciſcus igitur volens vt ſui ſint Martyres per obſeruantiã paupertatis, non fuit contentus quòd eam vouerent, ſed ordinauit eamdem ita ſeruari debere, vt eius profeſſores aliquando inopiam paterētur, non quòd ſufficientia deeſſent illis, ſed quod habere nollent: adeò vt ſicut paupertas, ita & illorum egeſtas voluntaria ſit. In triplici differentia inueniuntur homines in hoc mundo. Aliqui Deo meritò exoſi plura petunt, quàm eis ab illo in menſa huius mundi appoſita ſunt, qui proinde poſt hanc vitam eius cœna indigni cenſentur, de quibus intelligi poteſt illud Sapientis: *Alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt*. Rapiunt ſi poſſunt, & concupiſcunt ſi non poſſunt, indigni quos Deus ad lautius conuiuium vocari faciat. Quemadmodum Simile. enim inuitatus ad moderatam refectionem, inuitantem ignominia afficeret, ſi ſe moroſum exhibens, aliorum quàm appoſita ſunt appetitum manifeſtaret, & benignum hoſpitem nimiæ tenacitatis argueret, qui proinde indignus cenſeri poſſet lautiori conuiuio, ab eodem ſuo tempore honeſtioribus ſuis amicis præparando, eò quòd manifeſtè probauerit ſe eſſe de numero illorum, de quibus dicit Sapiens: Eccli. 29,32. *Hoſpitabitur, & paſcet, & potabit ingratos, & adhuc amara audiet*. Eodem modo indignus habendus eſt cœna magna, qui ingratus eſt præſentibus, & plura deſiderat & lautiora quàm benignus Deus, qui nunc pro cuiuſque conditione dat omnibus affluenter, ei largitus eſt.

264. Alij ſunt qui acquieſcunt monitioni Apoſtoli dicentis: Hebr. 13,5. *Sint mores ſine auaritia, contenti præſentibus*. item: 1. Tim. 6,8. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*. Hi quidem magnificum Dominum nulla

ignominia afficiunt, ſed tamen eius liberalitatem vtcumque obſcurant, ſi nihil eorum quæ apponuntur ſibi ſubtrahentes, videntur ſubindicare quòd non procurauerit eis aut plura aut lautiora quàm neceſſitati adæquatè neceſſaria ſint. vnde vix notam cuiuſdam immodeſtiæ & ruſticitatis euadunt, qui facilè murmurarent, ſi aliquid completæ neceſſitati deeſſet. De his intelligi poſſet quod ait Dauid: *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei, ſi autem non fuerint ſaturati, & murmurabunt.*

Simile

Pſalm. 48,19. Pſalm. 58,16.

265. Portò gratior eſt Deo illorum honeſta indoles, qui multa ex iis quæ ab eo offeruntur & permittuntur, illius amore relinquunt, exiſtimantes magnam eſſe conuiuarum inurbanitatem, omnia quæ appoſita ſunt deuorantium: hoc enim ingereret ſuſpicionem inſufficientis prouiſionis. Hos Deus ſua cœna cæleſti dignos iudicat, & quia hanc ſuam ſobriam refectionem ita honorant, vt pro ea grati ſint, eos beatificat ex certa futuræ abúdantiæ promiſſione, dicens: *Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini*. Hi ſunt quos Franciſcus Martyribus annumerandos cenſet, qui palliatas neceſſitates non fingunt, ſed etiam veras propter Deum diſſimulant.

Simile.

Lucæ 6,21.

266. Pro quo notandum eſt, quòd voluntariæ illæ indigentiæ nō foueant vitam, ſed potiùs ex natura ſua natæ ſint anticipare mortem. Nec refert, quòd ſæpè huiuſmodi pauperes diu viuere contingat: ſatis eſt enim ad rationē martyrij, vt quis propter Deum tale quid aggrediatur aut patiatur, quòd mortem accelerare poſſet, etſi cauſa (Deo fortè illius actionem ſuſpendente aut retardante) non conſequatur ſuum effectum. Permittitur ex Regula c. 2. filijs S. Franciſci, *vt qui neceſſitate coguntur, poſſint portare calceamenta.* qui autem ex feruore charitatis voluntariè calceamentis & multis alijs neceſſitatibus renuntiantes *in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate* Domino famulantur, ſine dubio ſicut alij Martyres fidem, ita illi fiduciam, quam de Deo habere debemus, qui paſcit volucres, profitentur auſtero illo viuendi modo, qui omnium iudicio naturaliter vitam abbreuiaret, niſi ille rigoris & auſteritatis effectum impediret, *qui dat niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit*: & niſi *oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.*

Regula S. Franciſci.

2. Cor. 11,27.

Pſalm. 147,16. Pſalm. 32,18. 19.

267. Tres pueri, qui de camino ignis illæſi egreſſi ſunt, Martyribus, nemine refragante, ſunt adſcribendi, cùm ab igne, cui ſe propter Deum commiſerunt, fuiſſent interempti, niſi Deus per rorem cælitus ei immiſſum, illius actiuitatem temperaſſet. Cur non martyrij titulo gaudebunt, qui ſic paupertatem profitentur, vt etiam egeſtatem & inopiam libenter patiantur? Quæ etſi non tam citò, ſicut ignis, comburit, lentè tamen profeſſores eius conſumeret, niſi ille, qui alit, eos in fame & niue tamquam lana fouet, in frigore & nuditate ſe opponeret? Quod autem vrit paupertas, cui egeſtas aſſociata eſt, etſi non tam velociter ſicut ignis comburat, teſtatur Deus per Iſaiam Prophetam: *Ecce excoxi te, ſed non ſicut argentum, elegi te in camino paupertatis.*

Iſaiæ 48,10.

268. Nota, aliqui ſunt quidem in ſtatu paupertatis quam vouent, qui quòd nimis ſollicitè omnibus neceſſitatibus ſatisfaciant, potiùs ſenſum pauper-

pertatis horrere quàm fouere viden-tur, qui tunc Martyrologio inſcribi merebuntur, quando Eccleſia illos tā-quam Martyres honorat, qui fidem quidem profitentur, ſed ita contra perſecutionem tyrannorum ſe armis & ferro defendunt, vt ex perſecutione nullam moleſtiam ſentiant. Manet igitur vera S. Franciſci ſententia, qua illi ſoli martyrij nomine illuſtres cen-ſentur, qui ad caminum tam auſteræ paupertatis à Domino electi ſunt, vt per egeſtatem & multarum rerum ino-piam in eo excoquantur. Si non tanto rigore ſicut argentum excoquuntur in igne naturali, non tamen etiam tam tepidè & remiſſè, ſicut illi quibus ſuf-ficit quòd voto & ſtatu vocentur pau-peres, nolunt tamen eſſe egentes.

Simile.

269. Habet Eccleſia quidem dome-ſticos ſibi præ ceteris propinquos, ſed habet etiam fortes milites, qui pro ampliando regno illius laborant. Do-meſtici illius ſunt omnes Religioſi poſſidentes, quorum domus prouiſio-ne multorum redituum ſecuræ ſunt, quibus præeſt mulier illa fortis, cuius pretium de vltimis finibus eius, quæ approbat inſtituta illorum, ſub ſua tu-tela eorumdem domus benè dotatas ſuſcipiens, ita vt de illa dici poſſet: *Non timebit domui ſuæ à frigoribus ni-uis, omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Hos igitur, qui pau-pertatem quidem vouent, etſi inopiam nullius rei patiuntur, tamquam dile-ctos & præ ceteris Chriſtianis ſelectos, domeſticos Eccleſiæ reſpicere debe-mus, nam ſaltem in hoc alios Chri-ſtianos excellunt, quòd etſi nullius rei egeſtate premantur, tamen omnium rerum proprietatē à ſe propter Deum ſaltem in particulari abdicarunt. Ve-rùm illi pauperes, qui cum omnium dominio & proprietate, multarum re-rum etiam neceſſariarum vſu, propter eum qui non modò pauper, ſed etiam egenus pro nobis factus eſt, ſe pri-uant, tamquam martyres & fortes mi-lites inſcripti ſunt cohorti illius mu-lieris, quæ, vt dicit Sapiens, eſt *terribi-lis vt caſtrorum acies ordinata.* Qui autem in hac acie non modò ſe expro-priat, ſed contendit intrare per angu-ſtam illius paupertatis portam, cuius valuæ multa ex humeris intrantium auferunt, quæ iudicio humano neceſ-ſaria videntur, is militis & Martyris nomine ex ſententia S. Franciſci di-gnus cenſetur. Nam *qui in agone con-tendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam acci-piant, nos autem incorruptam.*

Prou. 31,21.

1. Cor. 9,25.

270. Martyres, qui pro Chriſto moriuntur, ſunt teſtes fidei & iuſtitiæ. Profeſſores verò ſtrictæ illius pauper-tatis, quæ prohibet poſſeſſiones, & re-rum prouiſiones, verè teſtes ſunt fidu-ciæ, quam omnes habere debent de di-uina prouidentia. Cùm autem non niſi de præſenti neceſſitate ſolliciti ſint, certè ſi interrogaretur aliquis, qui vi-uit ſecundùm ſapientiam huius mun-di, & prudentiam carnis, quid ſibi de huiuſmodi profeſſoribus videretur, ſine dubio reſponderet, quòd ſe mani-feſto periculo extremæ neceſſitatis, & per conſequens mortis exponant, quam etiam incurrerent, niſi Deus ſingula-rem curam illorum gereret. Ex quo proinde ſequitur, quòd Martyres ſint, quia mortem, aut ſaltem periculum eius videntur contemnere, vt viuant ſecundùm normam conſilij Euange-lici. Non permiſit olim Deus, vt po-pulus, cui in deſerto manna pluebat, pro ſequenti die ſollicitus eſſet. *Egre-diatur populus*, inquit, *& colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies, vt tentem eum, utrùm ambulet an lege mea, in-*

Exod. 16,4.

non. Tentauit Deus obedientiam & temperantiam Iudæorum, tentauit & ſpem eorum, dum eis ad plures dies manna præſtò eſſet; prohibuit tamen ne colligerent, niſi quantū pro ſingulis diebus ſufficiebat. Eodem modo filijs S. Franciſci ex vi Regulæ interdicuntur poſſeſſiones ac prouiſiones rerum, & vt probent fiduciam quam habent de prouidentia Dei, vitam quam alij Martyres pro defenſione fidei & iuſtitiæ amittunt, illi propter Deum diſcrimini (vt videtur) exponunt. Non autem à ſola prouidentia Dei (ſicut olim Iſraëlitæ in deſerto, quorum proinde certior erat prouiſio) ſed etiam ab hominum miſericordia pendet vita illorum. Maiorem autē habet fiduciam de prouidentia Dei, qui illius executionem circa ſe debet ſperare
Sap 9, 14. mediantibus hominibus (*cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidētiæ noſtræ*) quàm qui illam immediatè à Deo expectat. Paupertatis igitur profeſſores conueniunt cum alijs Martyribus in eo, quòd ſint teſtes, hi quidē fidei, illi verò fiduciæ de prouidentia Dei. Item conueniunt, quòd exerceant actus fortitudinis: differūt verò, quòd martyres citiùs, pauperes verò tardiùs vitam pro Deo profundant, &c. Amen.

DISCVRSVS XXI.

Terrena, quæ in veteri Teſtamento in pretio erant, in nouo vileſcunt: ideò Deus, qui tunc vacuos à ſe repulit, nunc eos qui omnibus renuntiant, pro ſuis præcipuè electis agnoſcit.

271. PRÆCIPVA ratio vitæ religioſæ conſiſtit in renuntiatione bonorū temporalium, eò quòd ipſa medium ſit aptiſſimum, quo in nobis excitetur & promoueatur amor proximi cum amore Dei ſuper omnia. Lege conuerſionem omnium de quibus Scriptura meminit, ferè videbis eam initium ſumpſiſſe à diuitiarum & aliarum rerum contemptu. Reſoluto illi ad Chriſtum ſequendum, & dicenti, *Sequar te quocumque ieris*, nec interroganti de conditionibus in Chriſti diſcipulo requiſitis, ipſe vltrò aperuit pro qua re primo loco deberet eſſe ſollicitus, dicens: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Lucæ 9,58. quaſi dicat: Si vis me ſequi in omnibus, debes attentè conſiderare in quo te primo loco mihi conformare dêbeas. Aperuit Chriſtus igitur hîc paupertatem ſuam, non eo animo, quo Religioſi aliquando, magis rerum quàm animarum cupidi, tenues ſui Collegij aut Monaſterij prouentus commemorant & exaggerant coram opulentioribus melioris vitæ parturitione turgidis alumnis, vt nimirum pauca relinquant pauperibus, & omnia ſecum ad Monaſterium portaturi conſarcinent; ſed indicauit, quòd Magiſtro nihil habenti ingrata eſſet ſociatus & comitatus diſcipuli rem aliquam retinentis & conferentis.

272. Mirabile videri poſſet, quòd in veteri Teſtamento accedentes ad Deum pro donarijs ſolliciti eſſe debebant, adeò vt nulli, ſi nihil adferret & conferret, ad Deum pateret acceſſus. Erat lex illa indiſpenſabilis, quam publicauit per Moyſen famulum ſuum, qui ait: *Non apparebis in* Exod. 23,15. *conſpectu meo vacuus.* Hæc autem conditio Dei tunc omnibus ita cognita erat, quòd etiam de conſilio Philiſthinorum concluſum ſit, Arcam Dei vacuam ad ſuos non poſſe remitti. 1. Reg. 6,3. Tam cupidus rerum Deus in veteri Teſtamento

mento

Digitized by Google

mento apparuit, vt Iſraëlitis de Ægypto egreſſuris callidam ſpoliationem, poſtulando mutuum, mandaret, dicens: *Cùm egrediemini, non exibitis vacui: ſed poſtulabit mulier à vicina ſua, & ab hoſpita ſua, vaſa argentea, &c. & ſpoliabitis Ægyptum.* Exod. 3, 22. *Mandati huius non poteſt eſſe iniuſtum iudicium*, dicit Auguſtinus. Auguſt. Et quamuis appareat, tamen *non eſt inhoneſtum*, inquit Gloſſa interlinearis, Gloſſa interlin. *quod Deo mandante eſt factum.* Poteſt enim Deus ex ſupremo dominio quod habet in omnes res, vni auferre quod habet & alteri pleno iure dare, dicit Bonfrerius. Bonfrerius. Inquiri poſſet, cur Ægyptij non repetierint ſua ab Iſraëlitis diſceſſum parantibus. Reſpondet Lyranus, Lyran. quòd nimis eſſent intenti ad ſepeliendos mortuos ſuos; quia nulla erat domus Ægyptiorum, in qua non iaceret mortuus, vt patet Exodi 12. Non eſt autem dubium, quin Deo ordinante in tantam obliuionem inciderint, vt non recordarentur eorum quæ Iſraëlitis mutuò dederant.

273. Notandum autem eſt, quòd præter ſupremum illud dominium quod Deus habet in omnes res, aliæ ſint etiam cauſæ quæ hanc Dei ordinationem rationabilem reddant. Nam Iudæi in multis & grauibus ſeruierant Ægyptijs, vt notat Lyranus noſter, nec habuerant compenſationem ſui laboris & violentiæ ſibi factæ. Meritò igitur *reddidit iuſtis mercedem laborum ſuorum.* Sap. 10, 17. Hinc Tertullianus l. 4. contra Marcionem cap. 24. Tertullianus. *Inſtructi ſunt Hebræi*, inquit, *non ad fraudem, ſed ad mercedis compenſationem, quam aliàs à dominatoribus exigere non poterant.* Nec refert, quòd ex vnius & ſolius Regis imperio illa tyrannis facta fuerit in Iſraëlitas: nam iniuriam paſſi ſunt multorum de plebe conſenſu, tyranno obſequente & adblandiente: qui proinde iuſtè hanc iacturam cum ſubſequentibus plagis portarunt.

274. Sed his omiſſis, notanda eſt ratio quam aſſignat Cornelius à Lapide ad præſens noſtrum propoſitum, qui exiſtimat, ideò Iſraëlitis præceptum eſſe à Deo ne egrederentur vacui, vt nimirum haberent quod poſteà ſibi in tabernaculi fabricam offerrent. Voluit igitur vt diuites de Ægypto exirent, ne coram illo apparerent vacui & pauperes. Vnde meritò mirari & diligenter ſcrutari debemus, cur Deus in nouo Teſtamento ita ſit mutatus à ſe ipſo. Nam qui tunc neminem admittebat qui nihil adferret, idem modò omnes illos à ſua ſchola & ſequela reijcit, qui aliquid poſſident. *Qui non renuntiat omnibus*, inquit, *quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Lucæ 14, 33.

275. Nota igitur, quòd etſi in veteri Teſtamento terrena erant in pretio & æſtimatione, quæ etiam Deus magnifacere videbatur, ea promittens pro mercede virtutis (*Si volueritis & audieritis me*, inquit, *bona terræ comedetis*) Iſaiæ 1, 19. quæ præterea à maioribus & ſanctioribus tunc maximè poſſidebantur; nam ditiſſimi ſimul & ſanctiſſimi fuerunt Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, &c. tamen ſucceſſu temporis meritò vile fuit diuitem eſſe, eò quòd peſſimi & viliſſimi cœperũt ditari in terris. vnde Iob ait: *Abundant tabernacula prædonum.* Iob 12, 6. E contrà verò honorabilis facta eſt pauperias, quam optimi & præclariſſimi in Eccleſia coluerunt, qui dedignabantur in diuitijs eſſe conformes malis, & coram Deo abiectis.

276. Gloriari viſus eſt Deus in veteri Teſtamento, quando præclariores & meliores præ ceteris ditiores erant, de diuitijs & ſupremo dominio, ac rerum ſuarum abundantia. vnde Dauid

Pſalm. 23,1. à ſpiritu eius motus dixit: *Domini eſt terra,& plenitudo eius:orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.* item: *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas,inſuper & pecora campi; volucres cæli,& piſces maris.* (Pſalm. 8,8.9.) Poſtquam autem diuitiæ communes factæ ſunt malis & impijs, dedignatus eſt illas Deus, & tamquam nimis viles abiecerunt eas amici eius. vnde Chriſtus rogatus à Pilato, *Rex es tu?* reſpondit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* (Ioan. 18,36.)

Simile. 277. Eſt aliquando forma aliqua veſtimenti Regibus & Principibus ſiue illuſtrioribus perſonis propria, vnde Nobiles, qui eam imitantur, honorabiles inde apparent. Poſteà verò ſi viles mechanici & plebeij eam ſibi arrogant,ſtatim Nobiles illam dedignantur, & quodammodò à vilioribus iſtis hominibus coguntur nouos veſtiendi modos adinuenire. Erat olim moris,vt præcipui aulici Dei eſſent diuitijs, honore & gloria clari: hæc autem omnia tandem per fas & nefas ad manus deuenerunt ſordidiſſimorum hominum, & peccatorum. Mutauit igitur Deus aulicorum ſuorum apparatum, & nouam formam illis præſcribens,ait: *Si vis perfectus eſſe*, &c. (Matth. 19,21.)

278. De hac morum & apparatuum mutatione intelligi poteſt quod dictum eſt per Prophetam: *Ecce creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor.* (Iſa.65, 17.) Olim ſicut non erat ſimilis Iob in pietate & ſimplicitate (nam vir rectus erat, & timens Deum) ita etiam ditiſſimus fuiſſe dicitur. *Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.* (Iob 1, 3.) Spectabat igitur tunc quaſi ad aulicismum, eſſe magnum & opulentum,ſed euanuit hæc conſuetudo,adeò vt modò omnes qui ſunt præcipui apud Deum contrarijs ſtudijs diſtrahantur, & tanta formatum nouitas per Chriſtum introducta eſt, abrogatis conſuetudinibus quæ tunc erant in honore & vigore, vt Eccleſia tota noua & alia dici poſſet. Si in aula Regis Nobiles, qui ſolent auro fulgere, induerentur ſaccis,certè dici poſſet quòd noua eſſet aula. Cùm igitur hoc tempore priora veteris Teſtamenti non ſint ampliùs in memoria eorum qui verè magni ſunt in Eccleſia, meritò noua aula Dei poteſt appellari.

279. Ex his patet, quòd omnes res terrenæ vileſcant in oculis eorum qui ſpecialem familiaritatem cum Deo habent. Apud viles homines huius temporis moris eſt, vt,contemptis internis ornamentis, pro externis nocte & die deſudent: contraria eſt Regum & cæleſtium Magnatum conſuetudo; nam *omnis gloria filia regis ab intus.* Vult Pſalm. igitur Deus vt ſui aulici non ampliùs 44,14. glorientur in ampla rerum poſſeſſione, & veſtitu corporis, ſed vt dicant cum Propheta: *Gaudens gaudebo in* Iſaiæ *Domino, & exultabit anima mea in* 61,10. *Deo meo: quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me.*

280. Notandum eſt, quòd etſi Ec- Simile. cleſia noui Teſtamenti multò humilior appareat, ſit tamen in ſe ſine comparatione glorioſior quàm ſynagoga fuit. Non eſt enim magnifici Regis, vt geſtamen inſigne quo de nouo ſuos imò ſeipſum honorat, ſit vilius antiquo quod deponi iuſſit. In multis excedunt dona noui Teſtamenti quibus honorantur, ſed nullo modo onerantur electi Dei, terrenas diuitias, quæ proinde meritò vileſcunt. Res tranſitorias attendens S. Bernardus Serm. de Fallacia ſæculi, ait, quòd fulgeant Simile. inſtar candelæ quæ lucet cum ſui conſum-

ſumptione, has reſpiciunt quibus minor eſt cura de veſtimentis ſalutis. Ioannes Baptiſta verè interiùs diues erat, ſed Iudæi reſpiciebant in illo terrenum & tranſitorium quid, vt claram fortè parentelam, aut aliquid huiuſmodi, quem vt Meſſiam etiam parati erant honorare: ideò enim miſerunt ab Ieroſolymis Sacerdotes & Leuitas, Ioan. 1,10. vt interrogarent eum, *Tu quis es?* quibus proinde benè dixit Chriſtus: Ioan. 5, 35. *Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius.* Ardebat feruentiſſima charitate in Deum & proximum, lucebat prætereà ſalutari & præclariſſima doctrina: hæc autem dona Dei ſemper manent in homine. Charitas quidem ſecundùm ſe numquam excidit: qui enim ex hac vita cum amore & ex amore Dei diſcedit, eumdem in cælo ſemper amabit; doctrina verò ſecundùm ſuum meritum & effectum num- Dan. 12,3. quam non fulgebit. *Qui autem docti fuerint* (inquit Daniel) *fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Interim vos ô miſelli, inquit Chriſtus, ſolùm ſuſpexiſtis in Ioanne quæ cùm fulgent conſumuntur, & ita ad horam voluiſtis exultare in luce eius.

281. Vilia igitur ſunt terrena, & nobilibus ac electis Dei indigna, nō tantùm ex eo quòd tranſitoria ſint, ſed maximè quòd ſufficienter hominem reficere non poſſint. Quædam enim bona inueniuntur quibus oculi paſcuntur, alia quæ aures oblectant, cetera quæ guſtu, tactu vel odoratu percipiuntur. Prætereà hæc tranſitoria ad vnius ſenſus blandimentum determinata, nec illi ſoli ſatisfacere poſſunt. Taceo quòd multa propter ſui diſtantiam ita effugiant ſenſus poſſeſſoris, vt numquam viſu, auditu, guſtu, tactu, aut odoratu ſuo ei blandiri valeant. Quid prodeſt Regi Hiſpaniarum pulchritudo Prouinciarum, ornatus ciuitatum, amœnitas terrarum quibus dominatur, cùm illa numquam videat? Sed etiamſi videret, non tamen ad plenum ſatisfacerent; Eccle. 1,8. ſiquidem *non ſatiabitur oculus viſu, nec auris auditu.* Vnde Euangeliſta hæc inferiora non vocat ſatietatem, ſed concupiſcentiam oculorum.

282. Adde, ſi aliqua ſint quæ ad tempus ſatisfacere videantur, non tamen futuræ neceſſitati, ſed ſolùm præſenti aliquo modo ſuccurrunt. Vinum fortè extinguet ſitim, ſed qui bibit ſitiet iterùm. Nullus etiam de terra colligere poteſt cibum, qui non pereat, aut qui maneat in æternum, & ſua præſentia manducantem ſemper ſatiet. De veſtimento quid dicam, quod non tantùm à tinea corrumpitur, ſed etiam ex vetuſtate bis teritur, ſemel ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & iterùm propter nouam obortam veſtiendi formam. Noua forma veſtis in pretio eſt, quæ non tantùm ſuam æſtimationem perdidit vſu, ſed etiam mundi ſemper noua aduenientis ſtulto abuſu. Comparauit Bernardus hæc vana candelæ cum ſui conſumptione lucenti (vt dictum eſt) qui ſi temporibus noſtris viueret, videret & doleret, etiam indumentorum æſtimationem interire, eorumdem integritate remanente, quorum forma vilipenditur antequam conteritur ſubſtantia.

283. Meritò omnia hæc Apoſtolicis viris & electis Dei vileſcunt, quibus ſolus ille qui eſt omnia in omnibus, placet: hic enim vacuos cupit diſcipulos rebus terrenis, vt eos cæleſtibus implere poſſit, quibus ideò plenus eſt, de quo Ioannes teſtatur:

Ioan. 1,14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti a Patre, plenum gratia & veritatis.* Fortè dicet aliquis, quòd diuites etiam ſint vacui rebus terreſtribus: cor enim habent verſum & euerſum ad terram; vas autem, cuius orificium terram, & fundus cælum reſpicit, ſemper vacuum remanet. Reſpondeo, quòd nihil habentes, ſiue ad ſuam ſatisfactionem poſſidentes, pleni ſint omnes qui terrena ſapiunt. Similes mihi videntur naui in aquis natitanti, quæ eſt euerſa, adeò vt carina, inferior ſcilicet pars illius, reſpiciat cælum. Hæc enim nauis ne guttam quidem continens, aquis plena quidem, non tamen impleta eſt, quod patebit, quando adhibitis machinis in eadem diſpoſitione, qua in aquis natitatur, de illis extolletur, tunc enim omnino euacuabitur, & patebit quòd aqua inerat quidem, nauis tamen illam non habebat. O diuites, ô terrenorum amatores, qui affectus rerum pleni, earumdem poſſeſſione vacui eſtis! quia enim orificium cordis veſtri ad terram verſum eſt, impoſſibile eſt vt aliquid poſſideat. Ne guttam quidem inuenit Epulo, qua linguam refrigerare poſſet, quando per mortem ex hoc mundo ſublatus fuit: ex quo patet, quòd nihil omnino habens ad terram conuerſus, propter inordinatos tamen affectus ad diuitias tam plenus fuerit, vt nullius gratiæ à Deo illi infundendæ capax eſſet. Beati igitur rerum terrenarum contemptores, qui cum rebus etiam affectibus renuntiarunt. Nam omnes qui ſe vacuos terrenis obtulerunt, cęleſtium donorum infuſione gauiſi ſunt, quorùm omnium nomine Ioannes Baptiſta ait: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia,* à quo tandem fiducialiter expectant gloriam, &c. Amen.

Similit. (margin)

Ioan. 1, 16. (margin)

DISCVRSVS XXII.

Sicut diuitiæ huius ſæculi in ſe viles ſunt, ita cupidi earum poſſeſſores per ipſas apud Deum vileſcunt, quibus voluntarios pauperes tamquam veros diuites præfert.

284. SOLIDISSIMA ſubſtantia non indiget vt accidentibus decoretur. Nullius accidentis capax eſt ſubſtantia increata, Deus ſcilicet, cui quantò quis ſimilior eſt, tantò minùs indiget diuitijs externis, quæ eatenus accidentia appellandæ ſunt, quia non pertinent ad eſſentiam hominis, & poſſunt abeſſe & adeſſe ſine ſubiecti corruptione. hæc ſunt tamen accidentia, propter quæ ſæpè occaſionaliter deſtruitur ſubſtantia, quæ proinde iuſti meritò abominantur, qui idcircò à Deo honorati ſunt nominibus rerum tam ſolidarum, quæ vlteriori accidenti non indigent. *Dedi te in columnam ferream, & in murum æreum,* dictum eſt Ieremiæ. item alteri Prophetæ: *Vt adamantem & vt ſilicem dedi faciem tuam.* Adamas non indiget externo colore. Columna ferrea, murus æreus, aut ſilex, non debet calce aut aliqua alia litura dealbari aut ſolidari: murus verò ex argilla compactus nec ruſtico placet, niſi calce & aliis adiectitijs coloribus eius fœditas contegatur. Eodem modo Sancti parum curant ſi externis diuitiis deſtituantur, mundani autem ex ſe viles, imò aliquando abominabiles, pro tranſitoriis accidentibus ſolliciti ſunt, vt cùm nihil ſint, ſaltem aliquid eſſe videantur.

Simile. (margin) Ierem. 1, 18. (margin) Ezech. 3, 9. Simile. (margin)

285. Parum curant Euangelicæ paupertatis profeſſores, etſi abiecti appareant exteriùs, quando Deum & dona.

dona illius poſſident interiùs. Humile fuit templum illud quod poſt deie-ctionem prioris magnificentiſſimi cō-ſtructum fuit, dicit tamen Propheta:
Agg. 2, 10. *Magna erit gloria domus iſtius nouiſ-ſimæ, plus quam primæ.* Conſecuta eſt domus illa, quæ paupercula fuit, ſi cum prima comparetur, totam ſuam glo-riam, eò quòd ad illam venit deſide-ratus cunctis gentibus. Ad hunc reſpi-
Aggæi 2,8. ciens Deus dixit: *Implebo domum iſtam gloria.* In hunc modum non per abundantiam rerum creatarum, ſed viua templa fiunt præſtantiora in ſe, quando intus Deum habent, ille enim
Ioan. 14,23. magna operatur in eo in quo eſt. *Ad eum veniemus* (inquit Chriſtus) *& manſionem apud eum faciemus.*

286. Magna eſt ſtultitia eorum qui per diuitias ſe præſtantiores fieri poſſe exiſtimant. Nemo enim ex eo quòd doctus, prudens, formoſus aut bonus ei adſit, in eruditione, prudentia, pul-chritudine aut bonitate ipſe proficit.
Simile. Tuguriolum ruſtici non fiet palatium Regis, etſi aulæ eius contiguum fue-rit; nec ex diuite vicino pauper dite-ſcet. Ex Deo autem nobis inhabitante ipſi quodammodò deificamur, diui-næ conſortes facti naturæ. Cùm igitur diuitiæ adſunt quidem homini, ſed nihil ei conferunt, non poteſt quis propter illarum vicinitatem meliorari. qui verò ex Deo inhabitante illu-ſtrantur, etſi claritas illorum non ap-pareat, non tamen indigent medijs
Pſalm. 33,6. quibus ſe exteriùs ornent. *Accedite ad eum, & illuminamini*, inquit Dauid, *& facies veſtræ non confundentur.* Nota, facies palleſcit timore, rubeſcit verò, quæ nimis pallida eſſe ſolet, pudore. Accede igitur ad Deum vt lumen gra-tiæ obtineas, non indigebis temporali-bus medijs, quibus nunc candidis nunc rubicundis veſtiaris & orneris.

Columna ex ſolido alabaſtro, marmo-re aut lapide Heraclio, iniuria afficere-tur, ſi dealbaretur creta, aut atramento ſiue fuligine denigraretur. Columnæ Eccleſiæ Petrus & Ioannes aſcenden-tes ad templum ad horam orationis nonam, ægrè ferebant claudi mendi-cantis erroneam opinionem, qui puta-bat eos auro vel argento ornatos & donatos eſſe. Nam *intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & au-rum non eſt mihi.* *Simile.* Act. 3, 5.6.

287. Scribens Bernardus Epiſt. 113. ad quemdam qui has Eccleſiæ colum-nas ſequebatur, de ſolidis bonis inter-nis ſollicitus dixit: *Indignum tibi iu-dica, formam à pellibus murium & ope-ribus vermium mutuari.* Saul non erat columna marmorea, ſed paries de ar-gilla, quando ei dicebatur: *Pro eo quòd abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus.* Videns igitur ſe vilem parie-tem luteum factum, pro externis co-loribus incipit eſſe anxius, quibus vili-tatem ſuam tegat. vnde Samueli ait: *Sed nunc honora me coram ſenioribus populi.* Nota illud, *nunc.* Cùm enim Deus ab homine receſſit, & gratia ac virtutibus internis denudatus eſt, exi-ſtimat quòd tempus & ratio requirat, vt apparatus exterioris ſollicitudo eum teneat. Tunc autem maximè emendi-cat honorem, quia nouit eum iure ſibi non deberi. Sola enim in Deum pietas hominem obſeruatione dignum red-dit. Eſt hæc doctrina etiam Ariſtotelis, qui docuit ſoli virtuti honorem debe-ri. ſic ille 4. Ethic. c. 3. Vnde benè aſ-ſerit Plato in Dialogis de Republica, de animo ornando maximam curam habendam eſſe, ei nimirum qui hono-rem non mendicare, ſed iuſto titulo ſi-bi vendicare voluerit. Vt enim men-dicus mouet ſpectatores ad compaſ- 1.Reg. 15, 23. 1.Reg. 15,30. Ariſtot. Plato. *Simile.*

ſionem laceris veſtimentis,vulneribus, ac ſqualido vultu, & alijs inopiæ ſuæ ſignis; ita econtrà viles & obſcuri propter defectum internæ excellentiæ dilatant phylacteria, & magnificant fimbrias, vt honor qui eis non debetur tamquam iuſtis exactoribus & benè meritis, ſaltem vt mendicis tribuatur. Iuſti autem etſi eum multis titulis mereantur, patienter ferunt, ſi iniuſtè denegetur. Ne autem det cenſus honorem, renuntiant diuitijs, exiſtimantes inordinatum eſſe per viliora fortunæ bona promoueri ad præſtantiora famæ & honoris.

288. Ex his patet, quàm magna ſit rerum terrenarum vilitas, quæ hominem obſcurum & vilem relinquunt, quem nec verè diuitem efficere poſſunt. Vt ſtultus, & ridiculus & contemptus fuit ille, cuius ager vberes fructus attulit, & plures habebat diuitias, quàm erat domorum & horreorum eius capacitas. Imò paupertas illius etiam manifeſtatur in Euangelio, cùm vox Dei introducitur dicentis illi: Lucæ 12,20. *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Baſil. Notat quidem Baſilius Homil. 6. ſuper hunc locum, quòd hic diues valdè vilis fuerit in oculis Dei. *Audi*, inquit, *conueniens tibi ſtultitiæ nomen, quod tibi nullus impoſuit hominum, ſed ipſe Deus.* Ambr. Ambroſius autem lib. 7. in Lucam, etiam pauperem illum fuiſſe teſtatur, ac diuitijs plenum, nihil tamen diuitiarum verè poſſidentem. Nam *fruſtrà*, ait, *congregat opes, qui ſe his neſcit vſurum. Neque enim noſtra ſunt quæ non poſſumus auferre nobiſcum. Sola virtus comes eſt defunctorum: ſola nos ſequitur miſericordia, quæ tabernacula defunctis acquirit æterna.*

289. Notandum eſt autem, quòd Chriſtus ex ſtulta hominis illius ſollicitudine inferat, omnes illos tales eſſe qui inordinatè diuitijs afficiuntur. *Sic*, Lucæ 12, 21. inquit, *eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Nam damnat theſaurizantē ſibi ipſi, dicit Caietanus, ſi ſimul Caiet. adiunctam habeat alteram conditionem, ſcilicet non eſſe diuitē in Deum. Hunc ſenſum etiam affert Toletus Tolet. poſt noſtrum Didacum Stella in c. 12. Didac. Luc. qui ad propoſitum noſtrum ad- Stella. didit Annotat. 43. alium interpretandi modum, quo ſignificatur, illud poſterius, *non eſſe diuitem in Deum*, neceſſariò ſequi ex eo quòd ſibi quis theſaurizat. Inueniuntur in Scriptura ſacra ſimiles phraſes & loquendi modi, quibus duo quæ ſe mutuò neceſſariò conſequuntur, tamquam ſeparabilia poſita ſunt, vt dum dicitur: *Immolauerunt dæmonijs, & non Deo.* Deut. 32,17. Cùm enim certū ſit, quòd nemo poſſit duobus dominis ſeruire, ſequitur quòd qui dæmonijs immolat, nullo modo Deo, qui illi ſummè contrarius eſt, ſeruire, nedum immolare poſſit. Item dicitur: *Errare fecit eos in inuio, & non in via.* Pſalm. 106,40. Hæc & ſimilia quæ ſibi ſummè contraria ſunt, impoſſibilia cenſentur, in ſenſu nimirum coniuncto: alioquin ſicut in ſenſu diuiſo quis poſſet Deo immolare, qui priùs dæmonijs immolauerat; ita qui ſolet ſibi theſaurizare, poſſet tandem omnibus renuntiare quæ poſſidet, & ita diues in Deum fieri, bonis ſcilicet operibus & virtutibus, præſertim monaſticis.

290. Verùm tranſlatio Benedicti Ben. Ariæ Montani, quā ponit Beyerlincks Arias in Biblijs variarum tranſlationum, pro Mont. eo quod communis lectio ait, *Non eſt in Deum diues*, ſic habet: *Theſaurizans ſibi ipſi, & non in Deum diteſcens*, quod indeſinentem motum ſignificat

eius

eius qui continuè bonis operibus vacat & diteſcit: quod Religioſis ita proprium eſſe videtur, vt vix alijs conueniat. Vnde in magna æſtimatione ſunt apud Deum, qui in illis vult ſuas diuitias etiam ab alijs Sanctis honorari. Dico vix alijs conuenire: nam quòd non ſit impoſſibile cõtinuò honorabilem & in Deum diuitẽ fieri, nec tamen per profeſſionẽ approbatæ Religionis omnibus renuntiare, ex quibuſdam Hiſtorijs Eccleſiaſticis probari poſſet.

Alexius de Salo. 291. Refert Alexius de Salo in ſua Methodo amandi B. Virginem hiſtoriolam, ex qua poteſt illa Dei voluntas cognoſci. Cùm enim quędam paupercula ſpiritu, ſed in Deum diues, ad mortem ægrotans, & in dura ſtraminea culcitra decumbens, à ſuo Paſtore viſitaretur, qui paucis cum illa abſoluens, vt ditiori cuidam etiam decumbenti cum otio adeſſet, commiſit vices ſuas Vice-paſtori, qui agonizanti pauperculæ in extremis adeſſet. Sed non tulit Deus hanc diuitis huius ſæculi præferentiam: quia etſi, Vice-paſtor ſufficeret pauperculæ neceſſitati, noluit tamen per diſceſſum Paſtoris detrahi illius honori, & ideò deſtinauit Matrem ſuam, quæ abſentis vices gereret, & Vice-paſtoris præſentis charitatiuum officium adiuuaret. Reuerſus igitur Paſtor negotio cum diuite abſoluto, inuenit & vidit B. Mariam cũ Angelis & multis virginibus fulgẽtibus, & agnouit in quanta æſtimatione erat moribunda illa in cælis, cui diuitem prætulerat in terris.

292. Ex hac Mariæ, Angelorum & Sanctarum virginũ humili dignatione patet, quæ ſint veræ hominum diuitiæ, quibus non modò diteſcunt, ſed etiam apud Deum clareſcunt. *Sola autem diuitiæ veræ ſunt*, dicit Gregorius Homil. 15. in Euangelia, *quæ nos diuites virtutibus faciunt. Si ergo, Fratres chariſſimi, diuites eſſe cupitis, veras diuitias amate. Si culmen veri honoris quæritis, ad cæleſte regnum tendite.* In Euangelio non ſemel vides pauperes, eò quòd capaciores ſunt verarũ diuitiarũ, diuitibus præferri. In nocte Natiuitatis, relictis diuitibus huius ſæculi, paſtoribus annuntiatur gaudium magnum, quod futurum erat omni populo. Regulo expreſſis verbis poſtulanti vt deſcenderet priuſquam filius ſuus moreretur, Chriſtus incredulitatẽ obijciens, morem gerere noluit, qui vltrò oblata viſitatione & promiſſa curatione ſeruum Centurionis honorans dixit: *Ego veniam, & curabo eum.* Et Matth. 8,7. qui tres Magos de Oriente ſtella duce ad ſe vocauit, ille pauperibus ouium cuſtodibus præclarum Angelum nuntium miſit. Deinde, ſuppreſſis diuitibus ad euangelizandum pauperibus Filium Dei à Patre miſſum eſſe, prophetica prædictione conſtat. Vt multa alia, quæ ad pauperum dignitatem illuſtrandam pertinere videntur, taceam, neſcio an maiori honore affici, & lætiori nuntio refici poſſent, quàm quòd illis regnum cælorum promittit, dicens: *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei*, &c. Amen. Lucæ 6,20.

Gregor. Homil.

DISCVRSVS XXIII.

Etſi omnes peccatores captiui tenentur, auari tamen à dæmone abſorbentur, voluntarij vero pauperes, in quibus nihil habet quod ſuum eſt, in vita liberi, & in morte ſunt ſecuri.

293. FACILIVS truncatur quã eradicatur arbor, cuius ramos vnius manus ſecuri armata reſecare poteſt, quam tamen multorum vires Simile.

terræ innexam & irretitam euellere nequeunt. *Omnium malorum radix eſt cupiditas.* Eradicatæ arboris rami etiã non præſcindantur, vltrò exareſcent: ſi verò relinquatur in terra, reſecati citò repullulabunt. Rerum terrenarum cupidus radici omnium malorum terræ inhæret, quem faciliùs quis expediet ab ira, gula, luxuria, quæ rami quidam ſunt vitioſæ arboris, quàm liberabit ab auaritia; qua manente, infructuoſi rami facilè recreſcunt, qui citiùs exareſcerent, ſi ex radice ſibi ſuccum non attraherent. Eſt igitur auaritia vitium curatu difficile, & multorum vitiorum radicale.

1. Tim. 6, 10. Simile.

294. Alia peccata hominem captiuum reddunt, qui à mammona non tantùm violenter tenetur, ſed etiam abſorbetur. Si quis captus eſt ab hoſte, lytro redimi poteſt; verùm ſi à barbaris, qui humanis carnibus veſci conſueuerunt, quibus nihil præferunt, ſed aurum & argentum quod pro ijs offertur, contemnunt, huius ferè deſperata eſt ſalus. Dicit Ioannes, quòd *qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Quemlibet ſuum peccatum captiuum tenet, verùm auaritia cupidum hominem tamquam eſcam diaboli ab eo deuorandum reſeruat. Aſſignata eſt illi à Deo hæc eſca in principio mundi, quando ait: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, id eſt peccatores, dicit Gloſſa interlinearis. Homines terrena diligentes incorporabis tibi (inquit Lyranus) eos decipiendo. Addit Ferus noſter, terram comedes, non cælum, id eſt, non quorum conuerſatio eſt in cælis, ſed qui terrena ſapiunt, hi cibus tuus erunt. Hunc eſſe ſerpentis cibum, etiam alibi Scriptura notat, Iſa. 65. verſu vltimo, & Mich. 7. ℣. 17.

Simile. Ioan. 8, 34. Gen. 3, 14. Gloſſa interlin. Lyran. Ferus.

295. Nota, quòd meritò cupidi homines ſerpenti cedant in cibum, quia non ſolùm comedunt, ſed etiam ab ipſa terra comeduntur & abſorbentur. Cùm enim terra deuorans & abſorbens pertineat ad diabolum, nemo mirari debet, quòd homo, qui in ea tamquam contentum in ſuo continente abſorptus iacet, ſimul ei in cibum cedat. Auarum à terra abſorberi, ex Scriptura probari poteſt, quæ de Pharaone & eius miniſtris loquens, qui ſpolijs Iſraëlitarum & recuperationi rerum ab Ægyptijs mutuò acceptarum nimis inordinatè inhiabat, dicens, *Euaginabo gladium meum*, &c. *diuidam ſpolia*, quæ ſecum tulerunt ſcilicet, præſumpſit illos per Mare rubrum perſequi: quod ſine dubio non attentaſſet, niſi rerum cupiditas rationẽ, qua homo à beſtijs diſtinguitur, & per cõſequens hominẽ quodammodò abſorbuiſſet. vnde Moyſes ait: *Extendit manũ ſuam, & deuorauit eos terra.*

Exod. 15, 9. ℣. 12.

296. Videtur quòd Moyſes ſibi contradicat in hoc eodem capitulo. Præmiſit enim, *Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare: electi Principes eius ſubmerſi ſunt in Mari rubro.* Quomodo igitur deuorauit terra, quos aqua maris ſuffocauit? Variè hoc explicant diuerſi. Lyranus, Non intrauerunt viſcera terræ, inquit, ſed quia deſcenderunt ad terram, quæ erat in fundo maris, ita operti fuerunt, ac ſi à terra fuiſſent abſorpti. Non enim ſupernatant corpora ſubmerſorum, vſque dum receptaculum fellis crepuerit, vt cum Caietano Naturaliſtæ arbitrantur. Euthymius vult eos aqua primò obrutos, deinde quidem ad terram deiectos (vt Iſraëlitæ oculos ſuos paſcerent in morte ſuorum hoſtium, & implerent ſaccos ſpolijs illorum) ſed finaliter terræ hiatu facto fuiſſe abſorptos. Cornelius putat, quia terra & aqua conficiunt vnum globum, ideò dici

℣. 4. Lyran. Euthymius. Cornel.

dici quòd terra eos deuorauerit. vt ſi
Simile. quis in dolio aqua pleno ſuffocaretur, à dolio abſorptus dici poſſet, quod aquam conglobatam continuit, quæ alioquin diffluxiſſet, & ita ſubmergendo non obfuiſſet.

297. Verùm Origenes ad propoſitum noſtrum putat, omnes illos à terra abſorberi, quos nimia rerum terrenarum
Origen. ſollicitudo tenet. *Impios etiam terra deuorat*, inquit, *qui ſemper de terra cogitant, terrena faciunt, de terra loquuntur, litigant, terram deſiderant, & cum ea ſpem ſuam ponunt; ad cælum non reſpiciunt, futura non cogitant, iudicium Dei non metuunt, nec promiſſa eius deſiderant. talem cùm videris, dicito: quia deuorauit eum terra.* Hæc Origenes, quem citat Gloſſa ordinaria. An non abſorptus à terra fuit
Num. 22. Balaam, qui dum audit aſinam loquentem, non eſt conuerſus ad cor, nec auerſus à concupiſcentia ſua? Certè niſi ſapientia Euæ deuorata fuiſſet, & ratio abſorpta, ex loquela ſerpentis
Iſa. 28, 7. euigilaſſet. *Abſorpti ſunt à vino*, dicit Iſaias de ijs quos ebrietas dementauit. Quare ſapienter Alfonſus Rex Aragonum, rogatus cur vino dilutiſſimo vteretur, *Quia*, inquit, *vino ſapientia obſcuratur.* Refert hoc Panormita-
Panormitan. nus lib. 1. Vitæ eius. Abſorpti igitur à vino ſunt, qui vſu rationis priuati, quaſi in beſtias degenerant. Eodem modo abſorpti ſunt à terra, quos inordinatus appetitus terram fecit, ad
Ierem. 22, 29. quos clamans Propheta ait: *Terra, terra, terra, audi verbum Dei.*

298. Hos ergo vt eſcam ſuam arrogat ſibi ſerpens à ſe deuorandos, quorum anima magis eſt in terra vbi amat, quàm in corpore quod animat & informat. Hinc ſequitur, quòd cupidi illi & terrei homines in magna inquietudine meritò viuant, & cum maiori horrore moriantur. Quis non timeret, qui leoni proiectus, apprehenderet ſe ab illo in fine deuorandum eſſe? *Fratres*, dicit Petrus, *ſobrij eſtote, & vigilate; quia aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Acutiſſimè ſcru- 1. Pet. 5. ratur ſi aliquid lateat in appetitu tuo quod terram ſapit; quod cùm ei à Deo in cibum ſuum aſſignatum ſit, te deuorabit, vt id quod ſuum eſt habeat.

299. Sicut ergo illi in continua & terribili apprehenſione viuunt, ita rerum terrenarum contemptores, magna pace cordis & tranquillitate ſpiritus gaudent. Simile. Mures ſilueſtres ſicut pauperiores, ita ſecuriores ſunt domeſticis, vt dictum eſt alibi: illis enim in pace relictis, hos feles quærunt. Nam, præter naturale odium, quo feruntur in eos, etiam vindictam ſumunt, quia micas & reliquias ſurripiunt, quas ſibi deberi exiſtimant. Allegant dæmones iure ſibi eos deberi, qui terrã illis præripiunt, quã Deus ſuſtentationi eorum reliquit. Religioſos verè pauperes, etſi perſequãtur, non tamen eos tamquam ſuos iure ſibi arrogant, in quibus terram ſibi debitam minimè notant.

300. Paupertatis amator, videns ſe vacuum omni affectu rerum terrenarum, tempore mortis tam fiducialiter ſe & omnia ſua Deo commendat, vt vix illum perterreat antiqui ſerpentis præſentia. *Quid adſtas cruenta beſtia?* dicebat S. Martinus, *nihil in me funeſte reperies.* Optimè noui quòd terram comedis, ſed quia illam in me non inuenies, non eſt quòd aliquid iuris ſuper me prætendas. Refert antiquitas de quodam Chriſtophoro Piacentino, qui cùm eſſet nobilis, tamen pauper rebus, facetus & animo iucundus erat. Hic quadam nocte deprehendens fures domum ſuam ſubintraſſe, dixit

cum-

cum magna animi tranquillitate: Neſcio quid vos ſperatis nocte inuenire in domo mea, quandoquidẽ ego clara die nihil inuenio in ea? Simili irriſione poterit à ſe repellere dæmonẽ, qui ſpiritu & rebus pauper fuit cum viueret, Quid, inquiens, inepte nunc ſperas te inuenturũ terrã quam comedas, cuius occaſione me etiã deuores, cũ ego ſubtili ſcrutinio eam quęrens de die nõ inueni? Apage, *nihil in me funeſtè reperies.*

301. Meritò nos terret vltimum illud ſcrutinium, quod ſerpens antiquus facturus eſt: qui vt vindictam ſumat de muliere quæ contriuit caput eius, inſidiatur calcaneo noſtro, tantò magis iratus, quantò cognouit quòd modicum tempus habeat: nam *quid* Bernar. *tutum in Babylone* (vt verbis vtar Bernardi Serm. 55. in Cantica) *ſi in Ieruſalem manet ſcrutinium?* Si ſanctiſſimos aggreditur, meritò imperfecti timent. Non deſperauit ſuperbus ille victoriam de Chriſto Filio Dei: imò quãdiu hic ſpirabat, impudens ille ſperabat. Ioan. 14,30. *Venit enim princeps huius mũdi,* inquit, *ſed in me non habet quidquam.*

302. Vt horum verborum expoſitio ſit concluſio huius Tractatus, nota, quòd per illa Saluator mundi prædicat, finem loquendi ſimul & viuendi ſibi imminere. præmiſerat enim: Ibidem. *Iam non enim multa loquar vobiſcum.* Rationem aſſignãs ait: *Venit enim,* &c. hoc eſt, Diabolus iam mihi machinatur mortem. Dicit autem, quòd princeps huius mundi veniebat, quia ille inuiſibiliter comitabatur & incitabat Iudam traditorem & ſatellites cõprehenſores. Fortè rogabit aliquis, quam ob rem vocet diabolum principem huius mundi, qui non tantùm hîc, ſed Ioan. 12,31. etiam alibi honoretur hoc titulo, vt Ioannis 12. *Nunc princeps huius mundi eycietur foras.* Ioan. 16, 11. item: *Princeps huius mundi iudicatus eſt.* Notauit Ferus noſter, in his locis eum non ſimpliciter appellari principem mundi, ſed *huius mundi*, vim faciens in dictione *huius*, vt ſignificetur, quòd non ſit princeps mundi à Deo creati, ſed ab ipſo omnium malorum ſatore corrupti & deprauati. Non eſt princeps mundi, id eſt machinæ elementalis, ſed eorum qui illum & terrena ac vana diligunt, quorum tunc maior pars erat. Denique appellatur princeps mundi idola colentis, in quibus ipſe adorabatur ferè per totum orbem, iuxta illud Dauidis: *Omnes Dij gentium dæmonia.* Pſalm. 95,5. vnde etiam Auguſtinus mundum accipi putat pro hominibus impijs, inter quos idololatræ præcipui ſunt.

303. Hic igitur Princeps mundi venit ad & contra Chriſtum iam morti propinquum. venit, ſed nihil in illo de ſuo inuenit. O felicem, qui ſic debita ſoluit, qui ſic terrena à ſe eijcit, vt veniens in morte mundi princeps in eo habeat quidquam! *Curandum nobis eſt* (dicit Gregor. Hom. 39. in Euangelia) Greg. *& magnis quotidie fletibus cogitandum, quàm rabidus, quã terribilis ſua in nobis opera requirens, in die noſtri exitus princeps huius mundi veniat; ſi etiam ad Deũ carne morientem venit, & in illo aliquid quæſiuit, in quo ſuum nihil inuenire potuit.* Prudentes igitur ſunt pauperes Euangelici, qui diligentiſſima diſcuſſione in vita ſua examinant an aliquid de diaboli nutrimento terram comedentis in illis lateat, vt hoc excutientes perfectè ſe emundent, quatenus cum S. Martino dicere poſſint morituri, Quid adſtas cruenta beſtia, nihil in me funeſte reperies? vt cum eodem oculis & manibus in cęlum ſemper intenti, ſpiritum in manus Dei commendent, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

TRACTATVS OCTAVVS.

DE PATIENTIA.

LVCÆ CAP. II.

Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

DISCVRSVS I.

Magnus fuit matris Tobiæ dolor, expectantis filij reditum; maior autem Mariæ, quærentis Chriſtum qui remanſerat in Ieruſalem.

1. EXPECTANTI omnis mora longa eſſe ſolet. Vnde mirum videri non debet, quòd matri non ſolùm expectanti, ſed etiam vehementer amanti mora filij ſui Tobiæ, vltra ſtatutum tempus protracta, tædioſa & moleſta fuerit. Maiorem verò mœrorem ſenſit & manifeſtauit Virgo beata toto illo tempore, quo dolens Filium ſuum quærebat, & ſpes illum inueniendi, quæ differebatur, affligebat animam eius. Pro quo nota, quòd omnia quæ hyperbolica illa mater Tobiæ de ſuo filio cum exceſſu dixit, Maria de puero ſuo duodenni, quem Deum verum eſſe non ignorauit, verè ſentire & palàm fateri po-
Tob. 10,5. tuerit. *Omnia ſimul in te vno habentes*, &c. inquiebat afflictiſſima Tobiæ mater. Quibus verbis (quæ in rigore falſa videntur) indicauit, verum eſſe illud quorumdam iudicium, qui exiſtimant parentibus nihil charius eſſe
Valerius Maximus. poſſe in hoc mundo, dilecta prole. Vnde refert Valerius Maximus lib. 4. c. 4. de Cornelia matre Gracchorum, quòd cuidam matronæ Campanæ oſtentanti ornamenta ſua pretioſa & pulchra, demonſtratis filijs ſuis è ſchola reuerſis, dixerit: *Hæc mea ornamenta ſunt.*

2. Significauit ſapiens mulier, probis filijs nihil aut pulchrius aut iucundius à parētibus exhiberi poſſe, indicās illos auro, argento, lapidibus pretioſis, margaritis, vnionibus, & reliquis omnibus ornamentis præferri debere. Mundus muliebris & pretioſa ſupellex illi ſexui in ſumma æſtimatione eſt: vnde Deus volens exaggerare quorumdam tepidorum frigidum erga ſe affectum & ſocordiam, dixit: *Numquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? populus verò meus oblitus eſt mei diebus innumeris.* quaſi dicat, Meritò ſum vobis in ſummo pretio, ſicut ornamenta mulieribus præ omnibus alijs rebus in ſumma æſtimatione ſunt. Ierem. 2,32.

3. Non ignorabat Aaron hunc mulierum muliebrem affectum, & ideò cùm non auderet omnino recuſare nefandum Iſraëlitarum facinus, impiè Prælatum ſuum vrgentium, & poſtulatione falſorū deorum affligētium, ne occideretur à tumultuante plebe, putabat efficaciſſimum medium, quo ab impio deſiderio auerti poſſent, ſe illi oppoſiturum, ſi ab auaris aurum & argentum, & à mulieribus poſtularet inaures aureas; quæ quòd ad ornatum

pertinerent, arbitrabatur quòd eas dijs efformandis eſſent detrectaturæ. Glossa interlin. *Rem difficilem præcipit* (dicit Gloſſa interlinearis) *vt ab intentione reuocet.* Credebat Aaron, quòd vxores grauiter ferrent, ſi acciperentur earum ornamenta, ait Lyranus noſter, & ita intendebat impedire, aut ſaltem retardare conatum populi vſque ad aduentum Moyſis. Lyran. Sed aliter euenit: prompta eſt enim humana malitia, nec ſumptibus parcit, vt Deo rebellis legitimæ poteſtati ab eo conſtitutæ ſe ſubducat. Vnde etiam hodie Hollandi prompti & parati ſunt contribuere mediam partem bonorum ſuorum ad ſeruitium diaboli, qui olim exactionem decimi nummi pro Dei & legitimi Regis iuſtiſſima cauſa tam ægrè tulerunt, ſicut adhuc præſens probat bellicus tumultus. Ita inſani Hebræi libenter & liberaliter pro confectione falſorum deorum, diabolo mouente, ſua pretioſa elargiti ſunt, qui minimam reculam pro vero Deo fortè poſtulatam recuſaſſent.

4. Cùm igitur benè inſtituti & probi filij parentibus chariores eſſe debeant quàm virgini pretioſa ſupellex, aut cuilibet mulieri præſtantiſſimus ornatus, condonanda eſt matri Tobiæ Hyperbolica locutio, qua, vt animi ſui dolorem explicaret in vnius filij ſui dimiſſione, deplorat omniũ bonorum amiſſionem, dicens: *Omnia ſimul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Tob. 10.5. In rigore tamen falſa eſt hæc ſententia, vt dictum eſt: nec minùs ſupra valorẽ creaturæ eſt hæc æſtimatio, quàm fuit infra dignitatem Filij Dei, illa quæ facta eſt à filijs Iſraël, de qua ipſe, qui verè eſt omnia in omnibus, conqueritur, dicens: *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Iſraël.* Matth. 27.9.

5. Ceterùm ab alijs commodè accipitur illud *omnia*, nimirum appretiatiuè pro ijs dumtaxat, quæ immediatè antè præmiſerat, vocans filium ſuum lumen oculorum, baculum ſenectutis, ſolatium vitæ, & ſpem poſteritatis ſuæ. Verùm etſi per diſceſſum filij ſui lumen oculorum non amiſerat, tamen continuo fletu illud adeò obſcurabat, vt quodam modo loquendi extinctum ſibi videri poſſet. Adde, quòd dimiſſo filio nihil ſe retinuiſſe exiſtimabat: nam præ triſtitia, omnia quæ ſibi in diſceſſu filij remanſerant, reputabat ac ſi nihil fuiſſent, adeò vt nec diuitijs, imò nec vita ipſa frui liberet. Eſt enim hæc omnium rerum temporalium conditio, vt ſi vna earum inordinato amatori ſubtrahatur, ſtatim reliquarum faſtidium generetur. Aman egreſſus de aula Regis Aſſueri, conuocatis amicis & vxore, *expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorumque turbam, & quanta eum gloria ſuper omnes Principes & ſeruos ſuos Rex eleuaſſet*, Eſther 5.11. & quòd Regina quoque Eſther eum ſolum cum Rege ad conuiuium vocaſſet. Sed quia ipſius ambitioni & ſuperbiæ aſſurrectio & honoris exhibitio vnius Mardochæi denegata fuit, ac ſi ille omnia reliqua ſecum abſtuliſſet, conqueritur, dicens: *Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias.* Eſther. 5.13.

6. Regi Achab nihil contulit opulentiſſimum regnum, ſed quia illi ſola vinea Naboth defuit, omnia reliqua eiuſdem regni bona cupidum rei alienæ reficere nõ potuerunt. *Et proijciens ſe in lectum ſuum, auertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.* 3. Reg. 21.4. Miro modo amplificat Ambroſius lib. de Nabuthe cap. 2. miſeriam hominis cupidi,

cupidi, ſpecialiter autem in hoc Rege vocem & neceſſitatem egeni & mendici notat. ſic enim Rex ditiſſimus pauperrimo Naboth locutus eſt: *Da mihi vineam tuam*, &c. *Quæ alia vox egentis eſt?* inquit Ambroſius, *quæ alia vox ſtipem publicè poſtulantis, niſi, Da mihi? hoc eſt, Da mihi, quia aliud viuendi ſubſidium habere non poſſum. Da mihi, quia non eſt mihi panis ad victum, nummus ad potum, ſumptus ad alimentum, ad indumentum ſubſtantia.* Ambr.

7. Maior eſt autem parentum in liberos propenſio, quàm ſit auari cuiuſcumque alterius rei cupido. vnde mirum videri non debet, quòd mater Tobiæ filij ſui præſentiâ deſtituta, non aliter locuta ſit quàm ſi omnibus rebus nudata fuiſſet. Nihil enim aut gratum aut pretioſum eſt parenti deſiderio prolis anxio. *Quid dabis mihi?* dixit Abram Deo magna promittenti; *ecce ego vadam abſque liberis.* quaſi dicat: Credo Domine, te multa bona & opes mihi largiturum, ſed ad quid? & cui illa ſeruient? ego enim ſobole careo & ſterilis ſum, ac proinde vnus ex illis, quibus etſi multa ſuppetant, nihil omnino ſe habere arbitrantur. Liberi igitur qui tam calidè deſiderantur, & tam amanter habentur, non niſi ſummo dolore amittuntur: quod etiam in nepote eiuſdem Patriarchæ patet, qui Ioſephum ſuum, quem à fera peſſima deuoratum exiſtimabat, deplorans ait: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Præmiſit autem Scriptura, quòd congregatis cunctis liberis vt lenirent dolorem eius, *noluit conſolationem accipere.* In hunc modum dicitur de matre Tobiæ, quòd nemo eam conſolari potuerit, *ſed quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur.* Gen. 15,2. Gen. 37,35. Tob. 10,7.

8. Ex his concludi poteſt, quòd magna fuerit Mariæ Virginis afflictio, cuius Filius remanſit in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Quod enim mater Tobiæ non ſine interuentu alicuius hyperbolæ, hoc ipſa vndequaque verè dicere poterat, nimirum quòd omnia ſimul in eo haberet. Non enim appretiatiuè ſolùm omnia in ſuo Filio habentur, qui perfectiſſimo modo eſt omnia in omnibus. Continet enim omne bonum, cuius oſtenſio facta eſt Moyſi ab eo qui promiſit illi, dicens: *Ego oſtendam omne bonum tibi.* Per omne bonum intelligunt multi diuinam eſſentiam, quam aliqui ex hoc loco probant Moyſen in hac vita vidiſſe, ſequentes Auguſt. Epiſt. 112. cap. 12. & 13. Etſi alij putent, hoc ſenſu promiſſionem Moyſi factam non eſſe in hac vita, ſed in futura complendam. Tractat hanc quæſtionē S. Thomas 2. 2. q. 134. a. 3. Quidquid autem ſit de ſenſu huius Scripturæ, & de controuerſia inde orta, certum & indubitatum eſt, Filium B. Virginis, qui remanſit in Ieruſalem, in ſe vno omnia ſimul bona habere, ac proinde Mariam, quæ iuſtiori titulo quàm mater Tobiæ eius diſceſſum indoluit, illius abſentiam acerbiùs ſenſiſſe & deploraſſe. Exod. 33, 19. Auguſt. S. Thomas.

9. Porrò multò commodiùs, ſaltem in particulari, intelligi poteſt, quo ſenſu Chriſtus Mariæ fuerit lumen oculorum eius, quàm Tobias matris ſuæ. Fabianus Iuſtinianus arbitratur, hoc ab ea dictum fuiſſe, quia Tobias erat illi obiectum iucundum & delectabile. Chriſtus verò matri ſuæ erat *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, qui non tantùm iucundum & delectabile obiectum erit in cælis, ſed etiam lumen de ſe effundet, per quod intellectu illuſtrato & ſupra ſe quodammodò rapto, Ioan. 1,9.

pto, cum videbimus ſicuti eſt, non ſolùm in ſua humanitate, ſed etiam in ſua diuinitate. vnde Dauid ait: *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumẽ.* In creato lumine gloriæ, dicit Lyranus noſter, videbimus lumen tuæ eſſentiæ, quod alioquin videri non poſſet ab intellectu creato. Veriùs igitur Maria omnia ſimul in Chriſto, qui remanſit in Ieruſalem, habuit, quàm Anna in Tobia, qui ab illa ſciente & conſentiente diſceſſit; vnde multò maior fuit illius quàm huius dolor.

Pſalm. 35, 10.

Lyran.

10. Notandum eſt autem, quòd alij Sancti ad ſalutem ſuam & Dei gloriam afflicti fuerint, eodem permittente quidem, raro autem per ſe immediatè aliquid efficiente: ſed vſus eſt diaboli & malorum hominum miniſterio & mala voluntate; qui quod ſanctè permiſit, peſſimè executi ſunt, vt ſatisfacerent furori ſuo. Peccaret tortor, ſi rancore commotus reo pœnã infligeret à Iuſtitia decretam, & ab ipſo reo ſæpè commentam. Non mouetur dæmon zelo iuſtitiæ & gloriæ Dei, ſed præ ira vellet benè omnes Dei ſeruos in nihilum redactos videre. Rabiem illius oſtendit Ioannes, præ horrore exclamans: *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet.* Exponit his verbis Ioannes inſatiabile odium diaboli, cui datum eſt ab initio mundi vſque ad finem furorem ſuum exerere in Sanctos & electos Dei, & amplum illud tot millium annorum ſpatium modicum ſibi apparet.

Simile.

Apoc. 12, 12.

11. Sicut diabolo nullum tempus longum, ita nullum plagarum genus exquiſitum eſſe videtur, quo Sanctorum patientiam exercet. Petiit licentiam, vt Iobum parum affligere poſſit. *Extende paululum manũ tuam*, inquit, *& tange cuncta quæ poſſidet.* Quid autẽ ſuo iudicio ſit paululum aliquem attingere, ſtatim oſtendit nuntius, qui currens ad Iob ait: *Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio.* item: *Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues puerosque conſumpſit.* item: *Filijs tuis & filiabus tuis veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, ventus irruit & oppreſſit omnes.* Si hoc eſt paululum attingere, quid igitur erit vaſtare, lacerare? Si hæc facit leui manus extenſione (non enim aliam facultatem poſtulauit) quomodo tractabit eos qui poteſtati & voluntati eius tradentur? Iob 1, 11.

12. Oſtendit Deus quotidie iram diaboli in obſeſſis, vt fortiter pugnantes eius tyrannidem declinemus. Vt enim punitiones exercet in hac vita, quatenus pœnas æternas piè viuendo euadere conemur, ſecundùm illud Dauidis: *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus*; ita tortoris rabiem notam facit, ne peccatis noſtris exigentibus ei ſubijciamur. Eſt autem magnæ miſericordiæ Dei, quòd nos his præmonitionibus & prçoſtenſionibus cautiores reddat. Pſalm. 59. 6.

13. *Sufferentiam Iob audiſtis*, inquit Iacobus, *& finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.* Si conſideremus Iobi iuſtitiam, ſimplicitatem & rectitudinem, in Deum pietatem, in pauperes miſericordiam, & in memoriam reuocemus afflictiones, quas Deo permittente ſuſtulit, potiùs apparet Domini nimia auſteritas, de cuius iuſtitia facilè quis dubitaret, qui ignorat quòd miſericorditer diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Mirum igitur videri poſſet, quòd Apoſtolus inde miſericordiam probet. Sed nota, quòd ma- Iac. 5, 11.

magnæ miſericordiæ Dei fuerit, Iobo dare cum tanta tentatione prouentum, & nobis omnibus ſufferentiæ exemplum, ac diabolicæ tyrannidis horrendum ſpectaculum. Numquid magnæ miſericordiæ eſt, quòd Sanctos ſuos affligi permittit, vt qui non ſunt timeant, & ſe à iuriſdictione illius tor-
Simile. toris expediant? Quis Rex in terris cum magno cordis ſui dolore dilectum filium ſuum & innoxium ſtabulario tradit flagellandum, vt refractarij vaſalli ſe emendent?

14. Ceterùm vt vnde digreſſi ſumus reuertamur, Deus volens honori Mariæ parcere, noluit vt dæmon in illam (quæ contriuit caput eius) furorem ſuum exerceret. Ne tamen deſit nobis etiam in ipſa exemplum patientiæ, qui toti mundo finem Filij ſui oſtendit, non pepercit dolori matris eius. Ordinauit autem, vt ipſe Filius eamdem affligeret per ſe, quod vtrique
Lucæ 2,43. factum eſt, quando *remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius.* Qui tunc fuit in iis qui Patris ſui ſunt, non ſolùm ſedendo in medio Doctorum, audiens & interrogans eos, ſed etiam per ſui ſubtractionem Patri obediendo, etſi non ignoraret quòd inde mater ſummo dolore conficienda eſſet: nobis quidem ad patientiæ exemplum, illi verò ad meritum & gratiæ augmentum.

15. Valdè ſenſibilis fuit hæc patientiæ materia in tenera Virgine, quã cognouit immediatè à dilecto ſuo Fi-
Lucæ 2,43. lio cauſari. vnde ait: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* De dolore non murmurat, ſed ſenſum eius manifeſtat. Non eſt hæc interrogatio corripientis, ſed amantis. Poſt longam tentationem, quam S. Antonius patiebatur à diabolo, rogabat amoroſis gemitibus, dicens: *O Domine vbi eras?* Catharina Senenſis poſt conflictum carnalium tentationum, & ſordidarum repræſentationum rogauit: *O amantiſſime ſponſe vbi eras?* qui dixit, *Tibi aderam.* Cui illa: *Quomodo igitur patiebaris hæc obſcœna phantaſmata?* Eodem modo B. Virgo amanter querelas agit, ſicut parentes Tobiæ redeunti filio abſentiæ ſuæ dolorem teſtati ſunt. *Conſurgens enim cæcus pater eius*, cognoſcens Tob. 11,10. ex blandimento canis acceſſum filij, *cœpit offendens pedibus currere*, &c. *Et* ℣. 11. *ſuſcipiens oſculatus eſt eum cum vxore ſua, & cœperunt ambo flere præ gaudio.*

16. Si modeſtiam verecundæ virgunculæ Mariæ Virginis conſideremus; certè intelligens Filium iam triduo tanto dolore quæſitum, ſedere in medio Doctorum, viſa fuit offendere pedibus, id eſt affectu amoris, præſertim cùm procedens ad conſeſſum Doctorum, quibuſcum Ieſus in medio ſtans de rebus arduis & fidei myſterijs agebat, amabili querela interrupit conferentiam & diſputationem, dicens: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* non Lucæ ignorabas dolorem & triſtitiam no- 2,48. ſtram morte amariorem. Noſti enim, quantò præſentia tua ſuper omnes mundi delicias nobis dulcis & conſolatoria erat, tantò illius ſubtractionem maiorem dolorem adferre debere. Alij à malis hominibus tormenta patiuntur, ſed tuipſe feciſti nobis ſic. His verbis fortè patientiſſima mater vim lacrymarum addebat, quæ teſtabantur doloris & patientiæ magnitudinem.

17. Verè Maria dicere potuit illud Dauidis: *Quoniam tu es patientia mea* Pſalm. *Domine.* qui his verbis indicat ad lit- 70,5. teram, quòd Deus fuerit cauſa patientiæ in tribulationibus, quæ ſæpè illum inuenerunt nimis. vnde alibi ait: *Quo-* Pſalm. *niam ab ipſo patientia mea.* Sicut enim 61,6.

Digitized by Google

aliqua de Deo dicuntur per eſſentiam, vt cùm bonus, miſericors, iuſtus prædicatur: ita alia quædam ei per cauſalitatem tribuuntur, quæ nimirum ſingulari efficientia ab eo in nobis cauſantur; vt cùm dicimus, Deus eſt amor meus, ſpes mea, fortitudo mea, patientia mea, &c. Hinc magiſter Sententiarum lib. 1. diſt. 17. ait: *Deus ſpes noſtra, patientia noſtra appellatur, non quòd ipſe ſit iſta, ſed quia iſta ex eo ſunt.* Maiori ratione Maria dicere potuit, Tu Fili, qui feciſti nobis ſic, etiam patientia noſtra fuiſti: impoſſibile enim erat dolorem tam vehementem ſentire, & viuere, niſi tu cum afflictione quam cauſabas, etiam patientiam dediſſes. Magiſter.

18. Deinde alio modo potuit Filio tribuere nomen patientiæ ſuæ: alijs enim Sanctis à dæmone & membris eius afflictis, eſt quidem Deus patientia confortans & conſolans, ſed Mariæ, quam ipſe per ſe afflixit, fuit patienter percutiens & ſanans. Nō enim ſolùm dedit virtutem, ſed etiam materiam patientiæ. Mali homines adminiſtrarunt quidem lapides torrentis protomartyri Stephano, ſed Deus per patientiam effecit, vt illi dulces eſſent. Eodem modo Laurentio ignis à tyranno ſuppoſitus eſt, ſed ignis amoris, quo illum ſuperaret, à Deo infuſus fuit cordi illius. Chriſtus verò & matri cauſauit tribulationem, & ſimul infudit patientiam. Quæ autem Deus ſe ſolo facit, ſine miniſterio alicuius creatæ cooperationis, illa præſtantiora eſſe ſolent. Vnde patet, quòd Mariæ patientia ſingularis fuerit, vt quæ de ſola omnipotenti manu Filij eius ſpeciali ratione proceſſit, &c. Amen.

DISCVRSVS II.

Dolor Mariæ de Filij amiſſione excellentiam patientiæ eius probauit, quæ ſine præiudicio eius dolens, petiuit & quæſiuit mœroris ſui remedium.

19. DEPRAVATVR opificium, quod fit ad regulā quæ ab omni parte recta non eſt: nihil autem damni patitur, ſi non eſt curua, ſed inexpertis ſolùm talis videtur. Proponuntur nobis in Scriptura ſacra multi Sancti in exemplum & regulam patientiæ, qui in hac virtute rectiſſimi ſunt, & ſemper habiti fuerunt ab ijs qui omnem rem dubiam & incertam præuio maturo examine & diligenti diſcuſſione iudicāt: qui autem leues ſunt corde, ſtatim credent eos verè curuos & imperfectos eſſe, qui cæcutientibus tales apparent. Ipſe Iob, qui nobis ab Apoſtolo Iacobo pro exemplo patientiæ exhibetur, ab imprudentioribus impatientiæ notatur, dum ait: *Tædet animam meam vitæ meæ.* Simile. Iob 10, 1.

20. Notandum autem, quòd non ſemper ſit patientiæ contrarium, in perpeſſione rei difficilis tædium ſentire. Alioquin Chriſtus Dominus in patientia tunc defeciſſet, quando paſſionem ſuam aggreſſus eſt, in qua ſingulari charitate arſit, & patientia præfulſit, atque adeò opus illius perfectiſſimum, quod ab eo conſummandum erat, infirmum & debile habuiſſet initium; nam, teſte Marco, *cœpit pauere & tædere*, tempore paſſionis ſcilicet. Iob igitur repletus ſpiritu diuini amoris, vitæ huius tædium profitetur. Eſt autem hoc tædium amantium, in quo eum multi Sancti ſunt ſecuti. Inter hos fuit Dauid qui exclamans ait: *Quemadmo-* Marc. 14, 34. Pſalm. 41, 2.

Pſalm. *admodum deſiderat ceruus.* item : *Heu*
119,5. *mihi, quia incolatus meus,* &c. *multùm*
6. *incola fuit anima mea.* Patientiſſimus Paulus, & in rebus arduis fortiſſimus, manifeſtauit idem amantium tædium,
Phil. 1, *deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum*
23. *Chriſto.*

21. Præterea tædij & mœroris ſenſus eſt ſæpè patientiæ argumentum. Nam inſenſibilitas eſt vitium patien-
Leſſius. tiæ contrarium, vt docet Leon. Leſſius de Iuſtitia & Iure lib. 3. cap. 2. dub. 5. n. 41. Non enim eſt laudabile, nec naturæ humanæ conſentaneum, nullis malis tangi, ſed potiùs illud ſignum eſt beſtialis conditionis: nec conuenit vitæ ſociali, inſenſibilem eſſe. Multùm triſtatur parens, ſi videt filium nihil curare monitiones & correptiones
Simile. eius. Non patientes, ſed cum iniuria veræ patientiæ inſenſibiles erant, de quibus conqueritur Propheta, dicens:
Ierem. *Domine, oculi tui reſpiciunt fidem: per-*
5,3. *cuſſiſti eos, & non doluerunt,* &c *renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt*
Simile. *facies ſuas ſupra petram.* Nihil obſtinatius eo qui dedolentiam aliquam induit. vnde dici ſolet, puerum illum ad patibulum natum, qui contra flagella obdurat ſe, nihil curans, & (vt vtar proloquio Belgarum) qui monitiones & caſtigationes omnes *op ſijn tanden ſchudt*, id eſt, repellit inſtar lupi, dentibus arma quibus impugnatur confringentis.

22. Ne quis fortè ſuſpicaretur in Chriſto Domino non fuiſſe veram patientiam, ſubinde amouit à ſe omnem inſenſibilitatis opinionem tẽpore ſuæ paſſionis, maximè autem dum in cru-
Matth. ce ad Patrem clamans ait : *Deus meus,*
27,46. *Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Stat autem optimè doloris & mœroris ſignificatio etiam verbis querulosis expreſſa, cum perfecta patientię conſtantia. Nam idem Chriſtus Dominus, qui poſtquam Apoſtolis dixerat, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem,* & Matth. 26,38.
Patrem orauerat, vt ſi poſſibile eſſet, transferret ab eo calicem, veræ patientiæ ſpecimen præbens, ait ad eos qui tamquam ad latronem venerant comprehendere eum: *Hæc eſt hora veſtra,* Lucæ
& poteſtas tenebrarum. 22, 53.

23. Hæc ideò dicta ſunt, ne Mariæ patientia putetur in aliquo imperfecta fuiſſe, ex eo quòd Euangeliſta deſcribat eam tamquam querulosam, dicentem: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Non Lucæ
eſt hæc vox impatientis, ſed ſuſpicio- 2,48.
nem inſenſibilitatis, quæ veræ patientiæ aduerſatur, à ſe remouentis. Non minùs patientiam Mariæ audimus dũ hæc loquitur, quàm eam clarè videmus in monte Caluariæ, quando conſtantiam ſuam teſtatam fecit, de qua Ioannes ait : *Stabat autem iuxta cru-* Ioan.
cem Ieſu mater eius. Conſidera, inquit 19,25.
Chryſoſtomus Hom. 84. in Ioannem, Chry-
quòd imbecillius genus, ſcilicet mulie- ſoſt.
rum, virilius apparuit iuxta crucem ſtando, fugientibus Apoſtolis.

24. Multa præter iam dicta leguntur de Iob (cuius patientiam dicit Ia-
cobus à nobis auditam fuiſſe. *Suffe-* Iac. 5,
rentiam Iob audiſtis, inquit;) quæ vi- 11.
dentur magnam impatientiam ſonare. Nam *maledixit diei ſuo, & locutus eſt: Pereat dies in qua natus ſum.* Hebræorum Rabbini (vt notauit Titel- Titelm.
mannus noſter) ex verbis iſtis ſanctum virum non tantùm impatientiæ, ſed & blaſphemiæ taxarunt, quem ille docto commentario ex diuerſorum Patrum auctoritate egregiè defendit, dicens, quòd Iudæorum illorum improbam ſententiam & impiam interpretationem nemo Catholicorum ſequatur, omnibus vno ore beatum virum Iob per totam huius libri ſeriem, ab omni impa-

Digitized by Google

impatientia & inordinata animi perturbatione immunem & alienum aſſerentibus. *Deus qui iuſtificat* dicens, quòd Iob ſit vir ſimplex & rectus, & recedens ab omni malo. item: *In omnibus his non peccauit Iob labijs, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt. Quis eſt qui condemnet?* Deinde poſitus eſt in hoc libro omnibus poſteris in exemplum patientiæ, quemadmodum ex Iacobi Epiſtola iam aliquoties oſtendimus, ergo nec ſuſpicione impatientiæ quidem laborare cenſendus eſt.

Rom. 8,33. Iob 1, 22.

25. Non igitur impiè agens, ſed dura patiens hæc dixit, inquit Chryſoſtomus, facilè putaretur inſenſibilis, niſi verbis dolorem ſuum manifeſtâs, probaret ſuam patientiam. *Pœnas ipſas atque dolores non vtique exiſtimaret homo* (dicit Origenes) *niſi ita amarè defleret.* Nota igitur, quòd aliquid ſit aliquando ingratum ſecundùm ſe acceptum; quod tamen relatum ad vtilem finem, amabile eſt. Sicut amara medicina horrori eſt, relata tamen ad conſecutionem ſanitatis, ab infirmo deſideratur, & dato pretio comparatur. vnde Poëta:

Chryſoſtom. Origen. *Simile.*

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes.

Beatus igitur Iob, volens indicare diſpoſitionem partis ſenſitiuæ, cuius officium non eſt afflictiones & miſerias huius vitæ referre ad finem vitæ beatæ, cùm hoc ſit rationis & partis ſuperioris, ſic locutus eſt, vt declararet ſe nõ laborare inſenſibilitate, quæ patientiæ contraria eſt, per quam ſanctus ille vir omnes ſuas miſerias hilariter acceptabat. Itaque patientiam Iob audimus non tantum quando ait: *Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum:* ſed etiam quando hæc verba protulit, quibus dum ſe ab inſenſibilitate defendit, patientiam ſuam poſteritati exſtruxit.

Iob. 1, 21.

26. Ex his patet, quòd ſine præiudicio patientiæ Mariæ dolens quærebat quem diligebat anima eius; quo inuento conqueri viſa eſt dicens: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Sed videntur hæc contra definitionem patientiæ, quam dat S. Thomas 2. 2. q. 136. a. 1. citans Auguſtinum lib. de Patientia c. 2. quæ ſic habet: *Patientia hominis eſt, qua mala æquo animo toleramus, nec animo iniquo bona deſideramus, per quæ ad meliora perueniamus.* Maria autem Filij abſentiam valdè dolens, diligenter ipſum quæſiuit: quæ quamuis dolorem tolerauit ſine perturbatione triſtitiæ, quæ illam pelleret ad aliquid quod inordinatum eſt, aut retraheret à bono meliori; tamen eatenus non omnino æquo animo eam toleraſſe cenſeri poſſet, quòd anxiè ad illum anhelauit, qui eſt vnicum animarum noſtrarum ſolatium, & omnis doloris & mœroris præſentiſſimum antidotum. De ratione autem perfectæ patientiæ eſt, vt mala æquo animo toleremus.

Lucæ 2,48. S. Tho. Auguſt.

27. Sed his non obſtantibus dicendum eſt, Mariam ſine præiudicio perfectiſſimæ patientiæ potuiſſe & debuiſſe anhelare ad Chriſtum. Pro quo ſciendum, diuerſos gradus patientiæ à Doctoribus notari. Inferior omnium eſt, quo afflictus quidem paratus eſt dolorem & triſtitiam pati potiùs quã murmurando peccare, aut per aliquam Dei offenſam etiam minimam ſe ab illa liberare, tamen omnibus medijs licitis laborat vt ſe ab ijs quæ affligunt expediat. Et hæc patientia eſt omnibus præcepta. Hanc videre eſt in vidua quæ amarè deplorabat mortem filij ſui, cui Chriſtus miſericordia motus dixit: *Noli flere.* Item in Martha &

Lucæ 7,13.

& Magdalena, quæ pro ſanitate Lazari ſollicitæ erant, poſteà mortem illius amarè deflentes & dicentes: *Domine, ſi fuiſſes hîc*, &c. Infima hæc patientia etiam fuiſſe videtur in ſeruo Centurionis, qui iacebat paralyticus, & malè torquebatur, & fortè multùm gemebat, ac præ dolore vociferabatur. Hanc habere potuit *mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis.* Omnes hi, inquam, habere potuerũt infimam hanc patientiam. Suppoſito enim quòd per impatientiam illi non fuerint iniurioſi, non peccarunt adhibendo conatum, vt licitis medijs à ſuis miſerijs liberarentur. Dubitari tamen poſſet, an mulier illa non incurrerit impatientiæ notam, antequam de Chriſto firmam concepit fiduciam. Fortè enim non deerunt qui exiſtiment, muliercula ſanitatem nimijs expenſis fuiſſe procuratam. hæc enim *erat in profluuio ſanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpeſſa à Medicis: & erogauerat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat.* Non puto mulierem teneri, vt dilapidatione multarum diuitiarum vitæ ſuæ paruam prolongationem procuret. An verò licitè poſſit, ab aliquibus fortè poſſet controuerti, niſi ab omnibus ſanitas fortunæ bonis præponeretur. Poſſet tamen medicinæ alicuius pretioſitas, ab ægroto nimijs expenſis procurata, ægrotantis & minùs reſignati animi eſſe argumentum, & per conſequens defectum aliquem patientiæ adſtruere.

Ioan. 11,20.

Matth. 9,20.

Marc. 5,25. 26.

28. Quomodo non poſſet fieri exceſſus ab eo, qui nimijs expenſis procurat corporis ſui ſanitatem per artem medicam, cùm etiam viri timorati, qui moriendo magnum in Eccleſia Dei relinquunt ſui deſiderium, exiſtiment quòd apud illum de inordinata importunitate notandi ſint, niſi tandem ſe illius beneplacito reſignantes, ſuperſedeant ſalutaribus remedijs ordinis ſupernaturalis? Lego hac de re iudicium probatiſſimi viri eximij Magiſtri noſtri Domini Willelmi Eſtij S. Theologiæ Doctoris, & in Academia Duacena Profeſſoris: qui (vt de ſeipſo refert lib. 4. c. 18. Hiſtoriæ Martyrum Gorcomenſium, quam ipſe feliciſſimè conſcripſit) poſtquam morbo lento & Medicis incognito ac perplexo diu laborauerat, tandem fruſtrà tentatis omnibus humanæ artis præſidijs, opem à B. Virgine implorans, eiuſdem celeberrimã memoriam primùm Hallis, mox Seruiæ, Hannoniæ oppidis perexiguis quidem, peregrinorum tamen frequentiori concurſu & miraculorum multitudine noſſimis, deuotè viſitauit. Sed diſtulit Deus medelam, quam Martyrum gloriæ reſeruauit. Nam iudicio omnium deſperatus diſpoſuit domui ſuæ tamquam moriturus. In extremo autem diſcrimine conſtituto ſuaſerunt fratres & amici, quos intimos habebat, vt votum Deo nuncuparet ad locum paſſionis nouorum Martyrum, tunc ſoluendum, cùm primùm eò proficiſci tutò liceret. Non acquieuit ſtatim vir pius huic fratrum ſuggeſtioni, quem retinuit irreſignationis timor. Subiungam ipſius verba, ex quibus patet, quòd iudicio illius aliquid impatientiæ ſe ſubinde miſcere poſſit nimiæ in procuranda ſanitate, aut vita conſeruanda ſollicitudini. *Huic fratrum ſuggeſtioni* (inquit) *reſiſtebam aliquãdiu, quòd vererer, ne poſt imploratam ſemel atque iterùm Sanctorum opem, ignaui timoris meritò reus fierem, nimioque longioris vitæ deſiderio Deum iudicem, cuius ad tribunal iam iam me ſiſtendum arbitrabar, offenderem, ſi pro* Eſtius.

Digitized by Google

ſanitate corporali pergerem importunus eſſe. Sed tamen vicit chariſſimorum inſtantia. Factum eſt quod voluerunt. Pro ſalute mea votum voui, ex eo die morbus ſolui ac declinare cœpit, &c. Ex hoc ſcrupulo viri pij æquè ac docti colligi licet, an muliercula aliquam impatientiæ notam & culpam incurrere poſſet, quæ omnia ſua erogando facilè ſuſpicionem ſuggerit irreſignati animi, & inordinatæ præſentis vitæ concupiſcentiæ. Hæc occaſione illius patientiæ, quæ inter omnes gradus infimum locum obtinet.

29. Alius eſt igitur gradus excellentioris patientiæ, quo homo non ſolùm aduerſa tolerat, eò quòd ordinatis medijs ab ijs ſe non poſſit expedire, ſed acceptat illa ambabus vlnis (vt loquuntur.) vnde etſi non deſiderauit ea, tamen tamquam ſibi immiſſa à Deo grata ſunt. Huius patientiæ verbis quidem ſpecimen aliquod dedit Heli, cui cùm à Samuele grauamina quædam ſuper ſe & domum ſuam ſuperuentura prædicta eſſent, inſtar reſignati dixit: 1.Reg. 3,18. *Dominus eſt: quod eſt bonũ in oculis ſuis, faciat.* An verò fuerit impatientiæ & non potiùs iuſtæ triſtitiæ, quòd is poſteà accepto nuntio de morte filiorum ſuorum Ophni & Phinees, quam fortè æquo animo toleraſſet, niſi Arcæ captiuitas ad moderatam triſtitiam 1.Reg. 4,18. multùm addidiſſet, *cecidit de ſella retrorſum, & fractis ceruicibus mortuus eſt*, non facilè definiri poſſe videtur. Hic gradus addit ad priorem affectum aliquem, & pronitatem patiendi pro amore Dei, & voluntatem tolerandi, non ſolùm quia pati neceſſarium, ſed etiam quia Deo gratum eſt.

30. Altior eſt patientiæ gradus, quo quis, vt Chriſto crucifixo conformetur, efficaciter petit cruces & afflictiones, quæ ſi à Deo immiſſæ fuerint, non ſolùm ſe ijs reſignat, ſed etiam ſibi de illis gratulatur. Hunc heroicum patientiæ gradum conſcenderat Paulus, dicens: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce*, &c. Gal. 6, 14. Hæc patientia non eſt vulgaris, ſed eſt fructus Spiritus ſancti, de quo idem Apoſtolus ait: *Fructus autem ſpiritus eſt: Charitas, gaudium, pax, patientia*, &c. Gal. 5, 22. Hoc diuino fructu refecti *ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Act. 5, 41. *Eſt quippe fortitudinis excellentiſſimus gradus*, dicit Chryſoſtomus, Chryſoſtom. *non tantùm patienter & libenter, ſed lætanter quoque aduerſas res ferre.* Dignitatem quamdam ſibi lætus gratulabatur Marcus Arethuſius in paſſione & atrociſſimis tormentis, qui ſub Iuliano Apoſtata excarnificatus, eò quòd idolum confregiſſet, & melle illitus, ac in altum ſublatus, vt lenta corroſione à veſpis conſumeretur, tortores irriſit, eiſque ſuam vilitatem obiecit, dicens illos abiectos eſſe & humi repere, ſe verò erectum & in ſublime poſitum, quos hac ſua patientia & alacritate ad Chriſtum conuertit, vt auctor eſt Theodoretus lib. 3. c. 6. Theod.

31. In hac eadem patientiæ ſublimitate glorioſè animam ſuam poſſedit Romana quædam femina, nomine Bona, de qua Antoninus p. 3. Chron. tit. 23. §. 10. Antoninus. in cuius pectore vermes ſcaturiebant, qui illi tam pretioſi erant, vt quinque ex ijs, qui quodam tempore caſu elapſi erant, tamquam vniones ſollicitè recolligens in mamillis reponeret. Ad quam veniens ſanctus Dominicus, magna precum inſtantia obtinuit vnum ex illis pro magno munere, ſub conditione tamen vt eum ſibi redderet, qui inter digitos ſancti viri ſubitò verſus eſt in pretioſiſſimum lapidem. Quo viſo, Fratres qui ade-

rant, negarunt gemmam afflictæ mulieri reddendam eſſe, quæ vermis non vnionis reſtitutionem pacta erat. Cœpit igitur ſancta mulier lacrymari, rogans vt ſibi redderet ſuum lapidem pretioſum, quem à ſancto Dominico ſuper feneſtram repoſitum reſumens, omnibus inſpicientibus exeſo pectori reſtituit, qui confeſtim iterùm in vermem mutatus eſt. Dominicus autem oratione facta, famulam Dei cum benedictione ſua à ſe dimiſit. Quo diſcedente, totum pectus extinctis vermibus conſolidatum eſt, & omnis dolor horrendæ putredinis in patientiſſima muliere ceſſauit.

32. Ex his patet, quòd ad ſummam patientiam requiratur, vt quis non ſolùm libenter, ſed & lætanter afflictiua ferat: quod etiam teſtatur S. Bonauentura t. 2. Opuſcul. de Profectu Religioſorum, lib. 2. c. 37. allegans ad hoc propoſitum illud Deuteronomij: *Immolabunt victimas iuſtitiæ, qui inundationem maris quaſi lac ſugent.* Certè quaſi matris vbera ſugunt, qui excreſcente amaritudine cuiuſlibet aduerſitatis tamquam lacte conſolationis exhilareſcunt, & verè victimas iuſtitiæ immolant. nam, teſte Gregorio, maioris eſt meriti *aduerſa patienter tolerare, quàm bonis operibus inſudare*. Talis fuit is qui dicebat: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs*, &c. *pro Chriſto.* item ille, qui quaſi modò genitus lac concupiſcens aiebat: *Quis det vt veniat petitio mea*, &c. *& hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore, non parcat.*

S. Bonauentura. Deut. 33, 19. Gregor. 2. Cor. 12, 10. Iob 6, 8. 10.

33. Videri poſſent hæc contraria ijs quæ ſuprà dicta ſunt de inſenſibilitate, quæ veræ patientiæ oppoſita eſt, à qua vt Iobum & Mariam defenderemus, illum quodammodò nimis ſenſibilem, hãc verò apud Filium de ſua in templo inſcijs parentibus remanſione, ac de dolore quo inde eos affecit, conquerentem propoſuimus. Sed vt vno verbo intelligamus hæc minimè contraria eſſe, ſciendum eſt, quòd ſicut vituperanda eſt inſenſibilitas quam irrationabilis ſtupor & hebetudo cauſat, à qua Iob alibi ſe adhuc purgãs ait, *Nec fortitudo lapidũ fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt*; ita laudabilis eſt inſenſibilitas excellentiſſimæ charitatis, qua Chriſtus ſicut ouis ductus eſt ad victimam, nec aperuit os eius: & Maria ſtabat iuxta crucem, conſtanti animo præbens gladio Simeonis locũ, quam inſtar inſenſibilis patientem fortis vt mors dilectio effecit. Quemadmodum in hominibus quędã inſenſibilitas oriri ſolet ex membrorũ corruptione & putrefactione, alia autẽ ex potus alicuius ſumptione, qui vim habet conſopiendi organa ſenſus: ita aliqui ſordida quadam inſenſibilitate laborant, quia corrupti dormiunt in fæcibus ſuis. Nam *impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit; ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium*: nec curat monitiones aut correptiones, erigens ſe contra flagella Dei, &c. Alia autem eſt laudabilis inſenſibilitas, qua gaudent qui cum Apoſtolis poſt acceptum Spiritum ſanctum muſto pleni putantur, & præ ebrietate inſenſibiles ſunt. Talis fuit ille qui dicebat: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei.*

ỳ. 12. Simile. Prou. 18, 3. Rom. 8, 38. 39.

34. Sicut igitur mirabilem Virginis patientiam profitemur, quando eam contemplamur iuxta crucem ſtantem, & morienti Filio aſſiſtentem; ita eamdem nobis demonſtratam eſſe agnoſcimus, cùm audimus illam Filium cum dolore inter notos & cognatos quærentem, & apud Filium

amabiliter de ſua remanſione in Ieruſalem verbis quodammodò expoſtulantem. Vnde non præiudicauit perfectioni patientiæ illius feruens ille affectus, quo illum quæſiuit, vt dolorem ſuum mitigaret. Non enim ad perfectionem eius ſemper requiritur, vt quis non laboret ab afflictione liberari; imò aliquando eſt voluntas Dei, vt afflictus quærat remedia, & inſtanter petat ſolatium. Vnde Chriſtus Dominus, vt præberet nobis exemplum fortiſſimæ patientiæ, admiſit, imò excitauit in ſe deſiderium vitæ, & mortis horrorem, dicens Patri ſuo: *Transfer calicem iſtum à me.* Adde, quòd aliquæ ſint tribulationes & ſpiritus anguſtiæ, quas ſi quis ſic patienter ferret, vt non etiam adhibitis ſalutaribus medijs ſe ab ijs expedire conaretur, præberet argumentum tepidi in Deum affectus. Vt ſi quis amiſſo feruore ſpiritus, ſiue guſtu deuotionis, ſiccus, aridus & tædioſus à Deo relinqueretur, & non gemeret neque doleret ſponſi diſceſſum, qui ideò ſe abſentat aliquando, vt in anxietate ſponſæ ſuæ illum per vicos & plateas ciuitatis ſollicitè requirentis ſe oblectet.

Lucæ 22,42.

35. Beata Virgo placuit Deo, fortiter patiendo Filij tam dilecti amiſſionem; & placuit nihilominùs, diligenter quærendo, & feruenter deſiderando doloris & mœroris ſui remedium: adeò vt non incommodè ei adaptari poſſet illud Ieremiæ tamquam ſibi à filio dictum: *Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto.* Ad litteram loquitur de charitate Dei quâ Synagogam ſibi deſponſauit, vel etiam de charitate ipſius Synagogæ qua Deo vocante per Moyſen illum ſecuta eſt in deſerto, vt patet Exodi 12. ſicut virgo quæ præ amoris vehementia ſponſum ſequitur etiam extra patriam ſuam proficiſcentem. Sic intelligunt verba illa Hugo Cardinalis & Lyranus noſter. Moraliter verò dicendum eſt, quòd anima ſponſum ſequatur, nec in deſerto eum relinquat, quæ in ariditate ſpiritus conſtituta, ab illius inquiſitione non deſiſtit, & ita Mariam doloribus plenam imitatur, quæ non ceſſauit quærere quem diligebat anima eius, qui tandem *deſcendit cum eis, & venit in Nazareth, & erat ſubditus illis,* &c. Amen.

Ierem. 2,2.

Exod. 12. Simile.

Hugo Cardin. Lyran.

Lucæ 2,51.

DISCVRSVS III.

Maria acerbum dolorem patiens in amiſſione Filij ſui, ex imagine cognouit magnitudinem pœnæ damni, vt eam pro nobis peccatoribus ferventiùs deprecetur.

36. QVEMADMODVM Samſon, poſt occiſum leonem, dedit patri & matri, præ omnibus aliis, partem examinis apum & faui mellis in ore leonis reperti; ita Chriſtus Dominus generis humani redemptor, & infernalis leonis interemptor, parentes ſuos præ omnibus alijs participes fecit eius, quod in hunc mundum (qui eſt quodammodò os leonis, per quem conterit & quaſi maſticat terrenos homines, quos in infernum tamquam in ſtomachum proiectos, æternis tormẽtis decoquat) deſcendens, vt inſtar Samſonis ſibi Eccleſiam deſponſaret, quæſiuit & inuenit. Quid autem illud ſit, declarat Pſalmiſta dicens: *Tribulationem & dolorem inueni.* quæ etſi potiùs fellis quàm mellis conditionem præ ſe ferant, eſurienti tamen & amanti dulciora viſa ſunt ſuper mel & fauum. Nam *anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.*

Pſalm. 114. 3.

Prou. 27,7.

37. Tranſ-

37. Tranſeo dolores quos ſenſit Virgo, poſtquam vſu rationis prędita fuit, vſque ad Chriſti incarnationem; qui etſi ignoti, tamen magni fuerunt. Cùm enim præcipuum imò ferè vnicum medium, quo Deus vtitur ad animarum internum ornatum, ſit tribulationum perpeſſio, & Virginem gratiis ac donis internis decorauit præ omnibus alijs, firmiter credendum eſt, quòd eam ſupra communem modum etiam in patientia exercuit. De illis autem tribulationibus, quas Scriptura expreſſis verbis commemorat, non fuit minima hæc, de qua in præſenti nobis eſt ſermò, cuius operator ipſe Chriſtus fuit, remanens inſcijs parentibus in Ieruſalem. Dedit igitur patri ſuo & matri ante omnes alios de tribulatione & dolore, quem inuenerat in hoc
Lucæ 2,48. mundo, partem. vnde Virgo ait: *Ecce, pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Nullus eſt electorum Dei, qui doloris & tribulationis expers eſſe poterit: nam *omnes qui piè volunt viuere in*
2. Tim. 3,12. *Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Nemo eſt qui ſe eximere valet ab illa prædictione, imò potiùs promiſſione, quæ facta eſt duobus fratribus ſedes in regno Chriſti præproperè ambientibus: *Calicem quidem meum bibetis.*
Matth. 20,23. Præ ceteris autem citiùs & abundantiùs hunc calicem parentibus ſuis propinauit.

38. Mirari quis poſſet, quo fine, qua intentione Deus, qui ſuauis eſt vniuerſis, & ad ſe vocat oneratos & laborantes, permiſerit, imò poſitiuè per ſe cauſauerit parentibus propriis hanc moleſtam tribulationem. Præterea non parum facit ad exaggerandam hanc Dei diſpoſitionem, ſi conſideremus, vbi & qua occaſione Virgo Filium ſuum perdiderit. Dum enim ipſa deuotiſſimè oraret in templo, ad quod aſcenderat non ex obligatione, ſed ex gratuito cultu Dei, Filius ſe ſubduxit. Opus igitur ſupererogationis, quod proceſſit ex ſincero amore amicitiæ, occaſionem dedit afflictiſſimæ matri tanti doloris & mœroris. In orando tota abſorpta fuit in diuinitatis contemplatione, adeò vt ad Filij ſui humanitatem oculis corporeis non attenderet, & tam excellentis deuotionis occaſione capta, benedictus puer ſe ſubtraxit. Si impulſu naturalis & materni affectus ſic Chriſto homini intenta fuiſſet, vt minùs de illius diuinitate per operationem intellectus cogitaret, non videretur adeò mirum, quòd illius guſtu ad tempus fuiſſet priuata; non eſt enim hic excellentior orandi modus, imò ſubinde fieri poſſet, quòd Deo minùs placeret delectatio, quæ ex Chriſto vt homine hauritur, neglecta nimirum diuinitatis contemplatione. quo ſenſu fortè intelligi poſſent verba ſponſi dicentis ad dilectam: *Auerte oculos tuos à me, quia ip-* Cant. 6, 4.
ſi me auolare fecerunt. Hinc etiam dictum eſt Apoſtolis: *Expedit vobis vt* Ioan. 16,7.
ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Verùm quòd Virgo tam deuotè celebrans feſtiuitatem illam, ad quam vrgente amore amicitiæ aſcenderat, & occaſione tam ſublimis orationis Filium ſuum amittat, hoc admiratione dignum eſſe videtur.

39. Non eſt dubium, quin Sapientia diuina, *quæ attingit à fine vſque ad* Sap. 8, 1.
finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, iuſtiſſimas rationes habuerit, propter quas Filius Dei ſe abſentauit, & matrem tãto dolore affici permiſit. *Sci-* Rom. 8,28.
mus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Primò igitur voluit matrem, ad maiorem cumulum meritorum, exercere in pa-

tientia. Experta erat quidem præcipuum amoris effectum: guſtauerat enim & viderat quoniam ſuauis eſt Dominus, qui illi iam duodecim annis præſens fuerat; delectatio enim ex præſentia rei amatæ conſurgit: ſed necdum ſenſu perceperat ſecundum amoris effectum, qui eſt triſtitia & dolor de abſentia & ſubtractione eius quem feruenter quis amat.

40. Fuit verò hic dolor vehementiſſimus, & maior omnibus præcedentibus. Nam etſi gladius doloris animam eius ſæpè pertranſiuerit, vt cùm videret Filium reclinatum in præſepio præ frigore & inedia algentem & trementem, & in circumciſione Sanguinem ſuum fundentem, & multis alijs incommodis ſubiectum; tamen omnes illos dolores mitigabat dulcis filij præſentia. In omnibus iſtis ſentiebat quidem aciem gladij, ſed tamen non torquebatur fame, quæ eſt gladius penetrabilior, cauſans maiorem dolorem, quàm alia quæcumque afflictio. Hinc benè ad præſens propoſitum dictum
Thren. 4,9. eſt à Propheta: *Meliùs fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame.* Eodem modo minùs ſenſit Virgo beata aciem gladij cuiuſcumque doloris, quàm famem quam in anima illius cauſauit
Ioan. 6,51. ille qui ait, *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi*, quando is ſuam præſentiam ei ſubtraxit.

41. Exiſtimauit Iob ſe animoſum ſatis & fortem ad quælibet toleranda
Iob 17, 3. in ſocietate Dei. vnde ait: *Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* Eodem modo quælibet pœna tolerabilis viſa fuit Mariæ, quando præſentia Filij ſui roborata animabatur.
Ioan. 19,25. vnde dicitur quòd *ſtabat iuxta crucem*, &c. Hinc factum eſt, quòd Deus ſoleat ſuos excitare ad audendum & aggrediendum ardua & difficilia quæque, promiſſione ſuæ præſentiæ & aſſiſtentiæ: *Quis ſum ego* (inquit Exod. 3,11.
Moyſes) *vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto?* quem ſecurum reddidit, dicens: *Ego ero tecum.* Similia ſæpè ℣. 12.
apud Prophetas leguntur. *Ne timeas, quia ego tecum ſum*, dicit Iſaiæ. item: Iſa 41, 10.
Cùm tranſieris per aquas, tecum ero: & cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Iſa. 43, 2.
Noli dicere: Puer ſum, inquit Ieremiæ, *ne timeas à facie eorum: quia ego tecum ſum, vt eruam te.* item: *Bellabunt aduerſum te, & non præualebunt; quia ego tecum ſum, ait Dominus, vt liberem te.* Ierem. 1,7.8. ℣. 19.

42. Vultis ſcire vnde factum ſit, quòd Ioſeph & Maria flentes & dolentes Filium ſuum quæſierint, cùm Martyres atrociſſima tormenta exultantes & ridentes toleraſſe leguntur? Exiſtimo huius rei nullam aliam cauſam aſſignari poſſe, quàm quòd illo triduo cum corporali ſua præſentia parentibus ſenſum internæ aſſiſtentiæ ſubtraxerit, quam Martyribus in tormentis abundantiùs largitus eſt, quibus aderat gratia non ſolùm gratum faciens, ſed etiam confortans & conſolans, quam Deus infundebat, *vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.* Pſalm. 103,15.
Martyres igitur gladius quidem ſecabat, Mariam verò torquebat fames, non panis materialis, ſed audiendi Verbum Dei, quod in ea caro factum erat, & iam inſcijs parentibus in Ieruſalem remanſerat. Audiebant Martyres quid loqueretur in illis Dominus Deus, qui loquitur pacem in plebem ſuam: auſcultabat etiam Maria; ſed ille tacebat, adeò vt dicere potuerit non murmurando, ſed cum dolore & patientia conquerendo: *Clamo ad te, & non exaudis me: ſto, & non* Iob 30, 20.21.

non reſpicis me, &c. *elenaſti me*, *& quaſi ſuper ventum ponens*, *eliſiſti me valdè.*

43. Etſi breuis, tamen pœnalis & longa viſa fuit Virgini hæc Filij ſui abſentia, cùm triduum illud pro ter mille annis computari potuerit. *Quoniam mille anni ante oculos tuos*, inquit Dauid, *tamquam dies heſterna*, *quæ præterijt*. Ecce tot annorum ſucceſſio vix curſum vigintiquatuor horarum perfeciſſe videtur præſentia Dei fruenti. Quod non debet nouum videri, cùm etiam amici adhuc in terra degentes ideò fures temporis appellari ſoleant, quòd conuerſantibus cum illis multæ horæ breues moræ appareant. Non igitur mirum eſt, quòd Virgo tribus diebus à conſpectu Filij ſui ſeparata, non aliter doluerit quàm ſi exilium prolixi temporis paſſa eſſet. *Cùm enim non habet amaritudinem conuerſatio illius*, *nec tadium*, *ſed lætitiam & gaudium*; non poteſt non tædioſum & longum exilium reputari, quæcumque etiam breuiſſimæ moroulæ illius præſentiæ ſubtractio.

Pſalm. 89, 4.

Simile.

Sap. 8, 16.

44. Vt autem Virgo magis in patientia exerceri poſſet, fortè Deus, qui momenta & tempora habet in ſua poteſtate, atque adeò efficit ſubinde vt longum tempus miſeriæ appareat patienti *momentaneum & leue*, *quod æternum gloriæ pondus operatur*; triduum illud, quaſi in plures annos extenſum eidem repræſentari fecit. hoc enim modo multùm addidiſſet merito patientiæ illius. *Ex dilatione enim*, vt dicit Gregorius, *creſcit deſiderium*, *& deſiderio intellectus augetur*: *intellectus verò cùm intenditur*, *affectus in Deum ardentiùs aperitur*; *qui affectus ad promerenda cæleſtia tantò fit capax*, *quantò fuit longanimius expectando.*

2. Cor. 4, 17.

Gregor.

45. Prætereà hoc dolore permiſit miſericors Deus matrem ſuam affici, vt non ignara mali peccatoribus ſuccurrere diſcat, quorum præcipuus cruciatus in priuatione beatificæ viſionis conſiſtit. Omnes alij enim dolores, quos ſenſit Virgo, repræſentarunt ei quid eſſent paſſuri per pœnam ſenſus, hic autem dolor imaginem ei obtulit, qua innotuit grauitas & pœnæ damni acerbitas. Ad pœnam ſenſus damnatis infligendam *gladium ſuum vibrauit*, *arcum ſuum tetendit*, *& parauit illum*, *& in eo parauit vaſa mortis*, quos acerbiori pœna cruciat, ſubtrahendo illis vultum ſuum; vnde *famem patientur vt canes*. Vt enim præcipua Beatorum felicitas conſiſtit in eo quod Dauid ſibi promittit, dicens, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*; item, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*: ita tormentorum omniũ maximum damnatis decretum proueniet ex eo quod dicet, *Ite maledicti*; item, *Numquam noui vos*, *diſcedite a me qui operamini iniquitatem*; item, *Amen dico vobis*, *neſcio vos*. quæ omnia pœnam damni ſonant.

Pſalm. 7, 13. 14.

Pſalm. 58, 7. & 15.

Pſalm. 16, 15.

Pſalm. 15, 10.

Matth. 25, 41.

Matth. 7, 23.

Matth. 25, 12.

46. Vt ergo Mater miſericordiæ, quam reſpicimus & ſalutamus tamquam ſingulare refugium peccatorum, feruentiùs orationibus ſuis inſtet apud Filium ſuum, & impetret eis miſericordiam & pœnitentiam, auertens malum pœnæ in æternum duraturæ, placuit Deo, quatenus ſine vlla ſua culpa ſaltem ad triduum affligeretur fame per dilecti Filij ſui ſubtractionem & abſentiam, qua tamquam in imagine ſibi repræſentaretur acerbitas illius. Magna fuit Eliæ auctoritas, ſine cuius verbo nec ros nec pluuia deſcendit de cælo, vt patet ex ijs quæ habentur 3. Regum 17. ℣. 2. & Iacobi 5. ℣. 17. qui vt compateretur fame laborantibus Iſraëlitis, & oraret, quare-

quatenus cælum daret pluuiam, permiſit Deus vt & ipſe in diſcrimine famis & ſitis conſtitueretur. Miſſus enim fuerat ab eo ad torrentem Carith, qui eſt contra Iordanem, vt biberet de eo: *poſt dies autem ſiccatus eſt torrens.* Hoc medio vſus eſt miſericors Deus, vt Prophetā flecteret ad miſericordiam. Ingens enim erat zelus honoris Dei in Elia, quem vt nimium taxare videtur Chryſoſtomus Serm. 1. de Elia, qui cauſam raptus eius in cælum tribuit immoderato illius feruori, dicens: *Si diu tibi manendum in terris, propediem humanum genus, quod à te plectitur, abſolueretur. Tranſi ergo in cælos, ô Elia: non poteſt ignis cohabitare calamo. Impeccabiles contubernales poſt hac habiturus es, inter Angelorum choros habitare te faciam.* Sic inducit ille miſericordem Deum acrimoniam Eliæ mitigantem.

3. Reg. 17. 7.

Chryſoſtom.

47. Nota, maior eſt poteſtas & auctoritas Mariæ, ſine cuius nutu vix gutta roris gratiæ aut pluuiæ miſericordiæ de cælo ad nos deſcendit. vnde potiori ratione de illius lingua dici poſſet, quòd Chryſoſtomus Homil. 16. ex varijs Matthæi locis de Elia aſſerit dicens: *Eliæ lingua fuit quaſi cæli clauis: factus eſt enim velut arbiter, cuius nutu & cohiberentur & defluerent imbres.* Elias & alij Sancti multa poſſunt apud Deum, plura tamen Maria. *Quis enim illorum eſt pluuiæ pater? vel quis genuit ſtillas roris?* Hæc autem genuit eum, *de cuius plenitudine omnes accepimus, gratiam pro gratia*, quæ proinde appellatur Regina cæli, mater gratiæ, mater miſericordiæ.

Chryſoſtom.

Iob 38, 28.

Ioan. 1, 16.

48. Non erat neceſſarium, quòd Deus, qui fluminis impetu lætificare ſolebat ſanctam Dei ciuitatem, permitteret triduo illo exerceri patientiam Virginis, quando per abſentiam Filij ſiccatus eſt illi torrens, de quo ait David: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Non enim opus erat, vt mater miſericordiæ & totius conſolationis, quæ ſufficienter ex naturali ſua inclinatione propendet ad conſolandum nos in omni tribulatione noſtra, per experimētum ſiccitatis & ſpiritualis ariditatis miſeris ſuccurrere diſcat: ſed qui proprio Filio ſuo non pepercit, matrem eius hac fame affligi permiſit, vt efficaciùs pro nobis orare valeat, & nos per preces eius, quæ in merito excellentiſſimæ patientiæ fundantur, maiorem ſalutis ſpem concipere poſſimus. *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur*, &c. Amen.

Pſalm. 35, 9.

Rom. 8, 17.

DISCVRSVS IIII.

Quemadmodum Filius Dei inſcia matre remanſit in Ieruſalem ad magnum exercitium patientiæ eius; ita ſubinde abſconditur ad maius meritum pijs animabus, ſubtractione guſtus internæ deuotionis.

49. SINE *pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei*, inquit Paulus. Diuerſæ ſunt horum verborum expoſitiones. Ambroſius exiſtimat, Paulum hîc ſingulare priuilegium Baptiſmi manifeſtare voluiſſe, qui ad ſuum effectum nō indiget Sacramento Pœnitentiæ, ſed fidei profeſſione. Baptizandus quidem debet interiùs pœnitere & dolere de peccatis admiſſis, vt docent communiter Doctores cum S. Thoma, non tamen tenetur ad externam pœnitentiam ſatisfactoriam, de qua loquitur Ambroſius. Ita ferè Hugo Cardinalis, qui per dona Dei intelligit peccatorum remiſſionem, quam

Rom. 11, 29.

Hugo Cardin.

quam ſine pœnitentia exteriori baptizandus obtinet. Haymon per pœnitentiam intelligit opera quæ afflictionem cauſare ſolent. Vocatur quis, inquit, à paganiſmo ad fidem: baptizatur, & ab omni reatu culpæ tam originalis quàm actualis liberatur. Quid boni fecit pro magno illo fidei dono, pro infuſione gratiæ baptiſmalis, & remiſſione omnium peccatorum ſuorum? Neque enim ieiunauit, neque eleëmoſynis neque auſteritate vitæ culpas deleuit. Naſcitur quis in peccato originali, cui addidit innumera peccata actualia: ex Deo vocante venit ad fidem: tandem baptizatus ſtatim moritur, accipiet dona vitæ æternæ, ſine vllis externis pœnitentiæ operibus; ergo ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei.

Haym.

50. Sed coactiorem hanc Ambroſij interpretationem vocat Adamus noſter. Germanus illorum verborum, inquit, ſenſus iſte eſt. Tametſi in præſentiarum gens Iudaica exoſa ſit Deo propter incredulitatem ſuam, tamen perſeuerat adhuc Dei beneuolentia erga illam, propter primam tantæ gentis electionem, & Patrum commendationem: quia non poteſt Deum vmquam pœnitere vocationis, qua ſecundùm æternam prædeſtinationem aliquem vocauit, nec præparationis donorum, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur. *Numquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit? abſit. Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Non igitur eius qui ait, *Ego Dominus, & non mutor*, ſed hominum, imò puerorum eſt, dare & auferre. *Nihil autem ſtabile eſt in rebus humanis*, inquit Euthymius in Pſalm. 115. *Sed vniuerſa vanitas omnis homo viuens.*

Adam. Rom. 3,3. ℣.4. Mala. 3,6. Euthymius. Pſalm. 38,6.

51. Nota tamen, quòd quædam Dei dona non fuerint ſaltem ſine apparentia pœnitentiæ. Magnum donum fuit, Saulem ad regnum vocari & eligi, de quo ait ipſe Deus: *Pœnitet me quòd conſtituerim Saul regem.* Mirabilis fuit etiam Iudæ electio, *qui connumeratus erat in nobis* (inquit Petrus) *& ſortitus eſt ſortem miniſterij huius*: quem Deus honorauit dono quidem Epiſcopatus, ſed oſtendit poſteà quòd illum pœnituit huius donationis, quando contigit quod ait Dauid: *Fiant dies eius pauci, & epiſcopatum eius accipiat alter*, ſcilicet Matthias, *de quo prævaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum.* Sciendum igitur, quòd promiſſa quædam & dona Dei habebant adiunctam conditionem, cuiuſmodi erant, de fertilitate terræ, de hoſtium oppreſſione, de perpetua poſſeſſione terræ Chanaan; ſi nimirum in Dei cultu perſeuerarent. Hæc autem promiſſio Iudæis facta, reuocata, & dona eis collata iterùm repetita & ab illis ablata ſunt, propter non ſeruatam conditionem: adeò: vt Deus metaphoricè de ſimilibus dicere potuerit, Pœnitet me illarum promiſſionum & donationum.

1.Reg. 15,11. Act.1, 17. Pſalm. 108,8. Act.1, 25.

52. Ceterùm omnium donorum maximum à Deo Virgini, & per illam omnibus nobis cælitus miſſum eſt. Nam *ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*. quem pœnituiſſe videtur illius donationis triduo illo, quando *remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius*. Tunc enim voluit, vt idem Filius ſic eſſet in ijs quæ Patris ſui erant, ac ſi is nullo modo ad parentes, quos habebat in mundo, pertineret. Dicendum ergo ex doctrina S. Bonauenturæ in 3. diſt. 34. artic. 1. q. 5. ad 1. quòd Deus Pater Filium ſuum ita dederit mundo, vt tamen illum à ſe non alienarit. vnde etiam

Ioan. 3,16. Lucæ 2,43. S. Bonauent.

Digitized by Google

Chriſtus inſcijs parentibus potuit remanere in Ieruſalem, & ſe abſcondere, etſi non ignoraret, pientiſſimam matrem ſuam inde magno dolore fore conficiendam.

53. Mirabiliter claruit B. Virginis patientia in perpeſſione ſummi illius doloris, ſicut ex præcedentibus Diſcurſibus patet; vt inde ſumant exemplum longanimitatis & piæ tolerantiæ omnes illi, à quibus ſe aliquando Deus ad illorum meritum abſcondit, poſtquam in deuotione *illuminati guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti*. (Hebr. 6,4.) Notandum eſt igitur, hanc diuinę conſolationis ſubtractionem diuerſas ob rationes ſubinde permitti à Deo. Primò vult Deus, vt anima agnoſcat, quòd in iſtis gratuitis gratijs aut dandis aut ſubtrahendis vtatur iure ſuo. Verum eſt, multùm confert ad perceptionem interni & ſpiritualis guſtus deuota hominis diſpoſitio; tamen Deus, ea etiam poſita, ſubinde guſtum illum negat, vt omnes ſciant, quòd delectari in Domino *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. (Rom. 9,16.)

54. Hæ ſpirituales deliciæ maximè in oratione percipi ſolent ex agro Dominico, in quo is excerpitur, qui ait: *Ego flos campi, & lilium conuallium*. (Cant. 2,1.) In huius figurâ dicitur de Iſaac quòd *egreſſus fuerat ad meditandum in agro*. (Gen. 24,63.) Sunt flores vineæ, ad quam ſponſa dilectum ſuum inuitans, ait: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Manè ſurgamus ad vineas*. (Cant. 7,11. ℣.12.) Benè dicit, *manè ſurgamus*, &c. eſt enim aurora apta his ſtudijs ſpiritualibus. vnde Dauid ait: *Manè aſtabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. (Pſalm. 5,5.) item: *In matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus*. (Pſalm. 62,7.) Si minùs laborans aliquando præfertur magis & diutiùs laboranti, de hoc nec ille gloriari, nec hic murmurare aut nimis triſtari debet; alioquin dicetur ei: *Amice, non facio tibi iniuriam: tolle quod tuum eſt, & vade. An non licet mihi quod volo, facere?* (Matth. 20,13. 14. & 15.)

55. Ex hac arbitraria diſtributione deliciarum ſpiritualium, duo bona proueniunt. Primò aufertur occaſio ſuperbiæ illis quos Deus ſic viſitat oriens ex alto, quia ſciunt quòd perfectis in ſiccitate & ariditate relictis, ſubinde illis qui minùs in via Dei profecerunt, hi flores decerpendi offerantur. Vt autem nemo dubitet eos non apparere in terra noſtra ex meritis noſtris, ſed ex ſolo Dei beneplacito, contingit aliquando, quòd cùm homo maiori conatu ſe diſponit ad deuotionem, ſicut adipe & pinguedine replens animam ſuam, vt guſtet quàm ſuauis eſt Dominus, minùs de huiuſmodi ſpiritualibus delicijs fruatur. Eſt igitur ſingularis miſericordiæ Dei, non meriti noſtri. Nam, vt ait Dauid, *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*. (Pſalm. 84,13.) Benignitatem dabit, non meritum aut debitum compenſabit. Horum veritas manifeſtatur in B. Virgine, quam Chriſtus Dominus ex Patris ſui beneplacito tunc priuauit ſua præſentia, quando ſumma cum deuotione Feſtum celebrauerat.

56. Alius fructus, qui ex hac arbitraria diſtributione, quæ prima fronte fortè alicui minùs iuſta videtur, ſequitur, eſt conſolatio famulorum Dei, qui aliquando multo tempore aridi & ſicci relinquuntur; quamuis tamen meditando, orando, per plateas & vicos ciuitatis cum ſpōſa quærant quem diligit anima illorum. Cùm enim attendunt, Matrem Chriſti, & multos alios.

alios Sanctos, ſine his gratuitis delicijs derelinqui, concludunt, hoc non eſſe argumentum amiſſæ gratiæ aut
Simile. amicitiæ Dei. Quemadmodum is qui in tractando amico, quem inuitauit, occupatur, aliquando vacuo ventre & eſurienti ſtomacho de menſa ſurgit; ita cùm Deum quis in oratione amicè excepit, ipſe ad magnum patientiæ meritum aridus & vacuus, quod ad ſenſibilem deuotionem attinet, de menſa
Pſalm. ſubinde recedit. *Cogitatio hominis con-*
75,11. *fitebitur tibi*, dicit Dauid, *& reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.* Fit Deo magnum feſtum ab illo, qui feruenter orando & diligenter meditando, eum pro ſuo poſſe reficit, & patienter abſque guſtu aut ſpirituali delectatione, ſed non ſine puro amore Dei, de oratione ſurgit. Cogita con-
Simile. ſuetudinem inualuiſſe in hac patria, vt qui inuitat alium, ſuccingat ſe, & tranſiens miniſtret inuitato, nec quidquam manducet, niſi quod de manu illius ei porrigitur. Ita fit inter Deum & deuotam animam, quæ illum ſemper reinuitat, & orationibus ſuis paſcit, nec tædio afficitur, etſi ab illo vacua ſæpè dimittatur, cùm de oratione, quam Deo præparat, non plus poſſit guſtare, quàm ille velit concedere.

57. Nullius eſt meriti, ſed potiùs ſordidi quæſtus, inuitantem aliquando reinuitare, & non niſi reficientem reficere. Vnde benè Chriſtus monet:
Lucæ *Cùm facis prandium aut cœnam, noli*
14,12. *vocare diuites amicos, ne fortè & ipſi te*
℣. 13. *reinuitent, & fiat tibi retributio: ſed cùm facis conuiuium, voca pauperes*, &c.
℣. 14. *Beatus eris, retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Super quæ verba
Beda. ait Beda: *Diuites alterutrum conuiuia celebrare, non quaſi ſcelus interdicit, ſed ſicut cetera neceſſitatis humanæ commercia, ad promerenda vita cæleſtis præmia nihil valere oſtendit. Non igitur ſub hac ſpe alijs beneficia conferamus*, dicit Chryſoſtomus Hom. 1. in Epiſt. Chryſoſtom.
ad Coloſſ. *vt nobis retribuant; hæc enim frigida eſt intentio. vnde talis amicitia celeriùs euaneſcit.*

58. Minùs perfecti ſunt in charitate, qui dum orant, delicias prætendunt, & Chriſtum quaſi diuitem, qui reinuitet, ad menſam vocant. Ad hos non tam venit amicè vocatus, quàm propter importunas eorum pulſationes propoſitis multis promiſſionibus intromiſſus. *Ecce, inquit, ſto ad oſtium,* Apoc.
& pulſo; ſi quis audierit vocem meam, 3,20.
& aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Beatior, & in charitate feruentior eſt, qui eum vt pauperem tractat, quem in oratione libenter reficit, patienter ferens, etſi abſque vlla reciproca conſolatione & ſpiritali refectione ab illo relinquatur.

59. Præterea priuat Deus ſuos amicos aliquando ſpirituali conſolatione, vt præter meritum patientiæ, quod in illis augetur, ad feruentiores amoris actus externos exerceantur, aut etiam latentis alicuius ſenſualitatis perſol-
uant pœnas. Paruulus cùm adeſt ma- *Simile.*
tri, aliquando minùs quàm ipſa optaret, ſuis infantilibus blanditijs illam recreat, ſed, matre neglecta, alijs colludit, quæ proinde abſcondit & ſubtrahit ſe illius aſpectui, vt conſolationem percipiat ex lacrymis eius, videns quòd nullus tam gratus ei ſocius aut colluſor adduci poſſet, qui priuatam matris ſuæ præſentiâ conſoletur, aut pacare valeat. Miro modo Deus recreatur, dum ab aliquo ſolus diligitur & in pretio habetur. Spirituales autem qui in oratione guſtant quàm ſuauis ſit Dominus, aliquando illo minimè contenti, colludunt ſenſualiter poſt ora-

Digitized by Google

tionem alicui creaturæ, & ita in amore
Auguſt. Dei ſubinde deficiunt. Nam Auguſtinus Deo loquens fatetur, dicens: *Minùs te amat qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.* Subtrahit igitur ſe benignus Dominus, qui ait, *Ego Dominus Deus tuus, fortis, & zelotes,* vt (Exod. 20,5.) videat dilectam animam gementem, & magno dolore ab omnibus occurrentibus cum ſponſa inquirentem, *Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* & (Cant. 3,3.) præ triſtitia omnia in quibus ſe oblectare ſolebat de manibus ſuis excutientem. In tali omnium rerum contemptu & vnico deſiderio Dei ambulabar Dauid, cùm diceret: *Renuit conſolari anima mea.* item: *Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte, cùm dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus?* (Pſalm. 76,4. Pſalm. 41,4.)

60. Præterea Deus abſcondit ſe, vt cum dolore & labore diu quæſitus, in maiori pretio habeatur poſteà inuentus. Sponſa vulnera & ſpolia veſtimentorum paſſa in dilecti ſui inquiſitione, cautior poſteà facta eſt, & fortiori propoſito ſe firmauit, dicens: *Inueni quem diligit anima mea; tenui eum, & non dimittam.* (Cant. 3,4.)

61. Tandem vltima ratio notanda eſt, propter quam ſolet Deus ſe abſcondere, & conſolationem ſuam ſubtrahere, vt nimirum electi in timore Dei fortiores fiant. Qui quàm ſit eis neceſſarius, indicat Sapiens, dum ait: *Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua.* Eſt (Eccli. 27,4.) iuſtis proprium, facilè timere: nam *bonarum eſt mentium, timere culpam, vbi non eſt culpa.* vnde fit, vt quamuis (Greg.) ſine illorum culpa Ieſus ſe abſcondat, & remaneat in Ieruſalem, tamen facilè timeant ſe in aliquo illum offendiſſe. Recogitant autem, & ſæpè repetunt illud Dauidis: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* (Pſalm. 18,3.) & hoc Pauli: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me, Dominus eſt.* (1. Cor. 4,4.)

62. Recordantur ex parabola Euangelica, ſeruos talenta ad lucrum accepiſſe: & quia is talento, quod acceperat, priuatus eſt, qui illud ſudario inuolutum otioſum reliquerat, *& abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam Domini ſui,* timent quòd ſingulari illa (Matth. 25,18.) gratia deuotionis, qua gaudere ſolebant, non ſint benè vſi ad ſpiritualem profectũ, & quòd ideò meruerint illa priuari. Ex hoc ſalutari timore oritur ſollicitum conſcientiæ examen, vt inueniant, ſi fortè verbo, opere aut cogitatione largitorem gratiarum offenderint. Hinc fit, quòd ſæpè Deum inueniant ad maius meritum, quem dolent ſe amiſiſſe quoad internũ guſtum. *Cùm quæſieris Dominum Deum tuum,* dicit (Deut. 4,29.) Moyſes, *inuenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.*

63. In delicijs illis ſpiritualibus olfacimus Deum. vnde fit, quòd pictores Sancto, quem in raptu aut ſingulari oratione repræſentant, roſas, violas, & alios flores appingere ſoleant. (*Simile.*) Aliquid igitur ſubinde Deus ſubtrahit olfactui, vt appetitus comedendi magis acuatur. Solent focariæ & culinariæ miniſtræ, ciborum odore repletæ, (*Simile.*) parum aut nihil ſolidi cibi ſumere. Eodem modo ſubinde contingere poſſet, vt quis internis iſtis delicijs inordinatè illectus, minùs curaret apparatum bonorum & ſolidorum operum pœnitentiæ & perfectionis. Quòd ne fiat, ex magna Dei miſericordia aliquando ſubtrahi ſolent odoramenta, vt ſimus propenſiores ad vera animæ noſtræ nutrimenta. Nam *labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, &* (Pſalm. 127,2.)
benè

Digitized by Google

benè tibi erit. Cùm ergo deliciæ illæ ſpiritus offeruntur, cum gratiarum actione recipiendæ ſunt: quando autem negantur aut ſubtrahuntur, patienter ferendum, & noſtræ tepiditati humiliter imputandum eſt, & expectandum donec ſponſus exaudiat nos
Cant. 1,3. orantes, gementes, & dicentes: *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*, &c. Amen.

DISCVRSVS V.

Mœrori Virginis de Filio perdito nullum ſe miſcuit ſolatium, vnde & ſummæ patientiæ exemplum reliquit, quo electi merentur ſalutarem præſentis vitæ exitum, & abſque dilatione futuræ gloriæ introitum.

64. VT hęretici extenuent patientiam B. Virginis, & nos priuent eius exemplo, docuerunt eam ſine ſenſu doloris amariſſimam etiam paſſionem & mortem Filij ſui mente pertractaſſe. Vt hoc ſuum dogma aſtruant, perperàm allegant S. Pauli auctoritatem, prohibentis triſtitiam de morte ſuorum ijs qui fidem habent & ſpem de reſurrectione mortuorum.
1.Theſ. 4,12. *Non contriſtemini*, inquit, *ſicut & ceteri qui ſpem non habent*. Inprimis ſciendum eſt, non omnem triſtitiam his verbis improbari, ſed prohiberi ab Apoſtolo, ne quis inconſolabiliter deijciatur triſtitia, ad modum illorum qui de futura vita nullam habent ſpem. Sic
Caieta. Caietanus & Titelmannus noſter. *Per-*
Titelm. *mittantur itaque pia corda de charorum ſuorum mortibus contriſtari*, in-
Beda. quit Beda, *dolore ſanabili, & conſolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles, quando moriuntur, paulùlum à nobis abire, & ad meliora tranſire*. Certè ipſe Paulus triſtitiam ſuper triſtitiam teſtatur ſe habuiſſe de morte Epaphroditi, non tamen tamquā ſuæ monitionis tranſgreſſor, quia longè fuit ab illorum mœrore, qui mortuo amico nullam vitę futurę ſpē ſupereſſe credunt. *Contriſtamur ergo nos*, inquit Auguſt.
Auguſtinus Serm. 32. de Verbis Apoſtoli, quem hoc loco citat Gloſſa ordinaria, *in noſtrorum mortibus neceſſitate amittendi, ſed cum ſpe recipiendi. Inde triſtamur, hinc conſolamur: inde infirmitas afficit, hinc fides reficit: inde dolet humana conditio, hinc ſanat diuina promiſſio.*

65. Notandū igitur, quòd Maria non fuerit triſtis de morte Filij ſicut ceteri qui ſpem non habent. Vt autem vehemens ſit dolor ad præclatum patientiæ eius meritum, fieri potuit, vt actu memoriæ eius non occurrerit, quòd certo certiùs tertia die eſſet reſurrecturus, & quòd per mortem ſuam, præter copioſam redemptionem totius generis humani, magnam gloriam & nomen quod eſt ſuper omne nomen, eſſet conſecuturus. Ita enim poteſt mens humana in apprehenſione rei alicuius triſtis abſorberi, vt cogitationi, quæ mœrorem temperet, nullus relinquatur locus. Certum eſt, hoc modo ſubinde Sanctos à Deo ad ſingularem illorum profectum relinqui. Sancta Thereſia referens quamdam afflictionem ſpiritus, in qua quodam tempore verſata eſt, ait ſe non aliter fuiſſe deſolatam, ac ſi in inferno de conſortio electorum Dei eliminata fuiſſet. Experta fuerat multos ſpeciales fauores Dei, per quos Spiritus ſanctus non obſcurū teſtimonium reddiderat ſpiritui eius, quòd eſſet filia Dei; ſed nihil horum illi occurrebat, vt deſolationem puram pateretur. Mirabili vitæ auſteritate ſe

conſecerat, & magnos in ſeruitio Dei labores exantlauerat,& tamen haud ſecùs quàm ſi in deliciis viuens mortua ſemper fuiſſet, omnis conſolationis expers,à Deo derelicta fuit.

66. Conſtat per experientiam, hominem ita abſorberi poſſe à triſtitia, & occupari in diſcuſſione alicuius obiecti melancholici, vt nullo modo attendere valeat ad ea quæ illud concomitantur, quibus triſtitia temperari poſſet. Fit verò aliquando hoc ex non cooperatione Dei, qui negat ſuum concurſum ad cogitationes pacis & conſolationis, vt ita affligens non parcat, & tandem gaudium & lætitiam abundantiorem afflicto & patiēti infundat.

67. In huiuſmodi triſtitia ſiue mi ſtura alicuius quod ſolatium cauſare poſſet, fuit Virgo beata triduo illo, quando puer Ieſus remanſit in Ieruſalem. Probabile enim eſt, quòd Deus ſubtraxerit ſuum concurſum, ſine quo homo nedum agere, ſed nec mente cogitationem reuoluere poteſt, ab omni conſideratione quæ aliquid leuaminis adferret. Non cogitabat actu, quòd benedictus puer nihil ſine Dei Patris beneplacito attentaret, quod probare videtur eiuſdem benedicti pueri in-

Lucæ 2,49. terrogatio, *Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Non enim potuiſſet Virgo perfectiſſima mœrore confici, ſi attendiſſet, hanc Filij ſui ſubductionem non fuiſſe cauſatam ab aliquo, ſed nudum Patris cæleſtis beneplacitum in ea perfici.

68. Ceterùm fieri potuit, quòd virgunculam abſorbuerit apprehenſio alicuius culpæ, cuius etſi ipſa ſibi non eſſet conſcia, de alijs tamen, quarum certam notitiam habebat, dubia poterat eſſe & ſuſpenſa, an fortè ſicut propter nos homines & propter noſtram ſalutem Filius eius deſcendit de cælis, ita peccatis hominum tædio affectus, ſe ad tempus vellet ſubducere hominum conſpectibus, & ideò hic dolor præ ceteris omnibus excludebat omnem conſolationem, eò quòd originem trahebat ex offenſa Dei, quam Virgo intētiſſimè abominabatur, adeò vt cum Propheta dicere potuerit: *Po-* Thren. 1,13.
ſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam. Hoc fit, inquit Hugo Cardinalis, quando anima fidelis, guſtata conſolatione diuina, non recipit alienam, vel quando deſiderat cæleſtia, & faſtidit terrena; maximè verò quãdo Deus ſuam præſentiam ſubtrahit. vnde Dauid clamabat: *Quare faciem tuam* Pſalm. 43,24.
auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ? Maria nullã conſolationem ex vlla re creata capere potuit, priuata Filij ſui præſentia: maior enim fuit illius dolor quàm Iacob Patriarchæ, qui *noluit conſolationem recipere*, videns Ioſeph numero & coronæ Gen. 37,35.
filiorum ſuorum deeſſe.

(Hugo Cardin.)

69. Meritò ait ſe dolore confectã. *Simile.* Vt enim ſaccharata ſiue arida bellaria, quæ vulgò confecturæ vocantur, ab omni parte ita dulcedine condita ſunt, vt in ſubſtantiam ſacchari tranſijſſe videantur; ita pia, clemens & dulcis Virgo Maria confecta fuit mœrore, vt nihil à dolore & triſtitia immune in illa reliquum fuerit, ſiue animam cum omnibus potentijs, ſiue corpus cum omnibus ſenſibus conſideres.

70. Vt electi per patientiam firmiorem ſpem futuræ gloriæ concipiant, & poſt tempeſtatem in maiori tranquillitate miſeram hanc vitam finiant, Deus permittit eos aliquando non modò affici, ſed etiam confici dolore, vt ſicut in cælo erunt confecturæ ſaccharatæ (non enim gaudium ſolùm in beatos, ſed ipſi in gaudium Dei ingreſſuri ſunt, non aliter quàm confe-

ctura

ctura in ſaccharo & melle reconditur) ita hîc mœrore repleantur, imò circumdentur, & dicant cum Propheta: Pſalm. 114,3. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.* & cum Dan. 13,22. Suſanna: *Anguſtiæ mihi vndique.*

71. Nota, qui patienter ferunt huiuſmodi dolores, non ſolùm in cælo, ſed etiam adhuc degentes in terra ſentiunt mirabilem Dei miſericordiam & conſolationem, quæ ſummæ illi deſolationi reſpondeat. vnde idem Propheta, qui dolebat ſe circumdatum mœrore, ſibi promiſit etiam miſericordiæ Dei circumuallum, dicens: Pſalm. 31,10. *Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.* item: Pſalm. 29,12. *Conuertiſti planctũ meum in gaudium mihi; conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* Quibus verbis ſignificatur magna conſolationis & lætitiæ multitudo, inquit Hugo Cardin. Hugo Cardinalis, quæ potiùs continet ſuos poſſeſſores, quàm contineatur ab eis. Certum eſt, quòd miſericordia Dei, qui ad exercitium patientiæ permittit vt electi ſui dolore & mœrore circumdentur & conficiantur, denegans ſubinde ſuum concurſum illis cogitationibus & conſiderationibus, quibus dolorem ſuum facilè lenire poſſent (vt ſuprà dictum eſt) eoſdem etiam protegat & circumdet, præſertim tempore mortis, adeò vt etiam non concurrat cum nimis fortè ſcrupuloſa peccatorum præteritorum commemoratione aut recogitatione quidpiam earum rerum, quæ pacem illorum tunc perturbare poſſent. Patienter igitur expectent, qui nunc mœrore confecti incedunt, vultu in terram dimiſſo, ac præ humilitate viuentes deſcendunt in infernum; & ex patientia ſua concipiant ſpem, quòd in hora mortis fiet quod dicitur: *Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Iſaiæ 35,10.

72. Vnde Ieremias ait: *Ego enim ſcio cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem & patientiam.* Ierem. 29,11. Ad litteram promittit, quòd ſicut permiſerat, imò immiſerat incommoda, vt exilium, captiuitatem, bonorum iacturam, ita etiam daturus eſſet conſtantiam & tolerantiam in ſufferendis illis. Ita Hieronymus, S.Thomas, & Lyranus noſter. Hier. S.Tho. Lyran. Gloſſa verò interlinearis addit, quòd prætereà pollicetur ſalutarem tribulationũ exitum & finem laborum, tam præſentium quàm futurorum. Gloſſa interlin. vnde patet, quòd tribulatio, cui vix aliquid conſolationis adeſt, ſi per patientiam honoratur, fit donum Dei, ex quo afflictus finem ſalutarem expectare & ſperare poſſit. Hinc Paulus ait: *In nullo terreamini ab aduerſarijs, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo: quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* Philip. 1,28.29

73. Occulta, ſed mira latet in his verbis miſericordia Dei erga ſuos electos, qui vtitur impijs ad eorum ſalutem. *Vult quidem omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; 1. Tim. 2,4. permittit tamen, vt mali bonos perſequendo ſeipſos perdant, & ad gehennam pergant, vt ita electi liberentur, & ſaluentur. Simile. Magni amoris eſſet argumentum, ſi pater permitteret, vt frater fratrem pugnis & verberibus impeteret in littore maris, non ignorans vnum eorum quem minùs amat occaſione colluctationis prolapſurum, & in mari ſuffocatum iri, magis verò dilectum inde longiùs à periculo ſubmerſionis fore propellendum.

lendum. Eodem modo permittit Deus vt Cain interficiens fratrem ſeipſum perdat, protrudens forti impetu Abelem electum & dilectum Dei ad ſecurum portum æternæ ſalutis. hoc eſt
Phil. 1, 28. quod ait Paulus: *Quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc ex Deo.*

74. Eſt igitur magnum donũ Dei, permittere incommoda. Hæc enim quodammodò eum obligant, vt finaliter afflictum ſaluet, ac proinde non eſt hoc indignationis diuinæ, ſed potiùs dignationis & miſericordiæ, vnde
Ierem. 29, 11. ad ſolatium afflictorum ait: *Ego ſcio cogitationes quas cogito.* Mirus eſt hic modus loquendi. Cùm enim nemo ignoret, in Deum nec obliuionem nec ignorantiam cadere poſſe, ſine neceſſitate videtur teſtatam facere cogitationum ſuarum notitiam. Adde, quòd homo, etiamſi labilis valdè memoriæ fuerit, vix poſſit non ſcire cogitationes quas in præſentiarum in mente reſoluit. Cùm ergo non dicat, Ego ſcio cogitationes quas aliquando cogitaui, ſed quas cogito, certum eſt, quòd non ſignificet cogitationum notitiam humano modo loquens, quę actu in mẽte illius voluebantur, quam omnes habent, ſed certitudinem fructus, & futuri euentus, ex permiſſa aut etiam ab illo immiſſa afflictione ſecuturi.

75. Non poteſt homo ſimilem cogitationum ſuarum prænotationem profiteri. Nam dum proponit ſubditorum punitionem commeritam, aut afflictionem immeritam, non poteſt ſibi inde promittere eorumdem emẽdationem aut ſubmiſſionem. Dicit
Sap. 9, 14. enim Scriptura: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Hinc fit, quòd parentes & Prælati non facilè affligant ſubditos ſine culpa, quin potiùs cum magno moderamine etiam commeritas pœnas infligant. Timidæ enim ſunt eorum cogitationes, quia incerti ſunt an quem volunt emendare, non fortè peior efficietur. Sciunt enim verum eſſe, quod ait Sapiens: *De ſtercore boum lapidatus eſt piger.* Boues ſunt prædicatores, Eccli. 22, 2.
qui iugum Domini portant, dicit Hugo Cardinalis; & verbo Dei tamquam Hugo Cardin.
gladio ancipiti corda terrenorum hominum & tribulos ac ſpinas vitiorum proſcindunt. De his intellige illud Iobi: *Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos.* item: *Non alligabis os boui trituranti.* Iob 1, 1, 14. 1. Cor. 9, 9.
Stercora boum ſunt verba increpatoria & exhortatoria, quibus deberent ſterilia corda peccatorum pingueſcere & fecundari, vt patet ex verbis cultoris vineæ (qui hac ſpe exorauit arborem exciſioni iam à Domino adiudicatam) dicentis: *Domine, dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſi quidem fecerit fructum; ſin autem, in futurum ſuccides eam.* Lucæ 13, 8. 9.
vnde Bernardus ait: *Quis ignorat, eſſe fimum verbum increpatorium? quia ſi non excuſet neceſſitas, minus decet proferentem.* Bernar.

76. Verùm non ſolùm Prædicator, ſed etiam quicumque Superior nomine bouis ſignificari poteſt, de cuius increpatione & punitione non tarò piger petroſior & obſtinatior efficitur. Sarai corripiebat ancillam ſuam Agar, quæ videns ſe concepiſſe, deſpexit dominam ſuam; ſed de ſtercore lapidata eſt. dicit enim Scriptura, *Affligente eam Sarai, fugam iniit*, correptionis impatiens, & prælegit foris exulare, quàm domi humiliari. Gen. 16, 6.
Non eſt tamen veriſimile, dicit Lyranus noſter, quòd mulier tam ſancta afflixerit eam iniuſtè, ſed humiliabat illam rationabiliter, & ecce ex ſtercore boum lapidata eſt pigra & ſuperba. Solus igitur Lyran.

Digitized by Google

igitur eſt Dei ſcire quid ex quo ſecuturum ſit, & prænoſcere ex præſenti afflictione profectum vel fructum afflicti. Propterea dicit per Prophetam, ſe cogitare cogitationes pacis, vt ſignificet ſe præuidere afflictiones afflicto profuturas ad ſalutem. Vnde benè notandum, quòd pati vocetur ab Apoſtolo Dei donum: & quidē optimo iure. Maius eſt enim pati pro Chriſto, quàm mortuos ſuſcitare, & ſigna magna edere. *His enim*, inquit Chryſoſtomus, *debitor ſum Deo, hîc autem debitorem habeo Chriſtum. O rem admirandam! & donat mihi, & ſuper hoc ipſe debet mihi.*

77. Ceterùm quos Deus affligit dolore & mœrore, nec parcere velle videtur, afflictionem nullo leuamine temperans, cum Iobo illi optatam tandem conſolationem aſſequuntur, quia non ſolùm merentur ſalutarem finem vitæ obtinere, & in vltima illa hora Dei miſericordia ac cordis lætitia circumdari, ſed etiam citiùs & præ alijs denario æternæ gloriæ honorari. Pro quo nota, quòd paterfamilias, qui exijt diuerſis diei temporibus conducere operarios in vineam ſuam, mandauerit procuratori vineæ, dicens: *Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis.* (Matth. 20,8.) Acceperunt ſinguli ſingulos denarios, ſed illi alijs priùs, qui poſt omnes ad vineam venerunt ſeriùs. Alibi rationem huius ordinis, qui iudicio aliorum operariorum præpoſterus erat, aſſignaui. Nunc alia, quæ præſenti propoſito conueniat, danda reſtat. Nota igitur, quòd hi nouiſſimi in labore, fuerint primi in mercedis perceptione, quia laborarunt, ſed à patrefamilias refectionem nullam ante finem operis receperunt; alijs verò, qui primo manè venerant pro ientaculo, & fortè etiam pro merenda, fuit à patrefamilias aliquid refocillationis conceſſum. Obtinet enim conſuetudo, vt operarijs mercenarijs præter mercedē laboris, quæ illis debetur de iuſtitia ex vi cōuentionis & pacti, aliquid offeratur leuaminis actualis laboris. (*Simile.*) Non ſic cum illis actum eſt, qui vna tantùm hora laborarunt. Hinc diſce, quòd qui hîc tolerant mœrorem ſine conſolatione, poſt hanc vitam ſine dilatione gaudebunt & ditabuntur denario æternæ gloriæ, &c. Amen.

DISCVRSVS VI.

Magna eſt Sanctorum patientia, à propria carne moleſtias tolerantium: quæ etſi debeat ſuſtentari, tamen non niſi per ſingularem Dei gratiam poteſt ſuperari.

78. INTER alias virtutes, quibus Paulus clarus & mundo mirabilis fuit, meritò patientia poſt charitatem primas tenet: qui poſtquam prolixam afflictionum ſuarum ſeriem retuliſſet, & enumeraſſet catenas, compedes, carceres, quos ſuo incōlatu & attactu ſanctificauerat, pericula & naufragia de quibus emerſerat, (2. Cor. 11.) flagella, lapides, denique mortis diuerſa diſcrimina quæ euaſerat, tandem declarat qua animi fortitudine hæc omnia ſuperauerit dicens: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto.* (2.Cor. 12, 10.) Tranſlatio Benedicti Ariæ Montani habet, *ideò oblector in infirmitatibus.* (Arias Mont.) quaſi dicat, Non tantùm eas fortiter fero, ſed & ijs paſcor & delector.

79. Nota, quòd inter has infirmitates illa præcipua fuerit, quæ miro modo caſtiſſimi viri patientiam exercuit, de qua priùs fecit mentionem, dicens:

2.Cor. 12,7. dicens: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ*, qui etſi ſecundùm ſe non ſit expetendus, tamen quatenus à Deo permittitur ad patientiæ & caſtimoniæ exercitium, vt per reſiſtentiam fortiùs in nobis Chriſti virtus ſolidetur, potuit ſibi in illa cum reliquis moleſtijs placere, præſertim poſtquam audiuit à
v.9. Domino ſibi dici: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Vnde legimus, quamdam Sanctam (cui pro patientiæ exercitio cælitus optio data eſt) prælegiſſe carnis tentationem, vt magis conſentaneam naturæ, moleſtiſſimo ſpiritui blaſphemiæ. Vnde patet, quòd tentatio carnis ſub aliqua ratione eligibilis & appetibilis eſſe videatur. Tenet hanc ſententiam Eſtius in Commentario illius loci, & in 2. Sent. diſt. 23. tamen eo-
S.Bonauentur. dem loco contradicit S. Bonauentura, docens, tentari à carne, ſimpliciter ap-
Caiet. petendum non eſſe. Caietanus autem, ſecutus S. Thomam, dicit, quòd ſtimulus carnis Paulo datus contineatur ſub illis infirmitatibus, de quibus ait:
2.Cor. 12,10. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis.*

80. Sufficit autem ad propoſitum noſtrum, quòd inordinati motus carnis caſtis mentibus magnam materiam patientiæ præbeant: qui ſi debito conatu adhibito, & facta cōpetenti reſiſtentia, non ceſſent, ferendi quidem, tamē videtur, quòd ex doctrina S. Bonauenturæ nullo modo ſint appetendi.
Magiſter. Nam etſi ſententia Magiſtri in 2. diſtinct. 21. non ſit tenenda, qui docet, quòd tentatio carnis ſemper ſit cum peccato, quia tamen vix aut rarò eſt ſine peccato veniali, eò quòd communiter deficimus in carne domanda, vt
Bonauent. ait Bonauentura in 2. diſt. 21. dub. 4. ordinariè tentatio quæ eſt ab illa fugienda eſt. Porrò tunc omnino eſt ſine peccato, cùm ſine vllo conſenſu, ſi euitari non poteſt illa moleſtia, patienter toleratur. Si enim Magiſtratus excu- *Simile.* ſatur, qui permittit meretriculas, ad euitandum maius malum, dummodò non conſentit in peccatum; potiori iure ſine peccato caſta ſentit ſtimulos, quæ non permittit aut conſentit, ſed ſe, quantum fieri poteſt, illis opponit.

81. Quòd autem hæc infirmitas præbeat magnam materiam patientiæ, patet ex eo, quòd S. Bernardus illam S.Bern. martyrium vocet: cuius inter morales ſententias hæc vna eſt: *Martyrium ſine ſanguine triplex eſt: parcitas in vbertate, quam habuit Dauid & Iob; largitas in paupertate, quem exercuit Tobias & vidua; caſtitas in iuuentute, qua vſus eſt Ioſeph in Ægypto.* Neceſſaria eſt patientia, qua æquanimiter quis tolerat, quæ declinari non poſſunt. vnde dicitur: *Feras, non culpes, quod vitare non potes.* Arbitraria verò eſt dolorem inferenti velle ſuccumbere, dum oſtium patet vnde poſſit effugere, aut arma ſuppetunt quibus ſe poſſit defendere. Qui in affluentia rerum propter Deum parcimoniam ſeruat, & cum Paulo ita nouit abundare, vt velit etiam inediam ſuſtinere, ei non infligitur violenter patientia. Eodem modo non neceſſariò cogitur quis moleſtiam carnis ſentire, etſi ieiunijs, lacrymis & gemitibus, ac alijs ordinatis medijs non poſſit ignitos ſtimulos nequiſſimi, qui halitu ſuo prunas ardere facit, extinguere, quandoquidem illicitis, quæ quidem corrupta natura docet, ſed lex diuina prohibet, poſſet quidem, ſed non vult ſibi ſatisfacere, aut refrigerium procurare illicitum.

82. Magna ſanè eſſet Martyris conſtantia, qui in igne conſtitutus, altera manu teneret vaſculum aquarium; & mal-

Digitized by Google

mallet comburi, quàm illud euertere, & effuſis aquis ignem extinguere, & hoc modo fidem Deo ſuo debitam violare, per pactionem ſibi à tyranno hoc modo præſcriptam & oblatam, vt Simile. poſſit illæſus abire. Similis conſtantia notari poteſt in illo, cui mandatum fuit à tyranno, vt idolo thus ſacrificaret: cui cùm fortiter reniteretur, coactus eſt thus manui impoſitum habere, quæ igni admota eſt, quam immotam tenens, maluit vſque ad cineres comburi, quàm vt thus in ignem proijciens, tyranno obtemperaret, & ſeipſum à pœnali illo & lento tormento liberaret. Non minùs eſt miranda eius patientia, qui in carne cum carne luctatur, & mauult ardorem eius ſentire, quàm concupiſcentiæ illius ſatisfaciendo legem Dei violare. Martyr oſtendit fortitudinem ſuam admittendo incendij ſenſum, qui infert dolorem; caſtitatis verò amator triumphat per patientiam, dum ex amore Dei ſordidæ delectationi, quam inuitus ſentit, conſenſum negat. Ille perſeuerat in pœna; ſed non allicitur à concupiſcentia ad aliquid quod delectat; hic moleſtias patitur, & carnales delicias, quæ illi præſto eſſent ſi vellet, abominatur.

83. In hac igitur infirmitate pijs mentibus etiam patientia neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportent promiſſionem. Et quidem ſingularis eſſe debet in hoc conflictu, in quo neceſſe eſt hoſtem ſuperare, illicitum autem mactare, imò paſcendo tenemur illi ferre ſuppetias, quibus largitori ſuo infert moleſtias. Noui dida- Simile. ſcalum, qui pro magno exercitio patientiæ cogebat ſcholares colligere & flagellationi adaptare virgulta, aut ramalia ſarmenta quibus caſtigandi erant. Eodem modo toties quis ſibi afflictiones parat, quoties cibo, potu, ſomno carnem ſuſtentat. Hinc Bernardus refectionem corporis fletu & gemitibus præuenire ſolebat, ad exemplum Dauidis, qui ait: *Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebã.* item: Pſalm. 101,10. *Lauabo per ſingulas noctes lectũ meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Pſalm. 6,7. Nec mirum, cùm ſomnus, cibus, potus non ſolùm ſint carnis nutrimenta, ſed etiam ſatanæ incitamenta, vnde motus excitet quibus Paulus & ceteri Sancti colaphizantur, & quodammodò virgis cæduntur.

84. Non ſolùm charitate, ſed etiam magna patientia præditus eſſe debet, qui inimici ſollicitam curam gerens, obſeruat illud Apoſtoli: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi.* Rom. 12,20. In excellentiori verò gradu Simile. vtramque virtutem manifeſtat caſtitatis amator. Inimicus enim, de quo ibi loquitur Paulus, ſubinde ex beneficijs manſueſcit, ex quibus caro, hoſtis ſcilicet caſtitatis, magis inſurgit & inſoleſcit.

85. Ceterùm vt quis patienter ferat afflictiones tam corporis quàm animę, pro gratia Dei ſollicitus ſit neceſſe eſt, cuius poſſeſſione Dominus Paulum confortauit gementem & conquerentem propter corpus quod corrumpitur & aggrauat animam. Solet enim, vt docet S. Thomas 1.2. q. 112. art. 5. S. Tho. aliquando quoſdam de gratia ſua certiores facere, vt fortiùs magnifica opera proſequantur, & mala præſentis vitæ ſuſtineant. Quia igitur Paulus vas electionis magno tædio afficiebatur propter ſordidam carnis tentationem, conſolans eum ait: *Sufficit tibi gratia mea.* 2. Cor. 12,9. Hoc ei innotuit per inſpirationem (vt ait Gloſſa ordinaria) ſiue per Gloſſa Angelum, quaſi dicat: Non eſt tibi ordin.

neceſſarium vel vtile, vt à te diſcedat
Lyran. infirmitas corporalis, vel, vt ait Lyranus) ſecundùm alios, tentatio carnis: quia gratia mea, quam habes, eſt tibi tam vigoroſa, vt abſque impatientia infirmitas tolerari poſſit,& tentatio ſuperari. Vnde infirmitas & tentatio tibi cedent ad augmentum meriti. Verè
S.Tho. ſufficit gratia Dei, dicit S. Thomas lect. 3. in 2. Cor. 12. ad mala vitanda, & bona facienda, & ad vitam conſequendam æternam.

86. Sciendum autem eſt; quòd vera & meritoria patientia, præſertim in hac infirmitate, de qua in præſentiarum eſt ſermo, ſine gratia haberi non poſſit, vt docet idem S. Thomas 2. 2. q. 136. a. 3. certum eſt enim, quòd patientia, quæ vera virtus eſt, ex charitate tamquam omnium radice originem trahat. Cùm enim naturaliter animus horreat triſtitiam & dolorem, ſequitur, quòd nemo vellet eam pati propter ſe,
Simile. ſed propter finem, ſicut infirmus aduſtionem & ſectionem non niſi propter ſanitatem ſuſtinet. Finis autem veræ patientiæ eſt Deus, quem nemo præfert omnibus bonis naturalibus, ex quorum amiſſione dolor cauſari poteſt, niſi illum amet ſuper omnia per veram charitatem: quæ cùm ſine gra-
Rom. 5.5. tia haberi nequeat (nam *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*) ſequitur, veram & meritoriam patientiam etiam ab ea pendere.

87. Portò cùm multa alia etiam occurrant, quæ in hac lacrymarum valle debent tolerari, ſolliciti eſſe debemus, vt in Dei amicitia ſemper viuamus.
Pſalm. 61.6. vnde ait Dauid: *Verumtamen Deo ſubiecta eſto anima mea; quoniam ab ipſo*
Hebr. 13,9. *patientia mea. Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor.* Qui autem ex defectu gratiæ deficit in paſſione, & ſuccumbit labori, dicere poteſt cum Dauide: *Circumdederunt me mala, quorum non* Pſalm. 39,13.
eſt numerus, &c. *& cor meum dereliquit me.* vnde benè monet Sapiens: *Contine & congrega cor tuum in ſanctitate.* Eccli. 30,24.
Quando cor hominis charitate feruet, & gratia ſtabilitur, tunc non facilè cedit vento tentationis, ſed per patientiam ſuperat omnes quoſcumque etiam ſiniſtros euentus. Nam de charitate dicitur, *Omnia ſuffert*, id eſt, 1. Cor. 13,7.
abſque turbatione ſuſtinet omnes defectus proximorum, dicit S. Thomas Lect. 2. in 1. Cor. 13. vel etiam quæcumque aduerſa. Benè monet proinde Paulus, vt in gratia ſtabiliti, & in charitate radicati & fundati ſimus, niſi per impatientiam tentationibus & huius vitæ moleſtijs ſuccumbere velimus.

88. Qui igitur non vult eſſe de numero illorum, de quibus ait Saluator, qui *ad tempus credunt, & in tempore* Lucæ 8,13.
tentationis recedunt, ſemper debet æmulari chariſmata meliora, quibus gratiam magis ſtabilire, & charitatem altiùs fundare ac radicare poſſit, vt tandem illis annumeretur, *qui in corde bono & optimo audientes verbum,* ℣.15.
retinent, & fructum afferunt in patientia. Super quæ verba ſic Gregorius S.Greg.
Hom. 15. in Euangelia: *Terra ergo bona fructum per patientiam reddit, quia nulla ſunt bona quæ agimus, ſi non æquanimiter etiam proximorum mala toleramus. Fructum ergo per patientiam reddunt, quia cùm humiliter flagella ſuſcipiunt, poſt flagella ad requiem ſublimiter cum gaudio ſuſcipiuntur*, &c. Amen.

DIS-

Digitized by Google

DISCVRSVS VII.

Quemadmodum Sanctorum iuſtitia indomitos leones cicurauit; ita homo per integritatem vitæ patientiam acquirit, & manſueſcit.

89. MAGNA conſcientiæ puritas requiritur ab eo qui pro dono patientiæ ſollicitus eſt, cuius fructum de corde bono & optimo ſperandum & colligendum eſſe, docet Chriſtus verbis in fine præcedentis Diſcurſus citatis. Non modò fortiter ſuſtinebat Daniel conſortium leonum, ſed & hilariter in medio illorum conuerſans, paſſus eſt magnam iniuriam ab iniquis inſtigatoribus, quibus Rex inuitus quidem morem geſſit, verùm minùs quàm oportebat innocentiam eius defendit, quem ad illorum importunam inſtantiam permiſit conijci in lacum leonū. Poſteà tamen nec murmur reſonabat, nec querimonia de ore Danielis, ſed corde tacito mens eius benè conſcia conſeruauit patientiam. Innocentia & conſcientiæ puritas tantæ manſuetudinis & patientiæ ſeminarium fuit. vnde Regi rationem reddens, cur inter leones illæſus & in animo ſuo pacatus perſeuerauerit, ait: *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me: ſed & coram te, Rex, delictum non feci.*

Lucæ 8,15.

Dan. 6,22.

90. Multa hîc congeſſit Pererius de conditione & natura leonum, probans ex Ariſtotele, Plinio, Gellio, multis cauſis & modis leonem coram homine manſueſcere. Primò ſubſiſtit leo, ſi quis caput & oculos operiat pallio: ſecundò, ſi ſatur; tertiò, ſi in terris viſus cum hominibus diu conuerſatur, nam *Longa dies homini docuit parere leones:* quartò, beneficis; quintò, humiliatis & proſtratis benignus eſt; ſextò, ab igne aut flamma territus, deſinit eſſe terribilis; denique leonem conſternant ſuo ſtrepitu & ſtridore carrucarum rotæ, imò gallorum cantus & criſtæ. Vnde patet, quòd Deus, qui eſt magnus in magnis, mirabilior apparet in minimis quibus percellit imperterritum illud animal, humilians & edomans ferinam illius phantaſiam & naturalem propenſionē. Verùm nihil horum Danielē à leonibus illæſum ſeruauit, cui Deus miraculosè ſubuenit. Nam, vt ipſe fatur, *Angelus concluſit ora leonum.* quod multis modis fieri potuit. Primò, alens fortè eos in fame: non eſt enim impoſſibile Angelo, eſurientibus famem adimere, & cibi faſtidium conciliare. Deinde mutare potuit phantaſiam leonum, vt apprehenderent Danielē quaſi amicum, vel vt formidabilem quemdam; ſicut ceruus viſa vipera, & elephas audito porci grunnitu formidant, vt teſtatur Plinius lib. 8. c. 16. Et ipſi leones tremunt ad gallicinium (vt dictum eſt) ſola apprehenſione laborantes. Potuerunt etiam in illo cognoſcere dominium homini ab initio à Deo conceſſum, quem creauit ad ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vt *præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ.*

Perer.

Dan. 6, 22.

Gen. 1,26.

91. Ex hoc tam amplo dominio magnificat Baſilius Homil. 10. Hexaëm. dignitatem hominis. *Animal itaque es, ô homo, inquit, imperio natum. Ecquid miſeram hanc affectuum ſeruis ſeruitutem? ecquid te dedis peccato in vile mancipium? Iuſſit te Deus in creaturis principem locum tenere, & ecce tanti principatus dignitatem a te excutis & repellis,* &c. Verum eſt, quòd

Baſil.

Digitized by Google

homo per peccatum perfectum illud & pacificum imperium in beſtias amiſerit, remanſit tamen in illis aliquis terror & reſpectus in hominem. Nam poſt peccatum primi parentis dictum
Gen.9, 2. eſt à Deo, *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animantia terræ.* Hinc fit, quòd feræ hominum conſpectum fugiant, nec in eum ſæuiant niſi fames vrgeat, aut accepta iniuria eas in furorem vertat. Vnde & piſces humanas vmbras timere, auctor eſt idem Baſilius eodem citato loco: & ſi fides Plinio lib. 8. cap. 4. habenda eſt, elephantes hominum veſtigia timent; equi autem & tauri etiam hominem verentur, imò imperio puelli parent,
Iſa.11, 6. ſecundùm illud: *Puer paruulus minabit eos.*

92. Maximè autem ſubiectionis hæc promiſſio in fidelibus impletur, præſertim qui per iuſtitiam fortes facti ſunt in bello cum Daniele. Hi enim
Pſalm. 90,13. ſibi dictum eſſe confidere poſſunt, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Inter alios fuit Antonius pietate & ſanctitate clarus, qui proinde meruit, vt, Deo imperante, leones dimiſſa ceruice ad illum accederent, eiuſque manus & pedes circumlingerent geſticulationibus & manſuetudinis ſignis, benedictionem ab illo petentes: Hilarionis integritati vitæ duo dracones ſe ſubiecerunt. Leæna Ioannis Abbàtis imperio obediuit. Nihil frequentius occurrit in Martyrum Hiſtorijs, quàm quòd iuſtitia & patientia illorum leones & ceteras immanes feras, quibus dilacerandi à tyrannis proijciebantur, cicurauerit.

93. Non mirum igitur (quandoquidem *melior eſt vir patiens viro forti; & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium*) quòd leones innocenti & patienti Danieli blandi fuerint, Prou. 16,32. cuius patientia ex iuſtitia & puritate conſcientiæ proceſſit. Parum eſt enim, quòd leones ſuperauerit, plus autem fortitudinis oſtendit, quòd ſeipſum vicerit, animo ſuo dominus. Non accuſauit malitiam eorum qui Regem concitarunt contra eum, nec ipſius Regis ignauiam, qui nimis citò iniquæ poſtulationi ceſſit; ſed benigna affabilitate Regi, vt exploret quid rerum cum Daniele geſtum eſſet, ad lacum leonum accedenti dixit cauſam, quæ illum illæſum & animum illius in tribulatione infractum cuſtodierat. *Iuſtitia inuenta eſt in me*, inquit, *ſed & coram te, Rex, delictum non feci.* Dan. 6, 22.

94. Quòd iuſtitia patientiæ parens ſit, ex alijs multis Scripturæ locis probari poteſt. vnde dicitur: *Nihil contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit; impij autem replebuntur malo.* Loqui- Prou. 12,21. tur Salomon hîc de fortuitis malis, quæ præter intentionem iuſtis contingunt, quaſi dicat, voluntaria mala, peccata ſcilicet & mala culpæ, iuſtum quidem contriſtabunt, & magno dolore afficient; at fortuita & caſu contingentia, vel etiam quæ de manu Dei immediatè procedunt, vt ſunt amiſſio facultatum, iactura honoris, &c. iuſtus non dolet. Hinc Hugo expendens il- Hugo lud, *Quidquid ei acciderit*, benè ad Cardin. propoſitum pro clariori illius ſententiæ expoſitione ſubnectit, dicens: *Sicut accidens eſt, auctore Philoſopho, quod* Simile. *adeſt & abeſt, præter ſubiecti corruptionem; ita præſens proſperitas & tribulatio viro iuſto adeſt & abeſt, præter eius contriſtationem & conturbationem.* Mandat Chriſtus, vt iuſto viro ſubſtantiale ſit quærere regnum Dei & iuſtitiam, reliqua autem acceſſoria. *Quærite*, inquit, *primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Matth. 6,33.

Simile. *vobis.* Nota, *adijcientur.* Vt igitur homo ille ridiculus & ſtultus eſſet iudicandus, qui lamentaretur, eò quòd frigus vel calor ad tempus corpori ſuo adferret moleſtiam, ſine ſenſu verò doloris toleraret membri alicuius mutilationem vel abſciſſionem; ita omnes illi inſipientes cenſendi ſunt, *qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis*, & qui dicunt, *Peccaui, quid mihi accidit triſte?* ſi autem quis leui verbo tangat honorem illorum, non aliter turbentur, quàm ſi excoriarentur aut membratim diſſecarentur, cùm tamen in temporalibus affligi nihil aliud ſit, quàm mutabilitate quorumdam accidentium dumtaxat ad breue tempus alterari; peccando autem patitur homo animę ſuæ, quæ eſt nobiliſſima ſubſtantia, magnum detrimentum.

Prou. 2,14. Eccli. 5,4.

95. Immotus fuit Daniel in lacu leonum, ac ſi ad illum non pertineret iniuria illa, contentus conſcientia recti. *Gloria noſtra hæc eſt*, dicebat Paulus, *teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Eodem modo ille, *Iuſtitia inuenta eſt in me*, inquit, *ſed & coram te, Rex, delictum non feci.* Iuſti in gloria cæleſti audient blaſphemias, & cognoſcent rabiem & furorem damnatorum, non tamen mouebuntur inde, ſed *exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* Eodem modo gratia Dei immobiles reddit, vt non contriſtentur Sancti quidquid illis acciderit. *Luto, ſaxis impetitur* (canit Officium Eccleſiaſticum de S. Franciſco) *ſed patiens vir nititur vt ſurdus pertranſire.* Et Paulus ait: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* De Martyribus canit Eccleſia: *Caduntur gladijs more bidentium*, &c. mens benè conſcia conſeruat patientiam.

2.Cor. 1,12. Dan.6, 22. Pſalm. 149,5. 2.Cor. 7,4.

96. Quemadmodum qui leui cymba mare vndoſum traijcit, inquietè iactatur, interiùs commouetur, eructat, vomit; qui verò domum incolit ædificatam ſuper firmiſſimam rupem, non concutitur tempeſtatibus, ſed in medio maris ſecurus conſiſtit, epulatur, dormit, & alia quæque ſtatus ſui negotia peragit. Eodem modo cuius cor gratia ſtabilitum eſt, nullis tentationum aut afflictionum fluctibus cedit. In magna tempeſtate fuit poſitus ſanctus Stephanus, ſed totus pacatus erat & tranquillus, adeò vt *intuentes eum omnes, qui ſedebant in conſilio, viderunt faciem eius, tamquam faciem Angeli*, *ipſi* autem *diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum.* Murmurant contra Magdalenam diſcipuli, *& fremebant in eam*, & ſoror eius Martha; denique tamquam impudentem peccatricem toruo vultu illam reſpicit Simon, dicens intra ſe: *Quia peccatrix eſt*, illa verò per patientiam vbique immobilem ſe exhibet, quia dimiſſa erant ei peccata. Vnde ait Auguſtinus lib. 3. de Summo bono: *Vis numquam triſtis eſſe? Benè viue. Secura mens triſtitiam leniter ſuſtinet.*

Simile. Actor. 6,15. Actor. 7,54. Marc. 14,5. Lucæ 7,39. Auguſt.

97. Vera eſt Chryſoſtomi ſententia Homil. 1. in 2. Epiſt. ad Corinth. *Nihil enim aliud graue atque acerbum eſt, quàm in Dei offenſionem incurrere: hoc ſublato, non afflictio, non inſidiæ, non aliud quidpiam prudentē animam moleſtia afficere valet; quin potiùs quemadmodum exiguam ſcintillam in pelagus inijcias, eam protinus extinxeris: eodem modo moleſtia omnis, ſi in animum benè ſibi conſcium inciderit, confeſtim perit & euaneſcit.* Magna velut mare fuit contritio Magdalenæ, cui omnis tribulatio comparata, ſcintillæ ignis fuit; quæ etiam in corde bono & optimo feruentem amoris ignem gerebat, vnde

Chryſoſt. Simile.

vnde aquæ multæ non potuerunt exſtinguere charitatem eius,nec turbare ſerenitatem conſcientiæ illius. In eodem carcere erant Eunuchi & Ioſeph, ſed non eodem animo: illi enim continua triſtitia conficiebantur,quod patet ex ipſius Ioſephi interrogatione.
Gen. 40,7. *Cur triſtior eſt hodie ſolito facies veſtra?* Ioſephus verò patiens erat: quia etſi ferrum pertranſijt animam eius (vt loquitur Propheta) non tamen peccatum. Illi igitur noxij erant, hic verò
ỽ. 15. de ſeipſo teſtatur, *innocens in lacum miſſus ſum.*

98. Verum eſt, quòd illi maximè patientes ſint,qui ſine vlla culpa ſuſtinent pœnam, atque adeò Chriſtum ſequuntur in portanda cruce, de quo Propheta propter omnimodam innocentiam eius ait,
Iſa. 53, 7. *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur:* tamen etiam beati,
Pſalm. 31,1. *quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Peccatores enim, remiſſa culpa per pœnitentiam, patienter tolerant pœnam. In vno latrone videre eſt quid præſtet bona vel mala conſcientia: qui antequam pœniteret, cum ſocio valdè impatiens Chriſtum blaſphemabat, vt eſt quorumdam ex Scriptura deducta opinio, poſteà pœnitens mutatus eſt in alium virum, & factus eſt Chriſti confeſſor, & innocentiæ eius præco: qui iam iuſtificatus accuſator ſui clarè indicauit quòd patienter ſuſtineret crucem,dicens:
Lucæ 23,41. *Nos quidem iuſte,nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.*

99. Vt in pœnis habeamus patientiam,audiendus eſt Petrus, qui monet
1.Pet.4, 15.16. nos dicens: *Nemo autem veſtrûm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus,aut alienorum appetitor: ſi autem vt Chriſtianus,non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine.* Pro latrocinio quidem comprehenſus & crucis ſupplicio adiudicatus eſt latro: qui quamuis inceperit pati vt homicida & fur, tamen poſtquam per pœnitentiam ſe à peccatis præteritis purgauit, ſaltem in oculis Dei, cui dictum eſt à Sapiente, *Verte impios, & non erunt*, vt Chriſtianus pœnam abſoluit. vnde Cyprianus Epiſt. 73. & Hieronymus Epiſt. 58. dicunt, Chriſtum latroni (qui à dextris crucifixus eſt) feciſſe homicidij pœnam martyrium, quod intellige non de propriè dicto martyrio, ſed de teſtimonio Chriſti quod in cruce dedit. Prou. 12,7. Cypr. Hieron.

100. Qui abſolutus à culpa pœnam portat, ſimilis eſt conſtituto in Purgatorio, qui, quòd in Dei amicitia ſit, expectat præmium poſt ſolutum debitum; qui verò in reatu perſeuerat, & manet in voluntate peccati, damnato aſſimilari poteſt, qui ſoluit, ſed numquam abſoluit. vnde non eſt mirum, quòd ille benefaciens patienter ſuſtineat mala,nam *hæc eſt gratia apud Deum*, hic verò non, quia *nullum præmium expectat*, dicit S. Thomas in 1. Pet. 2. *ſed initium pœnæ portat.* Hilariter agit debitor, qui ſoluendo creditori deducit & minuit de ſumma principali: meritò talis eſt patiens redditor. Qui verò ingemiſcit ſub tyrannide crudelis vſurarij, patientiam perdit, quia multa reddendo nihil de antiquo debito minuit. Qui à peccato liberi ſunt, dum patiuntur, benigno Deo ſatisfaciunt, adeò vt de his dicat Pſalmiſta: *Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.* Meritò dicuntur pœnæ vſuræ, dicit Hugo Cardinalis, quia plus afflictionis exigitur in pœna, quàm fuit delectationis in culpa. Maximè autem illorum pœnæ vſuræ ſunt appel- 1.Pet. 2,20. S.Tho. Simile. Pſalm. 71,14. Hugo Cardin. Simile.

appellandæ, qui manente iniquitate patiuntur, & ideò ab obligatione patiendi non abſoluuntur; qui ſi ante mortem non reſipiſcunt, ſentient ve-
Gregor. rum eſſe quod affirmat Gregorius dicens: *Momentaneum eſt quod delectat, æternum verò quod cruciat.*

101. Præterea pœnæ non tantùm vſuræ rationem habent propter durationem, ſed etiam quia latiùs ſe extendunt quàm delectatio vnde culpa orta eſt. Nam aliqua peccata ſolùm corpus afficiunt illicita voluptate, alia in ſpiritu reſident, tamen pro omni offenſa exigetur pœna vtriuſque partis, adeò quòd exactor infernalis accipiet duplicia pro peccatis, & pro momentanea culpa infliget æternam pœ-
Pſalm. 36,21. nã. *Mutuabitur enim peccator, & non ſoluet: iuſtus autem miſeretur, & tribuet.* Per pœnitentiam miſeretur iuſtus animæ ſuæ, placens Deo, & retribuit, quia pœnæ eius, qui liber eſt à peccato, non ſunt vſuræ ſolutiones, quæ nihil de principali debito detrahunt, ſed ſunt ſatisfactoriæ pro commiſſis culpis, & meritoriæ vitæ æternæ. vnde non tantùm patienter, ſed etiam lætanter, à iuſtis, quorum animæ ab vſuris & iniquitate liberatæ ſunt, Domino perſoluuntur.

Simile. 102. Vt enim felicem ſe putaret debitor, cui ex creditoris beneuolentia conceſſum eſſet vnâ & eadem ſummâ poſſe ſoluere debitum, & ſimul dare pretium rei alicuius præſtantiſſimæ ab eo emendæ, ita iuſtus meritò gloriatur in omnibus tribulationibus, & ſuperabundat gaudio, cui miſericorditer à Deo indultum eſt, vt per patientiam in perſecutione & infirmitate verbi gratia ſatisfaciat pro culpis commiſſis, & ſimul mereatur glo-
Matth. 5,10. riam Dei. Nam *beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum,* &c. Amen.

DISCVRSVS VIII.

Patientia omnibus neceſſaria eſt, ſine qua ſicut nemo à culpa immunis, ita pro ſalute ſibi commiſſorum fructuosè poteſt eſſe ſollicitus.

103. MAGNVM *malum, non poſſe ferre malos*, aiebat Bion, vt refert Laërtius lib. 6. cap. 1. Laërt.
abſque hoc enim nulli poteſt eſſe vita ſuauis. Cùm nulla ſpes ſalutis impatienti relicta ſit, neque accipi poteſt (ait Cyprianus lib. de Bono patientiæ) Cypr.
dolorum & paſſionum corona, niſi præcedat in dolore & paſſione patientia. Patientia igitur omnibus neceſſaria eſt, ſine qua nemo animam propriam immunem ſeruat à peccatis, nec ornat virtutibus. vnde humilitas in anima? à contemptus & vilipẽſionis patientia. Manſuetudo? ab iniuriarum tolerantia. Vitæ caſtimonia? à carnalium tentamentorum perpeſſione. Econtrà quis auaritiam inuexit? quis intruſit gulam? acediam? &c. nónne inopiæ, mediocris fortunæ, laborũ, &c. impatientia? Hæc ergo vehiculum eſt omnium vitiorum. vnde Tertullianus li. Tertul.
de Patientia c. 6. *Matrix*, inquit, *impatientia in omne delictum diffundens de ſuo fonte varias criminum venas. Malum eſt impatientia boni. Nemo impudicus non impatiens pudicitiæ, & improbus probitatis, & impius pietatis.* Sicut impatientia vitiorum matrix à Tertulliano vocatur, ita patientia charitatis, quæ omnia credit, omnia ſperat, indiuidua comes, omnium virtutum promotrix & conſeruatrix cenſeri poteſt.

104. Ceterùm cùm nullus ſeipſum ſine patientia cuſtodit à peccatis, multò minùs proderit alijs. vnde etiam ab hac parte omnibus eſt patientia neceſ-
Eccli. 17,12. ſaria. Nam *Deus mandauit illis vnicuique de proximo ſuo.* Nouit S. Franciſcus, quàm neceſſaria patientia in officio charitatis, & fraternæ imò iuridicæ correctionis. vnde monet Ordinis ſui Prælatos, dicens cap. 7. Regulæ:
Regula S. Franciſci. *Et cauere debeant, ne iraſcantur aut conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira & conturbatio in ſe & in alijs impediunt charitatem.*

105. Non permiſit ſanctiſſimus Pater conniuentiam, quæ eſt ſæpè famula vitiorum & concupiſcentiæ: nullus enim veritate patientiæ laudandus, qui ne patiatur aliquid incommodi, fauet diſſolutioni, & dum vult haberi benignus in fratrem, crudelis eſt in matrem, Religionem ſcilicet; ſed qui patientia fortis eſt, & continet in corripiendo inordinatum impetum paſſio-
Auguſt. nis. Benè dicit Auguſtinus lib. de Patientia, quòd ſit comes ſapientiæ, qua quis nouit quid, quando, quomodo diſſimulandum ad tempus, aut corripiendum duriùs aut leuiùs. Veram patientiam Dominus docuit, quando ſeipſum in perſona patrisfamilias nobis præſentauit, qui commotus ex zizaniorum inimica & furtiua inſertione, ſeruis eorum eradicationem ſug-
Matth. 13,30. gerentibus dixit: *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem; oportet enim pa-*
Auguſt. *tienter ferri,* inquit idem Auguſtinus, *quod feſtinanter non oportet auferri.*
Origin. Ad hoc propoſitum notauit benè Origenes Homil. 9. in Exodum, quòd Deus in tabernaculo iuſſerit ſtatui co-
Simile. lumnas argenteas. Qui videt malum, & non dolet, lutea columna eſt, quæ portare videtur, ſed citò collabi ſinet diſciplinæ ſtructuram. Qui verò vehementer ſentit & gemit mala quæ fiunt in ciuitate, differt tamen ad tempus punitionem propter melius bonum, ille verè eſt columna argentea, quæ ſic portat peccata, vt nihilominùs familiam ſuam ſibi commiſſam ſuſtentet, ne collabatur per impunitatem diſciplina.

106. Experientiâ compertum eſt, Simile. quòd dura malleo facillimè cedunt, ſi molli puluinari plumario impoſita fuerint. Norunt hoc liguritores & ventris ſui cultores, qui hoc modo ſaccharum in panem compactum, & præ vetuſtate nimis induratum aut incruſtatum, leuiſſimo ictu in partes diſſecant, quod in duro lapide collocatum, vix malleorum magna violentia poſſent comminuere & voto ſuo adaptare. Quid mirùm, cùm etiam ſilicis durities in mollibus miteſcere ſoleat, adeò vt vix ſecunda percuſſio confractioni illius neceſſaria ſit. Verbo increpatorio quaſi quodam malleo conteri debent peccatores, qui facilè cedent monitioni, ſi ſenſerint manſuetudinem & patientiam monentis. Miraculo tribueretur, ſi malleo Simile. aliquid ponderis adueniret ex plumis & leui ac molli materia, ex qua eum arripuit malleator. Fortè ex ſupernaturali quadam Dei ordinatione fit, quòd ſemper plus efficaciæ & ponderis habeant verba, quæ ex corde humili & manſueto procedunt. Hinc eſt quòd Dauid fortitudini Dei patientiam aſſociet, dicens: *Deus iudex,* Pſalm. 7,12.
fortis & patiens. & alius Propheta: Nahū 1,3.
Dominus patiens, & magnus fortitudine.

107. Mandauerat Deus in veteri Teſtamento Prophetæ, vt cum zelo inſurgeret contra peccatores, dicens: Iſa. 58, 1.
Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. Tuba excitat ad pugnam, Simile.
non

non flectit ad patientiam, nec ordinatur ad hoc vt Rex hoſtem manſuetè ferat, ſed potiùs fortiter feriat. Parum profecit in veteri Teſtamento hoc zeloſo procedendi modo, mutari igitur curat eum tempore gratiæ. *Ecce*, inquit, *ego mitto vos ſicut agnos inter lupos*. Non iam ampliùs vocatur Dominus exercituum, Deus vltionis, &c. qui milites conſcribat, & terrificantes mittat tibicines; ſed ait de ſeipſo, *Ego ſum paſtor bonus*, qui per agnos & oues legationem mittens, patienter rogat quæ pacis ſunt, & ideò plures conuertit.

Lucæ 10,3.

Ioan. 11,14.

108. Patientia pugnandum eſſe in eliminandis vitijs, & ſacris miſſionibus de fide propaganda, docet etiam Paulus quando ait: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Meritò requirit patientiam. *Quidquid enim* (inquit Auguſtinus in Epiſt. ad Galat. in illud cap. 6. ℣. 1. *huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis*) *lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quod voles*. Aduertit autem Theophylactus præterea, non dici ſimpliciter increpa in patientia, ſed *in omni patientia*, quæ ſcilicet omnibus modis demonſtratur, verbis, factis, ſalutationibus, compaſſione, imò ſi opus eſt muneribus. Per patientiam rector & corrector victor euadet, *quia leuiter caſtigatus* (inquit Proſper lib. 2. de Vita contemplatiua c. 5.) *exhibet reuerentiam caſtiganti, aſperitate autem nimia & increpatione offenſus, neque increpationem recipit neque ſalutem*.

2. Tim. 4,2.

Auguſt.

Theophyl.

Proſp.

109. Sermo monentis & prædicantis pluuiæ eſt ſimilis. vnde in Scriptura ſacra dicitur dare pluuias, qui emittit voces. *Inuocabo Dominum*, aiebat Samuel, *& dabit voces & pluuias. Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluuias. Voces*, id eſt blandientem prædicationẽ, dicit Gloſſa interlinearis, & *pluuias*, id eſt verba Euangelij. Hinc Paulus ſermonem monentis, docentis vel increpantis, per imbrem de cælo deſcendentem ad irrigandum & fructificandum terram ſignificat dicens: *Terra enim ſuperuenientem ſæpè bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo*. Nota autẽ, quòd monitio acrior, patientiâ deſtituta, impetuoſo nimbo ſimilis ſit, qui parum humectat, ſed aqua hinc inde defluens ad cloacas deſcendit, terra arida & ſicca remanente, quam magna quidem vi attigit, ſed parum profuit, quia non penetrauit. Adde, quòd præceps illuuio ex infima aëris regione ſecum ad terram deferre ſoleat ranulas & alia imperfecta animalcula, terræ & fructibus eius infeſta. Eodem modo, verbum increpatorium per impatientiam impetuoſius prolatum, parum prodeſt, imò ſubinde obeſt, quia ei commiſceri ſolent calumniæ & prouocatoria dicta, quæ turbant potius, quàm emendant errantem.

1. Reg. 12,17. 18.

Gloſſa interlin.

Hebr. 6,7.

Simile.

110. Porrò increpatio cum omni patientia & doctrina, leuiter in animum corripiendi decidens, inſtar placidæ pluuiæ aut irrorationis (à Belgis *ſtof-reghen* vocatur) abſque vllo tumultu cor attingit, & facilè penetrat ad intima eius, & quodammodò hoſpitio ſuſcipitur. vnde Sapiens ait: *Doctrina viri per patientiam noſcitur; & gloria eius eſt iniqua prætergredi*. Perbenignè accipitur correptio patienter & manſuetè agentis, nec quærentis nodum in ſcirpo, aut nimium ampliantis & exaggerantis delictum, pro quo correptio inſtituitur, ſed potiùs data opera diſſimulãtis, & *prætergredientis*

Simile.

Prou. 19,11.

tis iniqua quædam, vel facti circumſtantias illud aggrauantes hunc benignum agendi modum Filius Dei, qui in terris viſus, & cum hominibus, imò cum peccatoribus conuerſari ſolet, docuit, de quo prædictum eſt quòd *non erit triſtis, neque turbulentus, nec audietur vox eius foris*, qui ad ſimilitudinem pluuiæ ſine ſtrepitu decidentis, venturus denuntiatur à Propheta. *Deſcendet*, inquit, *ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terrã.* Iſaiæ 42,4. Pſalm. 71,6.

111. Non tantùm virtute magna miraculorum, ſed etiam patientiæ pręditi reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri. Vultis audire manſueti & patientis vocem? *Et nunc fratres ſcio* (inquit Petrus, loquens ijs qui Chriſtum Filium Dei crucifixerunt) *quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.* Non ignorabat aliquos eſſe inter illos qui per inuidiam eum tradiderant & negauerant ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti: qui vt auctorem vitæ interficerent, petierunt virum homicidam ſibi donari. Sed non vult nimis emungere ne eliciat ſanguinem: ideò cum aliqui eſſent inter eos qui ignorantia laborauerant, propter paucos illos benignè ſummum ſcelus extenuat. Fuit quidem Principum ignorantia craſſa vel etiam affectata; quia tamen nihilominùs hæc etiam minuit reatum peccati, & audaciam & irreuerentiam in Deum, ideò à Petro hîc allegatur quaſi cauſa excuſans, non quidem in toto, ſed in tanto. Itaque, vt dicit Hugo Cardinalis, *ſuauiter ſcelus eorum arguit. Dulciter illos alloquitur*, inquit Lyranus noſter, *vt verbum eius magis recipiatur.* Voluit princeps Apoſtolorum per patientiam primò illos conuertere ad fidem, tandem verò excitare in eis pœnitentiam, vnde ſtatim ſubiunxit: *Pœnitemini igitur, vt deleãtur peccata veſtra.* Act. 3, 17. Hugo Cardin. Lyran. Act. 3, 19.

112. Qui igitur docendo, corripiendo vult proximo prodeſſe ad ſalutem, pro manſuetudine & patientia ſollicitus petat à Domino verbis manſueti famuli Dei Moyſis: *Concreſcat, vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* Vt pluuia non impetuoſa, ſed vt pluuia tenuis, ſine vllo ſtrepitu cadens. Nota, quòd homo citiùs rigetur & permadidus efficiatur huiuſmodi tenui irroratione, quàm vehemente pluuia, quæ plerumq; cum terribili tonitru & minace fulgure conſueuit decidere. Tunc enim groſſiores guttæ, quæ cum impetu cadunt, non ſiſtunt, ſed decidunt ex hominum veſtimentis in terram. Tenuis autem pluuia cum ſilentio cadens, confeſtim vbi ceciderit imbibitur. Eodem modo corrigendi, non facilè capiunt & admittunt verba impatientiæ cum tumultu & clamore ac minis prolata, quæ autem manſuetè proferuntur, libenter ab auditoribus retinentur. Verba Samuelis manſuetudinis & patientiæ plena fuiſſe, inde probatur, quòd *non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.* Santes Pagninus legit: *Non fecit cadere ex omnibus verbis eius vnum.* Ad litteram ſignificatur, quòd omnes illius prædictiones fuerint adimpletæ: quæ verba ſenſu accommodatitio adaptari poſſunt propoſito noſtro, vt ſignificent, quòd Samuel tam manſuetè & cum tanta patientia retulit Heli quæ intellexerat à Deo, quòd etſi triſtia valdè eſſent, tamen ita penetrabant cor Heli, vt perfecta reſignatione ſe committens Dei beneplacito diceret: *Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.* adeò, vt ne vnum quidem quaſi minùs ſuauiter cordi illius illapſum exciderit. Deut. 32,2. Simile. 1. Reg. 3,19. ℣. 18.

113. Qui

113. Qui non mouentur ad meliorem frugem per correptiones manſuetudine, ſubmiſſione patientia temperatas, horum ferè emendatio deſperata, & æterna punitio certa eſſe videtur. Pro quo notanda ſunt Iſaiæ verba dicentis in hunc modum: Iſaiæ 8,6. *Pro eo quòd abiecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilentio, &c. propter hoc ecce Dominus adducet aquas fluminis fortes*, &c. Adam. Hugo Card. Lyran. Per aquas Siloë intelligit Adamus noſter, Lyranus & Hugo Cardinalis regimen regni Iuda, quod erat in magna pace, quiete & patientia, maximè tempore bonorum Regum, Dauid, Salomonis, & ſimilium. Per aquas autem fluminis fortes, intelligitur exercitus Sennacherib, dicit Gloſſa, Gloſſa. cum impetu venientis. Sed hoc non probatur ab alijs, quia Salmanaſar vaſtauit terram decem tribuum, quibus facta eſt iſta comminatio, vt patet 3. Reg. 17. Porrò poſſumus hîc perpendere allegoriam qua Chriſtus ſignificetur per Siloë (Ioan. 9,7. *quod interpretatur Miſſus*, teſte Ioanne) qui totus lenis & manſuetus miſſus à Patre, deſignauit Apoſtolos & diſcipulos, quorum miniſterio, aquæ eius, id eſt monitiones, obſecrationes, correptiones, cum ſilentio & patientia currerent. Flumina quæ placidè & ſilēter fluunt, ſunt profundiſſima, vt hîc notauit à Lapide à Lapide. ex Q. Curtio, qui ait: *Altiſſima quæque flumina minimo ſono labuntur*; ita humillimi ſunt, qui arguunt, obſecrant cum omni patientia & doctrina. Hos audiat qui venturum Iudicem formidat. Iſaiæ 42,14. Nam *tacui ſemper* (inquit) *ſilui, patiens fui, ſicut parturiens; loquar: diſſipabo, & abſorbebo ſimul*. Moueat nos per monitiones manſuetudine & patientia temperatas, & ne nos terreat ira ſua & indignatione, Pſalm. 6,2. dicamus cum Propheta: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, &c. Amen.

DISCVRSVS IX.

Maleuoli aliorum peccata curioſè inquirunt vt traducant; verùm patientia clari ſunt, qui non verentur odium incurrere, dum fraternè proximum corripiunt de ijs quæ palàm ab eo committuntur.

114. Monens Paulus diſcipulum ſuum Timotheum, dixit: *Attende tibi, & doctrinæ: & inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* 1. Tim. 4, 16. Non intendit Apoſtolus his verbis, proximi ſalutem negligendam eſſe, ſed præcipuâ curâ peccata propria inueſtigari debere. Omnibus odioſus eſt peccati alieni curioſus inquiſitor, & ſuiipſius palpator. Nam, vt ait Plautus, Plautus. *curioſus nemo eſt, qui non ſit maleuolus.* Curioſitatis vitium graue malū, & impatientiæ clariſſimum argumentum eſt. Qui enim nimio ſcrutinio traducit aliorum errata, is furere ſolet, cùm quis vel leuiſſima commemoratione attingit ſua. nam qui aliena perſpicit, propria neſcit. *Curioſus animus*, inquit Greg. Gregorius, *quantò peritus fuerit alieni, tanto fit ignarus ſui*, exceſſus ſcilicet vel defectus. Stultos vocat Bernardus Bern. cap. 54. de Modo benè viuendi, eos qui alienos errores volunt ſolùm reprehendere, & omnes quidem errantes corripere, nullum verò emendare. Tales ſtulti ſunt, & impatientes facilè fiunt, quia cùm curioſiùs inquirunt, vt de alijs quæ volunt dicant, ſine dubio quæ nolunt coguntur audire. Benè proinde dixit Gregorius: Greg. *Curioſitas damnoſa peritia eſt, in fabu-*

las ſacrilegas præcipitat mentem , in cauſis obſcuris reddit audaces, in rebus ignaris facit homines præcipites. Qui igitur patiens eſſe voluerit vt toleret proximum , rigidus ſit in ſeipſum. Ideò monet Paulus: *Attende tibi.* 1.Tim. 4,16.

115. Promittit Apoſtolus , quòd attendens ſibi ,& ſe ſaluum faciet , & qui eum audiunt. Nam quò quis magis curat & perficit ſeipſum , tantò fructuoſiùs proximum & omnes ſibi commiſſos curabit & perficiet. Simile. Sicut mater quò magis curat ſuam ſanitatem , & quò ſe meliùs cibo reficit & potu , eò ſalubrius & abundantius lac parat infanti. Gregor. Vnde Gregorius in Paſtorali, enarrans omnes requiſitas conditiones in paſtore, primam eius dotem ponit munditiam cordis. Qui illam verè amat, & ſibi diligenter attendit, patienter feret, ſi alius eum de erratis reprehendit. & talem beatificat S. Franciſcus, vt ſcribit Wadingus VVadingus. Tom. 1. Opuſc. c. 22. de Correctione patienter ſuſcipienda. *Beatus ſeruus*, inquit, *qui diſciplinam, accuſationem & reprehenſionem ab alio ita patienter ſuſtinet, ſicut à ſemetipſo.*

116. Qui eos amant à quibus reprehenduntur, illi nobiliſſima patientia clarere ſolent, dum fortiter odium eorum ferunt, quos in charitate corrigunt. Certum eſt, quòd in hoc mundo *obſequium amicos, veritas odium parit. Inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?* inquit Paulus. Gal.4, 16. Patientia autem eius qui pro virtute & Chriſtiana veritate mali aliquid ſuſtinet, vt obloquium, irriſionem, diſponit ad martyrium. Nam Martyr eſt, qui pro qualibet veritate, qua defenditur pietas, aut obuiatur impietati, moritur: imò qui moritur pro qualibet veritate, vt euitet mendacium. Talis enim moritur pro virtute, quæ opponitur vitio, vt docet S.Thomas 2. 2. q. 124. a. 5. S.Thomas. Alia eſt ratio de eo qui moritur vt defendat veritatem Mathematicam, Phyſicam, Logicam: nam etſi hic pro veritate moriatur, tamen non eſt Martyr, quia illa veritas non pertinet nec promouet ad pietatem.

117. Ex his patet , quòd illorum patientia illuſtris ſit , qui ſuſtinent contemptum & obloquium, eò quòd ſalutaribus exemplis prælucentes, recuſent in vanitatibus ſe mundo conformare, quem multi colunt, non quia pulcher aut gratioſus eſt, ſed quia crudelis eſſe ſolet in eos qui leges & conſuetudines illius ſpernunt. Aquila (vt habet Apologus) Apologus. iactabat ſuam pulchritudinem omnium aliarum auium præcipuam, cuius iactantiæ & falſæ opinioni aſſenſerunt reliquæ, excepto pauone, qui dicebat, Non plumas tuas tamquam ſpecioſas veneramur , ſed acutum roſtrum & rapaces vngulas veremur.

118. Mancipium huius mundi erat Cambyſes Rex Scytharum, verè terribilis propter vngulas, non amabilis propter plumas. De quo refert Guicciardinus Guicciardin. in Horis fol. 163. eum quodam die ſollicitè inquiſiuiſſe à ſuo Secretario, quid Perſæ de eo ſentirent. Illo reſpondente quòd magnam de ſua fortitudine & regnandi dexteritate opinionem haberent, vnum ſolum notantes, quod dignum vituperio iudicarent, vini ſcilicet immoderatū vſum & nimiam compotandi propenſionem; ſtatim veritas in hoſte veritatis tam immane odium peperit, vt diceret: Preaxſpe (hoc enim erat Secretarij nomen) volo experimentum ſumere, verùmne ſit an falſum illorum iudicium. En (inquit crudelis tyrannus) filiolum tuum: ſi tenſo arcu ſpiculo cor illius non transfixero, verus eſt rumor qui

qui de me inter eos fertur: error enim manifeſtabit, quòd nimia meri potatio me tremulum effecit. Si verò attigero, mors filij tui falſi obloquij eos arguet. His dictis, emiſit ſagittam, qua cor infantuli tranſuerberauit. Et hilari vultu (quaſi re benè geſta) conuerſus ad gemebundum parentem, rei tam triſtis ſpectatorem, ait: Quid videtur, an non comprobaui Perſas mendaces? An vnquam aliquem vidiſti, qui tanta rectitudine telum direxerit ad ſcopum? Ad quem miſer pater dilecto filiolo orbatus, totus confuſus, timens ſecundum crudelitatis experimentum in ſe fore complendum, laudans peccatorem in operibus ſuis, Non eſt, inquit, quod Marti cedas in arte iaculandi.

119. Simulabat hic Secretarius patientiam, adeò vt opus, quod non approbabat, verbis extolleret, quia timebat pro veritate grauiora pati. Fortiores eſſe debent, qui amarores veritatis haberi volunt. Eſt Apoſtolicum, reprehendere, & malum, quod ideò tibi infertur, fortiter ferre. *Ibant Apoſtoli gaudentes*, &c. Imitantur Chriſtum, qui non ceſſauit prædicare veritatem, etſi non ignoraret inde amaram paſſionem & mortem ſibi præparandam fore. Dixit aliquando: *Non poteſt mundus odiſſe vos: me autem odit; quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala ſunt.*

Act. 5, 41.

Ioan. 7, 7.

120. Eſt igitur Chriſtianæ & prouidæ laudabilis patientiæ, inter malos bonum eſſe, & inter mundi amatores ſe eiuſdem contemptorem exhibere, & teſtimonium ferre quòd opera eius mala ſunt. *Sicut grauioris culpæ eſt*, dicit Gregorius lib. 1. Moral. cap. 1. *inter bonos bonum non eſſe, ita immenſi eſt præconij, bonum etiam inter malos extitiſſe.* Non probat ſe virum bonum, qui liberè non improbat malum; & per conſequens non eſt perfectus in patientia, ſi nimis timet iniuſta incommoda ex iuſtiſſima malorum vituperatione ſibi obuentura. vnde benè monet Chriſtus: *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Quę verba exponens Auguſtinus Tract. 88. in Ioannem ait: *Exhortans autem Dominus ſeruos ſuos ad mundi odia perferenda patienter, nullum eis maius & melius quàm de ſeipſo propoſuit exemplum.*

Gregor.

Ioan. 15, 18.

Auguſt.

121. Poſſent exempla Gentilium adduci pro illorum conſolatione, qui patienter ferunt mundi incommoda, vt Camilli, Scipionis, Lycurgi, Themiſtoclis; (nam etiam inter ethnicos, quò magis quis ſaluti Reipublicę conſuluit, eò crudeliùs ab ingrato mundo fuit tractatus; non enim poteſt mundus ferre benè conſulentem, ſi affectibus contrarius fuerit. Non deſunt etiam exempla Prophetarum, qui & ipſi mundi odium ſunt experti. Quem enim Prophetarum non occiderunt?) omnibus tamen omiſſis, ſe in exemplum proponit. *Scitote* (inquit) *quia me priorem vobis odio habuit.*

Ioan. 15, 18.

122. Porrò diuerſæ ſunt cauſæ, cur mundus continuo odio patientiam Sanctorum exerceat. Prima eſt morum diſſimilitudo. Mundani enim mundanos habent mores, Sancti verò cæleſtes. Illi tument ambitione, hi ſe deprimunt humilitate. Illi auaritia, gula effluunt & diſtrahuntur; hi caſtitate, ſobrietate, paupertate contenti continentur. Sicut igitur ſimilitudo amoris, ita diſſimilitudo odij cauſa eſt. Hinc illud Horatij lib. 1. Epiſt. 19.

Oderunt hilarem triſtes, triſtemque iocoſi,
Sedatum celeres, agilem gnauumque remiſſi.

Horatius.

Hanc

Hanc cauſam dant impij, cur iuſtus & ſanctus illis onbri ſit. *Grauis*, inquiunt, *eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius.* vnde benè S. Leo Serm. 9. de Qudrageſ. *Iniquitas cum iuſtitia non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falſitati nulla eſt cum veritate concordia. Non amat ſuperbia manſuetudinem, petulantia verecundiam.*

Sap. 2, 15.

S. Leo.

123. Præcipua autem cauſa, cur mundus pios & ſanctos odit, eſt illorum heroica patientia, qua parati ſunt pro veritate pati, imò & mori, perhibentes verbis & factis teſtimonium, quòd *opera eius mala ſunt. Hæc bonorum patientia eſt, impiorum peſtilentia.* Vt enim dicit Sapiens, *non amat peſtilens eum qui ſe corripit, nec ad ſapientes graditur.* Apoſtoli omnium ſaluti intendentes, multorum odium incurrerunt, non ob aliud, niſi quòd vitia corrigentes, veritati reddiderunt teſtimonium. Quibus Chriſtus mala, quæ paſſuri erant, prædicens, ait: *Abſque Synagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.*

Prou. 15, 12.

Ioan. 16, 2.

124. Nota, quòd hæc Sanctorum patientia bona valdè ſit, & aliena ab inſenſibilitate, quæ eſt vitium oppoſitum patientiæ, vt dictum eſt in præcedentibus. Ex inſenſibilitate enim prouenit, quòd zelus honoris Dei non tangat eos. Iſaias ſibi ipſi videtur de hoc vitio ſuſpectus fuiſſe. Vnde pœnitens ait: *Væ mihi, quia tacui, & vir pollutis labijs ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.*

Iſaiæ 6, 5.

125. Inſenſibiles illi impatientes vocari poſſunt, vel malè patientes: ideò enim tranſiliunt cauſam Dei, ne ſi illam defendant, patiantur aliquid incommodi. de quibus rectè intelligi poteſt quod ait Auguſtinus lib. de Patientia: *Impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt vt a malis eruantur, ſed vt mala grauiora patiantur.* Malè patiens fuit Adam, & inde omne malum quod nos premit ortum eſt, ac ipſe grauiora poſteà paſſus meritò ingemuit, quando in ſudore vultus ſui ſenſit terram maledictam in opere ſuo, eò quòd tacuerit, imò erranti vxori conſenſerit, timens debita cenſura delicias ſuas contriſtare; vt loquitur Ambroſius. Malè etiam patiens fuit Heli, item Dauid: quos ne fortè affligeret filiorum refractariorum contumacia, non exercuerunt circa eos debitam diſciplinam. *Magis*, inquit Deus ad Heli, *honoraſti filios tuos quàm me*, &c. Quam verò grauia poſteà ſit inde paſſus, qui filijs ſuis cum Dei iniuria ſe mitem nimis & patientem præbuit, indicat Scriptura; quæ etiam notat & improbat malam Dauidis patientiam, diſſimulantis perduellionem Adoniæ filij ſui, qui *eleuabatur dicens: Ego regnabo.* Mira fuit, ſed Deo exoſa Dauidis circa hoc filij ſui facinus conniuentia. Dicit enim Scriptura: *Non corripuit eum pater ſuus aliquando, dicens: Quare hoc feciſti?* Erat ille animo in filios magis, quàm permittebat æquitas, indulgentiori. Hinc factum, vt filium, quem nimis lactauit, gladio Salomonis fratris ſui reſeruaret.

August.

Gen. 3.

1. Reg. 2, 29.

3. Reg. 1, 5.

℣. 6.

126. Eodem modo ſe habuit erga inceſtuoſum filium ſuum Amnonem, quem dum pro ſuo ſcelere arguendo non vult contriſtare, impunitum à parente frater eius Abſalom interfici curauit. *Noluit contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui* (dicit Scriptura) *quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.* Ex impatientia, qua declinabat dolorem compaſſionis per triſtitiam filij ei infligendum, orta fuit inordinata hæc patientia. Noluit peccantem punire,

2. Reg. 13, 21.

nire, vnde is ſalubriter contriſtaretur & doleret fortè, ne ipſe cogeretur dilecto filio condolere. Diſputat Abul. Abulenſis à quæſt. 8. vſque ad quæſt. 12. latè de hac Dauidis conniuentia, & an & qualiter per eam peccauerit.

127. Ex his patet (quod nobis ad præſens propoſitū ſufficit) quòd aliqui ſint malè patientes, vel potiùs meticuloſi, & triſtitiæ ac moleſtiæ, quas iuſta correctio ſubinde ſuſcitare ſolet, impatientes: quibus præferendi ſunt ferNum. 25, 13. uentes & zeloſi cholerici, quales fuerunt Phinees, qui ſcortatores interficiens; Deo placuit, de quo dixit Ma1. Machab. 2, 54. thathias: *Phinees pater noſter, zelando zelum Dei, accepit teſtamentum ſacerdotij æterni.* & Elias, qui interfecit 3. Reg. 18, 4. Sacerdotes Baal, quos omnes iuſſit apprehendi, vt ne vnus quidem effugeret ex ijs.

128. Zelus ille paucorum eſt, nec cuilibet conuenit. Omnes tamē (quantum eſt in ſe) ad lucrandum peccatorem per fraternam correptionem debent eſſe parati. In quo officio duplici modo debent patientia vti. Primò debent eſſe lenes & mites, ne linum fumigans in ſpiritu vehementi extinguant, & calamum conquaſſatum cōfringant. De hac patientia in præcedenti Diſcurſu egimus. Deinde debent eſſe fortes, adeò vt ſibi dictum Ezech. 3, 9. putent, *Vt adamantem & vt ſilicem dedi faciem tuam, nec timeas eos, neque metuas à facie eorum*, vt patientia armati, ad ferenda quælibet pro gloria Dei & animarum ſalute animosè procedant.

129. De his intelligi poteſt illud Pſalm. 91, 16. Dauidis: *Benepatientes erunt vt annuntient.* Ex noſtro Titelmanno noTitelm. tanda eſt nouitas illius dictionis, *benepatientes*, quā is putat non ſignificari patientiam quam habebunt de iniuria ſibi facta, Græca enim vox εὐπαθοῦντας, quæ ponitur pro *benepatientes*, ſignificat eos qui beneficio affecti ſunt. vnde ſicut qui conferunt munus aliquod, Græcè εὐεργετοῦντες, id eſt benefacientes; ita qui recipiunt, εὐπαθοῦντες, id eſt benepatientes appellari poſſunt. Quod etiam notauit Lyranus noſter, Lyran. qui ait, Benepatientes erunt, id eſt bona recipientes. Nam, ſecundùm Philoſophum, beneficiatus dicitur benè paſſus à benefactore. Hæc expoſitio miro modo declarat officium virorum Apoſtolicorum, quos miſit Chriſtus deſtitutos omni humano ſubſidio, dicens: *Nolite portare ſacculum, neque* Lucæ 10, 4. *peram.* Et apud Matthæum: *Nolite* Matth. 10, 9. *poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris.* Per hāc ordinationem coacti ſunt ex eleēmoſynis viuere, & emendicare victum ab ijs quibus verbum Dei adminiſtrabant. Tales proinde efficaciùs infidelium animos flectunt, & in admirationem fidei Chriſtianæ rapiunt. Cùm enim ſolo victu contenti ſint, Apoſtolica libertate dicere poſſunt: *Non ero* 2. Cor. 12, 14. *grauis vobis: non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* Porrò quæ ad tuendam vitam neceſſaria ab omnibus iudicantur, iure naturæ vagis & otioſis egenis debentur, ac proinde ſine grauamine, ſed non abſque ædificatione dantium, ea à viris Apoſtolicis, qui cetera etiam vltrò oblata refutant poſſidere, humiliter propter Deum mendicantur. quia autem humana ſapientia multis ſcrupulum ingerere ſolet de vitæ neceſſarijs, quæ nemo ad nutum habere poteſt, ſi illi deſit aurum & argentum, cùm verum ſit quod ait Sapiens, *In riſum faciunt panem & vi-* Eccle. 10, 19. *num, & pecuniæ obediunt omnia*; aſſignat Apoſtolis menſam ſuam, & nihil aliud permittit niſi quod eis offeretur libera-

liberaliter, aut quod ipſi propter Deum emendicabunt humiliter, Luc. 10,8. *Mãducate*, inquit, *quæ apponuntur vobis*, vt ita ſapientiam carnis ſua prouidentia peſſumdet.

130. Porrò his verbis ſignificat, cùm nihil ſine argento & pecunia emi poſſit ad voluptatem & delicias, quòd contenti eſſe deberent ijs quæ ipſis tamquam mendicis apponentur ad tenuem naturæ ſuſtentationem & Theop. neceſſitatem. *Vide igitur*, inquit Theophylactus, *qualiter diſcipulos mendicare instituit.* Præmiſerat Christus, ℣. 7. *In domo eadem manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt.* Nunc autem addit, *Manducate quæ apponuntur vobis*, gratis nimirum amore Dei, non quæ ab alijs vendentur, aut pretio à vobis ementur. Datur hîc documẽtum, Tolet. inquit Toletus Annot. 14. in cap. 10. Lucæ, vt in ijs quibus vti conceditur, non curent quid aut quale ſit quod apponitur, ſed quolibet cibo & potu dato ſint contenti. Præterea nullam cibi ſpeciem prohibet Ieſus Apoſtolis ſuis, ne fortè ſi quid apponatur delicatius, non audeant attingere, cogitantes epulas non decere eos qui ex mendicatione viuebant. Quem ſcrupulum S. Franciſcus ſuis etiam exemit Regula S. Franciſci. cap. 3. Regulæ, dicens: *In quamcumque domum intrauerint, primùm dicant: Pax huic domui. & ſecundùm ſanctum Euangelium, de omnibus cibis qui apponuntur eis, liceat manducare.*

131. Vt autem, relicta hac expoſi- Pſalm. 91,16. tione, verba Dauidis, *Benepatientes erunt*, propoſito noſtræ adaptemus; notandum eſt, ſecundùm ſententiam Gregorij l. 35. Moralium c. 10. quòd viri ſancti in patientia ſtabiliti, ac in charitate Dei fundati & radicati, non tantùm benepatientes, id eſt beneficiatos ſe arbitrantur, cùm beneficijs corporalibus afficiuntur quibus viuant, ſed maximè cùm in varias perſecutiones & tribulationes incidunt, quibus piè viuere & verbum Dei efficaciter annuntiare poſſint. Non eſt autem mirum, quòd hoc modo benepatientes virtute magna reddant teſtimonium fidei: nam patientia in tribulationibus eſt mirabilior ſignis & miraculis, vt docet Chryſoſtomus. quod confirmari poſſet multis exemplis. Refert inter alia Caſſianus Collat. 12. cap. 13. de Caſſianus. Chriſtiano quodam à Gentilibus multis opprobrijs diuexato, quòd cùm illi petulanter rogarent, *Quid miraculi Christus veſter, quem colitis fecit?* reſpondit: *Vt his ac maioribus, ſi intuleritis, non mouear nec offendar iniurijs.*

132. Ioannes Baptiſta diſcipulos, quibus fruſtrà digito Meſſiam demonſtrauit, dum liber cum illis conuerſaretur, dicens: *Ecce agnus Dei*, &c. ad fidem & agnitionem eius promouit in carcere detentus: *Ioannes autem* Matth. 11,2. *cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos ex diſcipulis*, &c. Ex cruce fructuoſiſſimè prædicauit Andreas Apoſtolus, de quo canit Eccleſia: *Biduo* In officio S. Andreæ. *viuens pendebat in cruce beatus Andreas pro Chriſti nomine, & docebat populum.* Viginti ſex Martyres Iaponenſes, ex quibus tres fuerunt ex Societate Ieſu, ſex autem Ordinem S. Franciſci profeſſi, quibus ſeptemdecim alij, domeſtica familiaritate aut profeſſione Tertiæ Regulæ eiuſdem Ordinis coniuncti erant: qui omnes ab annis triginta plùs minùs ſanguinis ſui effuſione fidem Chriſti propagarunt, docendo, & cum hominibus in pace conuerſando, aliquibus profuerunt, ſed ad mortem ducti, & multis extremi ſupplicij præambulis, vt narium abſciſſione, & alijs opprobrijs in itinere diuexati,

ti,

ti, benepatientes efficaciùs Chriſtum annuntiarunt. Nam qui priùs credebant ad iuſtitiam, magna animoſitate cœperunt fidei confeſſionem facere ad ſalutem. Conuenerũt enim plus quàm quatuor millia Chriſtianorum alta voce clamantium: *Martyrium, martyrium, martyrium; Paradiſus, paradiſus, paradiſus.*

133. Parum eſt vt benepatientes annuntient ſpectatoribus, quin etiam tortoribus proſint, vt meliorem concipiant mentem. Ioan. 12,32. *Ego cùm exaltatus fuero à terra*, inquiebat Chriſtus, *omnia traham ad meipſum. Tam fortis inuictaque res eſt virtus*, ait Chryſoſtomus, Chryoſtom. *vt dum patitur, affligentes vincat.* quod maximè verum eſt de hac virtute, de qua modò nobis eſt ſermo. Loquendo quidem & docendo reſtitit Chriſtus propoſito eum comprehendere volentium; vnde miſſi à Pontificibus & Phariſæis vt illum comprehenderent, re infecta reuerſi ſunt, nullam aliam rationem caſſi ſui conatus reddentes, quàm quòd Ioab. 7,46. *numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Patiens autem in cruce animos eorum qui adſtabant, imò etiam blaſphemijs & irriſionibus ſubſannabant, verè conuertit: nam Lucæ 23,48. *percutientes pectora ſua reuertebantur.* Benepatiens etiam Paulus non affligentem modò, ſed & carnificem ipſum interficientem conuertit. vnde Chryſoſtomus Chryſoſt. exclamans (cuius verba refert Metaphraſtes) ait: *Quiſnam locus tuum ſanguinem excepit lactis ſpecie, in eius qui te percuſſit tunica apparente? Qui animam illius barbari ſupra modum dulciorem reddens, fidelem effecit cum ſocijs.*

134. Ex his patet, quòd non ſit vniuerſaliter verum illud Laberij, Laberius. dicentis, quòd *furor ſit læſa ſæpius patientia. Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.* Nam ferendo martyrium redintegratur fortitudo Martyris, extinguitur amaritudo, & miteſcit acerbitas tortoris. *Amen, amen dico vobis,* Ioan. 12,24.25. ait Chriſtus, *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Ecce benè patientes & morientes pro gloria Dei non ſemper odium, ſed ſæpè multum reportant fructum. Quod patet etiam in paſſione inuictiſſimi Martyris Laurentij. *Tanta enim eius martyrij gloria extitit,* vt ait Auguſtinus Serm. 30. de Sanctis, Auguſt. *vt paſſione ſua mundum illuminauerit vniuerſum. Illuminauit mũdum planè Laurentius eo lumine, quo ipſe accenſus eſt, & flammis quas ipſe pertulit omnium Chriſtianorum corda caleſecit,* & quæ odio, inuidia ardere ſolebant, illo igne incaluerunt, quem venit Chriſtus mittere in terram, volens vt accendatur, &c. Amen.

DISCVRSVS X.

Quemadmodum impatientem mala acerbiùs affligunt, ita per tolerantiam enaruata verè patientibus meritoria fiunt.

135. VERVM eſt, vt ait Sapiens, quòd Prou. 19,19. *qui impatiens eſt, ſuſtinebit dãnum.* vnde Chryſoſtomus Chryſoſtom. Homil. 20. in 1. Epiſt. ad Corinthios: *In calamitatibus non eos deflemus, qui multa mala patiuntur, ſed eos qui ferre neſciunt.* Adhæc Seneca Seneca. in Epiſt. 123. *Paupertas nulli malum eſt, niſi repugnanti.* Idem de quacumque aduerſitate & materia patientiæ dicendum videtur. Sine patientia omnibus vitijs patet acceſſus in animam, vt dictum eſt. Vt igitur miles ille, qui Simile. in portando clypeo, à ſagittis liber & immu-

immunis,parum fatigatur, felicior iudicandus eſt, quàm alius qui propter corporis debilitatem non ſufficit oneri illius,& ideò nullum iaculum in illum vibratum caſſo vulnere manet incruẽtum; ita felicior eſt patientis conditio, quem fruſtrà mala multa impetunt, quàm impatientis,qui tunc ſolùm non patitur damnum, cùm nullum illi accidit incommodum.

136. Patiens igitur beatus eſt, *qui meliora ſperat, & peiora timens declinat.* O ſocij,

Virgil. — *neque enim ignari ſumus antè malorum*, canebat ille.
O paſſi grauiora! dabit Deus his quoque finem.
Forſan & hoc olim meminiſſe iuuabit:
Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Impatiens aduſtionis aut ſectionis, dum membro putrefacto parcit, pœnam mortis incurrit miſer, eò quòd meliora non ſperat, & peiora certiſſimè præuidet. Auguſt. vnde patiens Auguſtinus prudenter clamans ad Dominum aiebat: *Hîc vre, hîc ſeca, vt in æternum parcas.* Simile. Mala enim per impatientiam repulſa,duplicata redeunt. Non repellitur malleus ab indurata incude, ſed reſultando leuatur in altum,& ad iterandum ictus diſponitur. Eodem modo,qui per impatientiam à ſe inordinatè excutit quod moleſtat, ſeipſum ad plura ferenda damnat. Iob 41, 15. *Cor eius indurabitur tamquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus*, quæ ad hoc tantùm ſtatuitur, inquit Hugo Cardin. Hugo Cardinalis,vt crebris ictibus feriatur. Simile. Benè etiam incudi comparatur impatiẽs, in qua ſicut ferramenta mediante igne formantur,ita boni & patientes amore Dei præditi, per duros & impatientes Simile. exercentur. Cùm autem à fabro ferrea ſupellex ſuper incudem domeſtico viui verberibus adaptatur, ſimul etiam ipſa percutitur; quod ei tamen ad nihil aliud prodeſt, niſi vt magis conſtringatur,& (ſi fieri poteſt) induretur. Ita dum bonus à paſſionato viliter exercetur, ipſe ſibi grauis per propriam impatientiam affligitur. omnis enim inordinatus animus ſibi pœna eſt.

137. In hoc tamen differt incudis Simile. ab impatientis conditione, quòd illa ſaltem tunc in quiete relinquitur, cùm nihil eſt amplius ei imponendũ quod percuſſionibus corrigatur;impatientes autem, quamdiu bonos exercent, parum tolerant, maiora paſſuri, cùm ſegregati ab illis, in inferno poſiti erunt: nam mors depaſcet eos. Quare in hoc mundo illorum malitia Deus vtitur ad profectum electorum ſuorum. Vnde Auguſtinus in Pſal. 54. v. 1. ait: Auguſt. *Ne putetis gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideò viuit vt corrigatur, aut ideò viuit vt per illum bonus exerceatur.* In inferno autem ad nihil aliud deſeruient,quàm vt circa eos iuſtitiam ſuam oſtendat.

138. Impatiens ſibi duplicat pœnam,dum,ne quid patiatur,potiùs impetum paſſionis quàm iudicium ſequitur rationis. Simile. Equus ſeſſori refractarius, calcaribus cogitur, vt ſæpè vmbram, quam obſtinatè refugit, pertranſeat; cui ſi patienter ſe reſignaſſet, non fuiſſet frequentiori tranſitu terrore & moleſtia affectus. Eodem modo, qui contra Deum per impatientiam calcitrat, ſæpè pro punitione eamdem moleſtiam reportat. Simile. Silex frequenter concutitur,qui ignem conſtruere volenti ſcintillas ſemper emittit,qui verò fruſtrà confricatur, tandem intactus relinquitur. Ita dæmon ſæpè illis infeſtus eſt, qui faciles ſunt, vt per impatientiæ

Digitized by Google

tientię ſcintillas ignem diſcordiæ excitent: qui autem patienter ferunt, nec opprobrijs ab eo excitatis commouentur, tamquam ſibi inutiles rariùs ab eo inquietantur.

139. Impatientes patronum habent Iſmaëlem, de quo dicit Scriptura: *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Hic filius impatientiſſimæ matris fuit, quæ iuſtæ correctionis cenſuram non ferens, à facie Sarai dominæ ſuæ fugit: qui impatientiæ miſeriam in ſe expertus, patiendo contra ſe manus omnium; benè nobis eam expreſſit. Impatientis manus & lingua ſunt contra omnes, ac proinde multos talis experitur ſibi infeſtos. vnde dicitur: *Multis terribilis caueto multos.* Refertur ridiculum ſtratagema, quo docetur, eum multos meritò timere, qui per impatientiam alios facilè inquietat. Dum enim quidam Præpoſitus ſubditis per inordinatam choleram & furorem quotidie importabilem ſe exhiberet, illi tandem communi conſpiratione manus in eum inijcientes, tamquam inſanum & mente captum in currum, ligatis manibus & pedibus, coniecerunt, & ad ſupremum Præfectum deduci curarunt; illo fruſtrà renitente, & de iniuria & violentia ſibi illata proteſtãte, ac omnium occurrentium ſibi notorum & cognatorum opem & ſubſidium implorante, eò quòd aſſidentes comites, quibus negotij executio commiſſa erat (vt erant inſtructi) ſimulatione doloris, & apparentia compaſſionis, omnibus perſuaderent illum in furorem verſum, ac mente captum eſſe.

Gen. 16, 12.

Exemplum.

140. Docet hoc exemplum præſertim Prælatos, vt audiant monitionem Sapientis: *Noli eſſe ſicut leo in domo tua, euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi. Leo rugiet, quis non timebit?* Impatiens loquitur, quis non paueſcet? *Leo rugiens & vrſus eſuriens, Princeps impius ſuper populum pauperem.* Benè proinde monet Paulus: *Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.* Leo ſuo rugitu ſine delectu omnia animalia terrore concutit: ita impatiens & iracundus ſine diſcrimine, nec vlla habita ratione meriti vel demeriti, omnes terret & turbat. Notat autem Paulus, Prælatum debere modum regiminis conditioni ſubditorum adaptare, atque adeò ſeipſum in poteſtate habere, vt aliter ſe gerat erga infirmos & puſillanimes, aliter verò regat inquietos & refractarios. Concludens autem ait: *Patientes eſtote ad omnes.*

Eccli. 4, 35.

Amos 3, 8.

Prou. 28, 15.

2. Theſ. 5, 14.

Simile.

141. Manus omnium contra illum, cuius manus contra omnes. Qui quæ vult dicit, dum omnes ſine delectu minis & verbis proſcindit, quæ non vult audiet, dum ab omnibus lacerabitur opprobrijs & dicterijs. *Vt enim echinus*, id eſt, eenen egel, *in ſpinas ingreditur, quòd ſpinas ſecum circumferat; ita quibuſdam in omni negotio acerbitas eſt, propterea quòd animo ſecum afferant acerbitatem.* Poſtquam autem in hac vitâ furore & impatientia inſani ſimilitudinem expreſſerunt, tandem ligatis manibus & pedibus, id eſt deſtituti omni poteſtate, deducentur ad cõmunem omnium Dominum & Pontificem animarum noſtrarum Chriſtum, eidem regiminis ſui rationem reddituri, & furoris ac inſaniæ impatientiæ ſuæ pœnas daturi.

Chryſoſtom.

Simile.

142. Vnde patet, quòd impatientes ſibi moleſtias duplicent: nam præter illas quas in hac vita ſentiunt, conijciunt ſe in futuras. quibus ſenſu ac-

commodatitio conuenire poteſt illud
Ierem. 17,18. Ieremiæ: *Induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.* Meritò igitur qui ſunt ſicut leones in
Coloſſ. 4,1. domo ſua, cogitent illud Pauli: *Domini, quod iuſtum eſt & æquum, ſeruis præſtate; ſcientes quoniam & vos Dominum habetis in cælo.* Vnde ſi in furore & ira arguis & proſcindis tibi ſubiectos, euertens domeſticos tuos, non poteris fiducialiter ab illo petere
Pſalm. 6,2. cum Dauide: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Sed quia per impatientiam euertiſti domeſticos, & Deum offendiſti, timere debes duplici contritione te conterendum fore.

Simile. 143. Porrò ſicut per impatientiam moleſtiæ augentur, ita per patientiam miro modo extenuantur. Si in mollem materiam impegeris malleum, vt in puluinar plumaceum, ſenties eum quodammodò amplecti, & quaſi amicè hoſpitio ſuſcipi, & retineri ne reſumatur & reiteretur ictus. Eodem modo qui percuſſiones à Deo permiſſas aut immiſſas ſuauiter ſuſcipit, manum percutientis quodammodò retinet. Dauid patienter punitionem in ſe ſuſpiciens, eamdem à populo ſuo ante conſtitutum tem-
2. Reg. 24,17. pus cohibuit. *Ego,* inquit, *ſum qui peccaui, ego inique egi; iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Cecidit malleus in cor molle, contritum & humiliatum, & ibidem
℣.25. quaſi retentum conquieuit: *Et propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſraël.*

144. Benè verſatus fuiſſe videtur Dauid in hac praxi. Nam vbiq; ſe mollem & patientem exhibens, verberan-
Pſalm. 68,1. tem manum Dei in ſe retinuit. *Saluum me fac Deus,* inquit, *quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animã meam.* Aquas tribulationum per impatientiam non excluſi, non repuli vt hoſtes, ſed in meliori & præſtantiori domus meæ parte locum illis vt gratiſſimis amicis præbui, *quoniam intrauerunt vſque ad animam meam.* Miles, cui Simile. menſor deſignauit hoſpitium, ſi benignè à ruſticis recipitur, manſuetiùs áget; ſi verò per impatientiam expellitur, & fores ei claudantur, facta violenta irruptione omnia vaſtat, rapit & confringit. Tribulationes & vitæ huius paſſiones accepto inſcripto ſiue ſyngrapho, Belgicè *een billet*, à cæleſti deſignatore obtinuerunt ius, vt in nobis, qui tamquam ruſtici terram incolimus, necdum ad ciuitatem Ieruſalem admiſſi, benignè hoſpitio ſuſcipiantur; ſi (vt decet) patienter eis locùm aſſignamus, dulciter agent; ſin verò, duplicabimus domui noſtrę moleſtias, & noſipſos cum omnibus quæ ad nos pertinent, vaſtationi & direptioni exponemus.

145. Sciebat hoc S. Lupus Epiſcopus, vt refert Nauclerus, qui occurrens Attilæ, rogauit quis eſſet: *Ego,* inquit, *ſum flagellum Dei.* Aperite portas igitur, dixit patiens & humilis Epiſcopus, & pateat introitus. Et ad tyrannum ſe conuertens, *Gratus eſt aduentus tuus,* ait, *flagellum Dei.* Mira res, ſubitò milites Attilæ cæcitate percuſſi, ſine vlla concuſſione tranſierunt per ciuitatem. Benè igitur monet Paulus: *Date locum iræ.* Si enim per patientiam Rom. 12,19. illi patet ingreſſus, tranſibit, & patiens manebit illæſus. vnde Dauid ait: *Per* Pſalm. 87,17. *me tranſierunt iræ tuæ.*

146. Quemadmodum igitur con- Simile. tumax puer & virgæ impatiens, ſi illam abijcit, confringit aut comburit, occaſionem dat vt ei acerbior aliqua paretur; ſi verò patienter eam tulerit,
minùs

Digitized by Google

minùs affligitur, quia tempus edax rerum tandem illam detritam & aridam reddit. Eodem modo impatienti futura & acerbiſſima virga timenda eſt, patienti verò aut perexigua aut nulla, cui abſterget Deus omnem lacrymam [Apoc. 21,4.] ab oculis, *& mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, ſed nec vllus* [Apoc. 3,10.] *dolor.* Patiens ſibi dictum putet: *Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum*; quoniam ſeruaſti præceptum de patientia [Gloſſa ordin.] (dicit Gloſſa ordinaria) quod in me oſtendi, orans pro perſecutoribus. Ecce pro patientia mali præſentis, promittit remotionem futuri. Non enim ſolùm dicit, ſeruabo te in hora tentationis, vt ſcilicet illam mitiùs ſentias & feras; ſed, ſeruabo te ab hac hora tentationis & tribulationis, & moleſtiam emoliar ne te tangat. Hæc promiſſio in Apoſtolis completa eſt, quibus Chriſtus mercedem patientię aſſignans [Ioan. 16,20.] ait: *Amen, amen dico vobis: quia plorabitis & flebitis vos, &c. ſed triſtitia veſtra conuertetur in gaudium, &c.* Amen.

DISCVRSVS XI.

Qui hilariter fert quod neceſſariò ferendum eſt, is ad imitationem Chriſti ex Dei amore facilè tolerabit malum, à quo, cùm velit, ſe vendicare poteſt.

147. SICVT ſtulta & vana ſine viribus ira, ita nobiliſſima eſt cum poteſtate ſe vendicandi patientia. Stulti proprium, non poſſe, & velle nocere: ſapientiſſimi autem & patientiſſimi, poſſe repellere, & velle aduerſarium tolerare. *Glorioſius eſt*, [Gregor.] inquit Gregorius, *iniuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare: & ſi ſeruus conuitium dicat, iuſtus taceat; & ſi infirmus iniuriam faciat, iuſtus ſufferat.* Nam tolerare, & odio habere, non virtus manſuetudinis, ſed operimentum eſt furoris. Etiam impatientiſſimi ſeruant illud antiquum monitum: *Feras, non culpes, quod vitare non potes.* Aliud enim eſt, non murmurare de ærumnis ineuitabilibus, quod etiam illi facere poſſunt, qui intus furore impatientiæ dilacerantur; aliud, lætari, quod illorum eſt, qui propter Deum libenter quoque tolerarent quod facili negotio declinare poſſent.

148. Non poterat euadere Paulus vincula & carceres, ſed quia gloriatur in illis, vt patet per totum Cap. 11. Epiſt. 2. ad Corinth. excellentiſſimæ patientiæ præbuit argumentum. Sic Laurentius, qui exultabat & inſultabat in craticula, tyrannum irridens, & dicens, *Aſſatum eſt, verſa & manduca.* Theodorus Martyr toto corpore dilaceratus cantabat: *Benedicam Dominum in omni tempore.* [Pſalm. 33,2.] His libet adiungere rariſſimæ patiētiæ exemplum, [Exempla.] quod nobis à S. Remigio relictum eſt. de quo refert Surius, [Surius.] quòd is Deo reuelante cognouerat, vt alter Ioſeph, futuram annonæ caritatem. Pro tritici igitur coaceruatione ſollicitus, multas metas (vt vocant) conſtrui curauit. Suadente autem diabolo, impij quidā homines ſe mutuò adhortati ſunt, & totam illam prouiſionem piiſſimi Antiſtitis igne conſumpſerunt: quod cùm S. Remigio relatum eſſet, aſcenſo equo accurrit, vt tantum nefas deprecaretur, dolens igni tradi triticum, quod ipſe tanta anxietate prouiderat futuræ neceſſitati. Verùm cùm adeſſet, deprehendit, voracem flammam adeò aceruos pretioſæ annonæ penetraſſe, vt nulla ſupereſſet ſpes auertendæ

rendæ iacturæ. Beatus igitur Remigius de equo deſcendens, commiſſum quidem ſcelus indoluit, iniuriam tamen ſibi factam cum riſu excepit. Nam eminus igni adſtans (quia ætate grandæuus veſpertino tempore frigebat) ſe calefecit, dicens tranquillo corde & ore: *Semper bonus eſt focus.* Nemo tam fortiter tolerat quod euitari non poteſt, qui etiam non libenter ferret (ſi daretur occaſio) quod facilè declinare poſſet.

149. Ne quis igitur decipiatur, æſtimans ſe patientem, cùm reuerà non ſit, examinet ſemetipſum, quomodo ſit affectus interiùs, quando ineuitabile illi accidit malum. Si tacet, & apud ſe murmurat, etſi apparent verè patiens, tamen cenſeri non poteſt. Certum eſt igitur, quòd tentatio & tribulatio probet patientiam. Vt enim homo, qui quartana febri laborat, non dicitur ab ea curatus, etſi non febricitet diebus illis intermedijs quando ceſſat acceſſio; ita nec patiens vocari poteſt, qui cùm nihil incommodi ei accidit, tranquillus eſt, quieſcit & tacet. vnde benè dicit Gregorius: *Qualis quiſque apud ſe lateat, illata iniuria probat.* Et Bernardus: *Sunt quidam mites, dum nihil eis dicitur vel fit, niſi pro eorum arbitrio: patebit autem quàm longè ſint à manſuetudine, ſi leuis oriatur occaſio.*

Simile. Gregor. Bernar.

Iris quam Deus promiſit in ſignum pacis, dicens, *Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus*, ſicut ſemper pluuias & tempeſtates comitatur, ita vera eſt figura patientiæ, quam nemo poteſt cognoſcere tempore proſperitatis & ſerenitatis, ſed tempore nubiloſo. Tempeſtate autem patientiam probari debere, indicant verba impiorum dicentium de iuſto: *Contumelia & tormento interrogemus eum, vt probemus patientiam illius.*

Gen. 9, 14. Simile. Sap. 2, 19.

150. Ex attactu & pulſu cognoſcitur conditio multarum rerum. Arbor ſi vento non eſt agitata, neſcitur an ſit firmiter radicata. Ita per concuſſionem contrarietatis ſcire quis poteſt, an in patientia & charitate tamquam arbor bona fundatus & radicatus ſit. Campana, quam vnus impulſus confregit, omnibus ſubſequẽtibus ictibus ingratum ſonum & raucũ rupturæ ſuę teſtimoniũ præbet. Eodem modo, qui, dum aduerſa contingunt, reſonat dulcem gratiarum actionem, præbet ſignum quòd ſit integer: ſi verò perſtrepuerit murmurationem, campana eſt rupta, ac proinde igni reſeruata, vt refundi poſſit. Tegula non niſi in aqua probatur, an ab igne competentem decoctionem acceperit. Qui in aqua aduerſitatis perdurat, ille ſignum habet quòd ignis amoris eum benè decoxerit, & quòd Deum habeat ſecum, de quo dixit Dauid: *Tu es patientia mea.* qui promittit per Prophetam, *Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.*

Simile. Pſalm. 70, 5. Iſa. 43, 2.

151. Multi ſimiles ſunt diuitibus, qui ſpatiantur tempore ſerenitatis pretioſis veſtibus induti; ſi autem ſubitò cælum obſcuratum fuerit, & tonitru ac fulgur pluuiam minetur, ſtatim depoſito pallio honeſtiori, aſſumunt vile ſagum. Eodem modo aliqui exhibent ſe placidos modeſtia & manſuetudine ornatos, dum omnia ſunt iucunda & ſerena quæ eis accidunt; ſi autem Deo permittente oriatur tempeſtas & tonitruum obloquij, aut fulgur alicuius aduerſitatis, ſtatim abiecta columbina ſimplicitate, & omina manſuetudine, lupinam, imò ſerpentinam induunt pellem. De his intellige illud Dauidis: *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei: ſi autem non fuerint ſaturati, & murmurabunt.* Pro diuerſitate rerum quas Deus

Simile. Pſalm. 48, 19.

Deus illis immiſerat, quodammodò ſeipſos immutabunt. *Velut amictum* Hebr. 1,12. *mutabis eos* (inquit Paulus) *& mutabuntur; tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.*

Apolog. 152. Percommodo apologo expreſſit Bromæardus in ſua Summa v. Ordo clericalis, n. 33. imaginem eius qui non eſt, etſi appareat patiens. Lupus, inquit, vt cum ouibus in ouile admitteretur, pelle ouina indutus ſe illis intermiſcuit. Cùm autem paſtor oues numerando per oſtium intrantes ad ouile admitteret, baculo paſtorali ſigillatim eas attingebat. Ouibus verò manſuetè tactum baculi ſuſtinentibus, lupi naturam ouina pellis non mutauit, quem cùm paſtor leuiter etiam percuteret, nullo modo patienter id ferre potuit, ſed oſtenſis dentibus fremens, ſeipſum prodidit.

153. Nota, quòd veri patientes ſint electæ ouiculæ, quæ à Domino ſpecialiter numerantur, de quibus ne vna quidem peribit. Et benè figurantur per Ioan. 21,11. illos piſces, de quibus dicitur: *Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete ad terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus: & cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.* Ex quo apparet, omnes prædeſtinatos ſpecialiter eſſe numeratos tamquam ceteris digniores, quod etiam patet ex Eccleſiæ Collecta, quæ ſic habet: *Deus, cui ſoli cognitus numerus electorum in ſuperna felicitate locandus*, &c. Secernuntur ab alijs per patientiam, vnde non caret myſterio quod additur, *& cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete*; nam impatientia eſt omnis diſcordiæ & ſciſſionis mater. Cùm enim nullus ſit quem Deus baculo alicuius moleſtiæ & incommodi aliquando non attingat, qui non ſunt de numero electorum, murmurant, & inſtar lupi frendent dentibus. Electi verò *cæduntur gladijs more bidentium, non murmur reſonat, non querimonia*, &c.

154. Porrò non tantùm non murmurant, ſed vt habeant ſignum excellentiſſimæ patientiæ, (qua etiam cùm daretur occaſio, parati eſſent paſſiones acceptare, quas facilè cùm vellent poſſent deflectere,) moleſtias quibus Deo permittente afficiuntur, gratanter & lætanter acceptant, dicentes cum Dauide: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Pſalm. 22,4. Qui hoc modo fert incommoda, quæ non poteſt euitare, is ſine dubio paratus eſt multa tolerare, à quibus facilè (ſi vellet) ſeipſum expediret. Qui autem ad hunc patientiæ gradum peruenit, vix ei altiùs aſcendendi locus relictus eſt.

155. Huius altiſſimæ patientiæ exemplum nobis Chriſtus propoſuit in ſeipſo, qui oblatus eſt, non quia quis vim intulit, ſed quia voluit. Non enim fuit paſſus neceſſitate, ſed electione. Mortis acerbos dolores euadere quidem valebat, ſed nolebat ſponte illos in ſe admittens. Huius ſpontaneæ patientiæ clara oſtendit argumenta factis & verbis. Fruſtrà miſerunt Phariſæi miniſtros vt apprehenderent eum, quibus dixit: *Adhuc* Ioan. 13,33. *modicum tempus vobiſcum ſum. Quomodo apprehenderent adhuc nolentem?* dicit Auguſtinus Tract. 33. in Ioannem; Auguſt. *quia ergo non poterant apprehendere nolentem, miſſi ſunt vt audirent docentem.* qui infrà inducit Chriſtum ſic loquentem: *Quod modò vultis facere, facturi eſtis, ſed non modò, quia modò nolo.* vnde benè dixit alibi: *Ego pono animam meam, vt iterùm ſumam eam. Nemo tollit eam à me: ſed ponam eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam.* Ioan. 10,17. 18. Quæ verba idem Auguſtinus Tract. 47. in Ioannem exponens, Auguſt. ait:

ait: *Cum magno pondere dicit, Ego pono. Non glorientur Iudæi: ſæuire poterunt; ſi ego noluero ponere animam meam, quid ſæuiendo facturi ſunt? Multoties conſiliabantur eum interficere* (dicit Chry-ſoſtom. Chryſoſtomus Hom. 59. in Ioannem) *quoniam nolente eo inutilis erat hic labor.*

156. Cùm ait, *Nemo tollit*, non eſt hoc ſic intelligendum, quaſi ex vulneribus & paſſione mortuus non ſit, ſed quia poterat perſecutores ſuos impe- Lyran. dire (vt benè notauit Lyranus noſter) & vno verbo proſternere. Animam ſuam poſuit igitur à ſeipſo, interfe- Tolet. ctores non impediendo. Probat Toletus in Commentario huius loci, quòd paſſio & mors Chriſti omnino fuerit voluntaria, non ſolùm quia voluntate acceptauit mori, hac enim ratione mors Martyrum, imò in lectulo morientium cum plena ſui reſignatione voluntaria dici poterit; ſed quia vulneribus inflictis, adhuc liberum remanebat Chriſto mori aut non mori Propterea dicit: *Nemo tollit à me, ſed ego à meipſo pono.* Ex his omnibus Hugo concludit Hugo Cardinalis, ergo *ele-* Cardin. *ctio eſt crux, non coactio.* Non niſi ipſo conſentiente potuerunt crudeles carnifices Chriſtum percutere, nec in poteſtate illorum erat ipſo non acceptante, percutiendo dolorem inferre. Summa igitur fuit eius patientia, qui non tantùm potuit cruciatus deflectere, ſed etiam voluit illos admittere.

157. In ſignum huius in ipſo limine paſſionis oſtendit verum eſſe, quod circa finem illius dixit, animosè Pilati iactantium retundens, qui ſibi tribuebat omnimodam poteſtatem crucifi- Ioan. gendi & dimittendi eum, *Non haberes,* 19,11. inquiens, *poteſtatem in me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper*; quando nimirum poſt ſtupendam illam militaris cohortis repulſam & reiteratam in terram deiectionem dixit: *Hac eſt hora* Lucæ *veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Eſt ho- 22,53. ra veſtra, *non facto, ſed diuinæ definitionis permiſſu*, inquit Caietanus. Hora Caiet. veſtra, vobis conceſſa ad me comprehendẽdum, dicit Lyranus. Præmiſerat Lyran. Chriſtus: *Cùm quotidie fuerim vobiſcum in templo, non extendiſtis manus in me. Sed hæc eſt hora veſtra. Arguit eos* (dicit Cyrillus) *qui temerè opina-* Cyril. *bantur, eum ſe inuaſiſſe ipſo inuito. ac ſi dicat: Tunc non cepiſtis me, quia nolebam; ſed nec nunc poſſetis, niſi me ſponte veſtris ſubijcerem manibus.*

158. Videtur tamen patientiæ (de qua nunc loquimur) cõtrarium, quòd Chriſtus monuerit Apoſtolos vt ſibi gladios compararent. *Qui non habet* Lucæ *gladium*, inquit, *vendat tunicam, &* 22,36. *emat illum.* Mira videntur hæc ſacrificij ſui præparamenta. Importuna ſollicitudo gladiorũ indicari poſſet tempore paſſionis, & ſummæ patientiæ, quando quidem, vt gladius ematur, tunicam vendendam eſſe præſcribat. Nota igitur, quòd requiratur gladius, non qui patientiæ Chriſti aduerſetur, ſed qui illam clariùs teſtetur. Non mandat gladios quæri ad inferendam læſionem, ſed ad extollendam eius manſuetudinem & patientiam. Gladius enim non debebat ſatellites terrere, ſed docere Chriſtianos. vnde Petrus obiurgatur, cui non ſuffecit habere, ſed voluit vti gladio, & percutere. *Qui autem ferire prohibet* (dicit Ambr. Ambroſius lib. 10. in Luc.) *cui emere gladium iubet?* Et optimè ad propoſitum noſtrum reſpondet, *Vt ſit parata defenſio, non vltio neceſſaria; & videre potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe.* Occaſione igitur gladiorum, quos Chriſtus voluit procurari, miro modo innotuit eius patientia. vnde Beda ſuper illa verba,

Beda. verba, *Ecce duo gladij hic*, ait: *Duo gladij ſufficiunt, ad teſtimonium ſponte paſſi Saluatoris: vnus qui Apoſtolis audaciam pro Domino certandi, & Domino virtutem medicandi doceret ineſſe; alter, qui nequaquam vagina exemptus, oſtenderet eos nec totum quod potuêre pro eius facere defenſione permiſſos.*

159. Denique omnium manifeſtiſſimè Chriſtus Dominus nobis notam fecit Heroicam illam patientiam, qua voluntariè & propria ſponte acceptauit dolores, à quibus, ſi placuiſſet, facillimè potuiſſet expediri, quando repreſſit Petri percutientis præſumptionem,
Matth. 26,53. 54. dicens: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?* Præcepit Dominus gladium recondi, qui illi ad ſui defenſionem, multò minùs ad ſumendam vindictam non erat neceſſarius, qui eos non humano, ſed otis ſui gladio erat peremptutus, ſi vellet. Oſtendit ſe facillimè poſſe, ſed nolle, paſſionem declinare: cui, cùm vellet petere, duodecim legiones Angelorum ſtatim poſſent adeſſe.
Hier. *An putas*, inquit, *quia non poſſum*, &c. *Quaſi diceret*, ait Hieronymus, *Non indigeo duodecim Apoſtolorum auxilio, etiamſi omnes me defenderent, qui poſſum habere duodecim legiones Angelorum exercitus.*

160. Voluntariè igitur paſſus eſt
1.Pet. 2,11. & 23. *pro nobis, vobis relinquens exemplũ*, ait Petrus, *vt ſequamini veſtigia eius*, &c. *tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* Tradidit autem ſe Pilato, qui Iudæorum fauore & Cæſaris timore condemnauit illum iniuſtè, vt patet Ioannis 18. Item tradidit ſe Iudæis eum ad mortem quærentibus, quibus occurrens ait: *Ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire*, non ignorans quòd illum tradituri eſſent Pilato. Ioan. 18,8. Hæc autem traditio ex parte Chriſti ex maxima patientia & obedientia erga Patrem, & mira charitate erga genus humanum proceſſit: ex parte verò Iudæ ex auaritia, & ex parte Iudæorum ex inuidia. Ideò in Chriſto fuit infiniti meriti, in alijs terribilis damnationis. Cenſetur autem Chriſtus ſeipſum tradidiſſe etiam crucifixoribus, ac proinde mirabili patientia toleraſſe dolores & opprobria, quæ vel ſolo nutu potuiſſet euadere; quia poteſtatis ſuæ erat, illos ſpiritu oris ſui interimere. De iniuſta Chriſti paſſione inimici ſunt iudices, quandoquidem ipſe Pilatus eum iuſtum fatetur, quem per ſententiam tradidit voluntati illorum qui eum crucifixerunt, vt cum iniquis reputaretur. *Innocens ego ſum*, inquit, *a ſanguine iuſti huius*, Matth. 27,24. qui fruſtrà ablutione manuum ſuam etiam innocentiam proteſtatus eſt. Vnde D. Leo Serm. 3. D. Leo. de Paſſione, *Lotis manibus*, inquit, *& ore polluto, ijſdem labijs, Ieſum miſit ad crucem quibus eum pronuntiauit innocentem.*

161. Summæ igitur patientiæ eſt, dum quis tolerat non neceſſitate aut coactione, ſed electione & voluntate. Notauit Chryſoſtomus Hom. 52. in Geneſim, hanc patientiam in Iſaac, Gen. 26. qui etſi eſſet ſummæ apud omnes auctoritatis, paſtoribus dimiſſæ ſortis & humilis conditionis in contentione de aqua viua inuenta ceſſit. Quando quis patitur ab ijs contra quos ſe poſſet defendere, tunc heroicam manifeſtat patientiam. *Nam*, vt ait Chryſoſtomus, Chryſoſt. *aliàs contradiceret quis, dicens quod manſuetudinem ſimulaſſet, quia non poſſet potentiæ offendentis reſiſtere.* Eodem modo non eſt ſtatim patiens cenſendus,

Digitized by Google

ſendus, qui tacet, nec maledicit cùm maledicitur à magno, contra quem ſe non valet defendere, ſed cùm patitur ab eo cui efficaciter poſſet contradicere.

162. Chriſtus in limine paſſionis ſuæ voluit gladios haberi ab Apoſtolis (vt iam dictum eſt) ſed prohibuit eos eximi de vagina, vt ita appareret in illis Apoſtolica hæc manſuetudo, quæ docet pati malum, etiam tunc cùm media & rationes ſuppetunt, quibus oppreſſus poſſet defendi. Conceſſit nobis omnibus Deus arma defenſiua contra illos ſaltem qui obloquendo nocere conantur. vnde ait Dauid: *Filij hominum dentes eorum arma & ſagitta, lingua eorum gladius acutus.* Qui autem Chriſti patientiam imitari proponunt, cogitant gladios illos non eſſe conceſſos, vt ſicut poſſumus, ita etiam velimus illis pro omni oblata occaſione vti. Quinimò ideò datur poſſe ſe defendere, vt appareat propter Deum noluiſſe.

Pſalm. 56,5.

163. Non ignorabat Pilatus, Chriſtum innocentem & per inuidiam à Iudæis traditum fuiſſe, atque adeò reſpondendo potuiſſe obiecta refellere, qui mirabatur patientiam eius gentili homini ignotam, & non niſi ſanctioribus Chriſtianis & veris electis Dei familiarem. Ridiculi ſunt ſecundùm mundi iudicium, qui patiuntur ſe percuti, quando gladium femori adhærentem geſtant; ſed mirabiles ſunt etiam impijs aduerſarijs, qui cùm poſſent illos redarguere, & ſe de obiectis defendere, tacent. Superat hæc patientia naturam, quod & ipſa clarè teſtatur, dum videmus mutos, etiam ſurdos ab ea procreari. vnde videtur ei nimis eſſe horribile, hominem auditu percipere iniurias & opprobria, niſi illas propellere poſſit eloquio.

Simile.

164. Magno præconio tamquam miraculoſa victoria clarum deduxerunt Iſraëlitæ Dauidem reuertentem percuſſo Philiſthæo. *Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* Sed quia *melior eſt vir patiens viro forti*, maiori honore eum Chryſoſtomus Hom. de Fide Annæ dignum iudicat, quando Semei maledicenti, & impium ac homicidijs & alieni regni ambitione pollutum appellanti non ſolùm parcit, ſed etiam ipſe continet Principem exercitus, & reuocat accurrentem, vt caput maledici amputet. Singularis fuit in hac patientia Dauid, vt probant verba eius, cùm ait: *Ego autem tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum, & factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Videtur Propheta idem repetere: qui enim tamquam ſurdus non audit, fit ſicut homo non audiens. Sed Hugo Cardinalis dicit priorem verſiculum ad exteriorem patientiam, poſteriorem verò ad interiorem eſſe referendum. Nam exteriùs ſilere, & intus iram reſeruare, non eſt patientis, ſed vindictam differentis. Non erat patiens Abſalom, ſed ſerpentem in ſinu ſuo nutriebat, cogitans quòd occideret fratrem ſuum Amnon, etſi exteriùs ſe haberet ac ſi ſurdus eſſet qui non audiebat, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. *Porrò non eſt locutus Abſalom ad Amnon*, dicit Scriptura, *nec malum nec bonum; oderat enim Abſalom Amnon, eò quod violaſſet Thamar ſororem ſuam.*

1. Reg. 18,7. Prou. 16,32. Chryſoſtom. Pſalm. 37,14. 15. Hugo Cardin. 2. Reg. 13,22.

165. In Dauide igitur claruit patientia de qua loquimur. *Ego autem tamquam ſurdus*, &c. quaſi dicat, Ad illorum in me iacta conuitia & mendacia ita me geſſi, ac ſi ſurdus eſſem. Ne

Pſalm. 37,14.

Digitized by Google

Ne autem quis obijciat, quòd iniquitas oppilauerat os ſuum, cùm priùs
Pſalm. 37,15. dixiſſet, *Factus ſum ſicut mutus, non aperiens os ſuum*; poſteà ſubdit, *& non habens in ore ſuo redargutiones.* id eſt, inquit Haymon, quamuis haberem vnde poſſem reprehendere, & per conſequens me defendere, tamen fui quaſi non habens. Per hanc patientiam Magdalena ſe amabilem fecit Chriſto, quæ vbique ad murmura ſe præbet tamquam ſurdam & mutam. Certè habebat quo ſororem Martham reprehenderet & argueret, quæ ſine fundamento contra illam apud Chriſtum murmurans dixit:
Lucæ 10,40. *Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* &c. potuiſſet enim reſpondere, quòd non deerant famuli & famulæ, qui non ſolùm iuuare, ſed totum quod ipſa faciebat, poterant præſtare.
Pſalm. 37,15. Sed tacuit quaſi *non habens in ore ſuo redargutiones*, interim eligens meliorem partem quæ non auferetur ab ea, &c.

166. Inter alios qui per hanc patientiam in cælo glorioſi, & in hoc mundo famoſi euaſerunt, vix alicui ſecundus eſt S. Alexius, qui ſponſam, domum, & ampliſſimum reliquit patrimonium, & fugiens in Edeſſam ciuitatem, à proprijs ſeruis ad diuerſas mundi partes, vt de illo inquirerent, à ſponſa & deſolatis parentibus miſſis, tamquam mendicus ſtipem lætus accepit: qui illos probè agnoſcens, gauiſus eſt ſe ab inquiſitoribus videri, ſed neſciri. Poſtquam ſic ſeptemdecim annis inter ignotos notus in magna humilitate & mirabili patientia egiſſet, tandem Romam reuerſus, in paterna domo totidem annis, vt alienus, hoſpitio amore Dei ſuſceptus, à famulis domus (quorum ſollicitudini pius parens mendicum commendauit) multa opprobria & ludibria paſſus delituit. quibus ſtupenda animi fortitudine exantlatis, tandem migrauit ad Dominum ſub Innocentio I. Pontifice, in cuius manu poſt mortem repertum ſcriptum, quod ſui nominis, ſanguinis ſeriem, totius vitæ curſum, ac irrefragabile teſtimonium voluntariæ eius patientiæ continebat, qua irriſiones & famulorum petulantiam ſuſtinere elegit, qui per ſui manifeſtationem ab iiſdem omni exhibitione reuerentiæ & obſequij promptitudine honorari potuiſſet, ſi in vita verbo, ſicut poſt mortem ſcripto, Romanæ illi tragœdiæ per totum mundum celebratæ impoſuiſſet finem.

167. Vt hanc patientiam imitemur, vitam & finem vitæ huius Sancti nobis proponamus. Ceterùm moueat nos huius & multorum aliorum Sanctorum, ſed permoueat Chriſti Domini exemplum, ſuadeant illi, perſuadeat iſte, de quo Apoſtolus dixit: *Patientiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* qui Iac. 5,11.
vt poſſet pati, ſuſtinuit ſe neſciri. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Ioan. 1,10.
Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. 1. Cor. 2,8. Beatus qui, cùm lauet inter innocentes manus ſuas, paratus eſt ex amore eius cum iniquis reputari, vt particeps huius glorioſæ patientiæ, tandem gaudere poſſit ſocietate æternæ gloriæ, &c. Amen.

DISCVRSVS XII.

Viles ſunt impatientes, qui maledicorum verbis deijciuntur; illi autem fortes cenſendi ſunt, qui illatas iniurias, quas nemo euadit, contemnunt.

168. IOB fortis ad verbera, contempſit obloquentium verba. vnde dixit illis qui contra eum
Pſalm. 63,4. *exacuerunt vt gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, vt*
Iob 6, 26. *ſagittent in occultis immaculatum: Ad increpandum tantùm eloquia concinna-*
Lyran. *tis, & in ventum verba profertis.* Lyranus putat, quòd arguat illorum vanitatem, qui verbis compoſitis & affectatis ſententijs potiùs ad oſtentationem quàm ad vtilitatem gloriabantur.
Gloſſa ordin. Gloſſa ordinaria ait: *In ventum verba proferre, eſt otioſa dicere.* Sed ad propoſitum noſtrum, illi verba proferuntur in ventum, qui non mouetur, cùm in eum conijcitur conuitium, quod ipſe vt contemptibile non admittit.
Simile. Honoratur ab impatientibus verbum detractorium, quod in cordis hoſpitio ſuſcipitur, & continua commemoratione tractatur; vilipenditur autem à patientibus, qui illud vt leue quid à ſe excludunt & ventis exponunt.

169. Vilitatem ſuam produnt impatientes, quos leuia verba deijciunt.
Eccli. 19,11. *A facie verbi parturit fatuus* (dicit Sapiens) *tamquam gemitus partus in-*
Simile. *fantis.* Si non pro toto, ſaltem pro tanto excuſabilis eſt mulier, quæ ex carnis voluptate allecta, ſe proſtituit & concepit intus, quod poſteà cum dolore parit foris. Sed quam veniam habet impatiens, qui contumeliæ & conuitio in corde & memoria ſua locum præbet, concipiens cum afflictione, quo intus continuè cruciatur; qui cùm per impatientiam vindictam parit, peccando necatur? Sapientis & patientis eſt imitari Iobum, quem nihil lędebant verba, qui dixit obloquentibus: *In* Iob 6, 26.
ventum verba profertis. id eſt, Non attendo, non recogito ea quæ dicitis. Quod enim ab aliquo vilipenditur, & traditur obliuioni, hoc ventis traditum dici ſolet.

170. Ex inani ſono fundæ vel baliſtæ viliora animalcula conſueuerunt *Similia.* terrore concuti; animoſus leo, qui ad nullius pauebit occurſum, dedignatur capitis inuerſione honorare quemcumque tumultum. Muliercularum eſt formidare propter exploſionem bombardæ, præſertim quæ ſine plumbea glande in vanum fumum reſoluitur. His ſtolidiores ſunt impatientes, quæ turbantur, palleſcunt præ iracundia, & præ turbatione tremunt ad inania hominum verba. Concedendum eſt auiculis & mulierculis, quas ſonus concutit bombardæ, ad lædendum & interficiendum deſtinatæ, cuius non ſolùm ſonus auditur, ſed etiam ſubinde ſaltem globulus plumbeus vi ignis emiſſus ſentitur. Sed quid ſunt verba maledicorum, niſi verba quæ concutiunt aërem, ſed numquam lædunt cutem? Non terrentur feroces equi, aut fortes leones, ſed apiculæ, ſonoræ peluis tinnitu. *Fugit impius, nemine* Prou. 28,1.
perſequente: iuſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit. Patientes dicunt cum Paulo: *Mihi autem pro* 1. Cor. 4,3.4.
minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die; qui autem iudicat me, Dominus eſt. Huius ſolius verba tamquam terribilia verbera timentur à patientibus; hic eſt enim de quo dicitur:
Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet im- Iſaiæ 11,4.
pium. & qui ait de ſeipſo: *Ecce ego fa-* 1. Reg. 3,11.
cio

cio verbum in Iſraël, quod qui audierit, tinnient ambæ aures eius.

171. Verba Dei, quibus ipſe percutit, timere, eſt fortitudinis & pietatis; verbis verò hominum ad impatientiam ſtimulari, magnæ ignauiæ argumentum eſt. Nam, vt benè ait Gregorius lib. 16. Moral. quem citat Nanus in Polyanthea, v. *Patientia: Qui à ſtatu patientiæ ante linguarum vulnera corruit, ipſe ſibi teſtis eſt, quòd contra manſueta percuſſionis gladios non perſiſteret.* Quis enim pro Rege ſuo hoſtē gladium contra ſe vibrantem feret, qui tibicinem tuba clangentem timet? qui impatiens eſt contra illū qui obloquendo verberat aërem, numquam tolerare poterit eum qui tangit gladio carnem? Philippus Macedo numeroſo exercitu inuadebat Peloponeſum, cuius milites Lacedæmonijs multa mala minabantur, niſi ſe illi dederent. Ad quos Dadimas, Quid, inquit, nobis terribile eſſe poterit, qui mortem non timemus? Econtrà dici poterit de impatientibus, Quid non formidabunt ignaui, qui verba in aërem miſſa non ferunt?

Gregor.

Simile.

Exemplum.

172. Ex his patet, quòd is qui non vult ſuccumbere tyranno interficienti, debeat fortiter tolerare opprobria & calumnias eius qui detrahit & maledicit. *Sed contra hoc ſuperbia dicit in corde* (inquit Gregorius Hom. 18. in Euangel.) *Turpe eſt vt accepta iniuria taceas. Quiſquis conſpicit quia contumeliam accipis, & taces, non putat quia patientiam exhibes, ſed crimina agnoſcis.* Imò ſi mouearis maledicentis conuitio, teſtaberis te eſſe vitioſum. Qui inter contagioſos conuerſatur, non inficitur facilè ex infecto aëre, niſi intus laboret corrupto ſanguine & vitiata corporis complexione. *Omnia ſana ſanis, & omnia munda mundis* (dicit Scriptura) *coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinata ſunt eorum mens & conſcientia.*

Greg.

Simile.

Tit. 1, 15.

173. Non pendet à natura ciborum, quòd ſapiant vel faſtidium pariant, ſed à comedentiū conditione: ita contumelia aut obliquium ſecundùm ſe non turbat eum eum contra quem dirigitur, ſed ſecundùm internam eius diſpoſitionem. Patet hoc clarè ex eo, quòd ſæpè idem de diuerſis dictum, non eodem modo omnes afficiet. vnus enim ridebit, & alter ſeipſum ira & indignatione conficiet. *Quemadmodum ſi corpus adamantinum haberemus* (inquit Chryſoſtomus Homil. 2. ad Populum Antioch.) *etſi innumeris telis vndique percuteremur, non tamen vulnera ſuſciperemus: non enim à manu tela torquente, ſed à corporibus patientibus vulnera fiunt. Sic & hîc non à contumeliantium inſania, ſed à patientium contumelias imbecillitate, iniuria & iniuriarum contumelia conſtituuntur.*

Simile.

Chryſoſtom.

Simile.

174. Domus ædificata ſuper arenam non cederet ventis, pluuiæ, & tempeſtati, niſi ipſa ex ſe defectuoſa eſſet propter inſtabilitatem fundamēti. Eodem modo nemo læderetur ab alio verbis & contumelijs, niſi ei ineſſet patientiæ defectus. Adamas enim malleis non frangitur, quia ab intrinſeco nihil habet vnde corrumpatur. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Si quis igitur per opprobria & maledicorum dicteria à ſtatu rectitudinis deficiat, ſignum eſt quod ante contumelias in charitate Dei non ſatis fundatus vel radicatus fuerit.

Simile.

Simile.

Rom. 8, 28.

175. Ille oſtendit quòd ſit à malitia omnino alienus, qui non mouetur aliorum maledictis. Surdo canitur, dum quis alicui peregrina lingua loquitur. Maledictum conuitium, &

Simile.

cetera

cetera linguæ illicita idiomata, ſunt patientibus filijs Dei peregrina, ergo non plus debent moueri, quàm ſi ſurdis

Simile. narraretur fabula. Reges dedignari ſolent aliorum regnorum linguas: quas ſi fortè coguntur audire, tamen non niſi in vernacula & regni ſui propria volunt reſpondere. Reges ſunt patientes, fortiores ijs qui vrbes expugnant, quia dominantur animo ſuo. Si quis maledicta in illos profert, agnoſcunt idioma eſſe inferni. Hinc fit, quòd vel omnino taceant, vel propria lingua, manſuetè ſcilicet, reſpondeant. Regem ſe oſtendit Paulus, & regiam grauitatem cum ſuis ſeruauit. vnde

1. Cor. 4,12. ait: *Maledicimur, & benedicimus; blaſphemamur, & obſecramus*, &c. De po-

Pſalm. 80,6. pulo Iſraëlitico dicitur: *Cùm exiret de terra Ægypti, linguam quam non nouerat audiuit*. Eodem modo pij & patientes oſtendunt ſe ignorare linguam maledicam aut contumelioſam. vnde fit quòd audiant Petrum monentem:

1. Pet. 3,9. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes: quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hereditate poſſideatis.*

Simile. 176. Ceterùm notandum, quòd aliquis nocens eſſe poſſit, quamuis non nocuerit: vt ſi quis cum vxore tamquam aliena copuletur, adulter erit, etſi ipſe nullius torum violauerit. Item venefici fuerũt, qui Ioanni Euangeliſtæ & S. Benedicto toxicum propinarunt, etſi mortiferum potum ſine vllo nocumento ſumpſerint. Etiam homicida fuit, qui glandem bombardicam contra S. Carolum Borromęum iaculatus eſt, quamuis virtus diuina impetũ illius fregerit. vnde etiam Saul homicidij reus fuit, non propter effectum ſecutum, ſed propter conatum interficiendi Dauidem, contra quem, ſedens in domo ſua, tenebat lanceam.

Niſuſque eſt Saul configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à 1. Reg. 19,10.
facie Saul: lancea autem caſſo vulnere perlata eſt in parietem, & Dauid fugit, & ſaluatus eſt nocte illa.

177. Ex his patet, quòd qui in calumnijs & conuitijs pios & fortes viros proſcindunt, nocentes cenſeri debeant, etſi abſque nocumento venenum aſpidum ex labijs ſuis profuderint, & caſſo vulnere contra Sanctos linguas ſuas tamquam gladios & lanceas vibrarint. Et viri illi, quos tolerantia armauit & fortes effecit, ſpecialiter patientes cenſendi ſunt, quamuis quodammodò nihil paſſi videantur. Nam etſi diſputetur à Theologis, & nominatim à S. Thoma 1. 2. q. 20. art. 5. an euentus ſequens aliquid addat de bonitate vel malitia ad exteriorem actum, vnde conſequenter quæri poſſet, an calumniator, ex eo quòd impegit in fortem & patientem, minùs ideò offenderit, quia nihil mali intulit ei, de quo intelligi poteſt illud Sapientis, quòd
non contriſtabit iuſtum quidquid ei ac- Prou. 12,21.
ciderit. Tamen non eſt dubium, quin meritis & virtuti patientiæ multùm accreſcat ex tolerantis inſenſibilitate, quam amor Dei in illo cauſauit. vnde fit quòd nihil patientes, patientiſſimi dici & cenſeri debeant; adeò quòd ſicut non excuſatur qui facit iniuriam, ex eo quòd is cui facta eſt, illam ferat patienter & lætanter; ita non minuitur, ſed augetur ſuſtinentis gloria, cuius charitatem aquæ multæ non extinguunt, ſed accendunt, & aduerſitates non acuunt, ſed potiùs hebetant & obtundunt ſenſum doloris.

178. Meritò omnes per patientiam ſe debent armare contra linguas magniloquas & maledicas: certum eſt enim, quòd nullus tam ſanctus, tam pius & prudens, & in opere ac ſermone

ne tam prouidus ſit & circumſpe-
ctus, cui flagellum linguæ non aliquando vibices infligere conentur.
Iob 5. 21. Promiſſum eſt apud Iobum: *A flagello linguæ abſconderis, & non timebis calamitatem cùm venerit*; non quòd non tanget, ſed quòd fortem & patientem virum mœrore non afficiet.
Gloſſa ordin. *Ab hoc flagello*, inquit Gloſſa ordinaria, *ſanctus abſconditur, quia dum hic laudem non quærit, nec contumelias ſentit.*

179. Verè poteſt flagellum linguæ vocari inundantius flagellum, & generalius diluuium, quàm illud quod tempore Noë omni animanti vitam
Gen. 7, 19. abſtulit, per quod *aqua præualuerunt quidem ſuper terram, opertiſque ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cælo.* Nam linguæ flagellum eſt diluuium, quod non ſolùm cooperit omnes mōtes, ſed pertingens vſque ad cælum, ipſum cæli rectorem & dominatorem
Pſalm. 72, 9. Vniuerſi inuadere præſumpſit. *Poſuerunt in cælum os ſuum*, dicit Dauid, *& lingua eorum tranſiuit in terra.* O
Pſalm. 77, 19. intolerabilem linguæ inſaniam! *Malè locuti ſunt de Deo.* vnde benè dixit
Orig. Origenes Hom. 2. in Pſal. 37. *Impoſſibile eſt*, inquit, *homini in hac vita poſito, omnibus ſatisfacere, & ab omnibus laudari. Deus ipſe odio habetur, & maledicitur à multis, dicente Propheta: Nónne qui oderunt te Domine, oderam? Multi ac innumeri eius detrahunt honori. Chriſtus Ieſus vſque in hodiernum diem à multis adhuc iudicatur ſeductor, & anathema ei dicitur à Iudæis & Gentilibus, & tu exiſtimas te poſſe ab omnibus diligi, amari & benedici?*

180. Ex his concludi poteſt, quòd maledicos fugere, non tamen effugere poſſimus; ac proinde non eſſe verum
Coren. vniuerſaliter, quod Corenus noſter in ſuo perutili Opuſculo, cui titulum præfixit & nomen dedit, *Clypeus patientiæ*, lib. 2. cap. 2. dixit, nimirum ſi inter Pythagoræ diſcipulos ſilentium durante quinquennio profitentes tātummodò verſaremur, aut etiam inter illos homines qui lingua carent, vt docet Solinus c. 32. & Plin. l. 7. c. 2. quorum Solinus. Plinius.
etiam meminit Auguſtinus lib. 26. de Ciuitate Dei cap. 8. non eſſent timenda hominum de nobis eloquia; nullus Auguſt.
nos conuitijs inſectaretur (verba ſunt ipſius Coreni) nulliſque maledictis impeterent. Quaſi verum nunc fieri non poſſet, quod Dauid ab hominibus ſui æui factum eſſe teſtatur, qui *poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua illorum tranſiuit in terra.* Pſalm. 72, 9.

181. Fruſtrà igitur promittit Corenus degentibus inter Pythagoræ diſcipulos ſtrictiſſimi ſilentij obſeruatores, aut inter nationes linguis carentes ſecuritatem. Si enim quorumdam Simile.
linguæ malè loquuntur de Deo, vbinam angulus erit in tota terra, quem, cùm voluerint, non pertranſibunt? Sicut Sol omnia penetrat, *nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius*, quo mollia in- Pſalm. 18, 7.
durat, aut indurata emollit: dealbat regiones ad meſſem, ſecundùm illud: *Videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem*, & in nigredinem vertit candi- Ioan. 4, 35.
dam hominis pellem, adeò vt ſponſa dicat: *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.* Ita nullus Cant. 1, 5.
eſt, qui inquietum malum linguæ euadere poſſit, quin pro detractoris & maledici arbitrio denigrari & calumnijs ac conuitijs proſcindi poſſit.

182. Aliorum peccatorum infectionem euaſerunt, qui ex hoc mundo vocati, manſionem in cælo conſecuti ſunt. Omnimodam euitationem fornicariorum & auarorum, &c. huius mundi impoſſibilem quidem indicat Paulus, quamdiu nobis in eo verſan-

dum eſt. Innuit tamen, eos qui de hoc ſæculo nequam aſſumpti ſunt, ab huiuſmodi peccatorum impugnatione immunes eſſe, dum ait: *Scripſi vobis in epiſtola, ne commiſceamini fornicarijs. Non vtique fornicarijs huius mundi, &c. Alioquin debueratis de hoc mũdo exiſſe.* Verum linguæ malum illos etiam tangit, non tamen affligit, quos futurum ſæculum, imò Beatorũ conſortium ſuſcepit. Quotidie ab impijs conijciuntur conuitia in eos qui cum Chriſto regnant in cælo, qui quamuis altiſſimum poſuerint refugium ſuum, adeò vt nullum malum ad eos accedat, tamen, quantum eſt in ſe, adhuc flagellum linguæ eorum tabernaculo appropinquat. Non miremur igitur, dum adhuc in terra degentes maledictis & calumnijs impetimur. Audiamus Chriſtum dicentem: *Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt; quantò magis domeſticos eius?* Memores ſimus & mirabilis patientiæ Chriſti, quam oſtendit in illa diſceptatione cum Iudæis, cui lapidum ſublatio vt iacerent in eum, finem impoſuit, dum ei dicerent: *Nónne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Hæc enim pertulit non tantùm nobis ad meritum, ſed etiam ad patientiæ exemplum, &c. Amen.

1.Cor. 5,9.10.
Matth. 10,25.
Ioan. 8,48.

DISCVRSVS XIII.

Patientes ſicut Chriſto & matri eius venerabiles, ita diabolo & ijs qui ſtant à parte eius, terribiles eſſe conſtat.

Pſalm. 115,15.

183. PRETIOSA *in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*, præſertim Martyrum, propter eorum patientiam. Qui alteri aſſurgit, indicat quòd ei honorem velit exhibere. Patienti Stephano aſſurrexit Chriſtus Filius Dei, ergo indicauit illum dignum omni reuerentia & honore. Marcus tribuit illi pro ſua dignitate conſeſſum, & quidem claudentem dexteram Dei Patris, dicens: *Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei:* quia *dixit Dominus Domino meo,* (ait Vates) *ſede à dextris meis.* Poſſet alicui hîc oriri ſcrupulus, cùm Filius Patre non ſit maior, cui ad dexteram illius ei conſeſſus tribuatur. *Seſſionem iſtam non ita accipiamus* (inquit Auguſtinus in Symbolo) *quaſi ſit in humanis membris poſitus, tamquam Pater ſedeat in ſiniſtra, & Filius ſedeat à dextris; ſed ipſam dexteram intelligamus poteſtatem, quam accepit ille homo à Deo, vt veniat iudicaturus, qui venit iudicandus.* Item dextera, in qua Chriſtus ſedere dicitur, ſignificat ſupremam dignitatem & felicitatem (dicit noſter Angelus del Paz lib. 16. in Marc. cap. 20.) quæ rationali creaturæ poteſt cõmunicari. Ianſenius c. 150. ſuæ Concordiæ exiſtimat per hæc Marci verba ſignificari, Chriſtum æqualis cum Patre honoris, gloriæ & potentiæ, vtique ſecundùm diuinitatem, ad ſummam dignitatem euectum eſſe ſecundùm humanitatem.

Marc. 16,19.
Pſalm. 109,1.
Auguſt.
Angel. del Paz.
Ianſen.

184. Non deſunt, qui etiam hoc tempore, cùm audiunt Chriſto conceſſum eſſe vt ſedeat à dextris Dei Patris, ſollicitè inquirunt, quomodo hoc debeat intelligi. Mouit hunc ſcrupulum Antonius Nebriſſenſis in libello Annotationum in 50. Scripturæ ſacræ loca, eò quòd vſitatiſſima videatur conſuetudo, vt qui ſedet ſiue incedit ad dexteram alicuius, obtineat locum priorem, & Chriſtus ſaltem vt homo cedere debeat Patri primam & præcipuam ſedem. Itaque accuratè hæc ſecum perpendens, oſtendit anti-

quitus

quitus alium fuiſſe ordinem, nempe vt qui ſederet ad ſiniſtram, potior fuerit eo qui ad dexteram. Pro quo nota, quòd olim, qui potentiores affectabantur, ſiue in apparatu militari armati, ſiue togati tamquam miniſtri pacis, laterones vocabantur, & latus eius tegere dicebantur, in cuius comitatu aut incedebant, aut conſortio ſedebant. Latus etiam illius nudum & intectum cenſebatur, qui nullum ſecum habebat aſſeſſorem in conclaui, aut comitem in via. Is verò qui alium comitatu honorabat, aut etiam protegebat, dicebatur exterior, cui verò comitatus præſtabatur, interior ire. Probat hoc idem Antonius Nebriſſenſis ex Ouidio lib. 5. Faſtorum, qui loquens de ſene cui præcedentia debetur à iunioribus, ait:

Ouid. *Et medius iuuenum, non dedignantibus ipſis,*
Ibat vt interior, ſi comes vnus erat.

Quòd autem is qui interior dicebatur, ad ſiniſtram eſſet alterius, & exterior ad dexteram, inter alios etiam probat ex Virgilio. 5. Æneidos:

Virgil. *Radit iter læuum interior.*———

Hinc factum putat quòd in Pontificum Bullis Paulus ſemper ſit Petro à dextris, non quòd Petro ſit maior, ſed quòd eidem in Eccleſię negotijs ſignificetur aſſeſſor & adiutor.

185. Itaque iuxta hanc antiquam conſuetudinē reſponderi poteſt, quòd Pater tamquam ſedens in throno maieſtatis ſuæ, permittens vt Filius ſedeat ad dexteram eius, concedat illi primum locum, ſed poſt illum. Eodem hoc ſenſu Salomon ſedens ſuper thronum ſuum, iuſſit matri thronum poni ad dexteram ſuam, 3. Regum 2. quam poſt ſe præ omnibus alijs regni ſui Magnatibus hac cærimonia honorandam eſſe publicabat. Fecit ille ſicut in cælo fieri cognouit, ſecundùm id quod à pio ſuo parente ſcriptum eſt. *Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Pſalm. 41, 10. non quòd filius prioremlocum concedat matri, iam publicè & perpetuo magiſtratu fungens, ſed quòd eam omnibus alijs à ſe præferat. Eodem modo dum Filius dicitur ſedere ad dexteram Patris, nō ſignificatur per hoc quòd debeat aut velit haberi abſolutè primus, ſed quòd poſt Patrem dignitate, gloria & auctoritate nemini ſit ſecundus. Vnde benè docet Suarez Tom. 2. p. 3. q. 58. a. 1. quòd dextera Dei per antonomaſiam ſignificet eminentem participationem diuinæ beatitudinis præ ceteris alijs creaturis, cum quadam dominatiua poteſtate. Et ita proprium eſt Chriſto ſedere ad dexterā Patris, ſecūdùm illud Hebræorum: *Cui Angelorū dixit aliquando, Sede à dextris meis?* Hebr. 1, 13.

186. Ex his patet, in quanto pretio ſint apud Deum, qui fortiter pro amore illius patiuntur. Nam Chriſtus, qui per patientiam ſupremam in cælo dignitatem obtinuit, ſedens ad dexteram Patris, Stephano fortiter & animosè patienti aſſurrexit. *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei*. Act. 7, 55. Aſſurgere alicui, eſt eidem honorem exhibere. Patet hoc clariſſimè ex verbis Leuitici, quibus iunior iubetur reuerentiam exhibere ei, quem ætas confecit, & canities venerabilem reddidit. *Coram cano capite*, inquit Lex, *conſurge, & honora perſonam ſenis.* Leuit. 19, 32. vnde Rachel ſe excuſans, dixit patri idola ſua ſcrutanti: *Ne iraſcatur dominus meus quòd coram te aſſurgere nequeo.* Gen. 31, 35. Seminarium odij, quod Aman concepit contra Mardochæum, inde ortum eſt, quòd putabat ſe ab illo contemni, eò quòd tranſeunti non aſſurgeret. *Cumque vidiſſet Mardochæum ſedentem* (dicit Scriptura) Eſther 5, 9.

ptura) *ante fores palatij, & non ſolùm non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motum quidem de loco ſeſſionis ſuæ, indignatus eſt valde*. Hinc Iob referens gloriam ſuam Iob 19, 8. qua fulgere ſolebat, ait: *Videbant me iuuenes, & abſcondebantur; & ſenes aſſurgentes ſtabant*. Vt igitur omnibus conſtet, in quanta æſtimatione ſint apud Deum, qui pro illius amore fortiter patiuntur, Chriſtus, qui ad dexteram Dei ſedebat, Stephano patienti non ſolùm cælos aperuit, ſed etiam aſſurrexit.

187. Nec mirum hoc videri debet, quaſi aſſurgendo Martyri nimis ſe humiliaret, cùm certum ſit, à Deo fore honorandos omnes, qui piè viuendo in Chriſto tribulationem patiuntur, qui ſine flãma & ferro Martyres ſunt, dum patientiam in animo veraciter cuſtodiunt: nam quamuis in pace Eccleſiæ viuant, tamen palmam martyrij non Greg. amittunt, vt docet Gregorius Hom. 7. & 17. ſuper Ezechiel. Imò non requiritur martyrium de facto, quod non eſt in noſtra poteſtate, ſed Deus honorem decernit omnibus qui Chriſto miniſtrant cum efficace voluntate. vnde Ioan. 12, 26. Chriſtus ait: *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus*. Præterea Filius Dei miniſtrabit in cælo Lucæ 12, 37. recumbenti, iuxta illud: *Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*. Quid mirum quòd aſſurgat Stephano patienti, & in morte pro illo agonizanti?

188. Cùm igitur patientes ſunt in magna æſtimatione apud Deum, certum eſt, quòd etiam Sanctos, qui in omnibus ſe conformant diuinæ voluntati & iudicio, eo honore dignos arbitretur. Hinc factum eſt, quòd & B. Virgo Maria illos ſæpè ſuo patrocinio & conſolatione dignata ſit. Mirabile refert exemplum hac de re P. Wadingus VVadingus. in Annalibus Minorum ad annum 1222. nu. 41. de quodam iuuene Religioſo Ordinis noſtri, cui Guardianus multis ineptijs moleſtus, magnam patientiæ materiam præbebat. Hic ad indiſcretum eius præceptum Exemplum. cogebatur tamdiu orare coram imagine B. Virginis, donec ipſa reuelante intelligeret, quænam ſibi eſſet inter omnes orationes aut metricas preces Eccleſiaſticas gratiſſima. Reſpiciens igitur humillima Virgo patientiam & humilitatem deuoti ſui, dignanter reſpondit: *Illa quæ incipit, O glorioſa Domina, excelſa ſuper ſidera*, &c. Hæſitanti verò iuuenculo necdum pacato ac ſecuro, ac proinde replicanti, quòd timeret Guardianum non crediturum reſponſum ferenti, reuelationem miraculo pro conſolatione manſueti adoleſcentis conteſtatam fecit: nam infantulum Ieſum, quem eò vſque læuâ geſtauerat, in dexteram tranſtulit, dicens: Abi fili confidenter, & inuita rigoroſum illum tuum Guardianum cum ceteris ſubditis ſibi commiſſis, vt videant. Viderunt, & crediderunt, ad maiorem Dei & Virginis Mariæ honorem & reuerentiam patientiſſimi nouitij. In huius rei memoriam quoquo totius anni Sabbato, pulſata maiori campana conuocato populo, Fratres Conuentus Alanquerij (hoc eſt enim nomen oppidi in quo hæc res geſta eſt) poſt cœnam, accenſis luminaribus, cum magna deuotione prædictum Hymnum perſonant. Fortè ab hoc euentu ſumpſit occaſionem huius noſtræ Prouinciæ Germaniæ inferioris laudabilis conſuetudo, qua Fratres à cœna bini & bini ad chorum procedentes, ſemper poſt Canticum *Magnificat*, non ſabbatinis modò diebus hunc Hymnum, *O glorioſa*

rioſa Domina, &c. Virgini decantant.

189. Ceterùm ſicut illi, qui virtute patientiæ pollent, Deo & Sanctis venerabiles, ita diabolo, & impijs qui ſtant à parte eius, terribiles ſunt. Refert Ioannes Maior v. Humilitas, Exemplo 8. de quodam ſimplici eremicola, cui puella à dæmone miſerè vexata, violenta manu alapam impegit; qui quòd magna patientia eidem præberet alteram maxillam, dæmon coactus cœpit clamare, *Violentia mandatorum Ieſu Chriſti expellit me hinc*; & ſtatim liberata eſt puella.

Ioannes Maior.

190. Cùm igitur diabolus patientiæ cedat, non debet mirum videri, ſi per illam ſatellites eius aliquando confundantur. vnde benè dicit Gregorius in Epiſt. ad Hebræos: *Nihil ita confuſionem facit ingerenti mala, ſicut fortis tolerantia patientis.* Pratum ſpirituale c. 211. narrat huius rei notabilem euentum de quodam ſene anonymo, ad quem cùm veniſſent latrones, dicerentque, *Ecce omnia tua venimus tollere*, ipſe nec verbo nec facto ſe illorum violentiæ oppoſuit, ſed omnium rerum ſuarum rapinam patientiſſimè ferens, recedentes inſequitur, & marſupium ab illis relictum conferens, inclamat: *Accipite etiam illud, quod tollere obliti eſtis.* Redeunt hac patientia victi, & ablata reſtituunt. His armis etiam Gregorius Papa vſus eſt, quem ne ſumma quidem dignitas ad impatientiæ iniuriam compulit. Mauritio enim Auguſto filijſque eius ſe perſequentibus dicebat: *Quoniam ego peccator ſum, vos tanto magis (vt opinor) Deum vobis conciliatis, quanto magis me illi ignauiter ſeruientem affligitis.* Sic tandem quem armis non potuit, patientiâ ſuperauit.

Greg.

In Vita Greg. l.4.c.17

191. Meritò timent inhumani oppreſſores eorum, qui patienter tolerant incommoda ſibi illata, quòd iram Dei & Sanctorum indignationem incurrent, ſi afflictorum patientia eos nec flectit nec emollit: qui quàm magni ab ipſis fiant, & quàm intimè illos tangat eorum cauſa, clarè docet Euangelica illa parabola de homine Rege, *qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis:* in qua refertur, quomodo conſerui zelauerint, & dominus vltus ſit oppreſſionem eius qui miſſus fuit in carcerem, nec inducias obtinere potuit ab eo cui dominus totum debitum dimiſit. *Videntes conſerui, contriſtati ſunt valdè* (dicit Euangeliſta) *& venerunt, & narrauerunt domino omnia quæ facta fuerant.* Ex his patet, quòd patientes in magna æſtimatione ſint, nam pro illis Sancti delatores fiunt, & querelas deponunt apud Deum, qui concuſſionem paruulis & manſuetis non aliter quàm iniuriam ſibi illatam vindicat: pro quibus ſedet ad dexteram Patris, iudex futurus opprimentium, & oppreſſorum patronus. Vnde ſaltem tunc manſueti terribiles erunt ijs, qui in hoc mundo per crudelitatem illorum exercuerunt patientiam, quando nimirum *ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili*, &c. Beati proinde, qui in patientia poſſident animas ſuas, tunc enim verificabitur in illis promiſſio illa facta ab Apoſtolo Iacobo, *Beatus vir qui ſuffert tentationem; quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, &c. Amen.

Matth. 18, 23.

ꝟ. 31.

Sap. 5. 1. 2.

DISCVRSVS XIV.

Aequo animo ferenda ſunt malorum hominum obloquia, quibus boni magis in patientia fundati, ſecuriùs animas ſuas poßident.

192. QVANDOQVIDEM canitur in feſto Dedicationis alicuius Eccleſiæ, quòd *tunſionibus, preſſuris expoliti lapides, ſuis coaptantur locis per manus artificis*, certum eſt, maleuolorũ perſecutiones & oblocutiones electis proficuas eſſe. Si petra ſub lapicidæ manu cõſtituta, à ruditate ſua ſe ſinit expurgari, tandẽ tota expolita, locum obtinet in fabrica Regia vel Pontificia. Si autem mallei impatiens frangitur, in plateis calcantium nonſolùm hominum, ſed etiam beſtiarum plantis ſubſternitur. Eodem modo qui patiens eſt, in cælo collocatus honorabitur; qui verò frangitur, reſtat vt poſt hanc vitam à diabolo conculcetur.

In Officio Breuiar.

Simile.

193. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, in qua multæ ærumnæ & moleſtiæ tolerandæ occurrunt: inter quas omnes, qui gloriam militarem ambiunt, erecto & infracto animo conſiſtere debent. Cùm olim nuntius ad Dauidem à Ioab miſſus, ſiniſtrum belli ſucceſſum narraſſet, dixit Dauid: *Hæc dices Ioab: Non te frangat iſta res: varius enim eſt euentus belli; nunc hunc nunc illum conſumit gladius.* Ad omnes ſiniſtros caſus, quibus affligimur, putemus nobis dici: *Non te frangat iſta res*, ne tamquam lapis fractus & reprobatus, proijciaris in conculcationem. Conſerua igitur integritatem, vt decenter politus palatio cæleſti aſtrui aptus & dignus fias.

Iob 7, 1.

2. Reg. 11, 25.

Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim,

Sæpè tulit laſſis ſuccus amarus opem,

inquit Poëta ille.

Ouid.

194. Bonitatis eſt diuinæ, ex malis bona elicere. *Faber argentarius*, dicit S. Franciſcus in quodam Sermone, qui extat agud Wadingum in Appendice Opuſculorum, *ex metallo quod accipit, ſcyphum aut vaſculum conficit. Nec enim ex maſſa plumbea calicem aureum aut argenteum conflabit. Solus Deus ex laboribus requiem elicit, & ex tormentis gaudium eruit ſempiternum. Diligentes humiles & patientes decet eſſe ſeruos Dei, qui à Domino ſuo incomparabilem expectant mercedem.* Putares illum tibi profuturum, qui te lapidibus impeteret, ſi adeſſet Alchimiſta, qui eos colligens in aurum conuerteret, quo diues euaderes, imò regna & principatus tibi compárares. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, cui non eſt difficile, vt opprobria in te iactata, tibi cedant ad gloriam, & vt inde ſolideris & erigaris, vnde hoſtis tibi ruinam parare volebat.

Simile. S. Franciſcus.

Simile.

Matth. 3, 9.

195. Franciſcus I. Rex Franciæ, ex rationabili fortè neceſſitate noua aliqua exactione populo cogebatur moleſtus eſſe: qui nouum illud onus non ferens, amariſſima libertate Regem ſuum obloquijs & dicterijs denigrare, & omnibus (quantum erat in ſe) odioſum reddere conabatur, de quo, tamquam reus criminis læſæ Maieſtatis, à quodam apud Regem accuſatus eſt: qui plebeculæ leuitatem fortiter diſſimulans, murmur eius cum riſu excepit, dicens: Dicant, & pro auro & argento quod mihi offerunt, habeant ſaltem facultatem, vt animum verbis aërem verberando oblectent. Rem neceſſariam nobis procurant perſecutores & detractores, patientiam ſcilicet, ſine qua nec regnum Dei obtinere, nec

ius

Hebr. 10,35. ius ad illud obtinendum conſeruare poſſumus. *Nolite itaque amittere confidentiam veſtrã* (dicit Paulus) *quæ magnam habet remunerationem.* ℣. 36. *Patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.*

196. Aduerſarij contribuunt nobis media, ſine quibus animam noſtram illæſam ſeruare non poſſumus: non igitur nimiùm turbent nos eorum obloquia. Rom. 5,3. *Gloriamur in tribulationibus,* inquit Paulus, *ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur.* Non quòd tribulatio & afflictio ſit cauſa effectiua patientiæ, dicit Adamus noſter, ſed quia occaſio eſt & materia patientiæ. Quo ſenſu dicimus, quòd tortores Martyribus, & moroſi & importuni homines manſuetis & modeſtis in cælo coronam fabricant. (Adam. Simile.)

197. Patientia autem eſt præcipuum medium, quo animam noſtram, & per conſequens regnum cælorum, nobis ſecurum reddamus. Simile. Vitrea vaſa & alia fragilia ſupellectilia molli lanæ imponi debent, dum de loco in locum magna cum agitatione & concuſſione vehiculo impoſita deducuntur; alioquin confractioni expoſita, nullo modo integra deuenient ad locum deſtinatum. In hoc mundo multis miſerijs & aduerſitatibus concutimur & agitamur: niſi igitur anima in molli patientia conſeruetur, confringi eam neceſſe eſt, antequam ad cælum pertingens Deo, qui dedit illam, præſentetur. Benè igitur monuit Sapiens: Eccli. 10,31. *Fili, in manſuetudine ſerua animam tuam, & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum.* Paulus à Palacio. Exponit Paulus à Palacio hæc verba in hunc modum: Serua te, fili, tranquillũ & imperturbatum. Cùm enim anima tua excelſior ſit rebus alijs, indignum eſt te ab eis turbari aut pollui cum detrimento eius.

198. Vult Sapiens, vt animam honoremus. honor autem qui ei debetur, in hoc conſiſtit, vt illam tamquam Simile. Reginam in regio loco collocemus. In aula autem Regis (ſaltem in ea parte, in qua eis tenet ſuam reſidentiam) nullus tumultus, nullus ſtrepitus admittitur. Eodem modo in pace & tranquillitate ſeruare debet animam, qui eam, vt oportet, vult honorare. Honoratur prætereà, quando ſolliciti ſumus, ne nimia agitatione & concuſſione frangatur, & ideò non inter duros & aſperos lapides, ſed in patientia tamquam in molli lana collocatam illam cuſtodimus. Honoramus enim hoſpitem, cui puluinar ſubijcimus, vt commodiùs ſedeat & conquieſcat. Tamquam hoſpes in aliena domo eſt Simile. anima, quamdiu in corpore, quod corrumpitur, commoratur: quæ tunc honore afficitur, dum per patientiam quieſcit, & quaſi in puluino ex lanugine compacto collocatur. Simile. Honorat vir mulierem, ſuauiùs illam tractans, vt patet ex illa Petri admonitione: 1. Pet. 3,7. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem.* Mauult enim mulier ex amoris indicio, dilecta, amaſia, chara, quàm domina à marito appellari. Pluris facit vnam beneuolentiæ ſignificationem, quàm centum atteſtationes reuerentiæ. Non dubitat, ſi viro fuerit amabilis, quòd facilè venerabilis erit. Eodem modo qui animam per patientiam ſuauiter tractantes honorant, eam etiam vt oportet amant.

199. Aſſignat nobis Chriſtus cuſtodiam & capſulam, cui anima incluſa illæſa ſeruari poteſt, prædicens Apoſtolis ſuis futuras & imminentes illis perſecutiones. Lucæ 21,17. 18. *Eritis odio omnibus propter nomen meum, & capillus de capite veſtro*

v.19. *veſtro non peribit. In patientia veſtra*
Gregor. *poſſidebitis animas veſtras.* Vnde Gregorius ait: *Dum nobiſipſis dominari diſcimus, hoc ipſo incipimus poſſidere quod ſumus.* Impatiens enim ſeipſum
Iob 18, 4. perdit. *Quid perdis animam tuam,* inquit Iob, *in furore tuo?*

200. Cùm igitur aduerſarij & calumniatores occaſio ſunt, qua patientiam nobis acquirimus, per quam & animæ poſſeſſione & cæleſtis gloriæ ſecura expectatione gaudemus, meritò obloquia & murmurationes, quæ contra nos iactantur parui fieri, & quodammodo cum riſu à nobis excipi debent. Non perſequebatur Auguſtinus odio malignos & oculatos ſuorum obſeruatores, qui dum in vnius oculo deprehendebant feſtucam parui delicti, reliquos viros probos omnes accuſabant, tamquam ſceleris alicuius participes. *Ad quid aliud ſedent iſti* (in-
Auguſt. quit Epiſtola ad Hipponenſes) *& quid aliud tractant, niſi vt cùm monachus vel ſanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari.* Sciebat enim hoc medio eos ad patientiam exerceri, & in humilitate ſecuriùs conſeruari. Non deſunt hoc tempore, qui non tam ſedere quàm in ſpeculam conſcendiſſe videntur, vt circumuagis oculis omnes omnium profeſſionum familias & ſingulos earumdem domeſticos perluſtrent. Qui vtinam, ſicut diligenti ſcrutinio vnam fortè ſanctimonialem, Ordinis & monaſtici rigoris pertæſam, aliquando deprehendunt, ita reliquas omnes pernicioſo iudicio non dico credant ſolùm (ſicut illi de quibus Auguſtinus) ſed expreſſa calumnia apud omnes ſimiles eſſe non traducant.

201. Sicut hæc detractio & calumnia peruerſorum eſt, ita patientia per illam occaſionata, non niſi Sanctorum eſſe conſtat. Qui cùm per eamdem proficiunt, non debet mirum videri, ſi in ſinu ridentes, in ſilentio & ſpe illam fortiter ferunt, *non reddentes ma-* 1. Pet.
lum pro malo, nec maledictum pro ma- 3, 9.
ledicto, ſed è contrario benedicentes, &c.
Fabri murarij, dum reſtaurationi do- *Simile.*
mus alicuius inſtant, ſine dubio calce, ſablone, lapidumque fragmentis eam conſperſam & commaculatam relinquunt. Multum autem abeſt, vt paterfamilias illis indignetur, quin potiùs mercedem laboris eis reddi decernat. Ita Sanctus, cui continua reſtauratione opus eſt, quæ per patientiam fieri debet, calumniatori, qui illam exercet, ſe debitorem agnoſcit. Parum enim ad illum attinet, quòd ſuperficialiter ab eo ſordidetur, multùm autem referre arbitratur, quòd per patientiam, ſi quid fortè in eo per negligentiam collapſum erat, reſtauretur.

202. Habuit huius rei notitiam Li- *Exemplum.*
duina virgo magnæ ſanctitatis, de qua Surius refert, quòd ad illam venerit aliquando mulier quædam, fremens & furens, ſuprà quàm credi poſſet eam iniurijs & contumelijs proſcindens, vt ad indignationem eam commoueret; ſed cùm hac ratione fruſtrà laboraret, in faciem ingenuæ virginis fœdiſſimè expuerit, at verò nec ſic patiētiam eius expugnare potuerit. Cœpiſſe igitur clamoribus & maledictis (quaſi vim ab ea paſſa eſſet) totam concitare viciniam. Verùm ſanctam virginem tam firmâ patiētiâ poſſediſſe animam ſuam, vt mirarentur omnes: vt autem maledictum beneficio compenſaret, clàm ei munuſculum tranſmiſiſſe, dicendo: *Illis ego debere me fateor, qui* Surius.
viam mandatorum Dei, quorum plenitudo eſt dilectio, me currere compellunt. A Christo didicit virgo maledicam mulierē beneficio afficere, qui blaſphemantes

Lucæ 11,15. mantes & dicentes, *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia*, miſericorditer conuicit erroris, & magna manſuetudine edocuit veritatem, vt quos paſſio decipiebat, & in infernum præcipitabat, veritas reuocare & ſaluare poſſet, &c. Amen.

DISCVRSVS XV.

In corporis infirmitate fortes eſſe debemus per patientiam, quam Deus permittit, vt illius occaſione ægrotantis ſaluti meliùs prouideri poſſit.

Regula S. Franciſci. 203. MONVIT S. Franciſcus ſuos, quòd *ſuper omnia deſiderare debent habere ſpiritum Domini, & ſanctam eius operationem, orare ſemper ad Deum puro corde, & habere humilitatem & patientiam in perſecutione & in infirmitate.* Sic ille c. 10. Regulæ. ex quibus vltimis verbis apparet, quòd non tantùm oppreſſi ab hominibus, ſed etiam viſitati ab ipſo Deo per infirmitates, monendi ſint ad patientiam. Sunt enim aliqui homines, qui non reſpiciunt à cuius manu veniat telum quod eos configit & affligit, ſed indifferenter ad impatientiam propenſi ſunt, ſiue à Deo qui percutit vt ſanet, & mortificat vt viuificet; ac proinde nihil niſi cogitationes pacis cogitat, ſiue à ſcelerato homine qui ſolum malum afflicti intendit, vt tribulatione & dolore afficiatur. *Simile.* Chirurgo ſecanti & vrenti debitorem ſe agnoſcit vulneratus, & ſolùm contra ſicarium ſtomachatur, qui percutiens, læſionem vel etiam interfectioné eius intendebat. Deum igitur non vt interemptorem, ſed vt chirurgum, qui ſecat corpus vt ſolidet animã, reſpicere debemus cùm in morbos incidimus.

204. Summæ eſſet miſericordiæ, & ſpecialis amoris, ſi Medicus permitteret dilectam infirmari vt poſſet eam viſitare, & hac occaſione nuptias illi offerre, quas pauper & abiecta infirma, ne quidem per cogitationem præſumere aut ſibi promittere auſa fuiſſet. Ambit Deus nobiſcum notitiam & familiaritatem (nam *deliciæ meæ*, inquit, *eſſe cum filijs hominum*) quærit etiam occaſiones vt liberum habeat acceſſum: permittit igitur vt infirmetur dilecta, & ſic obtinet iuſtum titulum viſitandi. Sunt inuentiones amoris, & indicat ſe cogitare cogitationes pacis, & non afflictionis. Nouerunt Sancti, & mirantur tenerum eius affectum, & cum ſtupore exclamant, dicentes: *Quid eſt homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? viſitas eum diluculo*, &c. Prouer. 8,31. *Simile.* Iob 7, 17.18.

205. Percutit igitur Deus per infirmitaté, vt perfectè poſſet ſanare, & vt infirmus petat & obtineat peccatorum ſuorum veniam, & vita viuat, & non moriatur. Contingit aliquãdo in duellis ab Eccleſia damnatis, & meritò à Regibus & Principibus omni conatu poſſibili eliminandis, vt quis antagoniſtam deijciat in terram, cui minatur præſentem mortem, ſtricto gladio cordi appoſito, niſi ſe humiliet, & veniam ſuæ præſumptionis ac vitam ſibi donari petat. Qui videns ſe tam certo mortis diſcrimini expoſitum; facit de neceſſitate virtutem, & ei iam proſtratus fit ſupplex, contra quem armatus aduenerat. Eodem modo fit ſæpenumerò cum ceruicoſis peccatoribus. vnde Dauid ait: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorũ, poſteà accelerauerunt.* Nam, vt dicit Iſaias, *quoniam manè diluculo pertranſibit in die & nocte, & tantummodò ſola vexatio dabit intellectum auditui.* Inſpirat Deus inceſſanter, vt pecca- *Simile.* Pſalm. 15,4. Iſa.28, 19.

peccatores ad meliorem redeant mentem, ſed quia fruſtrà laborat effundens ſermonem internum, cui non eſt auditus, adhibet vexationem & infirmitatem. Deijcit filiam Babylonis, quæ incedebat faſtuosè & erecto collo: in lectum proſternit vanum peccatorem, qui dicere ſolebat in corde ſuo: *Peccaui, & quid mihi accidit triſte?* qui ſic proſtratus in duello, tandem ait cum Dauide: *Tuus ſum ego, ſaluum me fac.*

Eccli. 5,4.

Pſalm. 118,94.

206. Certum eſt igitur, quòd Deus, dum infirmamur, cogitet cogitationes pacis. Ideò æquum eſt & iuſtum, vt languores & infirmitates patienter toleremus. quando vult indicare quàm longè abſit ſua dulcedo & manſuetudo ab omni duritia & crudelitate, promittens miſericordiam, ſolet allegare mirabilem rationem, dicens: *Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar vt diſperdam Ephraim. Quoniam Deus ego ſum, & non homo.* Meritò nos conſolatur hoc verbum, ne putemus infirmitates à Deo nobis immiſſas, eſſe comminationes præambulas futuræ mortis, & non potiùs ſignificationes ab illo miſericorditer miſſas metuentibus ſe, vt fugiant à facie arcus. Non eſt Deus crudelibus hominibus ſimilis, qui vulnerato & ægrotanti aliquando non parcunt.

Oſee 11,9.

207. Vt enim ſit *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*, præmittit infirmitatem, per quam præmonet peccatorem, ne ſit improuiſa, ſicut non eſt ſubitanea. Obſtinatorum autem *mors peccatorum peſſima*, per culpam illorum, quia ſine pœnitentia indignos ſe efficiunt venia. Similes ſunt peccatores, qui tempore mortis non reſipiſcunt, faſtuoſo cuidam gladiatori, de quo refertur, quòd poſt longam dimicationem acceptis multis plagis, viribus & ſanguine deſtitutus, in terram concidit, cui victor, moderatè victoria vtens, benignè obtulit vitam (vt eſt ingenuorum facilitas & conditio) ſi illam humiliter ab eo non dedignaretur poſtulare. At ille maluit (ô rem horrendam!) interfici, quàm vitam victori acceptam habere. Vnde, petulanter illum ad iracundiam prouocans, ait: Perge, proſequere, nec parcas ei qui tibi non parceret, ſi te hoc modo in ſua poteſtate haberet. His verbis victor irritatus, miſerum interfecit. Omnes qui impœnitentes moriuntur, ſignificant ſe habere voluntatem (ſi poſſibile eſſet) Deum occidendi. Inuitus igitur Deus infert mortem obſtinatis, ad quos incommoda miſit vt eam deprecarentur & poſtularent vitam.

Pſalm. 115,15.

Pſalm. 33,22.

Simile.

Horribile facinus.

208. Cogitat autem ille cogitationes pacis, non afflictionis, tempore infirmitatis noſtræ, quia Deus eſt, & non homo, cuius miſericordiam manifeſtat Eccleſia in illa Collecta, in qua ſic orat: *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere:* hominis autem tanta eſt crudelitas, vt nec ægrotanti aliquando condonet, quem per fas & nefas exoſum habet. *Miſit autem Saul apparitores* (dicit Scriptura) *qui raperent Dauid: & reſponſum eſt quòd ægrotaret.* Non ſic tamen quieuit indignatio eius cõtra Dauidem, quem meritò credebat incidiſſe in grauiſſimam infirmitatem ex apprehenſione & terrore; nam immediatè antè niſus erat Saul ipſum lancea configere, adeò vt fugiens vix euaſerit & ſaluatus fuerit nocte illa. Miſit nihilominùs Saul nuntios, dicens: *Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur.* vnde patet, eum exiſtimaſſe quòd infirmitas non patiebatur vt de lecto conſurgeret, & pedeſter illi adduceretur.

1. Reg. 19,14.

ꝟ.15.

209. Fortè non fuiſſet ſatisfactum odio

odio Saulis, ſi propria ſponte permitteretur Dauid in lecto ſuo mori, qui ideò volebat eum ad ſe delatū interfici, vt ita violenta illius morte animum ſuum paſcere poſſet. Contigit paulò ante tempora noſtra immane ſcelus, quod probat, in quantam ferociam degeneret aliquando homo, qui paſſionibus odij, iræ & inuidiæ laxat habenas. Cùm enim vnus alterum ſtricto gladio inuaſiſſet, quem lethaliter vulnerans, tamen pro voto ſuo interficere non potuit, eò quòd fortè ſe athletica arte defenderet, aut quòd alij ſe pugnæ interijcerent; ſemiuiuo relicto, ſubterfugiens periculum apprehenſionis, properauit ad aſylum. Poſt aliquot autem dies ſceleſtus pœnitudinem facti ſimulans, ac externis & affectatis geſticulationibus infortunium hominis à ſe malè tractati, & fortè iam ad mortis limina appropinquantis deplorans, petijt à Religioſis (ſub quorum tutela immunitate gaudebat) vt ad horam habitu Ordinis indutus, & iudici, ne caperetur, perſonatus, infirmanti pro maiori conſcientiæ ſuæ pace præſens reconciliari liceret. Charitas quæ non cogitat malum, facilè flexit Religioſos, vt petitioni & laruatæ pietati impij hominis annuerent. Proceſſit homo plenus iniqua cogitatione, verus lupus ouina pelle contectus, & ſolus fortè ad decumbentis lectum admiſſus, illum incredibili crudelitate multis confecit vulneribus, & interemit. Interim ipſo fugam capiente, repererunt amici miſerum fœdè laceratum in ſanguine ſuo volutantem, quem putabant blanditijs delinitum fuiſſe.

Exemplum.

210. Non ſic tractat mitiſſimus Deus eos, qui bono fine ſubinde ab ipſo infirmitate percuſſi, lecto decumbunt. Deus ipſe eſt, & non homo, qui aliquando ſuprà quàm credi poteſt, ſæuit inhumana quaſi committens, vt animæ ferat opem, non vt inferat mortem, permittit ſæpenumerò ſuos infirmari. Liberat illos in die mala, qui ab ipſo fugiebant proſperitatis tempore. Beatificat Dauid virum miſericordiæ, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, non tamen eum omnino ſecurum putat, cui opem diuinam implorat, dicens: *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius.* Caro eſt lectus, in quo requieſcit homo, dicit Hugo Cardinalis. In hoc lecto laſciuiunt ſenſuales, ſecundùm illud Ieremiæ, *Vſquequò delicijs diſſoluèris filia vaga?* Cùm autem Dominus immittit aut permittit dolorem & infirmitatem, fit caro lectus doloris, quatenus admittatur tamquam Medicus qui ferat opem. Nam *malitia hora obliuionem facit luxuria magna, & in fine hominis denudatio operum illius.* Per hanc malitiam communiter intelligunt afflictionem, infirmitatem, tribulationem. O quàm felices ſunt, qui per hanc deliciarum ita obliuiſcuntur, vt affectu omnino ab illis alienati, in propoſito vitæ melioris moriantur! Certè qui per infirmitates hoc modo proficiunt, illis Deus ſuper lectum doloris opem miſericorditer tulit.

Pſalm. 40,4.

Hugo Cardin.

Ierem. 31,22.

Eccli. 11,29.

221. Ceterùm vt patienter infirmitates toleremus, earum fructum oſtendit nobis Chriſtus, non tantùm quando dixit de Lazaro languente, *Infirmitas hac non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei*; ſed maximè dum conſolatus eſt paralyticum, cuius vtriuſque hominis ſoſpitatem deſcribit Euangeliſta: *Ecce*, inquit, *offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Quē Chriſtus Filij benigna appellatione

Ioan. 11,4.

Matth. 9,2.

non eſt dedignatus, & de certa peccatorum ſuorum remiſſione conſolatus eſt, dicens: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Hier. *O mira humilitas*, inquit Hieronymus, *deſpectum, debilem, totis membrorum compaginibus diſſolutum, filium vocat, quem Sacerdotes non dignabantur attingere. Aut certe filium vocat, quia dimittuntur ei peccata ſua.* Niſi homo ille perijſſet ægrotando, fortè æternaliter perijſſet peccando: niſi paralyſis cauſaſſet dolorem, non fuiſſet ei oblatus à quo reciperet peccatorum remiſſionem. O felicem igitur morbum, qui cauſa eſt vt infirmus deferatur ad animarum Medicum! Voluit Saul, vt Dauidē ægrotū in lecto ad ſe deferrent, quatenus eū occidere poſſet, vt dictum eſt, Chriſtus verò deſiderauit hunc paralyticum iacentem in lecto ſibi offerri, vt eum ſaluaret.

212. Samaritanus ille Euangelicus non ſolùm infudit vulneribus eius qui inciderat in latrones, & à tranſeuntibus ſemiuiuus relinquebatur, vinum quod mordet, ſed etiam oleum quod lenit & ſanat. Lucæ 10,34. *Appropians alligauit vulnera eius*, inquit Euangeliſta, *infundens oleum & vinum.* Doloribus qui affligunt ægrotum, Deus vult oleum gratiæ ſuæ adiungere, quæ animam conſoletur. Notandum eſt autem, quòd quantò maius fuit hominis illius infortunium, tantò magis anxia fuit benigni Samaritani ſollicitudo, qui ideò ex ſpeciali pacto tranſegit cum ſtabulario. v. 35. Nam *protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque ſupererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi.*

Simile. 213. Ne pupillus pereat, aut bona illius diſſipentur, ſub tutoribus & actoribus eſt. Ita homo ſub tutela alterius hominis conſtituitur, qui ex mandato curam illius agere tenetur. vnde Sapiens ait: *Mandauit illis vnicuique de proximo ſuo.* Eccli. 17,12. Quilibet igitur homo eſt tutor alterius cuiuſcumque hominis: circa ægrotantem autem pupillorum præfecti in Eccleſia Dei ſpeciali ſollicitudine occupantur, qui non ſolùm tenentur ex communi mandato, ſed etiam ex pacto & ratione ſtatus & officij illius curam gerere. Stabularius enim cui Samaritanus protulit duos denarios, curam vulnerati hominis ipſi ſeriò demandans, eſt vir Apoſtolicus, dicit Auguſtinus lib. 2. Quæſt. Auguſt. Euangel. q. 19. *Beatus ille ſtabularius*, inquit Ambroſius lib. 7. in Lucam, Ambr. *qui alterius vulnera curare poteſt.* Poteſt autem Sacerdos, qui à Chriſto auctoritatem ſuſcepit ligandi atque ſoluendi, cui ſæpè ſubijcitur quis occaſione infirmitatis à Deo miſericorditer permiſſæ ad ſalutem, dum ex metu mortis obſeruat illud Sapientis: *Presbytero humilia animam tuam, &* Eccli. 4,7. *magnato humilia caput tuum.* qui verò per veram pœnitentiam humiliat animam ſuam Presbytero in terris, obtenta ſanitate illius per peccatorum remiſſionem & gratiæ infuſionem, exaltabitur in cælis, &c. Amen.

DISCVRSVS XVI.

Infirmitates patientibus conſolatoria ſunt, tamquam animarum medicina, quibus ſanantur, & quaſi dolabra quæ imaginem Chriſti in illis efformant.

214 AMATORIÆ litteræ vocari ſolent infirmitates à Deo miſſæ, etſi illi qui eum non amant, non aliter contra eas ſubinde murmurent, quàm ſi eſſent epiſtola Vriæ, qua Dauid ſubdolè mortem eius procurauit. Cogitant pij & recogitant omnes annos

Digitized by Google

annos in amaritudine animæ ſuæ: & quia continua commemoratione in memoriam vocant præterita peccata, iudicant, quòd nulla pœna grauis dici debeat, qua pro illis ſatisfaciunt, & Deum ſibi offenſum pacatum reddūt. In infirmitate & tribulatione gaudent ſe à Deo diligi, cui fidem habent dicenti, *Ego quos amo, arguo & caſtigo*; non autem murmurant ſe nimijs doloribus agitari aut affligi. Non enim intendit electos ſuos necare, ſed emendare per infirmitates immiſſas. Vt emendentur peccatores, indicauit Paulus non ſolùm obſecrationem, ſed etiam increpationem ſubinde adhibendam eſſe, cùm ait: *Argue, obſecra, increpa*, &c. Deus igitur, qui obſecrationibus aliquando nil proficit, ſed relinquitur foris inclementiæ aëris & noctis expoſitus, etſi amoroſis gemitibus intromitti mendicet pulſans, & dicens: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea*, &c. *quia caput meum plenum eſt rore*, increpatione conatur animum dilectæ ſuæ emollire. vnde proijcit eam in lectum. nam, vt ait Iob, *increpat quoque per dolorem in lectulo*.

Apoc. 3,19. — 2. Tim. 4,2. — Cant. 5,2. — Iob 33, 19.

215. Ceterùm quòd non ſemper ſit indignantis, ſed aliquando etiam amantis Dei, permittere vt homo infirmitate prematur, clarè patet ex iam allegatis verbis: *Ego quos amo, arguo.* Multis modis Deus omnipotens, miſericors & miſerator, quos amat, arguit & caſtigat, dicit Haymo; quos annotauit à Lapide in cap. 3. Apocalyp. vnde benè monet Sapiens: *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abijcias; neque deficias, cùm ab eo corriperis.* Verſio autē LXX. docet non ſolùm non abijciendam eſſe diſciplinam, ſed vt rem vtiliſſimam amplectendam & tenendam, quæ ſic habet: *Noli paruipendere diſciplinam Domini.* De intellectu huius ſententiæ ferè vna eſt omnium interpretatio. Omnes enim nomine diſciplinæ intelligunt morbos, tribulationes, afflictiones à Deo ad exercitationem immiſſas. vnde benè monet Auguſtinus Pſalm. 21. *Intellige, inquit, homo, medicum eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem.* Noli ergo paruipendere *momentaneum hoc & leue tribulationis*, quod *ſupra modum in ſublimitate æterna gloriæ pondus in nobis operatur*.

Apoc. 3,19. — Haym. — à Lapide. — Prou. 3,11. — Auguſt. — 2. Cor. 4,17.

216. Conſideranda eſt communis lectio, quæ habet: *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abijcias.* Si enim abieceris, indicas, morbos & infirmitates non eſſe tibi medicamenta ad ſanitatem, ſed pœnas ad damnationem. Per impatiētiā eſt ſibi quis argumento, quòd nō ſit de numero filioru Dei, qui emendantur ad vitam, ſed de reproborum conſortio, quos duplici contritione conterendos eſſe prædixit Dauid. Homo eſt lapis Lydius, cui infirmitas aut tribulatio affricata dignoſcitur, an de beneuola manu Dei procedat, an ſecùs. Ex lapide Lydio verum aurū ab adulterino internoſcitur (inquit Ferdinandus Quirinus) ſi linea, quæ ex attritione in lapide apparet, ſpeciem veri auri retulerit, omnes id quod attritum eſt, verum aurum eſſe fatentur; ſi verò obſcurior linea fuerit, maſſa falſitatis arguitur. Multis vexationibus oppreſſus Paulus, indicauit, omnes illas fuiſſe indicia & clara argumenta amoris diuini: nam rutilabant & fulgebant in illo tamquam aurum. vnde ait: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.*

Simile. — 2. Cor. 12,9.

217. Tenebroſæ valdè apparent infirmitates & dolores in reprobis, quæ proinde eis ſunt argumento indignationis.

tionis diuinæ, propter illorum impatientiam. De eo qui tempore infirmitatis murmurando Deum offendit, dici
Pſalm. 7, 15. poteſt illud Dauidis: *Ecce parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Notauit Ioannes aliquos, qui tamquã lapides Lydij oſtendebant plagas eis immiſſas adulterinas fuiſſe, dicens: *Commanducauerunt*
Apoc. 16, 10. 11. *linguas ſuas præ dolore, & blaſphemauerunt Deum cæli præ doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pænitentiam ex operibus ſuis.*

218. Amandæ ſunt proinde infirmitates ſicut animæ noſtræ nutrimenta, & cum magna patientia tolerandæ ſunt ſicut clara argumenta futuræ vitæ, à Deo electis ſuis ad conſolationem eorum promiſſa. Labores & afflictiones cibos eſſe animarum, Scri-
Simile. pturæ probant. Vt enim ſine cibo homo deficit, & tandem pedibus ita vacillat, vt decidat in terram; ita ſine tribulatione nemo diu rectus ſtare poteſt. Cibus autem non prodeſt qui tibi apponitur, ſi non etiam à te ſumatur. Non eſt dubium, in hac vita, quæ repletur multis miſerijs, ſufficientes labores & infirmitates apponuntur, ſed non proſunt impatientibus, qui illos
Prou. 3, 11. non ſumunt. vnde monet Sapiens: *Diſciplinam*, &c. *ne abycias.*

Simile. 219. Verùm cùm tribulationes etiam ſint medicæ potiones, contingit per eas aliquando etiam bonos & patientes debilitari, quibus tamen proſunt, quando per impatientiam eas non euomunt. Aliqui igitur ſunt, qui recto animo quaſi ſtantes portant moleſtias huius vitæ; qui non modò patienter, ſed etiam lætanter aduerſa ferunt, cum S. Paulo gloriantes in infirmitatibus, qui dicere poſſunt cum Da-
Pſalm. 121, 6. uide: *Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalem.* Alij ſunt, qui non cadunt quidem, ſed ſalua patientia ex afflictione oppreſſi, cum Iobo parumper ſedent in ſterquilinio, quorum tandem animus per diuinam conſolationem erigitur, adeò vt ſibi dici exiſtiment: *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Ceterùm Pſalm. 126, 2. ſalua res eſt, dum quis per impatientiam ſalutares animæ medicinas non eijcit. *Labores manuum tuarum quia* Pſalm. 127, 2. *manducabis, beatus es*, inquit Dauid, *& bene tibi erit.*

220. Cùm igitur infirmitates & tribulationes corporis ſint amatoriæ literæ à Deo electis ſuis miſſæ, & animæ nutrimenta, meritò cum patientia, imò cum lætitia à nobis ſuſcipi & ſuſtineri debent. Conſoletur igitur oppreſſus & animet ſemetipſum ad tolerantiam, vt *infirmus dicat: Quia fortis* Ioël. 3, 10. *ego ſum.* Nam, vt dicit Iſidorus lib. 3. de Summo bono, *aduerſa corporis*, Iſidor. *remedia ſunt animæ. Ægritudo carnem vulnerat, mentem curat.*

221. Et hæc quidem ſunt morbi & tribulationes, ſi inueniant ſubiectum per patientiam benè diſpoſitum. Vt Simile. enim in naturalibus non idem eſt eiuſdē cauſæ effectus in ſubiectis diuerſis, (vt patet in pluuia, quæ bonam terram humectat, & arenoſam condenſat; & in Sole, qui reſoluit & mollificat ceram, contrahit verò ac coaleſcere facit argillam) ita tribulationum & infirmitatum non eſt idem in omnibus effectus aut fructus. Ex aduerſis defecit Eſau, reprobus & Deo exoſus, profecit Iacob eidem dilectus. Excæcatio fuit Tobiæ ſalutaris: *Non eſt contriſtatus* Tob. 2, 13. 14. *contra Deum* (dicit Scriptura) *quòd plaga cæcitatis euenerit ei, ſed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.* Sedeciæ verò dignum ſupplicium fuit, dicit Sanctius, vt qui cæcus ſemper ab- San-ctius. duce-

duceretur conſilijs, & ad cæcorũ conſuetudinem illorum ſe ductui commiſit, quorum oculi intellectus in rebus gerendis miſerè caligabant, tandem cum illis in foueam cadens, plagam cæcitatis ſentiret, etſi eam non eodem animo quo Tobias toleraret.

Simile. 222. Vnde manifeſtè patet, quòd infirmitates & tribulationes meliorem efficiant patientem, impatientem verò deteriorem. Vna arbor per ſecurim truncatur, decorticatur, vt fiat imago, altera verò, vt comburatur. Ita fit cum hominibus, quorum vnus patitur ad ſalutem, alter ad damnationẽ.

Greg. *Sciendum quoque eſt nobis*, dicit Gregorius lib. 9. Epiſt. 25. *quia pœna præſens, ſi animum afflicti conuertit, finis eſt culpæ præcedentis; ſi autem ad timorẽ Domini minimè conuertitur, initium eſt pœnæ ſequentis. Curandũ eſt igitur, ne de tormento ad tormentũ tranſeamus.*

Simile. 223. Tribulationes & infirmitates ſunt patientibus ſcalpelli & dolabræ quibus formantur, impatientibus verò omnis aduerſitas ſicut tandem ipſa mors ſolùm ſecuris eſt, qua ad ignem diſponuntur. Malis proinde & impatientibus conuenit quod Chriſtus ait,

Matth. 3,10. *Iam enim ſecuris ad radicẽ arboris poſita eſt*; bonis verò quod per Prophetam

Oſeæ.6, 5. dicitur, *Dolaui in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei.* An non etiam Prophetæ ſunt infirmitates, quæ mortem nobis futuram annuntiant? eas mittit electis ſuis Deus, vt debitè ſe præparent, & mortem ſecundam ſaltem ef-

Pſalm. 59,6. fugiant, iuxta illud Dauidis: *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.* Patienter igitur ferat has propheticas dolabras, qui vult in imaginem locandam in cælo formari, & non reſeruari igni, qui omnes conſumet, quos ſecuris reſecat adhuc calloſos ac rudes.

224. Sigiſmundus Imperator erat ex illis qui per infirmitatẽ proficiunt: nam ſollicitè inquirenti de modo vitæ inſtituendæ, quo felicitatem aſſequi poſſet, reſpondit Theodoricus Epiſcopus Colonienſis, inter Electores facilè Princeps, eam inter mortales fruſtrà requiri. Inſtanti autem, *Ad cæleſtem ergo quo itinere pergam? Rectà*, inquit. Vrgenti verò tertiò, quid agendo rectà tenderet, *Si*, ait, *ita vitam inſtitueris, quomodo facturum te promiſiſti, dum calculus aut alia inualetudo te oppreſ-*

ſit. Sic Æneas Siluius lib. 2. de Geſtis Aeneas Siluius.

Alphonſi. Niſi Theodoricus ex certa ſcientia cognouiſſet, Sigiſmundum vtilitatem & profectum ex infirmitatibus trahere ſolitum, non propoſuiſſet infirmum ſibi ipſi pro norma & exemplo viuendi.

225. Qui in tribulatione ſunt patientes, illi rectà recti ad cælum tendunt. Simile. Apud nos homines curui & claudi benè rectum iter tenere poſſunt, quo ad hominem tendant, & perueniant ad optatam metam ſibi præfixam: econtrà recti erecti facilè à via aberrant. Rectus corpore & animo erat Ioſeph, cùm ex mandato patris ſui quæreret fratres ſuos; tamen *miſſus de* Gen.

valle Hebron, venit in Sichen, inuenitq́; 37, 14.

eum vir errantẽ in agro. Curuipes verò & claudus erat Miphiboſeth, qui tamẽ recto itinere deſcendit in occurſum Regis, vt habetur 2. Regum 19. ✠. 24. In via autem Dei numquam peruerſa via gradiuntur recti, nec claudicantes vnquam itinere recto incedunt, dicitur enim: *Impij in circuitu ambulant.* Pſalm.

Hinc patet, quòd tota ſollicitudo no- 11,9.

ſtra in eo eſſe debeat, vt ad omnes inopinatos caſus ſemper ſimus recti corde & animo, præſertim cùm ſponſa dicat: *Recti diligunt te.* Cant. 1,

226. Porrò nemo eſt qui rectitudi- 3.

nem.

nem ſuam cognoſcere poſſit certitudine fidei, tunc enim conſequenter eadem certitudine cognoſceret ſe ad cæ-
Eccle. 9,1. lum rectà tendere, cùm tamen *neſcit homo vtrùm amore an odio dignus ſit.* Poteſt tamen habere magnam & conſolatoriam certitudinem moralem de vera cordis & animæ ſuæ rectitudine, qua tendit in cælum, ſi fortis fuerit per patientiam. Hæc eſt cauſa cur Paulus
Rom. 5,3.4. dixit: *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem.* Præter illam de qua ibidem Paulus ad litteram loquitur, etiam operatur pro-
Ariſtot. Plato. Plutar. bationem rectitudinis noſtrę. Ariſtoteles, Plato, Plutarchus fortes & pios viros tetragonos, id eſt quadratos appellant. Aſſignat autē Auguſt. in Pſal. 86. rationem, ob quam illis quadratura
Auguſt. Simile. tribuatur. *Quadrati lapidis ſimilis eſſe debet Chriſtianus*, inquit, *in omni tribulatione non cadat, etſi impellitur, & ſi quà vertitur. Nam quadratum lapidem quacumque verteris, ſtat ſemper: ſtantem te ſic inueniat omnis caſus.*

227. Patientiæ veram rectitudinem coniunctam eſſe, ex vno Iobo poterit probari: qui diues, pauper, ſanus, vulneribus plenus, inclytus, magnus inter omnes viros Orientales, denique nunc filiorum & filiarum corona clarus, nunc omni poſteritate orbatus, inſtar quadrati lapidis ſemper ſtetit erectus, qui proinde meruit: Deo eum beatificante in terris, viri & recti no-
Iob 1,1. mine honorati. *Vir erat in terra Hus* (dicit Scriptura) *nomine Iob, & erat vir ille ſimplex & rectus, & timens Deum.* Inter alias igitur vtilitatē hanc etiam nobis confert infirmitas & tribulatio, quòd occaſionem & materiam præbeat patientiæ, ex qua ſequitur conſolatoria nota rectitudinis noſtræ, & dilectionis Dei, qui ſicut non niſi à rectis diligitur, ita omnes & ſolos rectos diligit.

228. Videtur quòd homo ille, qui deſcendens ab Ieruſalem in Iericho incidit in latrones (de quo in præcedenti Diſcurſu nonnihil dixi) in patiendo rectus & quadratus fuerit: nam ſpoliatur, vulneratur, ſemiuiuus relinquitur, & non legitur verbo quidem iniuriam ſuam deploraſſe, aut contra latrones obmurmuraſſe. *Acci-* Lucæ
dit autem vt Sacerdos quidam deſcen- 10,31.
deret eadem via; & viſo illo præteriuit. 32.
Similiter & Leuita cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſijt. Nec huius nec illius tamen inhumanitatem incuſat aut traducit. vnde meruit à Samaritano aſſumi, & iumento eius imponi, & in ſtabulum duci. Ex quo patet, quàm vtilis ſit patientia in tribulatione, quæ monet cæleſtem Samaritanum, vt curam noſtri ſpecialem gerat, quatenus omnimodæ ſanitati reſtituamur, &c. Amen.

DISCVRSVS XVII.

Conſolatoria ſpes pauperum & oppreſſorum per patientiam roboratur: qui autem ab illa deficit, etiam fiduciam in Deum amittit.

229. VERVM eſt quod dixit
Dauid: *Mihi adhære-* Pſalm.
re Deo bonum eſt, & 72,28.
ponere in Domino Deo meo ſpem meam. In multis Scripturæ locis incitamur, vt ſpem noſtram in Deo collocemus. Arguunt ſeipſos Sancti, ſi quando tentari ſe ſentiunt puſillanimitate, timentes ne infinitæ bonitati Dei inordinata ſalutis ſuæ anxietate iniurij fiant. Erat fortè in ſimili ſpiritus afflictione ſanctus Ægidius, vnus ex præcipuis S. Franciſci ſocijs: qui requiſitus quodam tempore à Cardina-
libus

libus & alijs Magnatibus, vt in oratione ſua eorum memor eſſe velit, inuſitato modo poſtulabat ab ipſis pro ſe fieri ad Deum preces. Exiſtimabat Sanctus, illuſtres illos viros, qui gaudebant huius vitæ commodis & honoribus, quæ cum obſeruantia mandatorum Dei omnibus ad ſalutem neceſſaria non pugnant, eidem magis eſſe acceptos vel ob hoc ſolum, quia ſpiritus lætus, & morum eorum facili-
Sap. 1. tas clarè oſtendebant, quòd *ſentirent de Domino in bonitate*, quàm ſeipſum, qui in ſummo vitæ rigore & auſteritate illum ſibi offenſum timebat, eò quòd inordinatis conſcientiæ ſcrupulis, aut tentationibus diaboli non ſatis viriliter ſe opponens, nimis anxia ſalutis ſuæ ſollicitudine & indiſcreto timore iudiciorum Dei diſtraheretur.

230. Tam neceſſaria nobis & accepta eſt Deo fiducia & ſpes, quòd illam reſpiciat tamquam rationem & meritum miſericordiæ ſuæ nobis con-
Pſalm. 90,14. ferendæ. vnde ait per Dauidem: *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum*; qui etiam miſericordiam non niſi habita proportione fiduciæ, qua homo ſe ad receptionem eius diſponit, dare conſueuit. vnde idem Dauid orat, dicens:
Pſalm. 32,22. *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.* Si
Simile. quis in paruo vaſe multum vini infundere vellet, ipſum potiùs effunderet: ita periret magna miſericordia
Bernar. paruæ fiduciæ collata. vide, *oleum miſericordiæ non niſi in vaſe fiduciæ ponis*, ait Bernardus Serm. 3. de Annuntiatione Domini. Qui igitur magna ſperat, magna impetrabit. vnde Deus cùm magna vult conferre, petit vt animam noſtram dilatemus fiducia &
Pſalm. 80,11. ſpe. *Dilata*, inquit, *os tuum, & implebo illud.*

231. Sciendum autem, quòd nihil nos ponat tã ſingulariter in ſpe, quàm patientia in tribulatione. Ideò, ait Paulus, *gloriamur in tribulationibus*, Rom. 5,3.4.
ſcientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem. De ijs qui multa fortiter paſſi ſunt, dicit Sapiens: *Deus probauit illos, & inuenit* Sap. 3, 5.
illos dignos ſe. Eſt valdè glorioſum, vt homo fiat dignus Deo, dicit Holkot, Holkot.
exponens hanc ſententiam, ad hoc enim requiritur perfectus mundi & omnium rerum creatarum contemptus. vnde ait Chriſtus: *Qui amat* Matth. 10,37. 38.
patrem vel matrem plus quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filium vel filiam plus quàm me, non eſt me dignus. & qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Magna igitur res eſt, aliquem inueniri dignum Deo, id eſt dignum ſocietate & beatifica eius viſione.

232. Nota autem, quòd Deus non inueniat vmquam aut neſciat rem aliquam ſibi occultam aut ignotam. vnde cùm dicitur, *Inuenit eos dignos ſe*, eodem modo hoc intelligi debet, quo dictum eſt Abrahæ, quem Deus probauit & tentauit arduo illo præcepto de filio ſuo ſibi immolando, *Nunc cogno-* Gen. 22,12.
ui quòd timeas Deum. id eſt, noſcere te feci, ait Lyranus noſter poſt Augusti- Auguſt.
num q. 58. & Gregorius lib. 28. Mora- Gregor.
lium cap. 7. Non enim ignorabat Deus anteà fidem & pietatem Abrahæ. Eodem ſenſu dicit, Inueni illos qui fortes ſunt & patientes in tribulatione, ſcilicet dignos me, id eſt feci vt pro magna ſua conſolatione inuenirent ſe dignos me. Huic expoſitioni non aduerſatur id quod alibi dicit Sapiens, nimirum,
Neſcit homo vtrùm amore an odio di- Eccle. 9,1.
gnus ſit. Nam, vt dicit Hugo Cardina- Hugo Card.
lis in Geneſis cap. 22. ℣. 13 duplex eſt cognitio, ſcientiæ ſcilicet & experien-

tiæ. Cognitione infallibilis ſcientiæ nemo ſe inuenire poteſt Deo dignum, verùm cognitione experientiæ hanc dignitatem ab aliquo inueniri non repugnat.

233. Ex his patet, quòd patientia generet conſolatoriam ſpem: tantò autem ſpes certior, quantò patientia laudabilior eſt. Illa autem patientia, quæ ex voluntaria omnium rerum renuntiatione ſequitur, apud Deum eſt valdè commendabilis, ideò excellentioris rei ſpe & promiſſione honorata
Lucæ 6,20. eſt ab eo qui dixit: *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei.* Hi ſunt de
Pſalm. 9,19. quibus Dauid ait: *Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.* Cum difficultate ſeruatur patientia in paupere,
Hugo Cardin. dicit Hugo Cardinalis, & ideò tãquam rem ratam & ſingularem illam maxi-
Prou. 16,2. mè reſpicit Dominus, *quia ſpirituum ponderator eſt Dominus*, nec ſolùm quid, ſed maximè ex quo & quantum ſit quod offertur, reſpicit.

234. Cùm patientia pauperum nõ peritura ſit in finem, illi ſpe ſingularis retributionis poſſunt eſſe gaudẽtes.
Simile. Quando diues aliquis aut præpotens eleëmoſynarius diſtributionẽ quamdam ordinat, ad quam paſſim omnes egentes accurrunt, ſi quos inter illos melioris & honeſtioris notæ cognouerit, quibus pinguiorem partem prædordinauit, eos vacuos à ſe remittit, dicens, Expectate vſque in finem; qui libenter ferunt moram illam, nec inuident alijs, quibus ante illos ſit eleëmoſynæ elargitio, ſcientes aliquid
Iſaiæ 28,16. melius ſibi reſeruari. *Qui crediderit*, dicit Iſaias, *non feſtinet.* Qui crediderit, ſcilicet quòd *patientia pauperum non peribit in finem.* Patienter ferant, quòd diuites huius ſeculi in perceptione bonorum illos præcedant tempore, quos ipſi ſuprà quàm credi poteſt præibunt donorum & magnitudine & multitudine. Nam, vt ait Iſaias, *oculus* Iſaiæ
non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. 64,4. Non feſtinantibus ad iſta temporalia, quæ Paulus arbitratus eſt vt ſtercora, ſed expectantibus te, qui es *omnia in omnibus. Dic no-* Bern.
bis tu qui præparas, inquit Bernardus Sermone 11. in Cantica, *quid præparas? replebimur in bonis domus tuæ. Sed quibus bonis? Vino, oleo, frumento? ſed hæc nouimus, videmus, & faſtidimus. Id quærimus quod oculus non vidit.* Meritò Paulus omnia temporalia *Simile.*
arbitratus eſt ſtercora, quæ agro & terræ bona & vtilia ſunt vt pingueſcat. Quantum igitur diſtat fimus ſterquilinij à bonis & diuitijs, quas Rex intus habet in aula, tantum deficiunt bona diuitum, quibus illi tamquam terreni incraſſari & dilatari cupiunt, à bonis quæ Deus præparauit pauperibus expectantibus vſque in finem.

235. Refert antiquitas, quòd Alexander Magnus, animoſam quamdam expeditionem contra Perſas aggreſſurus, omnia bona ſua larga manu elargitus ſit. Huic familiæ reliquit agros, illi ſiluas, vni dominia ceſſit, alteri vectigalia legauit, &c. Perdicca autem, vnus ex maximè familiaribus, nihil accipiens, dixit: *Mihi autem quid?* cui ille reſpondit: *Spem.* In hunc modum Filius Dei militem cogens contra mundum, carnem & diabolum, diuerſis ſua reliquit. *Cælum cæli* Pſalm.
Domino, inquit Pſalmiſta, *terram au-* 113,16
tem dedit filijs hominum. Videns hoc Petrus, nomine omnium qui Euangelicam paupertatem, Chriſto omnium rerum renuntiationem ſuadente, elegerunt, rogauit, *Quid ergo erit nobis?* Matth.
Videtur, autẽ Chriſtus inſtar Alexan- 19,27.
dri Magni nihil aliud ei aſſignaſſe

præter

ꝟ.29. præter ſpem. *Omnis qui reliquerit*, inquit, *domum*, &c. *centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Hæc eſt ſpes quæ ex patientia pauperum, quæ non peribit, oritur. Spes autem hæc certiſſima eſt, adeò vt verè de illa dici oporteat: *Spes autem non confundit*. Rom. 5,5.

236. Porrò notãdum eſt, quòd ſicut propter patientiam pauperibus promiſſum eſt regnum cælorum, ita illius certa promiſſio iiſdem verbis facta eſt Martyribus, & perſecutionem patientibus. vnde benè monuit Paulus eos, quibus multi contrarij ſunt, ad tolerantiam, dicens: *In nullo terreamini ab aduerſarijs, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo.* Phil.1,28. qui etiam tantò fortiùs animum erigebat, quantò plures ei renitebantur. *Oſtium enim mihi apertum*, inquiens, *eſt magnum & euidens, & aduerſarij multi.* 1.Cor. 16,9. Ad litteram ſignificat Apoſtolus, multa hominum corda ſibi aperta eſſe Epheſi ad credendum parata, ſed multos eſſe aduerſarios, qui fructum impedire conentur. Sed quia aduerſarios patienter ferebat quatenus ſibi moleſti erant, etſi fortiter reſiſteret eorũ conatibus, quibus fidei propagationẽ impediebãt, meruit vt illi oſtium cæli euidentiori ſpe, & certiori expectatione panderetur pro mercede ſuæ patientiæ. Et hoc ſenſu morali omnibus fortiter amore Chriſti tolerantibus aduerſarios multos, euidentiùs cęli oſtium apertum eſſe cenſetur.

Simile. 237. Non eodem modo patet omnibus ingreſſus ad caſtrum aliquod copioſo milite præſidiario munitum: vulgari enim & gregario alicui ingreſſuro ſolùm panditur portula, Belgicè *het vvinket*; verùm Principi militiæ, præſertim à rebus in bello fortiter geſtis reuertenti, omnes valuæ & portæ panduntur cauſa honoris. *Attollite portas principes veſtras* (clamatum fuit Chriſto in cælum aſcendente) *& eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Pſalm. 23,7.9. Eodem modo electis, quorum patientiam numeroſus conuentus malignantium aduerſariorum egregiè exercuit, honoris cauſa aperietur ampla porta: verùm nõ aperietur illis ſolùm magnũ oſtium, quod eſt honoris, ſed etiam euidens, quod vtique ſecuritatis eſt. Spes enim eorum, qui multos aduerſarios patienter ferunt, non confundit.

238. Varius ſemper eſt euentuſ belli, meritò tamen Rex tunc formidat & rogat quæ pacis ſunt, etiam cum iniquis conditionibus, quando deberet committere bellum cum decem millibus aduerſus alium Regem, qui cum viginti millibus venit ad ſe. Lucæ 14,31. Non ei tunc patet euidens oſtium, nec clarè fulget illi ſpes victoriæ, quando cum paucis contra multos conſurgit. Contrarium tamen euenire ſolet in iis, qui ſicut cum Dauide gemunt, dicentes: *Conculcauerunt me inimici mei totâ die: quoniam multi bellantes aduerſum me.* Pſalm. 55,3. Ita cum eodem ſeipſos animant, dicentes: *Verumtamen Deo ſubiecta eſto anima mea; quoniam ab ipſo patientia mea.* Pſalm. 61,6. item: *Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine ſpes mea à iuuentute mea.* Pſalm. 70,5. Adeò enim eſt paratus vt ſit *adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis*, Pſalm. 45,2. ſi patienter aduerſarios toleramus, vt meritò ſpes auferat omnẽ metum. vnde idem Dauid ait: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Pſalm. 26,3.

239. Magna fuit Alexandri Magni animoſitas, & imperterritus animus. qui, vt refertur, ſe compoſuit ad ſecurè & altè dormiendum, quando intellexerat Darium cum maximo exer-

exercitu ſibi bellum parare, adeò vt præter conſuetudinem etiam dormitando multum diei tempus tranſigeret. Hinc factum, quod amici diſcrimine imminentis periculi & appropinquantis hoſtilis exercitus perculſi, eum excitarint, dicentes: Miramur, quomodo magna inſtantis negotij perplexitas ſomnolentiam non excutiat. Quibus ille reſpondit: Ne miremini; nam Darius mihi omnem ſollicitudinem ademit. fracta enim & proſtrata hac illius acie, in qua omnes ſimul adſunt, finem imponam bello, cùm nemo debellandus ſuperfuerit. Erat miranda hæc Alexandri fiducia. Eſt etiam mira ſeruorum Dei ſecuritas, qui tunc maximè fortes & patientes ſe præbent, cùm magna aduerſariorum multitudo maiorem metum incutere deberet. Non eſt mirum, ſi vnus vnius ictus excipiat in conflictu, ſed (cùm ne Hercules quidem contra duos) illum mirantur omnes qui multorum impetum fortiter ſuſtinet, ita vt euadat illæſus. Talis Dauid fuit. vnde ait de ſeipſo: *Tamquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis.* quaſi dicat: Sine fundamento mirantur aliqui, conſiderantes in maximis periculis me magis ſecurum. Cùm enim tunc ſis adiutor fortis, cur non etiam eſſes patientia & ſpes mea in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis?

Simile.

Pſalm. 70,7.

240. Legitur, quòd quidam ſceleſtus, cuius manus contra omnes, & omnium manus cõtra illum, valdè ſecurè vixerit. Mirantibus quomodo non formidaret multitudinem capitali odio in illum exardeſcentium, dixit: Extra periculum eſt, quem multi oderunt; dum enim vnus ſibi perſuadet, quòd alter vindictam ſumet, omnium manus euadit. Ideò caue tibi, inquit, ab vno ſolo capitali inimico. Perperàm peſtilens ille ſibi promittebat immunitatem; ſed bono fundamento ſine metu ſunt, quibus à Chriſto prædictum eſt: *Eritis odio omnibus propter nomen meum, & capillus de capite veſtro non peribit. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Lucæ 21,17. 18,19.

241. Vt claudam & finiam hunc de Patientia Tractatum, de qua copioſè & vtiliſſimè ſcribit Corenus noſter in ſuo Clypeo patientiæ, qui meritò omnium manibus teritur, & ſingulorum lateri appendet, quò innumeras huius vitæ tribulationes & miſerias excipiant, vnum hîc ſubijciam; quæ verò ab ipſo verbi Dei Præconibus in ſuo Tractatu præparata ſunt, relinquo intacta, ne inutiliter exſcribendo potiùs quàm ſcribendo, nimiæ librorum multitudini videar velle adijcere. Vnum inquam addam, nimirum quòd patientia in tribulationibus, & magnis neceſſitatibus, ſit nota interioris non modò vitæ, ſed etiam abundantioris gratiæ, & firmioris ſanitatis. Vt enim is qui ſumpſit cibum duræ digeſtionis, non ſolùm vitalis operationis, ſed etiam robuſtæ & bonæ complexionis ſignum habet, ſi illum benè digerit, & eo ſumpto ſe vegetum & ad fortia quæque animatum & promptum ſenſerit; ita ſi magnæ tribulationes & multorum aduerſariorum perſecutiones animum hominis non deijciunt, ſed potiùs calcar addunt vt incitent ad plura pro Chriſti nomine patienda, argumento ſunt, quòd ſingularis amicitia & gratia Dei illum firmauerit & ſtabiliuerit. *Simile.*

242. Ex his quæ hactenus dicta ſunt colligere licet, tribulationes, quæ patientiam hominis eneruant, etiam labefactare fiduciam eius quam in

Deum.

Deum habere debet. Non ſatis forti-
ter ferebant Apoſtoli tempeſtatem &
motum illum magnum qui factus eſt
Matth. 8,24. in mari, ita *vt nauicula operiretur flu-
ctibus*, in quam cum Chriſto aſcende-
rant. Impatientiam ſonant verba illo-
rum quæ refert Marcus ſimul & diffi-
Marc. 4,38. dentiam. *Magiſter*, inquiunt, *non ad te
pertinet, quia perimus?* Ideò arguit eos
Matth. 8,26. Ieſus, dicens: *Quid timidi eſtis, mo-
dicæ fidei?* Qui ergo in omni tribula-
tione & anguſtia ſingulariter in ſpe
conſtitui deſiderat, firmare debet cor
ſuum, vt omnia quæ Deus miſeri-
cors immiſerit, aut permiſerit, ſi-
ne murmuratione, ſed cum manſue-
ta reſignatione & patientia ferat, il-
lud ſemper mente reuoluens: *Si au-* Rom.
tem filij, & heredes; heredes quidem 8,17.
*Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen
compatimur, vt & conglorificemur*, &c.
Amen.

TRACTATVS NONVS.

DE PIETATE ET MISERICORDIA.

IOANNIS CAP. II.

Vinum non habent.

DISCVRSVS I.

Specialis eſt Mariæ miſericordia erga ſuos deuotos, quos non ſolùm à malo liberari, ſed etiam præſeruari materna ſollicitudine curat.

1. TRIBVS verbis mul-
tiplex beatæ Virgi-
nis virtus nobis de-
monſtratur. Cùm
Ioan. 2,3. enim ait, *Vinum
non habent*, inſinua-
tur nobis eximia eius de Filio ſuo opi-
nio & fides. Nullum adhuc miracu-
lum ab eo fieri viderat, aut etiam de-
ſiderauerat: his tamen verbis indicat
ſe credere, illum poſſe miracula per-
petrare, quem proinde profitebatur
Pſalm. 71,18. verum Deum, *qui facit mirabilia ſo-
lus*. Deinde prudentiam ſuam etiam
manifeſtat, quia tunc miraculum petit,
quando tempus faciendi aduenſſe
cognouit. Conſiderabat Filium iam
diſcipulos ſibi adſciuiſſe; vnde cõcluſit
tempus adeſſe, in quo per hoc initium
ſignorum mundo manifeſtari debe-
ret. *Anteà vt vnus multorum ita con-
uerſabatur* (inquit Chryſoſtomus Ho- Chryſoſtom.
mil. 20. in Ioannem, loquens de Chri-
ſto) *vnde non præſumebat ei mater ta-
le quid dicere: quia verò audiuit quòd
Ioannes ei teſtificatus eſt, & quòd diſci-
pulos iam haberet, de reliquo confiden-
ter rogat*. Verum igitur eſt, (quòd et-
iam notauit Toletus in cap. 2. Ioan- Tolet.
nis) quòd magna fides Mariæ & exi-
mia prudentia in his verbis eluceat.
quod etiam teſtatur Bernardus Ser- Bernar.
mone 46. in Cantica.

2. Maximè autem hîc ſe prodit
Mariæ ſollicita pietas & miſericor-
dia, qua aliorum defectus ſubleuare

ſtudebat: idque tam ſollicitè, vt vſque ad extremam neceſſitatem non diſtulerit, ſed deficiente vino, id eſt dum iam inciperet deficere, & nondum defeciſſet, vt exponit Ianſenius in Con-
Ianſenius. cordia cap. 18. Apparet quòd vinum
Caiet. non penitus defecerat (inquit Caietanus) non enim dicitur cùm defeciſſet vinum, ſed deficiente, ad ſignificandum inchoatum defectum, non conſummatum. qui etiam acutè notat, Virginem non dixiſſe, Vinum non eſt,
Ioan. 2, 3. ſed, *Vinum non habent*; quia nimirum vinum quod ſupererat, omnibus non ſufficiebat. vnde Lyranus noſter expo-
Lyran. nens illa verba, *Vinum non habent*, ad ſufficientiam ſcilicet, inquit; *ex corde enim pyiſſimo voluit præuenire totalem defectum, ne appareret confuſio.* Eſt hæc
S.Tho. etiam ſententia S. Thomæ in Ioannem, qui ait: *Virgo non diſtulit vſque ad extremam neceſſitatem; ſed, deficiente vino, id eſt, dum eſſet in deficiẽdo*, &c.
S.Aug. Sumi poteſt hæc doctrina ex S. Auguſtino Serm. 41. de Tempore, quem citat Barradius t. 2. l. 3. c. 1. *Debemus*, inquit, *aduertere, quòd de nuptiali vino pars aliqua adhuc fortè reſederat.*

3. Memor B. Virgo ſingularis miſericordiæ quam Deus illi fecit, qua factum eſt vt non ſolùm liberaretur & eriperetur de neceſſitate præſenti, ſed etiam ſpeciali priuilegio præſeruaretur à futura & ingruenti, non permittens vt incideret in communem illam & verecundam miſeriam omnium filiorum Adam, de qua Paulus loquens
Ephes. 2, 3. ait: *Eramus naturâ filÿ iræ, ſicut & ceteri.* Ipſa, quantum fieri poteſt, ſimilem miſericordiam cum aliquibus ſibi magis deuotis exercet, quorum futuræ neceſſitati & periculo etiam prouidet. Vnde Eccleſia eamdem orans ait:

——Succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo.——

Non tantùm ſuccurrit ijs qui iam lapſi ſunt, vt erigantur, ſed etiam ijs qui impelluntur vt cadant, gratiam præuenientem impetrat, præſertim ſi tales eos nouit, vt poſt peccatum non dicant cum ijs qui in profundum venerunt peccatorum, *Peccaui, & quid mihi accidit triſte?* ſed potiùs poſt lapſum Eccli. 5, 4.
ſolliciti ſunt vt ſurgant. Succurrit igitur aliquando diſpoſitis ad cadendum, ne cadant.

4. Huius rei non deſunt nobis exempla in Hiſtorijs Eccleſiaſticis. Vnum refert Vincentius Belluacenſis Hiſtoria.
lib. 7. cap. 87. de quodam adoleſcente, qui annulum acceperat à quadam quæ ei carnali amore affecta, fortè expectabat occaſionem explendæ libidinis. Vt verò B. Virgo ſimplicem adoleſcentem nihil mali ſuſpicantem à periculo lapſus liberaret (ſine dubio ipſa apud Deum pro eo ſollicitante) contigit, vt dum quodam die adoleſcens in luſu pilæ palmariæ, propter nimiam agitationem timeret ne annulus ex concuſſione frangeretur, aut ei excideret, diuerteret ad quamdã Eccleſiam, ſphæriſterio propinquam, annulum, finito luſu reſumendum, alibi ſecretò depoſiturus. Ingreſſus igitur, & intuitus imaginem Virginis Mariæ, cœpit illius pulchritudinem affectu deuotionis admirari, eamque genu flexo ſalutans ait: Verè formoſior es illa quæ hunc annulum mihi in pignus amoris dedit. Itaque illius amori renuntio, teque d[illegible]ps amare, & tibi deſeruire firmiter ſtatuo. His dictis, annulum eleuata manu protendit, quem imago ſuſcipiens digito ſuo adaptauit. Præuidebat Virgo beata incommoda quæ adoleſcenti imminebant, quibus per imaginem hac ſtupẽda dignatione obuiauit, & iam iam fortè lapſuro iuueni hac mirabili præuentione ſuccurrit.

Præ-

Præuenit ſua materna ſollicitudine quotidie multa pericula infamiæ & lapſus, à quibus ſuos præſeruari miſericorditer procurat; quemadmodum ſollicita fuit pro vino, priuſquam ex illius defectu confunderentur, qui Ieſum cum ſuis ad nuptias vocauerant.

5. Maria nouit quòd Deus homines multis modis præuenit. Non enim
Pſalm. 20,4. ignorat à Dauide dictum eſſe: *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus*
Pſalm. 58,11. *dulcedinis*. item: *Deus meus, miſericordia eius præueniet me*, antequam ſuccumbam, antequam deficiam, inquit
Titelmann. Titelmannus hæc verba exponens. Præuento immunitate, peccatum non nocuit, dicit Gloſſa interlinearis verbis
Auguſt. B. Auguſtini. Ad litteram Deus miſericorditer liberauit Dauidem (ait Lyranus) antequam veniret Saul, qui diſpoſuerat illum interficere. Sæpè procurat B. Virgo, vt Deus præueniat ſua miſericordia deuotos ſuos, antequam incidant in conuerſationem alicuius perſonæ, ex qua illis lapſus aut confuſio oriri poſſet.

6. Solent ſancti Mariam matris titulo & nomine ſibi deuincire . vnde
Pſalm. 115,16. dicunt cum Dauide: *Quoniam ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Nota, quòd mater non ſit contenta vt præſenti filiorum neceſſitati
Simile. prouideat, quin etiam ſollicita ſit pro futura & inſtanti ac ingruenti. Eſt hæc Mariæ ſollicitudo ſimilis illi, quam Deus habet de ſuis prędeſtinatis. Cùm enim prædeſtinatio ſit præparatio mediorum quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur; non ſolùm pro illis ſollicitus eſt, vt habeant media & remedia vnde à peccatis abſoluantur, quibus actu ſunt ligati & obſtricti, ſed etiam ſua miſericordia præuenit, præparando illis gratiam, qua ſaltem finaliter immunes à peccatis & virtutibus decorati ex hoc mundo recedant. *Præuenisti eos in benedictionibus dulcedinis*, dicit Dauid, dando voluntatem boni ſcilicet. Pſalm. 20,4. *Præuenit*, inquit Auguſtinus, *vt velimus, ſequitur, ne fruſtrà velimus*. Auguſt.

7. Addit Deus gratiæ gratum facienti gratiam præuenientem & cooperantem, qua ſtabilitur cor prædeſtinati, ne illam per ſubſequens peccatum amittat, & ita in vacuum recepiſſe cenſeatur. De hac collatione gratiæ, qua futuræ neceſſitati prouidet, intelligi poteſt illud quod olim Iſaac filium ſuum Iacob benedicturus dicebat: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam*. Gen. 27,28. Sufficientia gratiæ datur omnibus, etiam reprobis, abundantia verò prædeſtinatis præparata eſt. In ſignum huius non fit abundantiæ mentio cùm Eſau à patre benedicitur, etſi etiam rore cæli & pinguedine terræ à patre ſit ſtabilitus. *In pinguedine terræ & rore cæli deſuper erit benedictio tua*, inquit. ℣. 39.

8. Præuenitur igitur prædeſtinatus in benedictionibus, quia non ſolùm gaudet informatione gratiæ, ſed illius etiam finali conſeruatione. Eſt hæc benedictio Ioſeph, quem pater præ reliquis filijs diligebat, *qua benedixit* Deut. 33,1. *Moyſes, homo Dei, filijs Iſraël ante mortem ſuam. Benedictio illius*, inquit, ℣. 16. *qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph*. Quandoquidem hîc fit mentio rubi, reuocanda eſt in memoriam prodigioſa illa & magna viſio Moyſi oſtenſa, qui vidit *quod rubus* Exod. 3,2. *arderet & non combureretur. Dixit ergo Moyſes: Vadam & videbo viſionem* ℣. 3. *hanc magnam, quare non comburatur rubus*. Symbolicè ignis in rubo eſt concupiſcentia remanens in iuſto, ſed non comburitur: quia etſi remaneat in illo fomes peccati, tamen ipſum pecca-

peccatum finaliter ſaltem in illo mini-
1.Ioan. mè regnat: *Sed generatio Dei conſer-*
5,18. *uat eum, & malignus non tangit eum.*

9. Eamdem curam, quam Chriſtus habuit de ijs qui ſpecialiter ſui erant, etiam gerit Maria pro ſuis deuotis. Non ſuffecit autem Chriſto vt liberarentur à malo in quod inciderant, ſed
Ioan. optauit illos à malis præſeruari. *Pater*
17,11. *ſančte*, inquit, *ſerua eos in nomine tuo.*
ỳ.15. & infrà: *Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo.* Ita B. Maria ſcilicet ſollicita eſt, vt ſui à malis imminentibus, antequam euenerunt, præſeruentur. vnde factum eſt, quòd antequam innoteſceret omnibus vini defectus, inceperit ſollicitate,
Luc.23. dicens: *Vinum non habent*, vt ex auctoritate diuerſorum, quos ſuprà citauimus, patet.

10. Mater non ſolùm ſedat aut extinguit ſitim & alia filiorum ſuorum incommoda quibus afficiuntur, ſed
Simile. anteuertit illa, præuia rerum neceſſariarum prouiſione. Gallina glocitans gemit quidem, ſi alieni pulli à miluo atripiuntur, & naturali impetu propendet vt ſuppetias ferat, ſed ne proprij rapiantur, rapacitati miluj totis viribus etiam renititur. Alienos quidem liberaret, ſi poſſet, ſed ſuos proprios ne capiantur defendit. Ita Maria ſuorum deuotorum ſingularem curam gerit, qua eorum ventura mala antequam aduenerint, auertit. De mulie-
Prou. re forti dicit Sapiens: *Omnes domeſtici*
31,21. *eius veſtiti ſunt duplicibus*. Duplici veſtimento gaudet, cui miſericordiæ ſollicita mater cum gratia gratum faciente etiam conſeruantem impetrat,
Ioan. dicens verbis Filij ſui: *Serua eos in no-*
17,11. *mine tuo*, &c. Amen.

DISCVRSVS II.

Inefficax ſæpè eſt eorum ſupplicatio, qui ſolùm quia rogati ſunt, rogant. Hinc Sancti, dum ex miſericordia pro alijs orant, non ſemper audiuntur.

11. NON cenſentur commendare, ſed potiùs vituperare, qui cùm aliquid negotij pro altero proponunt, non merita, ſed ſolùm allegant prætendentis vota, dicentes collatori beneficij, *Rogatus rogo.* quibus verbis promouendum de inſufficientia & inidoneitate ſuſpectum reddunt. Perinde enim eſt ac ſi apertè dicerent, Non defendo ſollicitantis aptitudinem, quam tibi diſcutiendam relinquo, cuius ſolam ſupplicationem propono. Hoc modo Apoſtoli Chananæam Chriſto commendarunt, dicentes: *Dimitte eam, quia clamat poſt nos.* Matth. 15,23.
Frigida nimis eſt hæc ratio, quam allegant, *quia clamat poſt nos:* nobis importuna eſt clamoribus ſuis, rogati rogamus. Hinc factum eſt, quòd repulſam patiatur miſera mulier ab eo *qui reſpondens ait: Non ſum miſſus niſi ad* ỳ.24.
oues quæ perierunt domus Iſraël. Facilè igitur illius ſupplicatio reijcitur, quem merita non commendant, & pro quo illi quos ipſe rogauit, ſolùm quia rogati, ſunt rogant. Felix autem eſt quem ſua virtus & intercedentis vltronea charitas promouet. Seniores Iudæorum Centurionis merita allegantes apud Chriſtum, feliciter pro eo negotiati ſunt, *qui rogabant eum ſolli-* Luc.7,
citè, dicentes ei: Quia dignus eſt, vt hoc 4.&5.
illi præſtes. diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis. Et ipſe Centurio poſteà accedens in propria perſona, non interceſſit pro ſeruo qui

(Margin beside §11: Simile.)

qui ei importunus, ſed *qui illi erat pretioſus*, dicens: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus*, & ideò cum plena, imò ſuperplena ſatisfactione dimittitur. Nam ait illi Ieſus: *Ego veniam, & curabo eum.*

Lucæ 7, 2.

Matth. 8, 6. 7.

12. Efficaciùs Regem aut Principem flectit ad concedendum, qui motu proprio alium promouere conatur, quàm qui requiſitus ſollicitat. Nouit hoc fortè mulier Sunamitis, quæ Eliſeum benignè hoſpitio ſolebat recipere. Cui is gratias agens, obtulit ſe illi in patronum & negotiorum (ſi quæ haberet) agentem, dicens: *Ecce ſedulè in omnibus miniſtraſti nobis, quid vis vt faciam tibi? numquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, ſiue Principi militiæ?* Liberalis valdè videtur hic viri Dei vltrò addictus fauor, cui tamen non ſatis reſpondit mulier debita gratiarum actione, quæ proinde contra bonos mores peccaſſe videtur. Non fuit hæc mulier ex contemptibilioribus illius terræ, quam Scriptura tamquam nominatã honorat. *Tranſibat Eliſeus per Sunam* (dicit Textus) *erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, vt comederet panem.* Magna, id eſt potens, diues & deuota, dicit Lyranus. Magna non corpore, ſed ſapientia (inquit Hugo Cardinalis) quæ tamen mouet ſuſpicionem vilis parentelæ, aut ſaltem quòd non fuerit ingenuè inter magnos educata. Cùm enim aulico more debuiſſet ſe profiteri indignam tali & tanto honore à viro Dei ſibi oblato, inurbana quadam præciſione *reſpondit: In medio populi mei habito.* quibus verbis non modo rusticè, ſed etiam dedignabundè videtur vltroneam Prophetæ gratiam contempſiſſe. Idem eſt enim ac ſi dicat: Non deſunt mihi amici, quorum opera (ſi neceſſitas vrgeret) liberè vti poſſem, adeò vt non indigeam te promotore, aut etiam fautore, in negotijs meis dirigendis.

4. Reg. 4, 13.

ỷ. 8.

Lyran.

Hugo Cardin.

ỷ. 13.

13. Ad propoſitum noſtrum fortè voluit hæc mulier in virum Dei tam ſedula & benefica indicare, ſibi ab eo factam oblationem, meriti illius minorem eſſe, quandoquidem viſus eſt velle ab ea rogari vt roget, dicens: *Quid vis vt faciam tibi? vis vt loquar Regi aut Principi militiæ?* Exiſtimabat enim ſapiẽs mulier, multum eneruari auctoritatem intercedentis aut interpellantis apud Regem aut Principem militiæ ab eo qui ſpontaneè ex intuitu meritorum non mouetur ad intercedendum, ſed incitatur ſolùm poſtulationibus ſollicitantis. Noluit ergo rogare vt roget, prętendens ſpontaneum & opportunum viri Dei fauorem, pro occurrenti aliqua & futura neceſſitate, quem etiam experta eſt, vt patet 4. Regum 8. ỷ. 13.

14. Reuerſa enim eadem hæc mulier in domum ſuam (quæ tempore famis de conſilio Eliſei peregrinata fuerat in terra Philiſthijm diebus multis, vt dicit Scriptura) & inueniens bona ſua ab alijs occupari, *egreſſa eſt vt interpellaret Regem pro domo ſua, & pro agris ſuis.* Opportunè autem tunc adfuit Giezi famulus Eliſei in aula Regis, qui ab eo ſciſcitabatur omnia magnalia quæ fecit Eliſeus: *Cumque ille narraret Regi quomodo mortuum ſuſcitaſſet, apparuit mulier, cuius viuificauerat filium, clamans ad Regem pro domo ſua, & pro agris ſuis. Dixitque Giezi: Domine mi Rex, hæc eſt mulier, & hic eſt filius eius, quem ſuſcitauit Eliſeus.* Quo audito, Rex iuſſit non ſolùm domum & agros, ſed etiam perceptos ad illum vſque diem ſeptem annorum fructus, quibus mulier à domo ſua ſe abſentauerat, reſtitui. Fecit 4. Reg. 8, 3. ỷ. 5.

cit hoc Rex propter reuerentiam mi-
Lyran. raculi (inquit Lyranus noſter) ab Eli-
ſeo facti in filio eius reſuſcitato. Addi
poteſt ad præſens intentum noſtrum,
quòd (etſi Scriptura non dicat) omni-
no probabile ſit, Giezi nomine magi-
ſtri ſui Eliſei interpellaſſe pro mulie-
re, quæ in illos tam benefica fuerat,
qui rogans non rogatus ab illa, ſed ex
præteritis beneficijs & meritis eiuſ-
dem mulieris ſpontaneè ad rogandum
excitatus, impetrauit non ſolùm id
pro quo mulier (quæ contenta erat ſi
domum & agros ſibi vendicaret ab
alienis poſſeſſoribus) Regem ſollicita-
tura venerat, ſed etiam prouentus &
fructus, quos ſciebat quidem ſibi de-
beri, ſed deſperabat pacificè ſine tu-
multu litigij poſſe recuperari. Vnde
patet, quòd ſicut friget commendatio
eius qui rogat ob hoc ſolùm quia ro-
gatus; ita magnæ auctoritatis eſt in-
terceſſio ſpontanea ex motu proprio
interpellantis.

15. Ad huius rei confirmationem
legimus, Ioab pro Abſalone fratrici-
da apud Dauidem interceſſiſſe. Pri-
mò motu proprio. vnde Scriptura ait:
2. Reg. 14.1. *Intelligens autem Ioab filius Saruiæ
quòd cor Regis verſum eſſet ad Abſa-
lom*, ſubordinauit Thecuitam mulie-
rem, quam inſtruxit de multis. Olfa-
ciens autem Rex tali dexteritate mu-
lierem in negotio proceſſiſſe, vt vix
credi poſſet rem ab ea eſſe confictam,
rogauit an ex ſe, an verò ex inſtructio-
ne Ioab ſupplicationem illam inſti-
tuiſſet, hoc eſt an motu proprio, an
2. Reg, 14.19. verò ſolùm rogata rogaſſet. *Reſpondit
mulier, & ait: Per ſalutem animæ
tuæ*, &c. *ſeruus enim tuus Ioab ipſe
præcepit mihi, & ipſe poſuit in os ancil-
læ tuæ omnia verba hæc*. Patui fecit
igitur Rex mulierculam ſubordina-
tam ad ſupplicandum. Nam dicit

Scriptura: *Ait Rex ad Ioab: Ecce pla- ỷ.21.
catus feci verbum tuum: vade ergo, &
reuoca puerum Abſalom*. quaſi dicat,
Parum me mouit mulier quæ ex indu-
ctione aliena locuta eſt: ſed tu verbo
tuo, quem ſola compaſſio erga Abſa-
lonem mouit, qui nec rogatus rogaſti,
à quo motu proprio tota hæc propoſi-
tio cum tanto artificio compoſita &
conficta eſt, meritò me permouiſti.

16. Hanc prudentiam in Rege re-
quiſitam, cui multum reſpectus & re-
uerentiæ decedit, ſi paſſim omnes ſibi
familiares exaudiat pro alijs interpel-
lantes, non attendens quo motiuo in-
citentur, non ſemper obſeruauit idem
Dauid: quod valdè malè ei ceſſit, vt
patet in eodem capite. Cùm enim Ab-
ſalom iam reuocatus duobus annis
fuiſſet in Ieruſalem, neque tamen ac-
ceſſum habuiſſet ad conſpectum Re-
gis patris ſui, cœpit inſtare apud Ioab,
vt accederet Regem pro illo ſupplex:
quem priùs reluctantem, deinde, com-
buſtis ſegetibus ad ſe ægrè adſcitum
permouit, vt per quem in patriam
fuerat ab exilio reuocatus, per eum-
dem gratię & amicitiæ ac familiari pa-
tris conuerſationi reſtitui poſſet. Fecit
Ioab quod petijt Abſalom, non tamen
motu proprio vt priùs, ſed inſtanter
requiſitus, imò timore maioris dam-
ni compulſus: rogauit pro eo, cu-
ius mala indoles ei magis detecta
fuit duobus illis annis: vnde meritò
cum ſcrupulo conſcientiæ plenè re-
conciliauit patri filium, quem non
ignorabat perduellem fortè breuì fu-
turum. Imprudenter autem fecit Da-
uid, permittens ſe flecti, cùm ſciret
eum potiùs timore priuati damni,
quàm amore boni communis incitari
ad interpellandum, qui tamen aliun-
de excuſabilis eſt, vt notabimus in
Elencho in Feſto S. Stephani.

17. Quàm

17. Quàm malè Regi ceſſerit hæc nimia & imprudens eius facilitas, qua exaudiuit Ioab, non diſcutiens an rogatus aut inordinato aliquo motiuo compulſus, an verò piè commotus rogaret, ſequẽs probauit euentus. Admiſſus enim ad regiam refractarius fratricida, venenũ perduellionis, quod exul & abſens à patris conſpectu tenuit quidem, ſed continuit, habuit, ſed
2.Reg. cohibuit, cœpit deponere. *Igitur poſt*
15.1. *hæc*, inquit Scriptura, *fecit ſibi Abſalom currus & equites, & quinquaginta viros qui præcederent eum*, &c. *nec deſtitit, donec ſollicitaret cordibus filiorum Iſrael, vniuerſi ſequerentur eum.*

Simile. 18. Benè comparat Sanchius (ſuper hunc locum) Abſalonem (nunc tam impudenter tumultuantem, qui parum antè tam ficta pietatis ſpecie curauerat patri ſuo exponi vehemens
2.Reg. deſiderium videndi faciem eius, *Ob-*
14.32. *ſecro*, inquiens, *vt videam faciem Regis; quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me*) ſerpenti, de quo Seneca Epiſt. 42. ait, quòd venenum numquam deponat, nec quidem frigore torpens illud euomat. Eodem modo peſſimus hic optimi parentis filius, in exilio ſuo tamquam in frigore ſe continuerat, ſed non emendauerat. *Multorum, quia imbecillia ſunt, latent vitia*, inquit Seneca, *non minus auſura, cùm illis vires ſuæ placuerint. Sic tutò ſerpens etiam peſtifera tractat, dum riget frigore. Non deſunt tunc illi venena, ſed torpent.* Ex his patet, quòd meritò apud prudentes parum valeant ad aſſequendum quod petitur, qui ſine diſcrimine rogati rogant, multò minùs qui ex timore mali, aut ex boni alicuius priuati prætenſione ad rogandum pro alio, nulla habita iuſtitiæ aut boni communis ratione, incitantur.

19. Quemadmodum igitur indigni ſunt, vt ab hominibus afficiantur fauoribus, aut cumulentur honoribus, quibus nihil ſuffragatur, niſi nuda eorum inſtantia, qui requiſiti pro illis ſupplicant & ſollicitant; ita etiam fruſtrà ſubinde apud Deum intercedunt & rogant Sancti, ob hoc ſolùm quia à peccatoribus ſunt rogati. vnde commodè intelligi debet ampla illa Chriſti promiſſio duplici iuramento confirmata, qua dixit: *Amen amen dico vo-* Ioan.
bis, ſi quid petieritis Patrem in nomine 16,23.
meo, dabit vobis. Fruſtrà enim rogarent pro illo, qui in ſordibus ſordeſcit, & in peccato ita dormit, vt numquam concipiat melioris mentis propoſitum
aut votum; cùm expreſsè doceat Au- Auguſt.
guſtinus. *Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro ſeipſis*, inquit, *non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis ſuis, quia non vtcumque dictum eſt, Dabit; ſed, Dabit vobis.* Sic ille Tract. 102. in Ioannem.

20. Multa inſtantia egerat Adonias olim vt Bethſabea pro eo loqueretur
Salomoni. quæ dato verbo ſuo, *venit* 3.Reg.
ad Regem Salomonem, & ſurrexit Rex 2,19.
in occurſum eius, adorauitque eam, & 20.
ſedit ſuper thronum ſuum: poſituſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius. Dixitque ei: Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te; ne confundas faciem meam. Rogata ab Adonia, cœpit hìc pro eo rogare. Sed
quamuis Salomon dixerat, *Pete mater* Ibidem.
mea, neque enim fas eſt vt auertam faciem tuam; tamen nihil impetrauit. Non enim intendebat Rex promiſſionem ſuam ad omnia, quæ etiam pro alijs requiſita poſtularet, extendendam eſſe; præſertim cùm nulla neque iuſtitia neque ratio pro illis allegari poſſet, quæ Regem meritò flecteret ad conſenſum. Ex ijs quæ hactenus dicta ſunt, patet, quòd Maria rogata

poſſet pro aliquo orare, & non exaudiri, quæ tamen non rogata ſubinde conſolationem impetraret ex ſpontanea miſericordia deuotis ſuis, de qua re in ſequenti Diſcurſu in particulari agetur. Patet hoc ex nuptijs quæ factæ ſunt in Cana Galilææ, quando à nullo
Ioan. 2, 3. requiſita legitur filio dixiſſe, *Vinum non habent*, à quo poſteà aqua in vinum murata eſt. Itaque initium ſignorum ad inſtantiam matris fecit, quod ipſa propria ſponte à nemine inducta modeſtis verbis petijt, &c. Amen.

DISCVRSVS III.

Tanta eſt Virginis miſericordia, vt ſubinde non rogata roget & impetret miſeris ſolatium vitæ, & peccatoribus fructum finalis pœnitentiæ.

21. ETSI verum ſit quod ait Chriſtus, nos ad orationis inſtantiam cohortans, *Omnis qui petit, ac-*
Lucæ 11, 10. *cipit; & qui quærit, inuenit; & pulſanti aperietur*: tanta tamen eſt illius miſericordia, vt aliquando ſeipſum offerat non rogantibus, quem etiam non quæ-
Rom. 10, 20. rentes ſubinde inueniunt. *Inuentus ſum*, inquit per Prophetam, *à non quærentibus me, palàm apparui eis qui me non interrogabant*. Nam, vt ait Apoſto-
Epheſ. 3, 20. lus, *potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus*. Multis autem non pulſantibus etiam
Ioan. 10, 7. 9. Apoc. 4, 1. apertum eſt cælum. *Ego*, inquit, *ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Ecce oſtium apertum in cælo*, dicit Ioannes. Non pulſant paruuli poſt Baptiſmum in innocentia diſcedentes, ſed per oſtium apertum intrant.

22. Hanc miſericordiam etiam Mater gratiæ & mater miſericordiæ exercet cum ſuis. Non pulſata aperuit os ſuum, & non rogata vltrò rogauit Filium in nuptijs, dicens: *Vinum non habent. Quid de fonte pietatis procederet, niſi pietas?* inquit Bernardus Ser- Ioan. 2, 3. S. Bern.
mon. 1. de Nuptijs. *Quid mirum ſi pietatem exhibent viſcera pietatis? Nònne qui pomum in manu tenuerit di-* Simile.
midia die, reliqua diei parte pomi ſeruabit odorem? Quantum igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem menſibus requieuit?

23. Oſtendit Virgo, quòd perfecta ſit eius miſericordia, quæ non rogata rogat, non ſolùm vt neceſſitati occurrat, ſed etiam vt verecundiæ & honeſtati eorum qui vocauerant Ieſum ad nuptias, conſulat. *Perfecta miſericordia eſt*, dicit Auguſtinus, quem citat Auguſt.
Murillo noſter Tom. 2. tract. 5. Diſcurſu 4. *vt antè occurrat eſurientibus, quàm roget aliquando mendicus: non enim perfecta pietas eſt quæ precibus extorquetur*. Huius etiam rei notitiam habuit & prodidit Seneca lib. de Beneficijs, *Omnis benignitas properat*, in- Seneca.
quiens; *proprium eſt libenter facientis, citò facere*.

24. In omni ordinata Republica Simile.
domus quædam ſunt quas vocare ſolemus domos Spiritus ſancti, quæ pauperibus patent certis temporibus, quibus vltrò fit diſtributio, etiam ſine præuia mendicatione: Iob qui ait de ſeipſo, *Ab infantia creuit mecum miſe-* Iob 31, 18.
cordia, domum ſuam talem effecit; vnde ait: *Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit*. Non fuit Iob 31, 32.
neceſſarium vt egenus vel ad breue tempus maneret foris, donec pulſanti aperiretur, quia oſtium meum viatori patuit. Cælum eſt domus communis miſericordiæ. Maria autem eſt felix cæli porta, quæ patet adeò, vt pulſantibus non ſit aperienda; vt in nuptijs videre eſt, quandoquidem non rogata rogat,

Digitized by Google

Ioan. gat, dicens: *Vinum non habent.*
2,3. 25. Si numquam, niſi requiſita,
miſericorditer pro nobis ſollicita eſſet,
mater quidem miſericordiæ vocari
poſſet, ſed perfectæ gratiæ non item:
non enim planè gratis accipitur, quod
multis pulſationibus & poſtulationi-
Rom. bus datur. *Si autem gratia,* inquit Pau-
11,6. lus, *iam non ex operibus, alioquin gratia*
iam non eſt gratia. Compenſatur autem
potiùs quàm donetur, quod inſtanter
Seneca. ſollicitanti tribuitur. vnde Seneca l.4.
de Beneficijs, *Non tulit gratis,* inquit,
qui cùm rogaſſet accepit. Nihil enim ca-
rius conſtat, quàm quod precibus emi-
tur. Non ignorat B. Virgo Filij ſui mo-
nitionem Apoſtolis & alijs myſterio-
rum Dei diſpenſatoribus factam, qua
Math. dixit: *Gratis accepiſtis, gratis da-*
10,8. *te.* vnde putat ſibi incumbere, vt mi-
ſericordia ſua ſubinde præueniat mi-
ſerorum preces, & gratiam gratis ac-
ceptam aliquando non rogata re-
fundat.

Simile. 26. Spongia plena liquore, vix
guttam emittet, ſi non fuerit inter ma-
nus alicuius compreſſa. Spongiæ ſimi-
les ſunt miſericordes, qui propter ſpem
miſericordiæ conſequendæ à Chriſto
beatificantur, qui ſaltem obſeruant il-
Math. lud Euangelij: *Qui petit à te, da illi.*
5,42. Charitas Chriſti vrget eos, & exprimit
eleëmoſynam neceſſitatem patienti
opportunam. vnde ſi quis eſt plenus
diuitijs huius mundi, & ne guttam
quidem pauperi refuderit, indicat ſe
Simile. charitate Dei vacuum eſſe; quæ ſi ad-
eſſet, ſine dubio de turgida ſpongia
aqua plena eleëmoſynam exprimeret.
Commendat Chriſtus nobis omnibus
verum miſericordiæ ſignum & argu-
Lucæ mentum, dicens: *Omni autem petenti*
6,30. *Simile.* *te tribue.* Sine diſcrimine ſpongia aquã
emittit à quocumque fuerit compreſ-
ſa; ita omni petenti & vrgenti ſe tri-
buit, qui verus eſt miſericors. Si enim
non habet in ære, ſaltem per ſenſum
compaſſionis quodammodò præbet
eleëmoſynam in pelle.

27. Verùm alia eſt nobilior miſeri-
cordia eorum qui imitantur Virginem
ex ſe ad miſericordiam motam, quam
etſi nemo orando premit, tamen rô-
rem ſuæ miſericordiæ vltrò promit.
non rogata, ſed ex ſpontanea pietate
ſollicita, dicens: *Vinum non habent.* Ioan.
Maria gratia plena fuit figurata per 2,3.
vellus Gedeonis, ad quod alludens
Propheta dixit: *Deſcendet ſicut pluuia* Pſalm.
in vellus. Chriſtus enim non venit 71,6.
cum tumultu, ſed imperceptibiliter
deſcendit in Virginem. Item lana acci- *Simile.*
piens & reddens aquam, non rumpi-
tur, ſed integra manet, dicit Gloſſa; ita
glorioſa Virgo ante & poſt partum in-
uiolata permanſit. Propter has & alias
rationes Maria comparatur velleri
aqua pluuiali imbuto. Sed in vno de-
ficit ſimilitudo, quòd ex vellere aqua
vltrò non fluat, ſed extorqueri debeat.
vnde dicitur de Gedeone, quòd de
nocte conſurgens *expreſſo vellere, con-* Iud.6.
cham rore impleuit. 38.

28. Maria igitur, quæ ſubinde non *Simile.*
interpellata miſericordiam à Filio ſuo
& Patre miſericordiarum implorat,
commodiùs aſſimilari poſſe videtur
ſublimatorio pharmacopolæ, odorife-
ris floribus & medicinalibus herbis
repleto (Belgicè *een klock*) ex quo con-
tinua diſtillatione eliquamen decidit,
quod non aliqua compreſſione, ſed
placida ignis operatione educitur. Eo-
dem modo B. Virgo omnium virtu-
tum floribus plena, etiam ſpontanea
pietatis ſtillicidia frequenter emittit,
quibus egenorum neceſſitati & hone-
ſtati benignè prouidet.

29. Cùm igitur B. Virgo non ro-
gata vltrò roget & impetret ſuis deuo-

tis illa quæ ad vitam præſentem ſpectant, magnam fiduciam concipere debemus, quòd libenter exaudiet nos, quando pro ijs quæ ad animæ noſtræ ſalutem pertinent, eamdem inuocabimus. Nam *ſi compaſſa eſt*, inquit Bernardus Serm. 2. de Nuptijs, *verecundiæ illorum à quibus fuerat inuitata, multo magis compatietur nobis, ſi piè fuerit inuocata*. Olim infelix valdè erat euentus belli, cùm fractæ eſſent vires Syrorum, ſtratis nimirum in acie ab exercitu Regis Achab centũ hominum millibus, qui fugiebant, ſed non effugiebant. His verò quibus equorum velocitas erat ſubſidio, non fuit fortuna melior. Nam recipientes ſe ad ciuitatem proximam, ſenſerunt ibidem duram manum Dei, cuius nutu factũ eſt, vt viginti ſeptem millia à murorum inopinata ruina perirent. Alij autem qui ſuperuiuebant, inito conſilio dixerunt: *Ecce, audiuimus, quòd Reges domus Iſrael clementes ſint, ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris, & funiculos in capitibus noſtris, & egrediamur ad Regem Iſrael: forſitan ſaluabit animas noſtras.*

Bernar. — 3 Reg. 20,31.

30. Exercent hi pro vita ſua ſupplices ſupplicum & contritorum cærimonias. vnde Ioſephus lib. 8. Antiquit. c. 4. docet, antiquitus Syros ſolere ſaccis indui circa lumbos, & funes capitibus aſtringere, cùm alicuius delicti expiationem exorarent. Eſt autem vſitatum, & naturæ inſtinctui conſonum, vt qui orant veniam pro culpa commiſſa, ſtatum præ ſe ferant abiectum & miſerandum, quo fateantur ſe paratos ad quiduis ſubeundum. Hinc nos, dum ſicut oportet oramus, non tamquam illuſores Deum tentantes, ſed vt Chriſtiani iram illius pacantes, coniungimus & congerimus manus, quaſi ligatæ forent, quo ſigno profitemur, nos aliquid admiſiſſe, propter quod ligatis manibus meremur inſtar malefactorum ad ſupplicium rapi. Eſt hæc doctrina Nicolai Papæ ad Conſultationes Bulgarorum, cuius verba citat Sanchius in 3. Regum c. 20. ℣. 31. *Quia in Euangelio*, inquit, *reproborum ligari manus & pedes reperiuntur, quid aliud iſti agunt qui manus ligant, niſi quodammodo dicant: Domine, ne manus meas ligari præcipias, vt mittas in tenebras exteriores, quoniam ecce ego iam eas ligaui, & ecce in flagella paratus ſum.*

Ioſeph. — Nicol. Papa.

31. Hæc dicta ſunt occaſione eius, quod præclara clementiæ fama Regis Iſraël glorioſiùs Syros ſupplices pedibus illius proſtrauerit, quàm gladius ejus debellauerat rebelles. Eodem modo inter cetera Mariæ Virginis nomina ſibi glorioſa & hominibus gratioſa, miſericordiæ & clementiæ Epitheton præcipuum, imò & ſolum eſt, quod miſeros ad matrem miſericordiæ meritò inuitat. Audimus autem ſingulis diebus in Eccleſijs famam clementiæ illius publicis præconijs celebrari: non ſolùm enim in priuatis orationibus & in ſilentio vocamus eam matrem gratiæ, matrem miſericordiæ, ſed etiam in Canticis & choris, & chordis & organis inuocamus clementiam illius & pietatem, dicentes in celebri illa Antiphona, *Salue Regina, mater miſericordiæ*, &c. *ô clemens! ô pia! ô dulcis Virgo Maria!*

32. Vt autem omnibus conſtare poſſit, quàm benignè ſuſcipiat eos qui ad illam humiliati & contriti confugiunt, tamquam ad commune aſylum & refugium peccatorum, clamantes in hac lacrymarum valle, pro peccatorum ſuorum remiſſione ſuſpirantes, miſerias huius vitæ pijs & deuotis, etiam non inuocata, miſericordi-

Digitized by Google

corditer deprecatur apud Filium ſuum Ieſum. vnde compatiens dixit: *Vinum non habent*. Sicut igitur peccatores, *qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis*, & qui ſicut Moab requieſcunt in fæcibus ſuis, ſine fructu illam ſubinde inuocant (etſi aliquando illis etiam proſit talis qualis beneuolentiæ affectus, vt poſteà dicetur) recitantes potiùs ex conſuetudine quàm ex deuotione illam precatiunculam ſalutationi Angelicæ annexam, *Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ*, iuxta ea quæ præcedenti Diſcurſu dicta ſunt; ita pij & ſancti, quos negotium ſalutis ita tangit, vt corporis miſerias ſentiant quidem, ſed ferant, ſæpè experiuntur quod B. Virgo miſerorum naturale deſiderium aliquando exaudiat, antequam audiat, eò quòd non rogata roget, dicens Filio ſuo, *Vinum non habent*.

Ioan. 2,3. Prou. 2,14. Ierem. 48,11. Ioan. 2,3.

33. Tanta autem eſt huius Virginis pietas, vt ſuprà quàm credi poſſe videatur, ſubinde etiam mirabili diſpenſatione peccatoribus procuret ſalutem, qui eamdem deſperatione quodammodò impoſſibilem reddere videbantur; adeò vt finaliter conuertantur ad Deum, qui ne quidem orando, vt Virgo pro illis intercedere dignetur, ad eam erant conuerſi. Multa hac dere Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ referunt, ex quibus conſtat, nonnullos in fine conſecutos eſſe ſalutem, qui pia conſuetudine paruum quid ex affectu erga Virginem eidem offerre ſolebant, etſi miſericodię illius minimè ſe commendarent. De quodam inſigni latrone legimus, quòd is animo latrocinandi quodam die ingreſſus ſit domum vetulæ cuiuſdam, qui ibidem nihil reperiens præter omnium rerum inopiam, cœpit cum muliere nugari, & ſciſcitari an bonum ientaculum ſumpſiſſet. Abſit, inquit mulier, dies enim Sabbatinus eſt; audiui autem ex concione, omnibus ieiunantibus illo die in honorem Virginis, promitti immunitatem à morte improuiſa & præuia confeſſione deſtituta. Latro verò verbi illius non ſurdus auditor, proponit durante vita ieiunij eamdem obſeruantiam, quam etſi continuatione latrocinij fœdatam, fideliter præſtitit. Tandem inopinatò lethaliter vulneratur, & putatus mortuus, cœpit clamare: Confeſſionem, Confeſſionem. Adſcito Confeſſario facit exomologeſim conſcientiæ ſuæ, primam quidem fortè, at certè fructuoſam valdè, poſt quam ſtatim obdormiuit in Domino.

34. Ex vno hoc facto, ſed non ſolo (cùm multa ſimilia pietatis exempla nobis ſuppetant inferiùs annotanda) clarè comprobatur, quàm miſericorditer Maria ſubinde non rogata roget, & quàm anxiè pro eorum ſalute ſollicitet, qui aliquid deuoti ſeruitij eidem offerre conantur. Vt Spiritus ſanctus nobis explicet Chriſti Domini in peccatores charitatem, cui vt inordinatam & nimiam obmurmurabant Phariſæi, dicentes: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*; propoſuit hominem, qui relictis nonaginta-nouem ouibus in deſerto, vadit ad illam quæ perijt. Item mulieris meminit, quæ decimam drachmam quærens, accendit lucernam, euerrit domum, &c. Verum eſt quod ait Gregorius Hom. 34. in Euangelia, *qui ſignatur per paſtorem, ipſe per mulierem.* Tamen Hugo Cardinalis ſenſu morali dicit, per mulierem hanc quemlibet ſollicitum Prælatum ſignificari, qui ſi ex omnibus drachmis, id eſt animabus ſibi commiſſis, vnam perdiderit, accendit lucernam orando, meditando,

Lucæ. 15,2. Gregor.

Digitized by Google

tando, exhortando, monendo. Item euertit (vel, vt habet tranſlatio Bene-
ꝟ.8. dicti Ariæ Montani, *euerrit*) domum, quando conſcientias ſubditorum de reatu ſuo perturbat, vt timentes damnationem, in ſpiritu humiliato & in animo contrito pœniteant, & ita cum ſumma omnium congratulatione tandem inueniantur.

35. Sed per hanc ſollicitam mulierem, & drachmæ perditæ inquiſitricem, optimè Mariam intelligere poſſumus; quæ non modò errantes oues, & ad paſtorem orationibus & gemitibus anhelantes & balantes, quærit, ſed etiam pro mutis drachmis, perditis ſcilicet animabus, quæ ſe orationibus illius non commendant, intercedit. Nota proinde, quòd ouis perdita & drachma amiſſa ſe habeant quaſi vt
Simile. excedentia & exceſſa. Nam etſi ouis balatu ſuo paſtorem meritò ad compaſſionem moueat (vnde Dauid ait,
Pſalm. 118, 176. *Erraui, ſicut ouis quæ perijt: quære ſeruum tuum,* &c.) tamen in hoc grauiùs offendit, quòd non tantùm pereat, ſed etiam perdat; erret, & in errorem trahat: vnam enim malè abeuntem ouiculam ceteræ ſequuntur. Eodem modo quidam peccatores pereunt peccatis proprijs, & perdunt alios malis exemplis. Hi ſunt de quibus dici poteſt quod Paulus ait de ijs qui falſis doctrinis ſuis ſimplicibus incommo-
2. Tim. 3, 13. dabant: *Mali autem homines*, inquit, *& ſeductores, proficient in peius; errantes, & in errorem ducentes.* Alij autem inſtar drachmæ perditæ, cui non eſt vox neque ſenſus, in angulis latent, nec Mariæ intercesſionem implorant, ſed eidem beneuolè affecti, ſaltem cauent ne obſint alienæ ſaluti: pro his ſubinde Maria non requiſita orat, quibus finalem & ſalutarem pœnitentiam impetrat, &c. Amen.

DISCVRSVS IV.

Magna fuit Virginis pietas, quæ triginta annis patienter ferens propriam inopiam, deficiente vino in nuptijs, vix per momentum pati potuit alienam.

36. VERÆ charitatis conditionem multis modis delineans Paulus, inter alia dicit: *Non quærit* 1. Cor. 13, 5.
quæ ſua ſunt. Quærunt quæ ſua ſunt, qui omnia ſuis priuatis commodis metiuntur: de quibus communiter dici ſolet, quòd quærant ſeipſos, quodque in omnibus actionibus ita ad propria commoda anhelent, vt ea publicæ vtilitati & bono diuino (quod eſt bonum commune & vniuerſale) præferant, ad quod tamen promouendum & ampliandum charitas maximè impellit: ſicut è diuerſo amor ſui (quæ eſt vitioſa quædam cupiditas) præponit terrena cæleſtibus, humana ac tranſitoria diuinis & perpetuis. vnde benè ait Auguſtinus: *Charitas, de qua* Auguſt.
ſcriptum eſt, quòd non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia proprijs, non propria communibus antepont. Huius charitatis ſpecimen dederunt diſcipuli in deſerto, cùm Chriſtus, miſertus ſuper turbam, ſaturauit quaſi quatuor millia. Interroganti enim quot panes haberent, dixerunt ſeptem. *Et accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit.* Ecce panes ſibi neceſſarios in ſolitudine libenter exhibuerunt communi neceſſitati. Marc. 8, 6.

37. Quàm longè abſuerit B. Virgo à vitioſo amore ſui, & quàm plena vera charitate, quæ non quærit quæ ſua ſunt, clarè manifeſtat in prima hac ſupplicatione quam pro alijs ad Filij Ioan. 2, 3.
ſui diuinitatem direxit, dicens: *Vinum non*

Digitized by Google

non habent. Vixerat triginta annis in magna omnium rerum penuria cum Filio qui cooperatur nidificantibus auibus, & vulpeculis terram excauantibus, vt ſibi habitationem adaptent, ſeipſum autem neglexit, adeò vt dixerit, *Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet*: tamen nec ſemel legitur ab eo quidquam poſtulaſſe, non ignorans eum iure omnium Dominum eſſe, penes quem erat, ſola voluntate pauperis matris familiam abundare facere. Inſtar communis matris gallinæ ſollicitæ pro pullis oblita eſt ſuiipſius. Eſurit gallina, & granum quod ſcalpendo terram inuenit proprio roſtro tenens, conuocatis pullis diſtribuit. Eodem modo Virgo beata triginta annis abſtinuit, & ecce vt verecundiæ eorum conſulat qui eam inuitauerant, primum diuinitatis ſignum illis poſtulat, dicens: *Vinum non habent*.

Lucæ 9,58.

Simile.

Ioan. 2,3.

38. In multis Sanctis qui vera charitate præditi fuerunt, manifeſtatur clarè, quòd ipſa non quærat quæ ſua ſunt. Taceo diuerſos qui hac virtute claruerunt tempore noui Teſtamenti, & ipſum Paulum, qui quod verbo docuit, exemplo & facto probauit. Sed non defuerunt in veteri Teſtamento, qui ante aduentum Chriſti arſerunt hoc igne, quem is venit mittere in terram, volens vt accendatur. Deus de tribus Moyſen certiorem reddidit, quæ eiuſmodi erant, vt inde meritò pro ſeipſo ſollicitus redderetur, niſi hæc charitas eum continuiſſet. Primò illi prædictum fuit, quòd certo certiùs mors eius inſtaret. Secundò, quòd ei auferendum eſſet amplum illud imperium, cuius tanta erat dignitas, vt non ſolùm Dux populi Iſraëlitici, ſed etiam Deus Pharaonis appellandus eſſet. Tertiò (quod ſanè triſte erat) quòd ſibi non pateret ingreſſus in Terram promiſſionis, quam ei Deus de longè ſolùm videndam præberet, pro qua tot annis, tot exantlatis laboribus, difficillimas profectiones confecerat, & multa mortis diſcrimina paſſus fuerat. Interim Moyſes horum omnium & ſuiipſius oblitus, pro ſolo populo ſibi commiſſo anxiè orat Deum, dicens: *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc*, &c. *ne ſit populus Domini ſicut oues abſque paſtore*.

Num. 27,16. 17.

39. Indicat Moyſes, pro ſalute eorum, ſe anxiari, ideò notanter vocat Deum *Dominum ſpirituum*. Hoc nomine poſteà eum appellandum indicauit Paulus, qui ſic ait: *Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non multò magis obtemperabimus patri ſpirituum, & viuemus?* Significat Apoſtolus his verbis, animam nos non habere à parentibus, ſed eam à Deo creari, & infundi carni humanæ. Inde enim fit, quòd parentes noſtros, patres carnis noſtræ appellet, Deum verò patrem ſpirituum, id eſt animarum. Vnde benè dixit mater illa æternâ memoriâ digna, ſtupens filiorum ſuorum animi fortitudinem, qui tyranni tormenta contemnentes, fidem Deo debitam morte ſua conſignarunt: *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donaui vobis*. Non modò pater animæ, ſed & Dominus eſt qui dicet ei, Vade, & vadit; veni, & venit. Quando creando infundit, & infundendo creat animam, mandat ei vt vadat ad corpus, à quo aggrauabitur: tempore verò mortis præcipit ei vt redeat. Vtriuſque huius imperij meminiſſe videtur Sapiens paucis verbis, dicens: *Reuertatur pul-*

Hebr. 12,9.

2. Machab. 7, 22.

Eccle. 12,7.

nis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Cùm igitur ait Moyſes, *Prouideat Dominus Deus ſpirituum*, oblitus omnium quæ eum concernebant ac iam iam ipſi imminebant, indicat, quòd vera charitas facilè contemnat propria commoda corporis (ſpectabat enim ſolùm ad ſolatium corporis, ſi diutiùs viueret, & rerum potiretur, ac terram promiſſionis ingrederetur) & tota in eo eſt, vt ſaluti animarum prouideat, ac ſtudeat bono diuino, quod eſt bonum commune & vniuerſale.

1. Cor. 13,5. 40. Itaque quando ait Paulus, *Charitas non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt*, ſignificare intendit, quòd nemo qui habet charitatem, proprium bonum corporale præponat bono ſpirituali alterius. Hinc factum eſt, quòd Virgo beata, quæ triginta annis ſine vlla ſui ſollicitudine vixit in ſumma omnium rerum inopia, ne per momentum quidem pati potuit defectum vini, per cuius miraculoſam ex aqua conuerſionem, verecundiæ inuitantium, & ſaluti inuitatorum miſericorditer prouiſum eſt. Nam, vt ait Euangeliſta, *hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilaa, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Ioan. 2,11.

41. Quod attinet autem ad ea quæ honorifica aut corpori commoda iudicantur, vera charitas efficit, vt homo alterum ſibi etiam ſępè pręferat. Chriſtus veniens in hunc mundum, non quæſiuit quæ ſua erant: quia, vt exponit Haymon, propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendens de cælo, non quæſiuit iuſtos & ſanctos qui ſui erant, vnde etiam honorem ſibi cumulare potuiſſet; ſed quæſiuit peccatores & infames publicanos, qui ſub diaboli imperio erant. vnde ait: *Non* Marc. 2,17. *veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Non etiam quæſiuit quæ ſua erant, vt nimirum ab omni creatura honoraretur (quod ei multis titulis competebat) erat enim Deus & omnium creator. Significatum eſt in veteri Teſtamento à Dauide, quæ erant Chriſti. *Tua* (inquit) *eſt Domine magnificentia, & potentia & gloria, atque victoria*, &c. *Tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes principes. Tua diuitia, tua eſt gloria.* Nihil autem horum ipſe quæſiuit, verùm quæ erant latronum, homicidarum & malefactorum; nimirum ſputa, colaphos, alapas, irriſiones, verbera, crucem, mortem deſiderauit. vnde ipſe ait: *Tamquam ad latronem exiſtis*, &c. item: *Cum iniquis reputatus eſt.* 1. Par. 29,11, 12. Matth. 26, 55. Marc. 15,28.

42. Charitas non eſt ambitioſa, inquit Paulus: multum abeſt vt ambiat, quin etiam contemnit debitum ſibi honorem. *Non quærit quæ ſua ſunt.* 1. Cor. 13,5. Eſt ſingularis effectus charitatis, quòd non ſit faſtidioſa, nec proximorum cauſa, quos diligit, reſpuat vilia miniſteria. Non verecundatur, ſed potiùs gloriatur charitatiuus, quòd alijs ſe ſubmittat. Sequitur enim illud Chriſti, *Vade, recumbe in nouiſſimo loco.* Etſi Luc. 14,10. fortè primus locus debeatur ei qui charitatem habet, tamen, iuxta conſilium Chriſti, non quærens quæ ſua ſunt, eliget nouiſſimum. Hunc effectû etiam operata eſt charitas in Apoſtolis, qui ſicut communi egeſtati propriam indigentiam poſtponendam eſſe indicarunt, dum ſeptem panes ſibi neceſſarios in ſolitudine turbæ diſtribuentes, ita etiam turbæ recumbenti miniſtrarunt. *Ieſus enim præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit, & dabat diſcipulis ſuis vt apponerent, & appoſuerunt turbæ. Quis maior eſt,* Marc. 8,6. Luc. 22,27.

eſt, (inquit Chriſtus) *qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit?*

43. Ex eo quòd Virgini innotuit vini defectus imminens, cócludit S. Bonauentura, quòd ipſa etiam hoc ſenſu non quæſiuerit quæ ſua erant in nuptijs: ex omnium enim ſententia certum eſt, quòd honorificentior locus illi debebatur in illo conuiuantium conſeſſu, quæ tamen non tantùm non ſedit in primo & præcipuo loco, ſed nec ſedit quidem, quin potiùs recumbentibus miniſtrauit. *Quod inde colligere poſſumus* (inquit Bonauentura lib. de Vita Chriſti cap. 20.) *quòd perpendit defectum vini, vnde ipſa non erat, ſicut vna ex diſcumbentibus, ſed ſicut per cuius manus res ibant.* Præterea, quòd non diſcubuerit, inde licet colligere, quòd Chriſto Domino ſubmiſſa voce defectum vini inſinuauerit, quod vtique commodè fieri non potuit, niſi illi collateraliter accubuiſſet. Putat autem S. Bonauentura, non eſſe veriſimile, verecundam virgunculam inter viros menſæ accubuiſſe, præſertim cùm non decenter ſedendo, ſed more Iudæorum viri in lectis recumbendo cibum ſumere ſolebant. Feminæ igitur aut non procumbebant, aut ſaltem ſeorſum à viris comedebant. Si verò alibi inter mulieres Maria diſcubuit, an de prandio ſurrexit (inquit Bonauentura) vt iret ad Filium? *Inconuenientia hæc videntur; & ideò veriſimile eſt, quòd tunc non diſcumbebat.* Concludit ergo, quòd Virgo erat vna ex miniſtrantibus. *Conſpice Dominam* (ait) *obſequioſam, alacrem & ſollicitam in cunctis faciendis, & præbentem & oſtendentem miniſtris quid & qualiter diſcumbentibus deferant.*

Bona-uent.

44. Ex his quæ in B. Virgine notanda ſe offerunt, patet, quòd vera pietas & miſericordia quã longiſſimè à nobis profligat vitioſum amorem proprium, qui eſt fons & origo omnis mali. *In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa* (dicit Paulus) *& erunt homines ſeipſos amantes.* Copula & cauſalis eſt potiùs quàm coniunctiua, idémque ſignificat quod *quia*; aſſignat enim radicem, ex qua pericula, & alia quę ſubdit mala, pullulabunt, quia ſcilicet erũt homines ſeipſos amantes: amor enim ſui arguit defectũ amoris Dei & proximi. Solent homines viles, laceri, & ſcurræ, tẽpore frigoris ſeipſos brachijs amplecti, vt ſic quoquo modo calefieri poſſint; quos tranſeuntes digito demonſtrant, dicentes: Ecce quomodo amat, & quàm compreſſis brachijs ſeipſum amplectitur. Eodem modo viles ſunt in oculis Dei, & riſu digni, qui ſeipſos inordinatè amant, & omnia vlnis expanſis ad fouendum in ſinu ſuo amorem proprium corradunt.

2.Tim. 3,1.2.

Simile.

45. Amor ſui ſe prodit non tantùm dum homo proprijs commodis inordinatè ſtudet, ſed etiam dum nimis ſollicitè ſe ab incommodis tuetur. *Non vos defendentes chariſſimi*, inquit Paulus, *ſed date locum iræ.* Amor hic eſt diſcordiæ mater: qui enim proprio laborat amore, errores ſuos per fas & ne fas defendit, ſententias proprias ſæpè cum iniuria veritatis ſuſtinet. Hinc rixas & lites excitat. Item ſtultè ſibi placet in omnibus quæ ad illum quoquo modo pertinent.

Rom. 12,19.

46. Benè igitur Apoſtolus addit, quòd homines ſeipſos amantes ſint etiam cupidi, elati, ſuperbi, parentibus non obedientes; ſine affectione, id eſt inhumani in parentes, vxores, benefactores, cognatos, famulos; adeò vt naturalem affectum numquam habuiſſe, aut penitus exuiſſe, & brutorum ac ſaxorum duritiem & inſenſibilitatem induiſſe videantur. An non laboret

crudeli & inſano amore proprio illuſtris & magni nominis vir quidam, ſi proſapiam conſideres, obſcurus tamen valdè, ſi attendas ad id quod nuperrimè ex relatione intellexi, cui propter auctoritatem referentis fides ſine temeritate adhiberi poteſt. Res autem talis eſt. Acceſſit ad eum miſer & egenus, ſtipem mendicans: quem duriter reiecit, allegans rationem ab omni humanitate alienam. *Exemplum.* Cùm enim mendicus, manifeſtata vtriuſque parentis orbitate, conaretur inſenſibilem ad compaſſionem emollire, dixit brutalis homo: Apage impudens, nam fortunatior me es, qui necdum vtroque parente orbatus, viuo & ingemiſco. Quibus verbis crudelis homo, defuncto patre, ſignificabat ſe anhelare ad mortem matris, diutiùs quàm optabat ſuperſtitis, propter bona, quibus, durante vita eius, impudentiſſimus patrimonialium bonorum diſſipator, multò ære alieno grauatus, deſtitutum ſe dolebat. Vno & eodem verbo pauperem à ſe inanem crudeliter repulit, ſed multò crudeliùs, matris longæuam vitam ſibi moleſtam eſſe ſignificans, eiuſdem mortem deſiderauit. Quomodo amans ſeipſum parenti eſſet obediēs, cui ſe ſine vlla affectione tam inſenſibilem & crudelem exhibuit?

47. Homines igitur ſeipſos amantes, omni pietate & miſericordia vacui ſunt, econtrà vera miſericordia & ſincera charitas, quæ non quærit quæ ſua ſunt, efficit vt homo, ſe neglecto, proximi curam gerat, in ijs ſaltem quæ ad corporis conſolationem pertinent. Mirabilis fuit hac in re mulieris Sarephtanæ pietas, quæ cùm nihil haberet in domo niſi parum farinæ, quantum pugillus capere poterat, & pauxillum olei vnde ſibi & filio vltimam refectiunculam parare intendebat, tamen interpellata ab Elia, qui aiebat: *Mihi* 3. Reg.
primùm fac de ipſa farinula ſubcineri- 17. 13.
cium panem paruulum, & affer ad me, tibi autem & filio tuo facies poſteà, ſe & filio ſuo neglecto, *abijt & fecit iux-* ℣. 15.
ta verbum Eliæ.

48. Inhumanus omnino cenſeri poſſe videtur hic Elias. Nam ex puſillo farinæ, qui pro duorum alimento reliquus & neceſſarius erat, petit ſibi partem non modicam. Excuſat quidem illum Lyranus noſter, eò quòd Lyran.
erat fatigatus ex itinere & ieiunio, quamobrem accelerari debebat illius refectio. Non videtur tamen quòd in extrema neceſſitate conſtitutus habeat ius ad cibum mulieris, quæ & ipſa extremæ neceſſitati erat tam propinqua, vt dicat: *En colligo duo ligna, vt ingre-* ℣. 12.
diar, & faciam illũ mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur. Quidquid ſit de hac re, ab omni inhumanitatis ſuſpicione illum liberat rerum omnium abundantia diuinitus promiſſa, quā etiam mulier experta eſt. Ita enim multiplicatus eſt pugillus farinę, quem viro Dei, ſe neglecto, primò parauit, quòd *comedit ipſe, & illa, & domus eius:* ℣. 15.
& ex illa die hydria farinæ non defecit.

49. Oſtendit Deus in hoc facto ſingularem curam, quam de illis habet, quos miſericordia & charitas, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ita mouet, vt, ſe neglecto, proximi miſeriam magis ſentiant quàm propriam, ad imitationē beatæ Virginis, quæ triginta annis nihil leuaminis legitur ſibi poſtulaſſe à Filio, apud quem in nuptijs vini defectum exorans, pro defenſione honeſtatis eorum qui illam inuitauerant interceſſit. Item iuxta ea quæ iam dicta ſunt, primò parauit alijs inuitatis quæ neceſſaria erant, obſequioſiſſima & humillima Virgo, quibus honeſtè refectis, ipſa cum reliquis nuptiarum miniſtris tē-

pore

pore & loco nouiſſimo propriæ neceſſitati cum gratiarum actione ſatisfecit. Hanc, quantum fert humana fragilitas, imitemur, memores verborum Lucæ 22,27. Chriſti, qui dixit: *Ego autem in medio veſtrûm ſum ſicut qui miniſtrat.* qui alibi ait: Marc. 10,31. *Et erũt nouiſſimi primi*, &c. Amē.

DISCVRSVS V.

Quemadmodum peccando Deum offendimus, ita & præ omnibus Sanctis Mariam (quantum in nobis eſt) dolore afficimus, quæ tamen inuocantibus ſe miſericors manet.

50 NON eſt dubium, quin peccando, & Dei maieſtatem offendamus, & Sanctorum vniuerſitatem quodammodò contriſtemus. Patet hoc in Euangelio de Rege, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis, Matth. 18,34. de quo dicitur: *Iratus dominus eius*, ſcilicet qui oppreſſerat & in carcerem coniecerat conſeruum ſuum, *tradidit eum tortoribus.* Ecce Dominum offenſis noſtris ad iracundiam prouocatum. Quòd autem Sanctos afficiamus, quãtum in nobis eſt, triſtitia, ex eodem Euangelio manifeſtum eſt. dicitur ℣. 31. enim: *Videntes autem conſerui eius quæ fiebant*, inter debitorem nimirum centum denariorum, & crudelem exactorem, *contriſtati ſunt valdè*, quia cùm eſſet in conſeruum crudelis, in Dominum impius erat. Membrum autem quod non affligitur quando caput vulneratur, ſtupidum & emortuum eſt. 1. Cor. 12, 26. Nam ſi *quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia mem-* Simile. *bra*; quantò magis ſi capiti, quod omnium membrorum nobiliſſimum eſt, vulnus infligatur? Eodem modo non viuit, nec eſt in ſtatu gratiæ, qui ſine ſenſu doloris diſſimulat offenſam & iniuriam Creatoris. Vt enim peſſimi ſunt *qui lætantur cùm malefecerint,* Prou. 2,14. *& exultant in rebus peſſimis*, quamuis ab alijs perpetratis; ita bonis annumerandus non eſt, qui non dolet propter Dei offenſam de aliorum peccatis.

51. Pœnitens Dauid ait, *Tibi ſoli* Pſalm. 50,6. *peccaui.* Nam offenſa propriè & primariò quidem contra ſolum Deum committitur, Sancti tamen inde etiam quaſi contriſtantur & dolore afficiuntur. Hinc fit quòd Sacerdos ad pedem altaris ante Miſſæ introitum dicat: *Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ ſemper Virgini,* &c. *& omnibus Sanctis, quia peccaui nimis*, &c. Hanc cærimoniam etiam ſanctiſſimi Sacerdotes obſeruant, qui millies mallent mori, quàm accedere ad celebrandum, niſi priùs per confeſſionem Sacramentalem (ſi opus fuit) obtinuerint remiſſionem offenſæ in Deum commiſſæ. Non tamen fruſtrà confeſſionem iterùm præmittunt cum Sanctorum omnium inuocatione ipſi ſacrificio Miſſæ. Nam etſi, antequam ſe Sacerdotalibus ornamentis induant, Deum offenſum & ſibi iratum conati ſint pacare, tamen ad pedes altaris, Sanctos, quos veluti dolore & triſtitia affecerunt, etiam pacandos eſſe cenſent.

52. Qui alteri vulnera inflixit, non Simile. ſatisfacit, etſi expenſas ſoluat chirurgo; quinimò omne damnum reparare tenetur, quod vulnerato obuenit tam ex lucro ceſſante, quàm ex damno emergente. Nec ſic liber quidem euadit, obligatur enim ad compenſationem doloris, quem paſſus eſt ex vulneris inflictione & eiuſdem pœnali curatione. Eodem modo non debet nobis ſufficere, quòd Deo, quem offendimus, ſatisfiat per contritionem & confeſſionem, & per opus pœnale à

Sacerdote iniunctum: nam etſi hoc modo cum ſatisfactione pro offenſa etiam chirurgo, qui vulneribus animæ noſtræ medetur, fiat quædam ſolutio, non tamen ſtatim omne damnũ, quod Chriſti corpus myſticum ex peccato paſſum eſt, reparatur, nec facta eſt debita compenſatio Sanctis, quos dolore & acerba triſtitia, quantum in nobis eſt, afficimus, dum Deum (qui ex natura ſua omnis afflictionis incapax eſt) peccando offendimus. Et hæc eſt cauſa, cur non modò Deo omnipotenti, ſed etiam omnibus Sanctis fiat confeſſio, vt nimirum illi pro offenſa, his autem pro dolore & triſtitia fiat ſatis.

53. Ceterùm ſicut inter omnes Sanctos Maria maior eſt in donis; ita etiam prima & præcipua haberi debet inter vniuerſos, qui à peccatoribus (quantum in ipſis eſt) afficiuntur triſtitia & doloribus. Verùm, eo non obſtante, omnes reliquos ſuperat miſericordia, adeò vt ſi aliqui peccatores Sanctis ſint abominabiles, illa tamen nullum execretur, aut reijciat, modo ad illam confugiat. Hinc eſt quòd vocetur ſine limitatione aliqua generale *refugium peccatorum*.

54. Inhumanus ille creditor & crudelis conſerui oppreſſor, cuius iam mentionem feci, qui Dominum immediatè antè tam gratioſum debitorum ſuorum condonatorem expertus fuerat, poſt commiſſam inhumanitatem iterùm ad Dominum ſuum citatus, non legitur poſtulaſſe veniam, deſperabat enim quòd inter omnes ſeruos ſuos vel vnum inueniret, qui vellet pro eo intercedere; cùm fortè non ignoraret, quòd omnes vſque adeò contriſtauerit, vt fierent contra illum delatores, narrantes domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Intelligit Remigius, quẽ citat S. Thomas in ſua Catena, per ſeruos Angelos, Prædicatores, & fideles Eccleſiæ, qui omnia narrant Domino. Magnam enim triſtitiam vix aliquis ita continet, vt pro leuamine non aliquando cor ſuum effundat. *Domino autem narrare, eſt dolores & contriſtationes cordis in ſuo affectu demonſtrare*, vt dicit idem Remigius. Ex hac parabola Euangelica patet, quòd peccator facilè deſperaret, qui peccando Dominum offendit, & omnes Sanctos contriſtauit, niſi illi Maria, etſi præ ceteris magis contriſtata, pro ſolatio & pro aduocata relicta eſſet. Remigius.

55. Nota, omnes domeſtici, ſi multa grauamina patiantur ab aliquo de familia, facilè deponunt ſuam iniuriam apud iuſtitiæ adminiſtratorem, qui ſemel reum accuſando, perdere videntur ius poſteà pro eo intercedendi. Mater autem familiæ, etſi præ ceteris ſummo dolore afficiatur, tamen ex naturali affectu illam in corde ita digerit & concoquit, vt vix vmquam de filio prodigo conqueratur apud eum, qui *non ſine cauſa gladium portat, vindex in iram ei qui malè agit*. Eodem modo Maria mater gratiæ pro peccatoribus ad ſe confugientibus ſemper intercedit, contra quos apud Iudicem delicta, quibus grauatur, iuridicè non deponit. *Simile.* Rom. 13,4.

56. Infans horribili ſcabie aut fœtida aliqua infirmitate laborans, alijs ſæpè horrori eſt, in tantum vt faciem ab eo auertant, & potiùs in ſordibus ſinerent putreſcere, quàm manibus attingere velint, non tamen matri, quæ illum ſuſcipiens, aliorum inhumanitati aut obmurmurat, aut etiam benignè excuſat, dicens: Non eſt mirum, ô miſelle, ſi alijs oneri ſis, ego enim ſola mater ſum, ego te in vtero geſtaui cum moleſtia, & peperi cum dolore & triſtitia. *Simile.*

Digitized by Google

ſtitia. Horrent & auertunt faciem aliquando Sancti à peccatoribus, vt patet
Exemplum. in B. Maria Magdalena de Pazzi Florentina Ordinis Carmelitarum, nuperrimè ab Vrbano VIII. beatificata: quæ, vt habetur in Vita eius, dum poſt mortem multis ſpectanda exhiberetur, & quædam feretro illius appropinquaret, quæ in carnalibus immerſa erat, omnibus qui circumſtabant ſtupentibus, auertit caput ab impudica muliere, non aliter quàm ſi ſordes illæ etiam mortuę virgini nauſeam attuliſſent. Ex hoc facto fortè conuertit ſe mulier, quæ erat in ciuitate Florentina peccatrix, videns ſe externo hoc ſigno quodammodò à Sancta illa reiectam, ad communem Matrem miſericordiæ; nam ad meliorem mentem per
Pſalm. 118, 63. pœnitentiam conuerſa, facta eſt *particips omnium timentium Dominum*, & cuſtodientium mandata eius.

Simile. 57. Antiquitus pingi ſolebat amor cum crumena in manibus aperta & porrecta, ſed oculis obuelatis. In eadem figura mater gratiæ depingi poſſe videtur, quæ ſine delectu perſonarum omnibus (claudens oculos à peccatis olim commiſſis) protendit ſuam interceſſionem, ſi ad illam confugerint. Si qui verò non experiuntur efficaciam illius, nec obtinent miſericordiam à Deo, ipſi ſibi imputent quòd indiſpoſiti accedant. Ad ſalutem conſequẽdam non ſufficit quòd communi modo à Deo amemur: nam, vt
Sap. 11, 25. dicit Sapiens, *diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Intelligitur hoc, in quantum eſt opus Dei:
Eccli. 12, 7. nam *altiſſimus odio habet peccatores*, id eſt ad modum odio habẽtis ſe gerit: quia nimirum prohibet peccata fieri, & commiſſa duriter punit. Item omnes dicitur diligere, & neminem odio habere, quia omnia conſeruat in tantum, quòd nec damnati per momentum ſubſiſterent, niſi eos manus Dei contineret: vnde *Deus diligit naturam quã fecit* (inquit Lyranus noſter) *culpam autem odit quam non fecit.* Non *Lyran.* ſufficit igitur, quòd nos quoquo modo amet, ſed requiritur ad ſalutem, vt gratia ſua nos etiam illuminet.

58. Porrò ſicut nihil eſt tam occultum aut ſubterraneum, ad quod *Simile.* Sol non perringat actione ſua calefactiua, ſecundùm illud, *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius*; ita nihil illuminat, niſi quod de latebris & ſubterraneis cauernis prorepit. Eodem modo *Pſalm. 18, 7.* Sol iuſtitiæ omnes quidem facit participes communis ſui caloris & amoris (vt iam dictum eſt) ſine quo nihil poſſet ſubſiſtere, non tamen gratioſæ ſuæ illuminationis beneficium præbet, niſi ijs qui ex affectu peccati quaſi ex latebris inferni prodeunt: nam qui *malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem.* *Ioan. 3, 20.* Qui igitur vis vt Maria gratioſa ſua interceſſione tibi proſit, & miſericordiam à Deo obtineat, vide an non alibi latites ſub re terrena. In figuram huius Magdalenæ, mortem fratris deploranti, præ compaſſione quidem Chriſtus eſt collacrymatus, non tamen fratrem illius alta voce clamans reſuſcitauit, quamdiu ſub lapide occultatus iacebat, ideò dixit, *Tollite lapidem.* *Ioan. 11, 39.* Si igitur vis vt tibi proſint gemitus, lacrymæ & orationes Mariæ Virginis, tolle lapides & alia impedimenta ſalutis. Nam qui diligit omnia quæ ſunt, non tamen gratia ſua illuminat, niſi eos qui de affectu & occaſione peccatorum, ſub quibus latitant, prodeunt.

59. Non prodeſt debilitato ex in- *Simile.* firmitate, qui ſeipſum non vult de lecto erigere, quòd chorda illi præſto ſit ex alto dependens, quam negligit arripere, quia timet ſibi à frigore & aëris

aëris incommoditate, malens laſciuire in lecto ſub toralibus & ſtragulis, quàm modicam moleſtiam pati,& per oblatam chordam ſurgere. Maria parata eſt ſuccurrere cadenti,ſurgere qui curat, populo, ſi homo aliquid incommodi fortiter patiens, ſe diſponat vt illius præſidio poſſit gaudere, & quaſi chordam arripiat, qua ſeipſum erigat.

60. Conſultiſſimum eſt, vt manibus protenſis ſemper deſideremus Mariæ Virginis præſidium, maximè autem illud ſtudeamus promereri in vita, quatenus noſipſos tempore mortis in lecto doloris, tentati ab eo qui inſidiari ſolet hominis calcaneo, per veram ſpem erigere poſſimus. Refert Bromeardus in ſua Summa prædicantium, v. *Maria*,n.4. de quodam,qui in vita per quinque Salutationes Angelicas lenire ſolebat dolores eius, quos ex quinque Vulneribus Chriſti in paſſione ſenſit: cui tempore mortis trepidanti apparuit, dicens: Cur fili times, cur mortem formidas, qui me toties ſalutando conſolatione demulcere ſolebas? Mœſtitiam pone, ceſſet inordinata ſollicitudo, lætare vt mecum æternaliter læteris. vnde ipſo placidè in Domino obdormiente, extrema luctus eius & tremoris, æterna ſecuritas, requies opulenta, & gaudium occuparunt. (Bromeardus. *Exemplum.*)

61. Simile quid narrat eodem loco de quadam deuota filia,quæ eamdem, non obſtante quacumque occupatione, ſæpiùs ſalutabat. Huic autem morienti magna dæmonum caterua, qui locum, in quo decumbebat, replebant, terrori fuit. Verùm beata Virgo omnes à famula ſua abigens, procurauit perturbatæ filiæ ſuæ animi ſerenitatem, & effecit vt in pace eſſet locus eius. vnde benè addit idem Auctor, magna deuotione meritò ab omnibus dici debere, dum viuimus ſcilicet: *Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.* Verè quod de diuina Sapientia dicitur, hoc Mariæ non ineptè tribui poſſe videtur. *Sapientia autem* (inquit Scriptura) *hos, qui ſe obſeruant, à doloribus liberauit.* vbi Lyranus noſter & Hugo Cardinalis legunt in futuro *liberabit*, id eſt, in quiete æternæ pacis perpetuò conſeruabit, dicit Gloſſa interlinearis. Verè hoc ſibi ſperare poſſunt in morte futurum omnes, qui Mariæ deuoti, eidem in vita fideliter ſeruiunt, &c. Amen. (*Exemplum.* Sap.10, 9. Lyran. Hugo Cardin.)

DISCVRSVS VI.

Magna Mariæ in peccatores pietas ita lenit Deum iratum, vt mitiget rigorem iuſtitiæ, propter illam quæ pro ſola miſericordia ſollicitat.

62. VERVM eſt quod ait Sapiens: *Patientiâ lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiam.* De intellectu huius ſententiæ non conueniunt expoſitores. Præſenti propoſito ſeruit expoſitio Lyrani, quam refert Ianſenius, & ſequitur Ferdinandus Quitinus, qui exiſtimat, homines à Salomone hîc edoceri, qua ratione Principum gratiam iuire & beneuolentiam conciliare poſſint. Certè in vna Abigail manifeſtè probatur veritas huius ſententiæ, quæ iugum matrimonij patienter tulit, quamuis duro & inhumano viro copulata eſſet; pro quo apud Dauidem, qui iratus contra eum, ſpirans minarum & cędis, proceſſit, miſericorditer intercedens, dulci ſermone ſedauit & fregit furorem eius, quantumuis firmo animo decreuiſſet, imò iuraſſet perdere eum cum (Prou. 25,15. Lyran. Ianſenius. Ferdinandus. 1.Reg. 25,26.)

cum omni domo ſua. Conſiderans autem Dauid benignitatem huius mulieris erga virum tam immitem & moribus incompoſitum, tantam beneuolentiam ergo illam concepit, vt mortuo marito eam aſſumeret ſibi in vxorem.

63. Non poterat ſapiens Rex ignorare moleſtias, quas mulier ab homine duro, peſſimo & malitioſo (ſic eum vocat Scriptura) in negotijs domeſticis patiebatur; miratur igitur & veneratur illius patientiam & miſericordiam: quæ videns occaſionē ſibi oblatam, vt ab importabili hoc onere poſſet expediri, non tantùm eam non acceptat, ſed dulcibus verbis oblatis muneribus & donis, toto conatu deprecatur intentatam vindictam. Non deponit querelas cõtra crudelem maritum, non refert quæ mala ab ipſo paſſa ſit; pro iniuria autem qua Dauidem affecit, ſe puniendam proſternit pedibus
℣. 24. eius, dicens: *In me ſit, domine mi, hæc iniquitas*. Hæc mulieris patientia, & in virum tam impium mira pietas, ita
℣. 32. leniuit Dauidem, vt diceret: *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui miſit hodie te in occurſum meum, & benedi-*
℣. 35. *ctum eloquium tuum*, &c. *Vade pacificè in domum tuam, ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam*.

64. Magno artificio vſa eſt Abigail, vt indignatione percitum Dauidem ſedaret, quem ideò maximè permouit ad commiſerationem, quia conſiderabat miſericordiam & pietatem mulieris in virum tam immitem: quam meritò mirabatur, oblitam propriæ iniuriæ frequenter ab eo ſibi illatæ, totam in eo eſſe, vt pro illa, quæ Dauidi facta erat, ſollicitè exoraret. Efficacioribus medijs, & non minori artificio lenit quotidie Maria miſericordię mater Principem Regum terrę, cuius meminit Propheta, dicens quòd ſit *Pater* Iſa. 9, 6.
futuri ſæculi, & Princeps pacis, de quo etſi prędictum ſit, quòd *non erit triſtis,* Iſa. 42, 4.
neque turbulentus, nec audietur vox ℣. 2.
eius foris; qui & proinde ſuam manſuetudinem omnibus nobis in exemplum proponens, ait, *Diſcite à me, quia* Matth. 11, 29.
mitis ſum: nihilominùs Virgo illa ſingularis, inter omnes mitis, ad quam clamamus filij Euæ, vt nos mites faciat & caſtos (ſi fieri poſſet) illum mitiorem redderet, offerens non munera ſicut Abigail, ſed vbera oſtendens quæ lactauit, vt ſic moueat, quatenus pro peccatoribus tamquam aduocatus apud Patrem intercedat.

65. Floſculus vnus nobis decerpendus eſt ex illo Abigaëlis cum Dauide colloquio. Hoc autem, omnibus alijs ſilentio prætermiſſis, diſcutiendum eſt, quo ſenſu dixerit: *In me ſit,* 1. Reg. 25, 24.
domine mi, hæc iniquitas. Nota ergo, quòd ſapientiſſima mulier hîc artem oratoriam exercens, mira vtatur inſinuatione, qualis in cauſa turpi adhiberi ſolet ab aduocato magnæ apud Principem auctoritatis, qui remouens perſonam illi exoſam, inducit honeſtam, in qua commiſſum exceſſum æquiori vultu aſpiciat. Idem enim eſt ac ſi dicat ſenſu Lyrani & Hugonis Cardinalis, Parata ſum recipere quamcumque vindictam pro mariti mei iniquitate, non aliter nimirum quàm ſi à me commiſſa eſſet. Hæc inſinuatio ab innocente propoſita, plurimum habet ponderis ad veniam reo impetrandam.

66. Non eſt dubium, quin B. Virgo hac & ſimili ratione pro peccatoribus ſæpè intercedat, quæ etiam in tali modo patrocinandi Sanctos priores viſa eſt & habuiſſe ſequentes. Hoc enim artificio vtens Moyſes dixit: Exod. 32, 31. 32.
Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me

me de libro quem ſcripſiſti. Eodem fer-
uore etiam Paulus poſt Virginem pro
Rom. ſalute proximi inſtitit, qui ait: *Opta-*
9,3. *bam enim ego ipſe anathema eſſe à Chri-*
ſto pro fratribus meis. Sic idem pro
ſeruo fugitiuo ſollicitat apud Phile-
Ad Philemonem monem, ad quem ſcripſit, dicens: *Si*
ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum
ſicut me: ſi autem aliquid nocuit tibi,
℣. 17. & 18. *aut debet, hoc mihi imputa.* Mira hac
eloquentia Paulus Oneſimo gratiam
heri ſui iuſtè contra illum offenſi con-
ciliauit.

67. Non eſt dubium, quin tanta ſit
miſericordia Mariæ Virginis, vt para-
ta eſſet, ſi per Dei beneplacitum lice-
ret, pro peccatoribus, præſertim ad il-
lam confugientibus, ſubire pœnam,
atque adeò verbis non ſolùm Abigaë-
lis, ſed & Moyſis ac Pauli Deum mo-
1. Reg. 25,24. ueret ad miſericordiam, dicens: *In me*
ſit, domine mi, hæc iniquitas. item:
Phil. ℣. 18. *Si autem aliquid nocuit, aut debet, hoc*
mihi imputa. Hanc etiam in Filio ſuo
agnouit, qui velut Abigail petiuit à
Iſa. 53, 6. Patre ſuo, & impetrauit, *vt poneret*
in ſe iniquitatem omnium noſtrum. im-
putatum eſt enim ei quodammodò
nocumentum & debitum, quo Patri
Marc. 15,28. eramus obſtricti. vnde etiam *cum ini-*
quis reputatus eſt. Hinc fit, quòd Deus
non iiſdem oculis reſpiciat iniquitates
noui Teſtamenti, quibus olim intueri
ſolebat, quando eas frequenter ſubitò
horribilibus ſupplicijs expiabat, niſi in
Agno, qui occiſus eſt ab origine mun-
di, eas tranſpoſitas aſpiceret.

68. Non ſine cauſa dictum eſt Da-
2. Reg. 12,13. uidi: *Dominus quoque tranſtulit pec-*
catum tuum. Non prouocatur enim
Deus ad iracundiam, ſed emollitur
potiùs ad veniam, dum innocens, ora-
torio Abigaëlis floſculo vtens, inter-
1. Reg. 25,24. cedit pro peccatore, dicens: *In me ſit,*
domine mi, hæc iniquitas; reſpicit enim
tunc peccatum non tamquam ab im-
pio commiſſum, ſed quaſi miſericor-
diter tranſlatum. Optimè nouerat hoc
Dauid. vnde orabat, in ſpiritu præui-
dens tempus gratiæ: *Protector noſter* Pſalm. 83,10.
aſpice Deus, & reſpice in faciem Chri-
ſti tui. In illo vide peccata mea, qui
pro me ſoluit quæ non rapuit. Ipſum
audi pro me clamantem meliùs quàm
Abel, & efficaciùs poſtulantem quàm
Paulus qui pro Oneſimo perijt, *Si au-* Phil.
tem aliquid nocuit tibi, aut debet, mihi ℣. 18.
imputa. Eodem modo quo Filius apud
Patrem pro nobis agit, mater apud
Filium intercedit pro ijs qui illi deuoti
ſunt. Quod enim Abigail pro Nabal,
& Paulus pro Oneſimo intercedens
dixit, hoc ipſa (cui poſt Chriſtum nul-
lus eſt in pietate & miſericordia ſecun-
dus) maiori cum efficacia à filio petit,
In me ſit, domine mi, hæc iniquitas (in- 1. Reg.
quiens) *mihi imputa*, &c. Itaque dum 25,24.
peccatorum veniam impetrare volu-
mus, non ſolùm rogandus eſt à no-
bis Pater vt reſpiciat in faciem Chriſti
ſui, ſed etiam Filius orari poteſt, vt ma-
trem pro nobis ſollicitam intueri di-
gnetur.

69. Porrò notandum eſt, quòd
Abigail Dauidem flectens ad miſeri-
cordiam, timebat fortè quòd ille mo-
ueretur ſcrupulo peccati, timens cul-
pam periurij incurrere. Confirmaue-
rat enim propoſitum vindictæ, ſumen-
dæ de ingratitudine & inhumanitate
Nabal, iuramento dicens: *Hæc faciat* 1. Reg.
Deus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi 25,22.
reliquero de omnibus quæ ad eum perti-
nent vſque manè, mingentem ad pa-
rietem. Species iuramenti eſt (inquit
Hugo Cardinalis) cui addita eſt pre- Hugo
catio proſperitatis hoſtibus obuentu- Cardin.
ræ hoc ſenſu. Concedat Deus hoſti-
bus meis felicem belli euentum. In
fugam vertant exercitum meum, &

acies

Digitized by Google

acies eorum glorioſa obtineat campi planiciem. Magnæ meæ & famoſæ victoriæ per me hactenus obtentæ obſcurentur hoſtium meorum bellicoſa animoſitate & proſperitate, ſi pepercero Nabal, &c.

70. Ab hoc igitur metu liberat mulier ſapiens Dauidem, & indicat eum non debere eſſe ſollicitum pro diſpenſatione, ſumit enim in ſe malum quod ex violatione iuramenti fortè timebat.
Gloſſa. *Blandiendo imprecatur ſibi peccatum quod haberet Dauid*, inquit Gloſſa interlinearis. Non aliter hîc ſe gerit mulier obuians ſcrupulo Dauidis, quàm viri ſpirituales agere ſolent, vt anxiam conſcientiam reſtituant tranquillitati, quæ timet ſub omni herba latentem anguem. Solent enim illi vacillantem his & ſimilibus verbis erigere, Fiducialiter in hoc vel illo negotio procedas, relinquens illud conſcientiæ meæ, &c.

71. Simili animoſitate olim eſt vſa Rebecca, quæ ſubordinauit filium ſuum Iacob, vt ſe pro fratre ſuo ſupponeret patri, & hoc modo ſurriperet ab illo benedictionem primogenituræ. Timens autem Iacob, ait matri
Gen. 27,12. 13. ſuæ: *Si attrectauerit me pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater, In me ſit, ait, iſta maledictio, fili mi.* Non voluit pia matrona pro filio ſuſcipere maledictionem Iſaac; terribile enim eſt, à Sanctis maledici, vt patet
4.Reg. 1. in duobus quinquagenarijs ad Eliam miſſis, quos ignis de cælo deuorauit; item in pueris de Bethel, quibus Eliſeus maledixit:
4.Reg. 2,24. *Egreſſique ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerarunt ex eis quadraginta duos pueros.* Sed ita fiducialiter loquitur, quia certa erat de felici euentu: ſciebat enim Deum ita promiſiſſe Gen. 25. ℣. 23. quaſi dicat: Fruſtrà times iram patris, cuius nullum eſt periculum: ego igitur ſpondeo, imò ſi adhuc dubitas & hæres, ego omnem iram patris in me ſuſcipiam.

72. Vt hæc quæ hactenus dicta ſunt, aliquo modo præſenti propoſito adaptari poſſint, notandum eſt, quòd tam exceſſiua ſit Mariæ Virginis miſericordia, & tam magna eius in peccatores pietas, vt non vereatur etiam pro ſceleſtiſſimis Deo ſupplicare; adeò vt meritò videatur timeri poſſe obloquium contra Deum, qui manſuetudini illius ſemper morem gerit. Nam etſi is nullis teneatur legibus, nec quiſquam illi de iure dicere poſſet, *Quare ſic feciſti?* nisi audire velit, *An non licet mihi quod volo, facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Matth. 20,15.
Tamen videri poſſet Deus non eſſe integræ famæ, ſi cum præiudicio iuſtitiæ putaretur miſericors. vnde Dauid ait: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*. quæ verba Auguſtinus exponens, dicit: *Nemo de miſericordia præſumat ad impunitatem, quia eſt ei iudicium: nemo immutatus in melius iudicium timeat, quia præcedit miſericordia.* Pſalm. 100,1. Auguſt. Hinc idem Dauid ſignificat vtriuſque attributi inſeparabilem combinationem. *O Domine*, inquit, *libera animam meam: miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.* Pſalm. 114,5. Iuſtus miſeretur, vt miſericors timeatur.

73. Tantus eſt quorumdam Nobilium faſtus, quòd epiſtolas ſibi deſtinatas cum ſtomacho proijcerent, ſi deprehenderint ſuperſcriptioni illarum vel vnum titulum dignitatis ſibi competentis deeſſe; exiſtimant enim, hac omiſſione reputationi ſuæ detractum iri. Verum eſt, quòd Deus, qui in- Simile.

tuetur cor, contentus ſit, ſi interiori iudicio à nobis habeatur miſericors & iuſtus, quo ſaluo, parum refert, ſi verbis ſubinde ſubticeamus alterum attributorum: vnde etiam idem Dauid aliquando ſolius miſericordiæ mentionem facit, ſuppreſſo titulo iu-
Pſalm. 102,8. ſtitiæ. *Miſerator & miſericors Dominus*, inquit, *longanimis & multùm miſericors*. Alibi verò ſolius iuſtitiæ me-
Pſalm. 10,8. minit, vt cùm ait: *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius*. Etſi igitur breuitatis cauſa in eo diſpenſet, vt non ſemper miſericors & iuſtus appelletur, putat tamen ſuo nomini inuri maculam, ſi aut iuſtus ſolùm, aut tantùm miſericors credatur.

74. Hinc factum eſt, quòd Chriſtus, qui ſæpiùs ſe mitem & miſericordem exhibuit, tarò autem iuſtitiam exercuit, pati ſolebat obloquium detrahentium illi, de nimia cum peccatoribus & publicanis familiaritate & affabilitate, ſemper tamen oſtendit, miſericordiam ſuam numquam ſocie-
Lucæ 15,2. tate iuſtitiæ deſtitutam fuiſſe. *Murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & mãducat cum illis*. quibus ſatisfacit propoſitis duabus parabolis, concludens vtramq; prædictione gaudij, quòd Angeli habent in cælo ſuper vno peccatore, non quoquo modo relaxato aut gratis remiſſo, ſed pœnitentiam agente: ſignificans quòd ſi condonando exercet miſericordiam, exigendo pœnitentiam iuſtitiam faciat.

Ambr. 75. Apud Zachæum *ſe non inuitatus inuitat; ſciebat enim vberem hoſpitij ſui eſſe mercedem*, inquit Ambroſius lib. 8. in Lucam, *ſed tamen etſi vocem inuitantis non audierat, ſed viderat affectum*. Non defuerunt etiam hîc qui exceſſum ſuæ miſericordiæ reprehenderent. Nam cùm *viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertiſſet*. Lucæ 19,7.
Quàm iniuſtè autem murmurabant contra Ieſum, ſtatim declaratum eſt, quando clarè apparuit ſtricta iuſtitia, quam exegit à Zachæo, quem ſua miſericordia præuenit. *Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus*. ℣. 8.
vnde concluſit Saluator: *Hodie ſalus domui huic facta eſt, eò quod & ipſe ſit filius Abrahæ*. ℣. 9.
Quibus verbis tacitè perſtrinxit eorum crudelitatem, qui exiſtimabant omnia ſibi deberi eò quòd filij Abraham erant ſecundùm carnem, & tamen obmurmurabant Zachæo tam iuſtificato, vt vero filio Abrahæ ſpiritu, à Chriſto miſericordiam quam merebatur exhiberi.

76. Murmurantibus etiam, quòd Matthæum, quem vocauerat ſedentem in telonio, ſuo diſcubitu & ſocietate menſali honoraſſet, impoſuit ſilentium, dicens, non debere videri mirum, ſi Medicus viſitaret ægrotum. *Non eſt opus valentibus Medicus*, inquit, *ſed malè habentibus*. Matth. 9,12.
Malè habentes eos vocat, dicit Rabanus, *qui ſua fragilitatis conſcientia deuicti, nec per legem videntes ſe iuſtificari, pœnitendo ſe ſubmittunt gratiæ*. Raban.
Addit autem, peccatores à ſe vocari. *Non enim veni vocare iuſtos*. Quos autem vocat, illos prorſus gratis non relaxat. vnde benè Hieronymus præſtrinxit iniuſtum Hieron.
Phariſæorum murmur. *Neque verò in priſtinis permanentes veniunt ad Ieſum, vt Phariſæi & Scribæ murmurant, ſed pœnitentiam agentes, quod & præſens ſermo Domini ſignificat*.

77. Nota, quòd pœnitentes ſignificentur per eos quibus Medicum neceſſarium & opportunum eſſe dicit; ideò enim non oppoſuit valentibus ægro-

ægrotos aut infirmos, ſed malè habentes, ne quis putet, quòd illis peccatoribus & infirmis ſit miſericors, qui de peccato præterito non dolent aut
Prou. 2, 14. malè habent, ſed potiùs *lætantur cùm malè fecerint*. Quòd autem omnes, quos miſericorditer ſanat per iuſtitiam, ad reddendos dignos fructus pœnitentiæ vocet, clarè verba Lucæ indicant, quibus quod à Matthæo
Lucæ 5, 32. omiſſum eſt ſuppletur, quæ ſic habent: *Nō veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam*. Vnde Auguſtinus, quem citat S. Thomas in Catena, ait hoc ad-
Auguſt. ditum eſſe: *Ne quiſquam peccatores*, inquit, *ob hoc ipſum quòd peccatores ſunt, diligi arbitretur à Chriſto, cùm & illa ſimilitudo de ægrotis benè intimet, quòd velit Deus peccatores tamquam Medicus ægrotos, vt ab iniquitate tamquam ab ægritudine ſalui fiant*.

78. Ex his patet, quã ſollicitè Chriſtus honorẽ ſuum illæſum, & nominis ſui integritatem ſemper defenderit. Cui etſi *proprium eſt miſereri ſemper & parcere*, vt tamen ſe oſtendat immunem ab omni iniquitate, etſi miſericordia ſemper illius iuſtitiam moderatur, numquam tamen hæc illius aut illa huius ſocietate deſtituitur. Indicauit Dauid, quòd Deus notaretur de iniquitate, ſi deficeret in rectitudine
Pſalm. 91, 16. iuſtitiæ. vnde ait: *Quoniam rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas*
Haym. *in eo*. Exponit Haymon de miſericordia, quam Deus facit malis in hac vita, & de iuſtitia, quam circa bonos & electos exercet. Non eſt iniquitas in eo, inquit, nam bonos, quos hîc iuſtè affligit, miſericorditer ad gloriam futuram diſponit; malos verò, quos per miſericordiam in hac vita pro exiguis quæ fecerunt bonis remunerat, per iuſtitiam æternis pœnis reſeruat.

79. Mirabiles factæ ſunt miſericordiæ à Deo quibuſdam peccatoribus, vt vbique clamant Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ per interceſſionem B. Virginis. Non ſemel cũ diſpenſatione firmi & fixi decreti diuini, quo *ſtatutum eſt* Hebr.
hominibus ſemel mori, poſt hoc autem 9, 7.
iudicium, legitur ad illius inſtantiam peccatores in peccatis mortuos, ad vitam reuocatos fuiſſe, & ſpatium pœnitentiæ, iam extra illud conſtitutos, mirabiliter obtinuiſſe. Meritò, dum B. Virgo pro talibus intercedit, timere poſſet repulſam, non minùs quàm Abigail, quæ, vt ſuprà dictum eſt, formidabat quòd Dauid nollet reuocare quod tam firmiter propoſuerat. Non enim ignorat, Deum per Prophetam dixiſſe, *Et quæ procedunt de* Pſalm.
labijs meis, non faciam irrita. Adde, 88, 35.
quòd in reſuſcitatione peccatoris videatur iuſtitia non aſſociari miſericordiæ, ſed ab ea penitus opprimi & obfuſcari.

80. Nota igitur, quòd Chriſtus Deus & homo ex vno fundamento nomen ſuum illæſum & titulum iuſtitiæ conſeruet, etſi à matre requiſitus, inſuetæ miſericordiæ beneficia ſubinde concedat, allegans nimirum libellum ſupplicem & interceſſionem eius; cui ſi pro iuſtitiæ & æquitatis defenſione aliquid negaret, ipſo facto omnium iudicio iniuſtitię notam incurreret. Tantæ enim auctoritatis eſt ac prudentiæ, & tot cumulata meritis, vt nihil quod illam dedeceat, aut quod hæc excedat, poſtulare poſſe videatur. Nulla eſt nec erit vmquam mater, cuius poſtulationi filius per omnia tutò ſemper ſatisfaceret, præter hanc ſolam, quæ in petendo nec poteſt excedere, nec errare. vnde Salomon maiorem quàm expediebat auctoritatem matri tribuens, aiebat: *Pete mater mea*, 3. Reg.
non enim fas eſt vt auertam faciẽ tuam, 2, 20.

Digitized by Google

quam imprudentem adeò expertus eſt in petendo, vt niſi auertiſſet faciem poſtulantis, periclitata fuiſſet corona ipſius regnantis.

81. Solent ſimpliciores, cùm vehementi deſiderio propendent in rem aliquam, anxiari, quando inſtanter orant pro illius conſecutione, hæſitantes an ſuæ ſaluti expediat. Sciũt enim, exceptis illis puris bonis, quæ nõ poſſunt non eſſe vtilia poſſeſſoribus ſuis, reliqua omnia non ſine conditione tacita vel expreſſa à Deo peti debere in hunc modum: Concede mihi hoc vel illud, ſi tibi glorioſum, & mihi ſalutare & opportunum fuerit. Porrò tanta eſt quorumdam hominum ſtupiditas, vt valdè doleant, ſi quod ſenſualitati illorũ conuenit, non cenſeatur rationi conſentaneum, aut ad animæ ſuæ ſalutem non conducat. Hinc fit, quòd aliquando ſtultè orent Deum, quatenus id quod auidè deſiderant, etſi non ſit, dignetur efficere vt ſit illis ſalutare, & ipſi acceptum. Imprudens, ne dicam impudens hic orandi modus communiter ambientibus nuptias ſenſuales adſcribitur: cæcus enim amor benè vellet, vt eſſet bonum quod iucundum, & vt quod delectat etiam expediret.

82. Errant, qui arbitrantur petitionibus ſuis tribui hanc efficaciam, vt quod non erat decens aut decorum, per illas tale fiat. Huiuſmodi priuilegium Mariæ eſt, nec dabitur alteri, niſi auctoritas eius ſe intermiſceat. Aliorum eſt poſtulare quæ placita ſunt Deo, vt patet ex Collecta Dominicę 9. poſt Pentecoſtẽ, quę ſic habet: *Pateant aures miſericordiæ tuæ, Domine, precibus noſtris; & vt petentibus deſiderata concedas, fac eos quæ tibi ſunt placita poſtulare.* Mariæ verò orationes tantæ ſunt virtutis, vt quodammodò quæ non erant Deo placita, fieri videantur. Sola eſt cui à Filio ſine vlla limitatione tutò dici poteſt: *Pete mater mea, non enim fas eſt vt auertam faciem tuam.* 3. Reg. 2, 20. Si illa excedit in miſericordia, dum pro miſeris ſollicita eſt, ſaluabitur ſaltẽ Filij ſui iuſtitia, cùm matris petentis faciem non auertet, quod ſine nota irreuerentiæ tantæ matri debitæ fieri non poſſet. Itaque hæc eſt illa benedicta Abigail, quæ Chriſtum verum Dauidis filium peccatoribus infenſum vberum oſtenſione, quæ olim eum lactauerunt, ita lenit, vt mirabili diſpenſatione aliquando videatur reuocare ſuas ordinationes & decreta, adeò vt quæ proceſſerunt de labijs ſuis, quaſi irrita fiant, dum peccator v. g. de quo ſtatutum eſt vt ſemel tantùm moriatur, vitæ reſtitutus pœnitet, quatenus ſecundò moriens in Domino finaliter requieſcat.

83. Si autem huiuſmodi diſpenſationes videntur nimiæ miſericordiæ eſſe, ac proinde æquitati quodammodò contrariæ, vt benedicta noſtra Abigail omne retinaculum à Filio ſuo amoueat, dicet: *In me ſit, Domine mi, hæc iniquitas.* 1. Reg. 25, 24. Nulla me cogit lex, vt in fauorem rigoroſæ iuſtitiæ ſim ſollicita: ſufficit, quòd tu Domine mi ſis *miſerator Dominus & iuſtus.* Pſalm. 111, 4. Si ego per exceſſum miſericordiæ à rigore iuſtitiæ videor parumper declinare, ſalua erit tibi tua æſtimatio, cùm matris faciem non auerteris, copioſam miſericordiam poſtulantis. Si non erat decens aut decorum, vt ſingularem miſericordiam ordinariæ tuæ legi contrariam præſtares non rogatus, rogo vt in tuo iudicio honeſtum iudicetur, & nomini tuo glorioſum, cùm hoc precibus matris tuæ conceditur.

84. Vt huic Diſcurſui finem imponam, qui ſolito remotiùs proreptit, no-

notandum, quòd nomina Mariæ non ſine ordinatione Spiritus ſancti indita, illam excuſare videantur à fauore aut defenſione rigoroſæ iuſtitiæ. Vocatur enim clemens, pia, dulcis Virgo Maria, Mater gratiæ, mater miſericordiæ, refugium peccatorum, vita, dulcedo, ſpes noſtra: quæ omnia ita miſericordiam ſonant, vt omnem rigorem à ſe
Pſalm. 47, 11. excludant. *Secundùm nomen tuũ Deus, ita & laus tua* (dixit Dauid Deo) *in fines terræ; iuſtitia plena eſt dextera tua.*
Simile. Apud homines qui dominus appellatur & pater, ei competit duplex honor, duplici nomini reſpondens. Ideò Deus per Prophetam expoſtulat, di-
Malach. 1, 6. cens: *Si Pater ego ſum, vbi eſt honor meus?* Cùm ergo Deus miſerator & iuſtus vocetur, tam debet iuſtitiam exercere, vt eo titulo honoretur, quàm miſericordiam. Ideò ait, *Iuſtitia plena*, &c. Per dexteram plenam iuſtitia,
Titelm. intelligi debet retributio, inquit Titelmannus noſter, tam erga bonos quàm erga malos. Quæ illis miſericorditer præmia, his verò ſecundùm æquitatem decernit ſupplicia. Cùm verò omnia nomina Virginis, ſi in vnum coaleſcerent, nihil niſi pietatem & miſericordiam ſpirarent, ſufficit illi, etſi non honoretur tamquam fautrix rigoroſæ iuſtitiæ, dummodò pietas illius ſolemnizetur in terris, vt miſeri & afflicti filij Euæ cum illa tandem miſericordias Domini celebrare poſſent in cælis, cantantes illud quod olim
Pſalm. 88, 2. Regius ille Propheta: *Miſericordias Domini in æternum cantabo*, &c. Amen.

DISCVRSVS VII.

Clementis eſt quærere titulos miſerendi, ideò Maria Deum imitata, omnium miſeretur, ea ratione, quòd præter illam non ſit alia mater gratiæ.

85. CONSIDERANS olim Salomon afflictionem deſolatæ parentis, in cuius filium mortis ſenten-
tiam tulerat, dicens, *Diuidite infantem* 3. Reg. 3, 24.
viuum in duas partes, vnde commota ſunt viſcera matris; ſtatim reuocauit ſententiam, quam ſolùm ſimulauerat, ad ſcrutinium veritatis, & deciſionem perplexæ litis inter duas mulieres de
filio viuo altercantes ortæ, dicens: *Da-* ℣. 27.
te huic infantem viuum, & non occidatur; hæc eſt enim mater eius. Compaſſus eſt illius afflictioni, quã ex apprehenſione imminẽtis mortis filij ſui conceperat. Propter meritum doloris, quem Mater gratiæ ſenſit aliquando, cùm in terris viſa, cum hominibus, imò cum peccatoribus conuerſabatur, etiam nunc in cælis omnis doloris incapax exorat multorum ſententiam, quæ de futura damnatione ſecundùm præſentem illorum iniuſtitiam contra eos lata eſt. Chriſtus, qui plus quàm Salomon, non eſt minùs miſericors quàm ipſe fuit, quem commota viſcera matris permouerunt. Non eſt dubium, quin ſæpè contingat, vt peccatores morti & æternæ damnationi deſtinati, Maria intercedente pœnitentiã agant, & obtenta venia de peccatis viuant per gratiam, æternaliter victuri per gloriam. Nam etſi nulla alia ratio ſuppeteret ad impetrandum, illa ſufficeret ſola, quòd ſit mater gratiæ, mater miſericordiæ. Poſtulanti igitur vt peccatores vitæ reſtituantur, meritò Chri-

ſtus

ſtus ſuffragatur, dicens, *Date huic infantem viuum, quia mater eſt.*

86. Clementes quærunt titulos miſerendi, quibus excuſentur ab executione iuſtitiæ & rigoris. Aurelius Imperator, vt refert Guicciardinus in Horis ſuis fol. 138. caſtrametatus circa ciuitatem Tyanam, valdè ægrè tulit ciuium rebellionem, qui clauſis portis deditionem pertinaciter recuſabant, nihil non attentantes pro defenſione ſui. vnde is indignatus iurauit, dicens: Vbi rerum potitus fuero, nec vnum quidem canem relinquam ſuperſtitem. Vnde milites ſpoliorum ſpe concepta, multum animati, fortiſſimè ciuitatem oppugnauerunt, quam certo certiùs putabant vaſtationi eorum fore relinquendam. Innotuit Imperatoris decretum Heracleoni cuidam: qui vt vitæ ſuæ conſuleret, & rem ſuam augeret, occulta proditione ciuibus ſuis infidelis deditionem anticipauit. Aurelius autem, cui grata fuit proditio, pro qua pactam pecuniæ ſummam numerari curauit, compos mœniorũ, ciuitatem ingreſſus, proditorem interfici fecit. Milites verò, prætendentes ius direptionis ex vi promiſſi ſibi facti, poſtulabant illud nouo permiſſiuo edicto confirmari. Porrò Imperator, qui cogitationes pacis larua indignationis contexerat, palàm profeſſus eſt, quòd nil minus cogitauerit, quàm vt hominum & canum par futura eſſet ratio, dicens: Omnes canes ad vnum morti addixi, per me igitur licet, ſi vobis honorificum videtur, vt nobile baltheum militare commutetis cum ſordido baculo canicidæ, ne vel vnius canis vitæ parcatis. Ex dubio verborum ſuorum intellectu, quæſiuit occaſionem parcendi ijs, quos milites exiſtimabant omnes morti datos eſſe.

Guicc.

87. Inhumani & duriſſimi parentis eſt, occaſiones quærere exheredandi, aut, quod grauius eſt, abdicandi filium: clementis verò, diſſimulare, vel quolibet colorato titulo excuſare. Imperatores, ſicut parentes, filiorum miſerentur, ita ſubditis etiam iam ſubiugatis & in bello deuictis mites eſſe debent. Hinc factum eſt, quòd Aurelius, cui non deerant iuſti tituli ciues perdendi, tanta dexteritate interpretatus eſt verba ſua, quæ videbantur, ſecundùm communem intelligendi modum, propoſitum ſignificare vaſtandi ciuitatem, vt militibus daret calcar fortiter pugnandi, & reſeruaret ſibi anſam deuictis ſubditis ſine præiudicio veritatis miſericorditer parcendi. Imitatus eſt in hoc Deum, qui tantæ clementiæ eſt, vt nulli defectus committi poſſint ab homine, qui ſufficiant vt illum ſua cura & omnimoda prouidentia indignum iudicet. Vnde *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Quærit autem titulos, quibus apparentem exceſſum miſericordiæ excuſet apud duros & inhumanos. vnde cùm videret Phariſæos in corde murmurare, quòd curando hydropicum, Sabbatum videretur violare, vt eos leniret, dixit: *Cuius veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbati?* quibus verbis ſignificauit, ne per momentum relinqui debere hominem, quamuis peccatorem, extra curam ſuæ diuinæ prouidentiæ.

Matth. 5. 45.

Lucæ 14. 5.

88. Voluit autem continuationem huius ſuę prouidẽtię fundari in aliquibus iuſtis motiuis & titulis. Vnus titulorũ, quibus illam defẽndit ab exceſſu, cùm ſcelerati & impij homines hac ſollicitudine omnino indigni eſſe videantur, eſt, quòd nemo illorum curam habiturus ſit, ſi ille ſe ſubduxerit.

Hanc

Hanc rationem ex inſtinctu Spiritus ſancti allegat Sapiens, quando ait: Sap. 12, 13. *Non enim eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus.* Non eſt huic ſententiæ contrarius Paulus, quando ait: 1. Cor. 9.9. *Numquid Deo cura eſt de bobus?* quaſi dicat, Non: nec etiam S. Hieronymus Hieron. ſuper Habacuc dicens: *Abſurdum eſt, diuinam maieſtatem ad hoc deducere, vt ſciat quot culices naſcantur, quótve moriantur. Non ſimus tam fatui adulatores Dei, vt dum eius prouidentiam ad infima quaque retrudimus, in noſmetipſos iniurioſi ſimus, vt eamdem rationabilium & irrationabilium prouidentiam eſſe dicamus.*

89. Reſpondent communiter Doctores ad vtramque hanc auctoritatem cum diſtinctione curæ. Nam curam quidem prouidentiæ habet de omnibus: proſpicit enim paſſeribus de ijs quæ ad vitam neceſſaria ſunt, adeò vt non tantùm ſciat quot ſint qui naſcuntur aut moriuntur (quod Hieronymus de culicibus indicare videtur inconueniens eſſe) ſed etiam cooperetur illis quando volant, quando reſident, aut in terram cadunt. vnde Matth. 10,29. Chriſtus ait: *Nónne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro?* Paſſer fortuitò non cadit in terram, dicit Ferus noſter locum hunc exponens. Sine prouidentia paſſer non moritur, inquit Lyranus. Item Deum generalem omnium creaturarum prouidentiæ curam habere, docet Dauid tum alibi, tum verò præcipuè toto Pſalmo 103. Eſt autem alia cura doctrinæ, vt loquitur Hugo Cardin. Hugo Cardinalis in c. 12. Sap. ℣. 13. vel legis, vt dicit Caietanus: hanc habet de ſolis hominibus, cùm cetera animantia omnis diſciplinæ & legis incapacia ſint. Hieronymus verò tantùm videtur velle negare, quòd etiamſi omnium, non tamen æqualem de omnibus habeat curam & prouidentiam. quem ſenſum indicat, ſcribens in cap. 10. Matth. ℣. 29. in illa verba, *Nónne duo paſſeres. Si parua*, inquit, Hier. *animalia abſque Deo non decidunt auctore, & de omnibus eſt prouidentia: & quæ in his peritura ſunt, ſine voluntate Dei non pereunt; vos qui æterni eſtis, non debetis timere quod abſque Dei viuatis prouidentia.*

90. Aſſignat autem ipſe Deus rationem huius ſuæ prouidentiæ, quam exercet etiam circa indignos, dicens per Prophetam: *Ego Dominus, & non eſt amplius, & extra me non eſt Deus.* Iſaiæ 45.5. Non negatur his verbis perſonarum trinitas, ſed aſſeritur naturæ & eſſentiæ vnitas. vnde notauit Haymon, notanter dici, *Extra me non eſt Deus.* Haym. ℣ 5. Nam etſi Filius & Spiritus ſanctus ſit verus Deus, tamen nec hic nec ille extra Patrem eſt. vnde Chriſtus ait, *Ego in Patre, & Pater in me.* Ioan. 14.10. item: *Ego & Pater vnum ſumus.* Ioan. 10,30. Sed ad propoſitum noſtrum. Nolite mirari, inquit, quòd omnium curam geram, non eſt enim alius Deus qui curam haberet eorum quos ego neglexero.

91. Simili motiuo ſtimulatur Virgo Maria ad miſericordiam erga omnes ſine vlla differentia. Quemadmodú enim vnus eſt Deus, ita ipſa ſola & vnica eſt mater gratiæ, mater miſericordiæ. Vix inter homines aliquis curam haberet filij derelicti à matre, præſertim ſi illa nomen & famam haberet apud omnes ſummæ prudentiæ, & bonitatis, ac miſericordiæ; omnes enim indicarent, filium pientiſſimæ matris vrgentiſſimas cauſas præbuiſſe abdicationis: ſed ſi fortè aliquis inueniretur qui probæ matris defectũ ſuppleret, hoc ſaltem certum eſt, quòd nullus Sanctorum præſumeret ſe mi-

ſcere cauſæ alicuius, quem Maria ſua miſericordia & pietate deſtitutam relinqueret. Nulla enim auicula facilè curam gerit pullorum, quos mater deſeruit. Hinc fit, quòd ſolus Auctor naturæ, vt ſuppleret defectum coruorum pullos relinquentium, illorum vices gerat. vnde canit de illo Dauid: *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.*

Simile.

Pſalm. 146,9.

92. Per hanc conſiderationem animatur B. Virgo, cùm ſit vnica mater miſericordiæ, vt non vereatur eam omnibus ſine delectu poſtulare, qui illius capaces ſe reddunt. Argumentatur enim illa in hunc modum: O Deus meus, quia non eſt alius Deus quàm tu, ideò cura tibi eſt de omnibus, adeò vt pullos coruorum à parentibus derelictos non dedigneris tua ſpeciali prouidentia. Cùm igitur non ſit alia mater miſericordiæ & gratiæ, quàm ego, non poteſt alicui mirum videri, ſi pro omnibus ſollicita miſericordiam & gratiam implorem.

93. Quemadmodum igitur Deus curam ſuæ prouidentiæ extendit etiam ad malos, imò ad eos quos ad diabolum pertinere, exigente hoc illorum impietate, per infallibilem ſuam præſcientiam cognoſcit, ita Maria frequenter miſericordiam ſuam exhibet, ſolùm ob hoc, quia miſericordiæ mater eſt; etſi non vt talis aliquando ab hominibus honoretur. Mirabile eſt quod Ioannes Carthagena de Mirandis B. Mariæ §. 83. ex Cæſario refert de quadam matrona, cuius filia cùm à lupo rapta, & in ſiluam deportata eſſet, nec vlla relinqueretur ſpes chari pignoris iacturam reſarciendi, quòd confugerit deſolata ad imaginem matris gratiæ, & (quamuis non ſatis modeſtè & reuerenter, at certè feruenter & ſimpliciter) magna vi puerum Ieſum de gremio & brachijs Virginis extorquens, dixerit: Numquam reſtituam hunc tuum Filium, niſi per interceſſionem tuam mihi filiam meam incolumem reduxeris. Non retardauit ſupplicantis, imò non ſupplicantis, ſed comminantis incompoſitus affectus & agendi modus, miſericordiam Matris, quæ ob hoc ſolum quòd mater eſt, putat multa in filijs diſſimulari debere: ſed ipſa agente, & Deo imperante, lupus puellam non quidem intactam (ſiquidem dentium veſtigia in tanti miraculi comprobationem ſuperficialiter gutturi illius impreſſa retinebat) illæſam tamen & incruentam reliquit, atque adeò incolumis matri reſtituta eſt ab ijs qui voracem lupum inſecuti fuerant. Quæ læta filiam ſuam recipiens, Filium Mariæ, quem obſidem ſibi vendicauerat, reddidit. O beatam & clementem Matrem, qualem te exhibebis ſupplicanti, quando tam piam te præbes in feruore ſpiritus tumultuanti & comminanti?

94. Contingit frequenter, aliquem ab eo qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, non modò aſportari & rapi, eò quòd peccando illius poteſtati ceſſit, ſed etiam quodammodò diſcerpi: cui Maria non alio quàm materno animo afficitur, memor quondam fortè ab illo præſtitorum ſeruitiorum. Deſperata eſt autem reſtitutio eius, niſi à Deo fiat, quandoquidem conuerſio peccatoris mutatio eſt dexteræ Excelſi, & proprium opus redemptoris. Pro qua mater miſericordiæ intercedens exauditur. Cum omni enim humilitate orationibus lacrymas adiungit, eo ſenſu quo Bernardus ait quòd vbera filio oſtendit. Nam *quis matrem, niſi mentis inops, in funere nati flere vetat?* Quemadmodum igitur mater illa, cuius in principio mentionem. Bern.

tionem.

tionem feci, ita Salomonem commouit, vt vitam filij ſui exoraret; ita Chriſtus precibus & lacrymis Mariæ filium à dæmone aſportatum & deuoratum viuum reſtituet, dicens: *Date huic infantem viuum*, &c. *quia mater eſt*. Amen.

3. Reg. 3,27.

DISCVRSVS VIII.

Nullus parens legitur in Scriptura repulſam paſſus, Chriſtum pro filio ſollicitans: hinc Maria, quæ pro filijs Filium orat, meritò exorat.

95. FELIX peccator, qui de numero filiorum Mariæ nondum deletus eſt; pro ipſo enim orabit & exorabit. In Scriptura ſacra video filios pro parentum ſolatio aliquid poſtulantes, à Chriſto quidem repulſam pati; parentes verò pro filijs ſollicitos, ſemper exaudiri. Quidam ab illo vocatus dixit: *Domine, permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum.* Rationabilis & plena pietatis videtur hæc ſupplicatio inducias petentis, cui non permittenda modò, ſed & præcipienda mora videtur. vnde Iſidorus ait: *Non reſpuit eſſe diſcipulus, ſed, expleta pietate paterni funeris, vult liberior ſequi. Permitte mihi primùm*, inquit. Non negat, qui dicit *primùm*, vt notauit Toletus, ſed ſignificat ſe poſtmodum ſecuturum, idque cauſa rei honeſtæ & piæ, nempe ſepulturæ paternæ. Verum eſt, quòd in longum diſtulerit moras, ſi (vt arbitratur Caietanus) pro officio ſepulturæ inducias petit temporis totius vitæ paternæ, ſicut Euthilia Luciæ mater petebat, vt filia differret conuerſionem vſque ad mortem ſuam, dicens ei: *Tege primùm oculos meos*, ſis mihi ſolatio dum viuo, poſt mortem meam nouum viuendi modum, prout libet, elige.

Lucæ 9,59.

Iſid.

Tolet.

96. Si igitur inducias petijt vſque ad mortem patris adhuc viuentis, meritò reiecta eſt eius ſupplicatio à Chriſto. Nam *neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia.* Verùm probabilior eſt aliorum opinio, quam ſequitur Toletus Annot. 128. in Lucam, qui exiſtimat, hunc diſcipulum à Chriſto non niſi iam patre mortuo vocatum fuiſſe; qui proinde admirandam hîc notat & prædicat Chriſti Domini ſapientiam, qui non priùs hunc hominem vocauit, quàm pater illius mortuus eſſet; Ioannem autem & Iacobum etiam patre viuente ad ſe traxit. ſcriptum eſt enim de ijs: *Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum.* Forſan illius opera neceſſaria erat patri viuenti, ideò differre voluit Chriſtus vocationem, vt ſignificaret, opera perfectionis non contrariari, ſed ſupererogari præceptis. Filius igitur, ſecundùm hanc ſententiam, rem piam in fauorem ſimul & honorem parentis breui temporis ſpatio perficiendam petijt, & tamen non obtinuit. *Dixitque ei Ieſus: Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos.*

Tolet.

Matth. 4,22.

Lucæ 9,60.

97. Duriùs repulit alium, qui, vt videtur, ſollicitauit pro parentum & amicorum ſolatio, quatenus illis valedicere liceret, antequam per noui ſtatus ſuſceptionem ab eis omnino ſegregaretur. *Et ait alter* (inquit Euangeliſta) *Sequar te Domine, ſed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi ſunt.* vbi alia tranſlatio habet, quam ſecutus eſt Caietanus, *Permitte mihi priùs vt dicam vale ijs qui ſunt domi meæ.* Reiecit autem Ieſus illius poſtulationem, dicens: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Quidquid ſit de

✠. 61.

Caiet.

✠. 62.

Digitized by Google

de hoc vltimo, de quo non ita conſtat, an ſicut ille prior patrem habuit ſuperſtitem, cui cum reliquis volebat vltimum vale dicere; hoc ſaltem certum eſt, quòd ex Euangelio nuſquam legamus filium vel filiam pro parente poſtulantem aliquid à Chriſto Domino impetraſſe. Dubium oriri poſſet de vxore Petri. Nota igitur, quòd ſocrus quidem Simonis, quæ tenebatur magnis febribus, ipſo cum Andrea rogante, vt teſtatur Ambroſius lib. de Viduis, ſanata fuerit. Et quamuis alios à numero rogantium non excludat, quandoquidē etiam Iacobus & Ioannes cum eis domum illam ingreſſi ſunt; tamen vxor Petri, quæ erat filia febricitantis, non legitur rogaſſe, cùm nec probabile ſit, illam tunc matri ſuæ adfuiſſe. Quod inferri poteſt ex ſententia Athanaſij Orat. 4. contra Arianos, qui ait: *Neceſſitas requirebat vt Dominus ſocrum ſebrientem excitaret.* quod etiam aſſerit Victor Antiochenus Marc. 1. Quæ autem fuerit neceſſitas, declarat Toletus, exponens illa verba
Lucæ 4.38. Luc. 4. *Et rogauerunt illum pro ea.* Cùm non haberent, inquit, qui menſæ miniſtraret, neceſſitate quadam compulſi rogauerunt pro ipſa. Huic autē neceſſitati ſatis prouiſum fuiſſet per pręſentiā ſolius vxoris Petri, & filiæ ſocrus eius: nam ad parandam menſam ſufficit vna mulier, etſi quatuor viri ignorent quid in tali miniſterio faciendum ſit. vnde
Eccli. 36, 27. ait Sapiens: *Vbi non eſt mulier, ingemiſcit egens.* Sequitur igitur, quòd filia, quæ aberat, pro matre non impetrauit ſanitatem, & quòd non exſtet clarum exemplum in Scripturis, quo probari poſſit, filios parentibus vmquam quidpiam à Chriſto impetraſſe.

98. Verùm parentum orationes pro filijs ſupplicantium aut ſemper fuerunt exauditæ, aut ſaltem (quod quidem ſemel contigit) diſſimulatę, numquam tamen expreſſis verbis reiectæ. Et quod in hac re mirabilius eſt, vt nullius parentis eſſet vacua poſtulatio, cùm aliquis indiſpoſitus accederet propter fidei aut fiduciæ defectum, tamdiu Chriſtus cum illo colloquium protraxit, donec debita diſpoſitione poſita, cōpos voti fieri mereretur. Patet hoc in Chananæa, quam poſt longam exercitationem tandem lætam dimiſit,
dicens: *O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.* Matth. 15, 28.
Et in Regulo, cui pro filij ſoſpitate ſupplicanti obiecit primò fidei defectum, dicens: *Niſi ſigna & prodigia videritis*, &c. Ioan. 4, 48.
qui poſteà feliciter peracto negotio, audiuit, *Vade, filius tuus viuit.* Ioan. 4, 50.
Eodem modo Chriſtus catechizauit deſolatum illum patrem pro filio orantem, quem ſpiritus immundus multùm affligebat. *Si potes credere*, inquit, *omnia poſſibilia ſunt credenti.* Marc. 9, 22.
Qui fidei ſuæ augmentum petens dixit: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Ideò meruit felicem ſuæ negotiationis exitū, quem refert Euangeliſta. Nam Chriſtus *comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum.* ℣. 24.

99. Occaſionaliter hîc aliquid ſe offert notatu dignum, nimirum quòd felices ſint peccatores, de quibus Chriſtus non tantùm dæmonia eijcit, ſed inſuper comminatur, ne ampliùs introëant in eos. Exit à multis tempore Paſchæ dæmon, quando fideles ex Eccleſiæ decreto per veram pœnitētiam, quaſi quibuſdam ſcopis mundant domum conſcientiæ, ornantes eam reuiuiſcentia bonorum operum, quæ peccando mortificauerant. Sed ſæpè contingit, quòd eiectus dæmon non fuerit ſatis perterritus per comminationes, atque

atque adeò facilè præſumat reditum. vnde ait Chriſtus: *Tunc vadit, & aſ-* Lucæ 11,26. *ſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Itaque ſunt aliqui, qui, exigente fortè ſua tepiditate & ingratitudine, poſt peccatorũ ſuorum remiſſionem non habent Deum efficacem defenſorem, quem, dum à peccatis abſoluerentur, habuerunt redemptorem. Nam etſi vtcumque ſolliciti ſint vt à peccatis ſoluantur, minùs tamẽ, quàm oportet, anxij poſteà manent ne relabantur. His ſufficit talis qualis cura vt dæmon exeat, nulla verò aut minùs tepida eos tenet ne iterùm introëat.

100. Sciebat Dauid, parum prodeſſe, ſi à malis liberemur, niſi etiam præſeruemur; ideò orabat iam liber, Pſalm. 30,3. dicens: *Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias.* Hanc eamdem ſollicitudinem docet Eccleſia, imò eam pro ſuis exercet in illa Oratione, qua in publicis neceſſitatibus & ingruentibus periculis orare ſolet, dicens:

Defenſor noſter aſpice,
Inſidiantes reprime,
Conſerua tuos famulos,
Quos Sanguine mercatus es.

Simile. Arguit hominum negligentiam laudabilis bellica conſuetudo, qua fieri ſolet, vt ciuitates, ex quibus hoſtis pulſus eſt, nouis fortalitijs, profundioribus foſſis, tormentorum & aliorum armorum, denique omnium rerum bellicarum prouiſione muniantur contra inſidias & impetum hoſtis reditum meditantis aut attentantis.

101. Hic igitur pater orans à Chriſto exauditur, ita vt non ſolùm filius (quod poſtulabat) à dæmone liberaretur, ſed etiam contra illum præſeruaretur. Nam *comminatus eſt*, &c. *Quòd verò dicit, non ſolùm, Exi ab eo,* inquit Chryſoſtomus, *ſed etiam, Amplius noli introire in illum, oſtendit, quia ad reintrandum promptus erat.* Chryſoſtom.

102. Meritò autem his parentibus efficaciter pro filijs orantibus ille additur, qui præ alijs rem tantò mirabiliorem impetrauit, quantò ex parte effectus maioris eſt potentiæ, vitam dare defuncto, quàm ſanitatem ægroto, de quo dicit Matthæus: *Ecce princeps* Matth. 9,18. *vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt; ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet.* Secundùm fidem ſuam factum eſt illi, obtinuit enim quod petiuit. nam dicitur: *Et cùm eiecta eſſet* ℣ 25. *turba, intrauit, & tenuit manum eius, & ſurrexit puella.* His omnibus adijcienda eſt mater eius, de quo ait Euangeliſta: *Ecce defunctus efferebatur filius* Lucæ. 7,12. *vnicus matris ſuæ, & hæc vidua erat.* quæ etſi infirmior ſexu, non tamen fide nec impetrandi efficacia minor fuit, nam ſolis lacrymis Chriſtum ad miſericordiam permouit, cuius votis ſatisfaciens filium vnicum reſuſcitauit, *& dedit illum matri ſuæ.* Lucæ 7,15.

103. Porrò conſiderantes filij Zebedæi, parentibus à Chriſto omnia quæ petebant pro filijs concedi, ſubornarunt matrem, vt pro illis poſtularet conſeſſum ad dexteram & ſiniſtrã in regno eius: quem, quia non rogauit vt Deum, ſed ſolùm vt inſignẽ quemdam hominem terreno regno (meritis illius eum honorem exigentibus) à Deo ſublimandum; non impetrauit. vnde manet verum, quod ſuprà de parentum pro filijs ſupplicantium gratioſa ſemper exauditione dictum eſt; nullus enim legitur in Scriptura parens repulſam paſſus, qui Chriſto tamquam Deo & homini, vt oportet, pro filijs libellũ ſupplicem obtulit. Adde

quòd nec hanc matrem expreſſis verbis à ſe repulerit, imò, ne videatur repulſam pati ſubornatæ petitionis, intellectum vel auditum diſſimulans, ad ipſos ſubornatores filios ſe conuertit, Matth. 20,22. dicens: *Neſcitis quid petatis. Dominus occultorum cognitor non ad verba inter-* Chryſoſt. *cedentis mulieris reſpondit* (dicit Chryſoſtomus Hom. 35. in Matth) *ſed ad conſilia ſuggerentium filiorum*. Ecce nec matrem inordinatè ſupplicantem directa repulſa contriſtare voluit. vnde etiam indicauit, ſuæ poteſtatis non Matth. 20,23. eſſe, ſupplicanti ſatisfacere. *Sedere autem ad dexteram meam*, inquit, *vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis*. id eſt, Non eſt humanæ poteſtatis aut iuriſdictionis, cui libellus ille ſupplex præſentatus eſt.

104. Ex his omnibus concludere licet, quàm fiducialiter Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, omnium parentum pientiſſima parens pro ſuis filijs intercedat. Si enim nemo parentum eorum qui aliquid poſtularunt à Chriſto, reiectus eſſe legitur; quid ipſa tamquam mater petet quod non concedetur ab eo, cui iam à Patre omnis poteſtas data eſt in cælo & in terra? Allegabit ergo prudentiſſima Virgo hanc impetrandi rationem, proſternens ſe pedibus Filij ſui, & dicens: Non conſtat ex Scriptura, quòd vmquam parens pro filijs ſupplicans, repulſam à tua benignitate ſit paſſus. Ego non modò pro filijs (qui hinc concipiunt firmam ſpem, quòd tamquam mater gratiæ ceteris efficaciùs intercedam) ſed & Filium meum rogans, qui dignatus eſt fieri primogenitus in multis fratribus, infecto negotio & quodammodò deſolata recedam? Non eſt hoc pietatis tuæ, nec miſericordiæ, cuius non eſt numerus. His & ſimilibus rationibus innixa Virgo clemens in petendo, ſit potens in conſequendo, quæ proinde in omni tribulatione & anguſtia vnica ſpes noſtra erit, ad quam meritò clamamus: *Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibu.*

105. Reſtat, ſi volumus, vt Maria tamquam mater pro filijs orans, nos gratiæ & miſericordiæ participes reddat, quatenus ad eam continuè oculos noſtros leuemus, inſtar paruulorum, qui matri omne robur corporis acceptum referentes, ad illam quacumque neceſſitate occurrente continuè reſpiciunt. vnde Dauid Deo ait: *Sicut ab-* Pſalm. *lactatus eſt ſuper matre ſua, ita retri-* 130,2. *butio in anima mea.* id eſt, Curam mei geres, ſi ego vt infans ad te tamquam ad matrem recurro. Non poteſt ſe continere Deus, quin miſereatur illorum, qui ſemper illum intuendo & contemplando declarant, quòd in ipſo totam ſpem ſuam collocarint. Vnde dicitur: *Oculi omnium in te ſperant Do-* Pſalm. *mine, & tu das eſcam illorum in tempo-* 144,15. *re opportuno.* & alibi: *Ad te leuaui* Pſalm. *oculos meos, qui habitas in cælis*, &c. 122,1. *Oculi noſtri ad Dominum Deum no-* ℣. 2. *ſtrum, donec miſereatur noſtri.* Eodem modo hæc Virgo beata eos non relinquet vacuos, qui non ſolùm voce, ſed etiam continua contemplatione gratiarum ſibi à Deo collatarum, quibus in cælo abundat, eamdem ad pietatem mouent.

106. Maior eſt illius benedictæ matris in filios ſuos clementia, quàm ſit naturalis affectus matrum in filios quos genuerunt: atque adeò quòd Deus per Prophetam dixit, etiam illa de ſeipſa poſſet affirmare, dicens: *Numquid obliuiſci poteſt mulier in-* Iſa.49, *fantem ſuum, vt non miſereatur filio* 15. *vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen*

tamen non obliuiſcar tui. Non deſunt matres, quæ infantes ſuos expoſitos obliuioni tradunt, tamquam mortuos à corde, qui poſteà in domo repertorum aut expoſitorum educati, numquam ab ijs cognoſcuntur. Sed maior eſt illarum crudelitas, quæ omnem ſenſum exuiſſe, & ſaxorum duritiam induiſſe videntur, quas nimirum miſeriæ aut pueri infantiles lacrymæ & gemitus minimè ad compaſſionem flectunt.

107. Huiuſmodi fortè erat illa, quæ verè vacua fuit ea humanitate, qua Iob viſcera miſericordiæ ſuæ miſeris
Iob 31, oſtendebat, dicens: *Si comedi buccel-*
17. *lam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea.* Nam cùm quadam die (vt refertur) guloſa voracitate ceraſos ori ingereret, & puellus, qui ei adſtabat, continua inſpectione, cùm verbis non auderet, declararet quanto teneretur deſiderio, vt mater anhelanti paruulo vnius vel alterius ceraſi participatione ſatisfaceret; illa omnem maternum affectum exuens, non ceſſauit, donec cum vltimo ceraſo, quem ex gremio colligebat, miſello, qui manus & os comedentis fruſtrà ſemper obſeruauerat, omnem ſpem aliquid recipiendi præſcinderet; vnde paruulus præ dolore fruſtrati deſiderij (vt dicitur) exſpirans, priùs hæc verba balbutiendo protulit, dicens: *Ecce omnibus conſumptis, nihil reſtat amplius.*

108. Longè abeſt Mater gratiæ, mater miſericordiæ ab hac crudelis matris inſenſibilitate: quæ cùm in cælis fruatur æternis delicijs, cui gratiam & gloriam ſingu[illegible]m Deus contulit, non patietur [illegible]s ad eam oculos leuet, dicens cum reliquis eius deuotis, *Ad te clamamus exules filij Euæ; ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle*, deſolatus ab illa recedat, quin potiùs impetrabit, quod Eccleſia pro omnibus ſollicita petit, dicens: *Eia ergo aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, & Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende*, &c. Amen.

DISCVRSVS IX.

Maria Virgo ſingularis, non miſeris modò, ſed etiam peccatoribus ſibi infeſtis miſericors & mitis eſſe probatur.

109. SOLENT Oratores multorũ congeſtione verborum, idem aut ferè idem ſignificantium, excellentiam virtutis, qua quis præ alijs claret, diuulgare. Hinc eruditum virum, litteratum, ſubtilem, ingenioſum, acutum, prædicant: quem verò in re militari famoſum reddere volunt, eum animoſum, fortem, bellicoſum, imò inuictum appellant. Similibus floſculis aliquando Reſpublicæ ſeipſas deturpant potiùs quàm ornant, quæ rebellionem ſuam, & à legitimo Rege defectionem, tantò magis publicant, quantò pluribus ementitis titulis occultare conantur. Vnde Hollandici Status coaceruant multos titulos, quibus ſuam calliditatem tegere conantur, dum prouidi, prudentes, ſapientes haberi volunt, verè in oculis Dei ſtulti effecti: qui eò tandem proruperunt arrogantiæ, vt etiam vocabulo præpotentiæ, idiomate ſuo *De Hooghmoghende Staten*, paſſim glorientur, adeò vt non minori ſuperbia ſua, quàm iniuria eius cui à Deo Patre *data eſt omnis poteſtas in cælo & in* Matth.
terra, clarè manifeſtent, ſe ad blaſphe- 28,18.
mam omnipotentiæ famam (ſi illa ranis inter aquas coaxantibus vllo modo

do poſſibilis eſſet) propendere. Benè proinde dixit Pſalmiſta: *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* An non aſcendit populi illius ſuperbia, qui cùm tempore Ducis Albani Vniti ſiue Confœderati dicebantur, deinde liberi haberi volebant, tandem verò (quia nondum præpotentiæ nomen ſatis eis euiluit) à ſolo omnipotentiæ faſtu ſe continent? Et hæc quidem eſt ſuperborum conditio, qui nomina ſua ſcribunt in terris, verè exules è cælis. Pſalm. 73,23.

110. Ceterùm humillima Virgo ſolo clementiæ titulo contenta eſt, ad quam vt tamquam ad matrem gratiæ & miſericordiæ omnes tribulati & anguſtiati fiducialiter confugiant, omnium virtutum decore ornata, ſolam multis nominibus idem aut ferè idem ſignificantibus, pietatis & miſericordiæ famam, quaſi quibuſdam cælaturis decoratam, obtinuit. Sæpè iniuſto blanditiæ fuco ab adulatoribus alicui nomina & tituli multiplicantur, cùm multa dicuntur de ſubiecto quæ non ſunt in ſubiecto: verùm B. Virginis tanta eſt ſublimitas, vt conatus laudantis ſemper meritis illius ſuccumbat. Quamuis autem in omnibus excellat, tamen, Spiritu ſancto ſic ordinante, maximè ſe extendere videtur Eccleſia in præconio ſuæ clementiæ & miſericordiæ. *Salue*, inquit, *Regina, mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalue.* & tandem in fine alta voce exclamans, concludit: *O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo Maria!*

111. Quid hæc omnia aliud quàm pietatem ſonant? vocatur & eſt *Virgo ſingularis, inter omnes mitis.* Verè ſingularis eſt, roſa ſine ſpinis, ita ſola illa in mortali corpore ſine inordinatis carnis ſtimulis vixit. Vt enim à multis alijs, ſic etiam ab illa miſeria Simile.

fuit immunis, de qua Dominus ad Adam: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi.* Longè abſuit ab hac terra, quæ germinauit Saluatorem maledictio, quin potiùs ipſa eſt de qua Dauid ait: *Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob.* Senſu accommodatitio à Maria auerſa eſt captiuitas Iacob, quem perſequens Laban plenus iniqua cogitatione, prohibitus eſt à Deo, qui illi apparens, ait: *Vide ne quidquam aſpere loquaris contra Iacob.* Ecce non ſolùm liber euadit, ne à Laban captiuetur, ſed tantam curam illius gerit Deus, vt non permittat vt duris verbis proſcindatur. Gen. 3, 17 & 18. Pſalm. 84,1. Gen. 31,24.

112. In hunc modum Maria Virgo ſingularis libera euaſit. Cùm enim nullus ſit, quem dæmon non aliquando ſuæ tyrannidi ſubiectum tenuerit, qui poſteà per gratiam Christi liberatus, nihilominus latratibus infernalis canis infeſtatur, ſoli Virgini, quam Deus ab illa tyrannica captiuitate præſeruauit, dæmon per carnis moleſtias ne quidem ſemel allatrare præſumpſit. Virgo igitur ſingularis dicitur, in qua virginitatis roſa non ſolùm inuiolata, ſed etiam ſine ſpinis fuit. Dicit Baſilius Homil. de Paradiſo, loquens de roſa quam terra communis germinat: *Roſa hic ſpinis eſt coniuncta, aperta nos voce conteſtans, & dicens: Quæ iucunda vobis ſunt, triſtibus coniuncta.* Iucundis epulis faſtidioſa ſatietas, cuilibet voluptati ſua afflictio aſſociata eſt. Iucunda ſine dubio & *pulchra eſt caſta generatio cum claritate*, ſed triſte & verecundum eſt v[illegible]ibus, tot tribulationes & ſtimulo[illegible]arnis, quaſi pungentes ſpinas quaſdam, ſpecioſæ illi roſæ coniunctos eſſe. Sola autem Virgo beata ab hac miſeria excipitur, Baſilius. Simile. Sap. 4, 1.

pitur, & ideò verè ſingularis prædicatur.

113. Item Virgo ſingularis eſt, quia gaudia matris habet cum virginitatis honore. De ſpinis & tribulis, id eſt
1. Cor. 7, 28. de ijs quibus dixit Paulus, *Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi*, colligere fructus nec nouum eſt, nec mirum: quòd verò roſa illibatæ virginitatis nobis proferat benedictum fructum, inauditæ ſingularitatis eſt.
Simile. Prodigioſa roſa eſſet, quæ ſpecie ſua & pulchritudine ſua omnium oculos ad ſe raperet, deinde odorem longè lateque diffunderet, & prætereà ſupra naturæ ſuæ exigentiam omnis generis fructus tam ad ſuſtentationem quàm ad oblectationem germinaret. Omnia hæc mirabili modo in Maria conſiderari poſſunt, quæ eſt roſa vernans puriſſimæ virginitatis ſine ſpinis: tota pulchra ſine macula, cuius odor veſtimentorum ſicut thuris, & deinde tantæ fecunditatis, vt nobis illum proferat, *qui eſt omnia in omnibus*.

114. Ex his patet, quòd ſingularis quidem ſit in virginitate, ſed non minùs mirabilis in manſuetudine, cùm ſit *inter omnes mitis*, ſine exceptione, omnibus etiam iracundis, turbulentis, ſceleratis, flagitioſis, ſi velint accedere, audientiam præbens; ſi verò nolint, quantum eſt in ſe, patienter expectans, donec meliorem concipiant mentem. Vt ipſa faciat opus ſuum, quod non eſt aliud quàm miſereri, & pro miſeris ſupplicare, relinquit Deo (cui etſi proprium ſit miſereri ſemper, tamen etiam incumbit iuſtitiam exercere) quatenus dum ratio & æquitas requirit, faciat alienum & peregrinum opus ab ea, quod vtique eſt punire & perdere. Mitis enim & patiens quidem eſt Deus, nihilominùs *miſerator & iuſtus, cognoſcetur*
Pſalm. 111, 4.
Dominus iudicia faciens, inquit Dauid. qui etſi in ſe ſemper idem ſit *(apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio)* tamen diuerſum ſe quodammodò ijs qui differunt exhibet. vnde idem Propheta ait: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris*. Verùm noſtra Virgo ſingularis inter omnes, ſemper & vbique mitis, miſericordiam vult, nec vmquam peccatorum punitioni ſe miſcet. Pſalm. 9, 17. Iacob. 1, 17. Pſalm. 17. 26.

115. Manſuetudo Mariæ dæmonis furori è diametro oppoſita eſt, de quo Ioannes ait: *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam*. Furit ille in omnes ſine delectu: in damnatos in inferno, in miſeros qui ſunt in mundo, contra glorioſos in cælo effundens rabiem, nullius ſanctitati, bonitati, dignitati parcens, cuius proinde odium etiam in diuinam maieſtatem cum ſuperbia aſcendit ſemper. Apoc. 12, 12.

116. Imitantur diabolum qui ſunt à parte eius, qui etiam nulla habita ratione temporis, loci aut perſonæ, ad quoslibet obuios caſus bile tumeſcunt inſtar bufonis, & non aliter quàm canes latrant & ſtomachantur. Videre eſt enim homines, qui rationales creaturas iniurijs, opprobrijs, calumnijs non ex ratione, ſed ex ſola libidine proſcindant, non læſi verò irrationales lædant, ſine diſcrimine contra animata & inanimata ſe erigant, ſcamna euertant, vaſa ſolida concutiant, fictilia confringant. Et quemadmodum non eſt qui ſe abſcondat à calore charitatis, & à rore clementiæ & manſuetudinis Mariæ; ita illorum hominum terribilem iracundiam vix aliquis declinat. Plutarchus meminit cuiuſdam elephantis, qui ſtultè contra mulam ferratam calcitrantem recalcitrauit. Si durum eſt contra ſtimulum calcitrare, *Simile.* Plutarchus.

trare, certè ferratis vngulis mulæ calcitrantis recalcitrando reſiſtere, non poteſt non exitiale & duriſſimum eſſe. Non defuerunt etiam, qui ita incenſi contra montes, quos ſolo æquantes, magno pecuniarum, ſed maiori æſtimationis diſpendio transferre procurarunt. *Simile.* Peſte laborans inficit ſine diſcrimine omnes amicos & inimicos, qui accedunt ad illum, & contagione ſua nocet animatis & inanimatis, vt cibis, veſtibus, vtenſilibus. Quod peſtis in morbis, hoc furor & iracundia eorum qui diabolum imitantur in vitijs & paſſionibus.

Theodoricus Greſemũdus. *Hiſtoria.* 117. Horribile facinus narrat Theodoricus Greſemundus in Hiſtoria de violata Cruce, quod perpetratum eſt anno 1383. à quodam furibundo homine natione Germano, qui poſtquam chartis luſorijs omnis ſuæ pecuniæ iacturam feciſſet, abiurato Deo & omnibus Sanctis, ſtricto gladio vindictam vouit in eos quos ſibi primò obuios haberet. Plenus igitur iniqua cogitatione, tranſiuit quoddam ſacellum prope ciuitatem Moguntinam conſtructum, in quod ingreſſus, cœpit ſacrilega manu debacchari in Crucifixum, cui caput abſcidit, ex quo ſtatim ſanguis abundè effluxit. Nec ſic tamen impias manus homo ſceleratus continens, perrexit ad imagines cruento Crucifixo collaterales, Marię ſcilicet & Ioannis Euangeliſtæ. *Horribile facinus.* Et ecce dum ſimulachrum Virginis gladio impeteret, addidit Deus miraculum miraculo, prodigioſo nimirum ſanguini truncati Crucifixi, ſtupendam tranſmigrationem imaginis Ioannem repræſentantis, quæ feſtina accurrit ad Virginem, eam quaſi protectura, & ictus percutientis pro illa exceptura. Sed nec ſecundum hoc miraculum hominem mouit. Tertium igitur miſericorditer Deus, qui facit mirabilia ſolus, per interceſſionem Virginis in ipſo crudeliſſimo vaſtatore operatus eſt: ſubitò enim ſentiens ſuper ſe manum eius, qui eſt iuſtus & patiens redditor, ſtetit immobilis, erecta manu gladium tenens ad percutiendum diſpoſitum, donec factum iudici innotuit, qui hominem cum ſatellitibus in flagranti delicto deprehendens, poſteà pro meritis tanti flagitij condignę mortis ſupplicio damnauit. Exſtant imagines vſque hodie, & prope Moguntiam ſeruantur, in quibus, vt ipſe vidi, & curioſiùs perluſtraui, clarè apparent veſtigia ictuum, quos impius homo inflixit. Veritatem autem Hiſtoriæ confirmat continua traditio, & quidem vſque in præſentem diem eo modo & ſitu apparet imago Virginis, vt impoſſibile ſit, collo illius percuſſuram ab illo furibundo homine fuiſſe inflictam, niſi ſeparatim ab imagine Ioannis (quæ iam inſtar ſuſtentantis & defendentis illam ſe habet) priùs collocata fuiſſet ab vno latere. Vnde apparet, quòd lupo graſſante imagines illæ (vt Hiſtoria refert) inſtar ouicularum concurrentium ad ſe inuicem conuenerint.

118. Non parua fuit hæc gratia, quæ ſine dubio impio illi homini per interceſſionem Virginis, inter omnes & omnibus mitis, fuit collata, qua immobilis ſubſiſtens, in ſe reuerſus, ex ſtupore miraculi pœnitere potuit. Ecce Virgo clemens cogitat cogitationes pacis, etiam tunc, cùm crudelis ille homo contra eam & contra Filium ſuum in imaginibus tam crudeliter ſæuit. Vas plenum effundit pretioſum liquorem modeſtè haurienti, quem non denegat impetuoſiùs concutienti aut impellenti, imò ſubinde cum maiori effluentia illum propinat. *Simile.* Maria eſt *vas* Eccli. 43, 2.

admi-

admirabile opus Excelſi, quam ſalutans Angelus ait: *Aue gratia plena*. quibus verbis edocti, ad illam quotidie ſancti accedunt, vt inueniant vitam, & hauriant ſalutem à Domino. Crudeliſſimè impegit contra illam graſſator ille, non tamen continuit, ideò Virgo inter omnes mitis, miſericordiam ei ſic impetrauit, vt miraculosè immobilis ſubſiſtens, haberet tempus ſe diſponendi, vt miſericordiæ Dei poſſet particeps fieri.

119. Videtur quòd perditiſſimus ille homo per illum immobilem ſtuporem cælitus eodem modo, quo olim Saulus, minarum & cædis ſpirans, ab impetuoſo ſuo curſu fuerit detentus. Pro quo nota, quòd omnes malefactores moneat Deus per Prophetam, dicens: *Quieſcite agere peruersè, & diſcite benè facere.* hunc autem coëgit ſubſiſtere & ceſſare à malo per miraculum, vt diſceret benè facere.
Iſa. 1, 16.

120. De Moyſe dicit Scriptura: *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra.* tamen vidit ſemel *virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus ſuis: cumque circumſpexiſſet huc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo.* Qui cùm poſteà, adhibitis ſibi Leuitis, percuſſiſſet viginti tria millia hominum, ait, complacens ſibi in hac tam numeroſa populi trucidatione propter zelum Dei & iuſtitiæ: *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino.* Maior ſine dubiò fuit Mariæ manſuetudo, quæ inter omnes & præ omnibus mitis eſt, non ſolùm inter homines qui morantur in terra, ſed etiam inter omnes cælicolas. Nam ſanguis Abel clamat vindictam. *Ecce vox ſanguinis fratris tui*, inquit Deus ad Cain, *clamat ad me de terra.* Illi verò qui interfecti ſunt propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant, voce magna clamabant, inquit Ioannes: *Vſquequò Domine (ſanctus & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs qui habitant in terra?* Beata autem Virgo inter omnes mitis nuſquam clamat vindictam, & tantùm non intercedit pro diabolo & angelis eius, qui in peccato obſtinati, gratiæ ſunt incapaces, & miſericordiæ (ſi quam offerret) eſſent rebelles.
Num. 12, 3. Exod. 2, 11. & 12. Exod. 32, 29. Gen. 4, 10. Apoc. 6, 10.

121. Ex his patet, quòd rabioſo diabolo, qui deſcendit habens iram magnam, quam in omnes bonos & malos, magnos & paruos, etſi ab omni culpa non tantùm ſint immunes, ſed etiam multis virtutibus illuſtres, imò (quantum in illo eſt) in ipſum Deum effundere geſtit, oppoſita ſtet Virgo ſingularis, inter omnes mitis: quæ cùm ſit mater gratiæ, nullus eſt tam grauis peccator, cui ab illa miſericordia præſtò non erit, ſi ſe ad illius receptionem diſpoſuerit. Quandoquidem vt (præter iam allatum exemplum) ex multis Hiſtorijs patet, etiam ſpatium & incentiuũ pœnitentię impetrat peccantibus, imò actu contra illam ſæuientibus.

122. Imitatur filium ſuum, de quo dicit Ioannes: *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.* Qui in cruce pendens pro illis rogabat veniam, qui ſummam irrogabant iniuriam; atque adeò dæmonis malitiæ ſuam immenſam bonitatem per omnia oppoſuit. Nam ipſe tamquam verus & *bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*: ſed *lupus rapit, & diſpergit.* Meritò hoc titulo paſtoris, & gallinæ, agni, denique patris, matris, nutritij, &c. gaudet: quæ etſi valdè diuerſa denotent, tamen ſingularẽ miſericordiam & pietatem quamdã ſonant.
1. Ioan. 3, 8. Ioan. 10, 11. 12.

DISCVRSVS X.

Quemadmodum credentes in Chriſtum ad gloriam omnipotentiæ ipſius maiora fecerunt, quàm ab ipſo facta legantur; ita Mariæ pietas cum infinita miſericordia Dei quodammodò contendens, eamdem magis illuſtrat.

123. ETSI Chriſtus Dominus omnia per ſe & ex ſe potuerit, maiora tamen & plura voluit fieri per Apoſtolos, qui nihil niſi per acceptam
Ioan. 14, 12. ab eo poteſtatem effecerunt. *Amen amen dico vobis*, inquit, *qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Non dicit *opus*, vt benè notauit Caietanus, ne intelligeremus ſingulare opus redemptionis humanæ, ſed *opera*, quæ communiter faciebat, qualia ſunt miracula & alia opera moralia. Mirabilis videtur hæc promiſſio, veriſſima tamen eſt. Maius enim fuit, Petri vmbrâ ſanatos eſſe infirmos, quàm tactu fimbriæ Chriſti, vt dicit Auguſtinus Tract. 72. in Ioannem. Item maius fuit, per prædicationem Petri iam tria iam quinque millia hominum conuerti, vt alibi notauimus, quàm per Chriſti prædicationem Samaritanam, Chananæam, Magdalenam, aut mulierem de qua dicit Euangeliſta: *Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit: Beatus venter qui te portauit.* Item maius fuit, prædicare in omnibus linguis, quomodo Apoſtolos prędicaſſe conſtat, vt notauit Lyranus noſter, quàm in ſola lingua Hebræa, qua vſus eſt Chriſtus.

Act. 5. Mar. 6 Auguſt. Lucæ 11, 27. Act. 2. Lyran.

124. Nota tamen, quòd maiora opera quæ Apoſtoli fecerunt, non obſcurarint, ſed potiùs illuſtrarint gloriam & potentiam Chriſti. Maius enim eſt, facere vt credentes faciant, quàm ſi Chriſtus per ſe ſolum ageret. Exponit igitur illa verba Gloſſa interlinearis in hunc modum: *Opera quæ ego facio & ipſe faciet. Prius ego, poſt ipſe: quia ego facio vt ipſe faciat.* Gloſſa verò ordinaria: *Maiora horum faciet, non tamen ex ſe, ſed ex me. Non eſt ſeruus maior domino ſuo: ipſe enim ſine eis multa, illi ſine eo nihil niſi peccatum.* In paruo angulo huius mũdi Chriſtus prædicauit: Apoſtoli miſſi per vniuerſum mundum, ante finem eius illum iuriſdictioni Eccleſiæ ſubijcient, ſed tota gloria ei tribuenda eſt, cui debetur victoria, de quo Apoſtolus ait: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Gloſſa interlin. Gloſſa ordin. 1. Cor. 15, 57.

125. Idem igitur opus, v.g. expulſio dæmonis, aut cura ægrotantis maioris eſt virtutis, cùm per Apoſtolos fit, quàm ſi immediatè fieret à Chriſto. Vt enim mirabilius eſſet, ſi inſignis aliquis pictor, arrepta manu diſcipuli, cui ſuam imponeret, inſignem imaginem efformaret, quàm ſi ipſe ſolus penicillo vteretur. Non enim iuuatur, ſed retardatur manus propria alienæ inexercitatæ manui coniuncta. Vnde Origenes Homil. 7. in Num. *Verè*, inquit, *maius mihi videtur, quòd homo in carne poſitus, fragilis & caducus, fide tantum Chriſti & verbo eius armatus, ſuperat gigantes, & dæmonum legiones. Quamuis ipſe ſit qui vincit in nobis, plus tamen eſt quòd per nos quàm quòd per ſe vincit.* Gloriatur Chriſtus, eò quòd credentes in illum in nomine eius eijciant dæmonia, plus quàm ſi ipſe ore proprio illis imperaret.

Simile. Orig.

126. Videre eſt aliquando in Scholis.

lis magnam fieri diſceptationem ſuper quæſtionibus quę inter Doctores controuertuntur. Si autem aliquis nimis arroganter ſe erexerit contra virum doctiſſimum qui diſputationi præeſt, is ad maiorem ſuperbi oppugnatoris depreſſionem, dedignatur reſpondere, ſed totam difficultatem rei relinquit diſcipulo ſuo expediendam. Idem fieri ſolet, dum heſternus aliquis præſumit ſcripta verſari & famoſi Doctoris calamo eneruare, volens ſe magiſtro ſuo maiorem oſtendere: tunc enim alicui ex diſcipulis, qui omnem ſcientiam ſuam ab eo hauſit, committit facultatem defendendi ſententias controuerſas, & confutandi futiles ratiunculas, quibus nouellus ſcriptor eas impugnare conabatur: cui ſi tam appoſitè ſuggeſſerit fundamenta ſuæ doctrinæ, quod omnibus oppugnantibus & ſcribentibus imponat ſilentium, erit hoc admirabilius, & Doctori glorioſius, quàm ſi ipſe per ſe totum illud negotium abſoluiſſet; & ea ratione quodammodò maius erit, quod diſcipulus ad honorem ſui magiſtri fecit, quàm quòd ipſe per ſe in cathedra facere conſueuit.

Simile.

127. Multæ ortæ ſunt perplexæ quæſtiones in mundo ante tempora Chriſti. Aliter gentiles Philoſophi, aliter Iudæi ſentiebant: vix enim fuit vna natio, quæ per proprias ſententias à placitis aliarum nationum non contentioſè diſſentiret. vnde Salomon ait: *Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus.* Porrò nullus erat in veteri Teſtamento, qui omnes ita ſolueret, vt oppugnãtes ſibi ſatisfactum eſſe faterentur. Durarunt diſputationes, ſed irrefragabiles reſolutiones minimè datæ ſunt, adeò vt verum ſit quod idem Sapiens ait: *Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum.* Nota, *diſputationi.*

Eccle. 7,30.

Eccle. 3,11.

128. Non ſolùm mundus, ſed etiam ipſe Chriſtus Filius Dei diſcrepantium ſententijs eorum, qui non eodem modo de illo ſentiebant, relictus fuit. Vt autẽ appareret, quanta eſſet opinionum diuerſitas de illo, rogauit quodam die Apoſtolos ſuos, dicens: *Quē dicunt homines eſſe filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Falſæ quidẽ erant hæ opiniones, ſed tamen magis tolerabiles quàm aliæ impientiſſimæ, quas peſſimi quidam in populo diuulgare conabantur, qui dicebant quòd eſſet ſeductor, potator vini, homo vorax, publicanorum & peccatorum amicus, Reipublicæ turbator & ſeditioſus.

Matth. 16, 13. 14.

129. Chriſtus Dominus miſſus eſt à Patre in hunc mundum, vt præſideret in hac intricata tot quæſtionum & opinionum diſputatione, & tamquam lux vera illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum. vnde ait: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Et quidem ſententiam ferens de mũdo, omnium odium incurrit, quia teſtimonium perhibuit de illo, quòd opera eius mala eſſent. De ſe autem veram propoſitionem poſteà ponens in theſibus ſuæ ſanctiſſimæ diſputationis, reus mortis eſt habitus coram Caipha, qui *ſcidit veſtimenta ſua dicens: Blaſphemauit; quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? At illi reſpondentes, dixerunt: Reus eſt mortis.* Et paulò pòſt Pilatum, ipſius liberationem ſollicitantem, vrgerunt vt ferret impiam mortis ſententiam, dicentes: *Nos legem habemus,* &

Ioan. 18,37.

Ioan. 7, 7.

Matth. 26,65. 66.

Ioan. 19,7.

Digitized by Google

& ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.

130. Verùm ad propoſitum noſtrum redeuntes, notandum eſt, quòd ad maiorem ſuam gloriam, & ſuperborum depreſſionem, videns ſibi audientiam & debitam reuerentiam denegari, voluerit per humiles diſcipulos petulantiam diſputantium retundi. Non ferebant legiſdoctores & Scribæ, quòd ille quaſi dedignans eos ſua reſponſione, indoctæ plebeculæ committeret dubiorum de illo exortorum reſolutionem. vnde factum eſt, quòd Phariſæis illum tentantibus ſimul &
Lucæ 11, 27. blaſphemantibus, *extollens vocẽ quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* & cæcus à natiuitate audacter re-
Ioan. 9, 16. darguens eos qui dicebant, *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit,* palàm profeſſus eſt *quia Propheta eſt.*
℣. 33. item: *Niſi eſſet hic homo à Deo, non poterat facere quidquam.* Conſiderantes igitur, quòd hominibus infimæ ſortis, ipſo parum & quodammodò nihil dicente, frequenter relinqueret totum diſputationis pondus, ſentientes ſe hoc modo magis vilipendi, & gloriam illius plus illuſtrari, quodam die accedunt quaſi hunc contemptum depre-
Ioan. 10, 24. caturi, dicentes: *Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm?* Attende, quòd ſimus doctores & legiſperiti, & quòd, ſi conuinci debemus, faciliùs tibi quàm obſcuris & indoctis hominibus ſuccumbemus.

131. Ceterùm ex reſponſione, quã Chriſtus dedit, patet, quòd efficaciùs illos docturus eſſet per ſuos reſponſales, quàm per ſe: ac proinde doctrinam ſuam tantò fore clariorem, quantò obſcurior qui eam ipſo intus dictan-
℣. 25. te publicaret. *Loquor vobis,* inquit, *& non creditis, opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Inter alia opera quæ faciebat, illud mirabilius erat, quòd dare conſueuit verba ſua in ore ſimplicium & illitteratorum, quales erant multi de turba & infima plebe, inter quos mulier extollens vocem, & beatificans ventrem qui eum portauit; & cæcus ille à natiuitate, ipſo interim ſilente. vnde minùs tolerabile viſum fuit inuidis & paſſionatis Iudæis, quòd per infirmos & mendicos refutaret falſam illorum doctrinam, & ſtabiliret ſuam, quàm ſi illud per ſe feciſſet: & hæc cauſa fuit, quòd puerorum feſtiuam acclamationem indigniſſimè tulerint.
Videntes autem Principes ſacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, inquit Matth. 21, 15. 16.
Matthæus, *& pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid: indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt?* Vt autem Chriſtus indicaret, hoc modo Dei gloriam maximè promoueri, dixit: *Numquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Nota, quòd per omnia opera Dei laus quidé & gloria eius innoteſcat, quam vtiq; per ea, quæ in infirmis creaturis efficere ſolet, conſummat & perficit. Hinc Paulus ait:
Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam 1. Cor. 1, 20.
huius mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. & infrà: *Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus,* 1. Cor. 1, 27.
vt confundat ſapientes.

132. Quemadmodum igitur non præiudicat honori & gloriæ Filij Dei, ſed potiùs extollit eam, quòd Sancti quidam maiora fecerint quàm ipſe per ſe feciſſe legitur; ita miſericordia illius tantò maior eſſe dignoſcitur, quãtò illa clariùs in B. Virgine prædicatur,

tur, cùm ſicut illi à Deo receperunt velle & perficere, ita hæc non niſi per eius miſericordiam ſibi collatam potuerit miſereri ſemper & parcere. Vnde ſicut pro argumento ſuæ omnipotentiæ dedit credentibus (quibus inſufficientiam eorum aperiens, dixit,
Ioan. *Sine me nihil poteſtis facere*) tam excel-
15.5. lentem mirabilium operum prærogatiuam, quæ non modò æquarent, ſed etiam ſuperarent ea quæ ipſe cum hominibus & pro hominibus peragere ſolebat: ita etiam pro infinitæ ſuæ miſericordiæ clariſſima nota effecit, quatenus pietas & miſericordia Virginis ita ab infantia ſua creſceret, vt tandem (ſi foret poſſibile) in actu ſecundo ſupra ſuam excreuiſſe videretur.

133. Magna fuit illius hominis Regis pietas, qui cœpit rationem ponere cum ſeruis ſuis (prout narrat Euangelica hiſtoria) quem decem milliūm talentorum debitor procidens, & patientiam expoſtulans, ita flexit, vt gra-
Matth. tioſam condonationem obtineret. *Mi-*
18,27. *ſertus autem Dominus*, inquit Euangeliſta, *ſerui illius, dimiſit eum, & debitū dimiſit ei*. Per hunc hominem Chriſtū
Orig. ſignificari, teſtis eſt Origenes Tract. 7. in cap. 18. Matth. *Filius Dei*, inquit, *quando factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, tunc ſimilis factus eſt homini Regi, vniens hominem ſibi*. Qui etſi abſque meritis, tamen vix vmquam ſine petentium votis legitur miſeris gratiam ſuam obtuliſſe, aut impendiſ-
Ioan. 9. ſe. Vnde factum eſt, quòd etiamſi cæco à natiuitate nihil petenti lutum poſuerit ſuper oculos, tamen non niſi ex obedientia ſe lauanti in natatoria Siloë viſum præſtitit. hominem verò qui habebat triginta & octo annos in infirmitate non ſanauit, niſi prius deſiderium ſanitatis ſignificaret, quem proinde roga-
Ioan. 5. 6. uit: *Vis ſanus fieri?* cui præcepit vt ſurgeret, & tolleret grabatum ſuum, & ambularet. Sanitatem igitur miſericorditer obtinuit, non tamen ſine præuijs fidei & obedientiæ teſtimonijs. Præter fidem etiam laborem & patientiam reſpexit eorum, quos miraculoſa panum multiplicatione pauit. *Ecce*, in- Marc.
quit, *iam triduo ſuſtinent me, nec habent* 8,2.
quod manducent, &c.

134. Porrò miſericordia Virginis Mariæ, quæ ſine comparatione minor eſt in ſe, maior apparet aliquando in ſpecie, quandoquidem eam abſque vllo merito ſubinde exhibet etiam non petentibus. Semel quidem ſolùm legitur in Scriptura non rogata miſericorditer pro ſupplendo vini defectu ſollicita fuiſſe, dicens: *Vinum non ha-* Ioan.
bent. verùm inde colligimus conti- 2,3.
nuam illius pietatem erga eos qui in aliqua neceſſitate conſtituti ſunt. Hinc fit, quòd mater gratiæ & mater miſe-
ricordiæ appelletur. Matris autem eſt, *Simile.*
vltrò moueri ex filiorū miſerijs potiùs, quàm vrgeri votis aut incitari ſupplicationibus. Vt autem clariùs innoteſcat, viſcera miſericordiæ illius nulli vmquam clauſa eſſe, ex Eccleſiæ inſtituto *peruia cæli porta*, quæ patet etiam non pulſantibus, ſalutatur. Eo igitur ſenſu quo Chriſtus dixit, credentes facturos opera maiora quàm ipſe fecit, etiam maiorem pietatis & miſericordiæ apparatum B. Virgo hominibus
exhibuit. *Petite, & accipietis*, ait Chri- Ioan.
ſtus, *pulſate, & aperietur vobis*. Maria 16, 24.
verò non rogata miſericorditer rogat Matth. 7,7.
& ſollicitat. vnde canit Baptiſta Man- Baptiſt.
tuanus: Mant.

Ipſa eſt aduerſis commune in rebus aſylum,
Ante preces noſtras, necdum obſecrata, fauorem
Donat, & ad miſeros maternas explicat vlnas.

135. Mul-

135. Multa extant exempla, quæ
Cæſar. hanc veritatem confirmāt. Refert Cæſarius lib. 7. cap. 8. conuerſionem cuiuſdam Canonici S. Cuniberti, qui in ciuitate Colonienſi ſæculari viuendi modo patrimonium Chriſti inutiliter diſſipabat; pro cuius ſalute Virgo benedicta apud Filium ſollicita orauit, Cùm enim die quadam per campos equitaret, audiuit ex nubecula perlucida vocem eximiæ dulcedinis, dicen-
Matth. 6,10. tem: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.* Cuius cùm poſteà memoria occurreret, ſpiritu compunctus, ſolebat in lacrymas reſolui. Fuit hæc vox Mariæ, quæ, vt ibidem interpretatur Cæſarius, petiuit vt ſicut voluntas Dei eſt in cælo, id eſt in homine iuſto, ita etiam fieret in illo mundano & terreno, nihil dè ſua ſalute cogitante. Nec fruſtrà ſic orauit Virgo beata: nam Canonicus ille ad meliorem mentem tandem conuerſus, & Ordinis ſancti Bernardi Religioſus effectus, gratias agens Deo, vitæ ſuæ mutationem pietati & miſericordiæ Virginis acceptā retulit.

136. Cùm igitur Maria non rogata à peccatoribus ſubinde motu proprio miſericorditer moueatur ad intercedendum, non eſt mirum ſi ab eis inuocata, vota illorum exaudiens, cum infinita miſericordia Dei contendere
Prou. 15,8. velle videatur, quandoquidem *victima impiorum abominabiles Domino ſunt*, vt ait Sapiens. Vnde Dauid ait:
Pſalm. 65,18. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Deus.* Et cęcus à natiuitate:
Ioan. 9,31. *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit; ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Quomodo exaudiret peccatores, quos nec audire quidem dignatur? vt patet
Iſa. 59, 2. ex verbis Iſaiæ, dicentis: *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis.* Septuaginta legunt, *Propter peccata veſtra auertit faciem ſuam à vobis*, quia, vt ait Gloſſa interlinearis, *non poteſt faciem peccatorum veſtrorum ſuſtinere.* Sicut enim nares auertimus à fœtente ſterquilinio, & à cloaca aut colluuie; ita anima peccato infecta Deo nauſeam mouet. Nec mirum igitur ſi auertat faciem ab ijs, qui cùm ſordidi ſint & abominabiles, aliquid ſibi concedi poſtulant. Septuaginta. Gloſſa interlin. Simile.

137. Vnde vſitatum eſt in Scriptura, vt dicatur faciem orantis auertere, quando poſtulata dare recuſat; accipere verò, cùm quod petitur concedit. Quo ſenſu intelligi poteſt oratio Salomonis, dicentis: *Domine Deus, ne auerteris faciem chriſti tui.* item illud: 2. Par. 6,42.
Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, id eſt orationem eius exaudiam, poſtulata ei concedens, & quodammodò oſculum amicitię ab illo recipiens. Huc pertinet, quòd ſibi priùs faciem oſtendi, quàm voci orantis audientiam prębere velit: *Oſtende mihi faciem tuam*, inquit, *ſonet vox tua in auribus meis.* Huius rei figuram quamdam videre eſt in veteri Teſtamento: Iſaac enim non niſi accepto oſculo benedictionem Iacobo filio ſuo impendit. *Accede ad me*, inquit, *& da mihi oſculum, fili mi.* Iob 42, 8. Cant. 2,14. Gen. 27,26.

138. Ex his patet ratio, cur Deus peccatores non exaudiat. Quis enim noſtrûm homini ex lepra aut horribili cancro per totum corpus exeſo, & intolerabilem quemdam fœtorem ex ſe diffundenti, eleēmoſynam daret, ſi hoc fieri non poſſet, niſi ab eodem oſculum putridis labijs priùs ſuſciperet? Vt iam dictum eſt, Deus exaudiens orantem, etiam faciem illius ſuſcipit. Peccatores autem abominabiles Deo ſunt. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt*, inquit Propheta, Simile. Pſalm. 13,1.

in

Prou. 16,12. *in ſtudÿs ſuis.* item Sapiens: *Abominabiles Regi qui agunt impiè.* quibus poſtulata non concedit, quia eorum oſcula abominatur.

Pſ.118, 155. ℣ 139. Nota autem, etſi *longe à peccatoribus ſalus*, non tamen deſperata eſt, quibus relinquitur *peruia cæli porta*, Maria ſcilicet, quæ meritò appellatur refugium peccatorum, cuius faciem Deus aliquando ſuſcipit, dum pro illis, qui adhuc iniquitatem aſpiciunt in affectu & corde ſuo, ac proinde abominabiles ſunt, orat. In hoc igitur miſericordia Mariæ ſecundùm ſpeciem ſe extendere & quaſi contendere videtur cum infinita Dei miſericordia, quod ille peccatori in affectu peccati perſeueranti, omnem ſpem exauditionis præſcindat. verum eſt enim
Pſalm. 49,16. 17. quod ait Pſalmiſta: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, &c. Tu vero odiſti diſciplinam, & proiecisti ſermones meos retrorſum.* item
Iſaiæ 1,15. Iſaias: *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Maria verò omnibùs audientiam præbet, adeò vt Pro-
Pſalm. 86,3.4. pheta dicat: *Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei, &c. Ecce alienigenæ, & Tyrus & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.*

140. Audita non modò, ſed etiam exaudita fuit quædam meretricula, vt refert Alexius de Salo in ſua Methodo
Alexius de Salo. ſeruiendi B. Virgini, Cõditione 3. circa finem, à qua Religioſus quidam Ordinis noſtri, qui ex pia conſuetudine omnium ſibi occurrentium preces efflagitare ſolebat, humiliter petebat orationum eius ſuffragia. Cui miſella illa, ſe excuſans, ait: O Pater, ſum in ciuitate peccatrix. Sit ita, inquit, attamẽ ora B. Virginem pro me. Ingreſſa igitur templum, coram imagine Virginis genuflexa, ſtatim in principio orationis extra ſe rapta, vidit Mariam Chriſto Filio ſuo ſupplicem. cui ille: Quomodo audiam ſordidã inimicam meam? Replicat miſericordiæ mater: Audi illam pro meo deuoto & amico tuo orantem. Meretrix igitur ad ſe reuerſa, & ad meliorem mentem conuerſa, feſtinanter cucurrit ad Patrem, refert viſionem, & facta generàli confeſſione per totius vitæ emendationẽ, oſtendit quòd *non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat*, ſed quòd Iſaiæ 59,1.
per B. Virginis interceſſionem *mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas*, adeò vt incipiant Ierem. 13,23.
benè facere, qui multum & diu didicerunt malum. Ecce hæc perdita mulier, dum accedit pro altero oratura, nullo modo de ſeipſa ſollicita, Maria pro illa intercedente, concepit ſpiritum ſalutis, & reuerſa eſt parturitione vitæ melioris turgida. Lætentur igitur, ô Virgo beata, omnes qui ſperant in te, & qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinques qui te colunt, & per vitæ ſanctimoniam pro ſua fragilitate quærunt, &c. Amen.

DISCVRSVS XI.

Maria egenis & ægris peccatoribus miſericors, ſpecialiter illorum ſalutem procurat, qui pro illius reuerentia diem ſabbatinum celebrant.

141. VERVM eſt quod Sapiens ait: *Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio; & vbi non eſt mulier, ingemiſcit egens.* Ecclі. 36,27.
Meretur ſubinde peccator à Deo ita derelinqui, vt cum illo, qui deſcendebat ab Ieroſolymis Lucæ 10,30.
in Iericho, incidat in latrones, qui diſpolient eum, & fiat quod Ieremias multis lamentis proſequitur: *Manum* Thren. 1,10.
ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius. Vnde iratus olim contra popu-

Iſaiæ 5.5. lum ſuum, ait: *Oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam ſepem eius, & erit in direptionem.*

Simile. 142. Quemadmodum homini poſt direptionem, & hoſtilem omnium bonorum vaſtationem, nihil reſtat niſi vt mendicando ſuſtentationi vitæ ſuæ conſulat; ita peccator omnibus bonis ſuis ſpoliatus, ſoli miſericordiæ Dei derelictus eſt. Vnde Propheta ait: Pſalm. 10,14. *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.* quam vt obtinere poſſit, pietas benedictæ inter mulieres illi Eccli. 36,27. neceſſaria eſt. Nam *vbi non eſt mulier, ingemiſcit egenus.* Quia (vt ait Lyranus Lyran. noſter ad litteram verba illa exponẽs) facilè illi negabitur eleëmoſyna. Mulieres enim ſunt communiter viris miſericordiores: vnde Ieremias pro facto ſtupendo & incredibili refert quarumdam inſenſibilitatem, quam fames & extrema moriendi neceſſitas Thren. 4,10. cauſauit, dicens: *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos, & facti ſunt cibus earum.* Tanta miſericordia naturaliter præditæ ſunt mulieres, vt ſicut viri fortes, ita illæ miſericordes appellentur, adeò vt Propheta miretur, quòd non prælegerint fame mori, quàm eſca ſibi tam conſanguinea ſuſtentare vitam.

143. Ceterùm quòd egenus ingemiſcat vbi non eſt mulier, nemo frequentiùs experitur quàm Frater Minor, ex obedientia pro ſui ſtatus humilitare oſtiatim mendicans. Pro quo ſciendum eſt, voluntarios pauperes quidem ex centuplo Euangelico ſibi promiſſo, omnes quodammodò viros in patres, & omnes mulieres, præſertim quibus media ſuppetunt, tamquam matres ſibi aſſignatos habere. Specialiter autem hanc aſſignationem, propter arctiorem omnium rerum abdicationem, filijs ſancti Franciſci competere, nemo in dubium vocat. Contingit autem non rarò, vt Frater Minor vacuus recedere cogatur, dum Pater eius Euangelicus, ſe per abſentiam matris excuſans, ait Religioſo pauperi, humiliter eleëmoſynam petenti, Mulier non adeſt: quaſi verò omnes pauperes fame deberent mori, ſi ſolis viris relicti fuiſſent. verè igitur dixit Sapiens: *Vbi non eſt mulier, ingemiſcit egenus.* Eccli. 36,27.

144. Vt autem hoc ad propoſitum noſtrum accommodemus, ſciendum eſt, quòd niſi Deus ex infinita ſua miſericordia nobis aſſignaſſet Mariam in matrem miſericordiæ & gratiæ, quæ eſt mulier benedicta inter omnes mulieres, multi qui iam in cælis abundant, & inebriantur ab vbertate domus Dei, torrente voluptatis ſuæ potati, cum damnatis ingemiſcerent egeni, famem patientes vt canes, & fruſtrà cum Epulone anhelantes, vt Lazarus quiſpiam extremo digiti aquæ intincti refrigeraret linguam ſuam. Pſalm. 35,9. Pſalm. 7,15. Lucæ 16,24.

145. Magna fuit miſericordia Iobi, quę, vt ipſe teſtatur, creuit cũ illo ab infantia eius. *Si negaui,* inquit, *quod volebant pauperibus.* itẽ: *Si deſpexi pereuntẽ.* & paulò pòſt: *Foris non manſit peregrinus: oſtium meũ viatori patuit.* Maior eſt Virginis pietas, quæ, vt ex dictis & dicendis patet, non tantùm non negat quod miſeri petunt, ſed etiam pro ijs qui nihil petunt, ſed ſalutem ſuam negligunt, ſollicita eſt. Si autem minimam deuoti affectus aut pietatis ſpeciem exhibuerint, non quieſcet, donec excuſſa damnabili ſocordia, Deus eorum rebelles ad ſe conuertat voluntates. vnde fit, quòd non ſolùm non deſpiciat pereuntem ſicut Iob, ſed patrocinetur ne de facto pereat. Iob 31, 16.19. & 32.

146. Huius rei mirabile extat exemplum, quod refert noſter Carthagena lib. de

lib. de Mirandis Deiparæ Virginis, §. 53. ex Auguſtino Manno, de meretricula; quæ quodam die ſabbatino ad illicitum actum propoſita, turpi mercede requiſita, negauit ſollicitanti copiam ſui. Rogata cauſam dixit: Etſi æternis pœnis mancipanda ſim, peccatis meis id exigentibus, tamen in honorem Virginis (cui dies ſabbatinus præ ceteris ſacer eſſe ſolet) hodie ab illicita libidine abſtinere propono. Hac ratione commota Virgo Maria, negotiari cœpit apud Deum ſalutem illius miſellæ nihil à Virgine ſperantis, ſed potiùs ſalutem ſuam deſperantis. Nam is qui fornicator aduenerat, his verbis meliorem mentem concipiens, operam ſuam obtulit & media, quibus in tutiori viuendi modo & ſtatu collocari poſſet. Accepit illa viri fidem; & obtinens ab eo pecuniarum ſummam, Religionis habitum ſuſcepit, & tandem profeſſionem emiſit in monaſterio quodam Conuerſarum. Contigit hoc anno 1601. in menſe Iunio. Recens autem huius mirabilis conuerſionis memoria meritò omnes mouet, vt beatæ Virgini aliquas arbitrarias deuotiunculas offerant, quæ huic miſeræ, cùm eſſet in ciuitate peccatrix, & ſtatũ peccati non dimiſit, ſed ſolùm vno die ex aliquo pio motu erga Virginem intermiſit, odium peccandi à Deo impetrauit, & ad ſalutarem conuerſionis & pœnitentiæ ſtatum miſericorditer promouit.

August. Manus. Exemplum.

147. Abundant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſimilibus exemplis. Libet hîc vnum adhuc annectere ex Annalibus Franciſci Bencij, quod refert idem Carthagena §. 61. de Mirandis, de quadam hæretica, quæ ſe in matrimonio ſterilem dolebat. Mira res! Vnus ex noſtris, inquit, perſuadet mulieri, vt ſi liberos velit, hunc ſaltem honorem habeat B. Virgini, vt à carnibus ſabbato abſtineat, diuinam illi opem pro mercede affuturam promittens. Fidei reſpondit euentus: vno partu geminos, marem & feminam enixa, agnoſcens diuinum beneficium & donum fidei, cum duplici matrimonij fructu à Deo ſibi collatum, teſtatum fecit oblatione aureæ caſulæ & calicis miri artificij, quo gaudet domus illius Religioſi, qui mulieri auctor & perſuaſor fuit ſabbatini ieiunij. Ecce neutra harum mulierum legitur aliquid poſtulaſſe quod ſpectabat ad animæ ſalutem; ſed quia aliquam pietatis vmbratilem ſaltem ſpeciem exhibebant (vera enim pietas ſine germana fide, aut cum peccati propoſito non conſiſtit) tam mirabiliter à Matre miſericordiæ adiutæ ſunt.

Franciſcus Bécius. Exemplum.

148. Ex his diſcamus ſabbatum aliquo ſaltem deuotionis officio, vt audiendo Miſſam, recitando Roſarium, aut, quod communiter ferè in Italia à à pijs fieri conſueuit, ieiunio ſacratius reddere. Sabbatum quidem olim etiam ipſis Ethnicis celebre fuiſſe conſtat. vnde refert Seneca l. 14. Epiſt. 15. ſabbatinis diebus lucernas incendi ſolere. Sed quod apud illos ex ſuperſtitione fiebat, piè à quibuſdam Catholicis ex vero cultu Virginis exercetur, qui in introitu domus imaginẽ B. Virginis intrantibus, aut etiam tranſeuntibus conſpiciendam ornant, quam ſi non ſingulis diebus, ſaltem ſabbatinis, accenſis cereis circa veſperam honorant.

Seneca.

149. Non carebit fructu ſuo hæc deuotio, etſi fiat etiam ab ijs qui actu, & (quod mirabilius eſt) affectu adhuc ſunt peccatores. Nam, vt iam ex adductis exemplis conſtat, profuit mulieribus peccatricibus exhibita Virgini in die ſabbatino reuerentia per continentiam ab actu illicito, & abſtinentiam

Gg 2 ab

ab eſu cibi prohibiti. Verum eſt, quòd Deus contemnat ſabbata & ieiunia peccatorum, vt patet ex ijs quæ habentur Iſa. 1. ℣. 13. & 58. ℣. 3. *Calendas veſtras odiuit anima mea*, inquit, *facta ſunt mihi moleſta.* quia conueniebant tunc (quomodo, prô dolor! etiam hodie multi Catholici feſtis diebus abutẽtes) ad epulandum & comeſſandum. *Feſta autem laſciuia traducere* (vt ait Chryſoſtomus) *eſt propitiationem in reatum vertere.* Et Auguſtinus, *Melius*, inquit, *faceret Iudæus in agro ſuo aliquid, quàm in theatro ſeditioſus exiſteret: & meliùs femina eorum die ſabbati lanam nerent, quàm toto die in neomenijs ſuis impudicè ſaltarent.*

Iſaiæ 1, 14. Chryſoſt. Auguſt.

150. Deinde Iudæi etiam ſtultè & Phariſaico more ſeruabant ſabbatum, non abſtinentes à peccatis, ſed prohibentes opera quæ licitè, imò piè fieri poterant ſabbatinis diebus. Horum inſaniam notans Chriſtus, rogauit eos qui malignè obſeruabant illum, vt haberent vnde tamquam reprehenſione dignum apud populum traducere poſſent, *Si licet ſabbato curare?* Videtur quòd Iudæis valdè tenaciter inhæſerit error ille de ſuperſtitioſa celebratione ſabbati, qua abſtinebant non ſolùm à quibuſdam operibus licitis, ſed etiam omnino neceſſarijs. vnde Chriſtus prædicens abominationem prædictam à Daniele Propheta, ait: *Orate autem vt non fiat fuga veſtra in hieme, vel ſabbato.* Rationem huius præmonitionis dat Hieronymus ſuper illa verba, *Quia ſcilicet in altero* (inquiens) *duritia frigoris prohibet ad ſolitudines pergere, & in montibus deſertis latitare; in altero autem transgreſſio legis eſt, ſi fugere voluerint; aut mors imminens, ſi remanſerint.*

Lucæ 14, 3. Matth. 24, 20. Hieron.

151. Nota, quòd Iudæis lege prohibitum fuerit ſabbato ambulare vltra mille paſſus. vnde breue iter, ſabbati iter vocari ſolet, quale fecerunt Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſionem. *Tunc reuerſi ſunt* (ait Lucas) *Ieroſolymam, à monte qui vocatur Oliueti, qui eſt iuxta Ieruſalem, ſabbati habens iter.* Quod erat iter deambulationis, non laboris, dicit Caietanus; &, vt addit Lyranus noſter, ideò non erat contra legem prohibentem longa itinera die ſabbati, quæ ſic habet: *Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo.* quibus verbis non fuit prohibitum Iudæis exire ad locum diuino cultui deputatum, vt notat Bonfrerius, vt ad Synagogam diuinæ legis audiendæ cauſa, vel aliquouſque egredi gratia deambulationis aut refocillationis, ſed ne quis egrediatur ad labores & opera ſeruilia, aut prolixas profectiones.

Act. 1, 12. Caiet. Lyran. Exod. 16, 29. Bonfrerius.

152. Sciendum eſt autem, quòd ſabbatum tempore neceſſitatis non erat ſeruandum. Poterant enim Iudæi inimicos in ſabbato ad multa milliaria fugere, vel etiam fugare, vt propriam vitam morti eriperent, aut etiam mortem hoſti inferrent. Notandum tamen, Chriſtum fruſtrà non præmonuiſſe vt orarent ne fiat eorum fuga ſabbato: nam Barradius in Concordia t. 3. lib. 9. cap. 11. ait, pleroſque ignoraſſe Iudæorum, ſabbatum in caſu neceſſitatis fugæ non obſtare. Adde, quòd aliqui hanc legem cum tanta ſuperſtitione obſeruabant, vt quo quiſq; loco, habitu, ſitu, die ſabbati eſſet repertus, eodem toto illo die inſtar ſtatuæ immobilis permaneret.

Barrad.

153. Porrò huiuſmodi ſabbati celebrationes deridet hoſtis humani generis, ſecundùm illud Ieremiæ: *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius.* nouit enim, quòd nec ſuperſtitioſorum nec peccatorum ſolemnitates

Thren. 1, 7.

Deo

Deo placeant. Valde tamen extimeſcit cultum B. Mariæ in die ſabbatino exhibitum: non enim ignorat, quòd ipſa contendat cum infinita miſericordia Dei, qui tantã pietatem animæ illius inſtillauit, vt ipſa non ceſſet illis patrocinari, qui etſi peccatores ſint, tamen ad reuerentiam eius, aliquo beneuolentiæ indicio ſabbatum præ alijs diebus ſolemnizant.

154. Vt igitur hunc Diſcurſum claudam, ſciendum, quòd multi in cælo rideant, qui ingemuiſſent in inferno, niſi huius benedictæ mulieris patrocinium eis profuiſſet, quæ infirmitatem potiùs peccatorum attendit, quã ponderet eorum iniquitatem. vnde etiam ſalutatur in Litanijs Lauretanis, *Salus infirmorum*, & *Refugium peccatorum*. Reſpicit illa peccatorem non modò egentem, ſed etiam ęgrotantem. *Simile.* Vt igitur *Medicus hoc ſpectat* (inquit Chryſoſtom. Chryſoſtomus Hom. 2. de Dauide & Saule) *vt morbo liberet ægrotum, non vtrùm meritò an immeritò ſibi morbum contraxerit*; ita Virgo benedicta vnum hoc quærit, pro vno hoc ſollicita eſt, quo pacto ſcilicet morbos pellat, & ſaluti nos reſtituat, reſpiciens miſeriam, & diſſimulans offenſam, cui laus & gloria, &c. Amen.

DISCVRSVS XII.

Peccatores qui deficiunt à perfectione vitæ Chriſtianæ, qua poſſent Chriſto mediatore ſaluari, per interceſſionem Mariæ accedunt ad Deum, quæ ideò felix cæli porta vocatur.

155. MYSTERIOSA fuit illa viſio, quæ olim Iacob oſtenſa eſt, qui ſuppoſito capiti ſuo lapide; Gen. 28, 12. dormiuit: *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum*, &c. *Cumque euigilaſſet Iacob de ſomno, ait:* ℣. 16. *Non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli.* ℣. 17. Tertullianus de Fuga arbitratur, quòd viderit Chriſtum, qui eſt domus Dei, & inſuper porta, per quam, ſi quis introierit, ſaluabitur, & cælum ingredietur. Tertull. Lyranus exiſtimat, eum præuidiſſe tẽplum quod in illo loco fundandum erat, vt habetur 2. Paral. 3. quod meritò domus Dei vocari potuit. Lyran. Etſi aliqui verba illa, *Non eſt hîc aliud*, &c. referant ad illum locum in cælo, vbi Deum ſcalæ innixum viderat. Communiter tamen omnes arbitrantur locum aliquem in terra his verbis à Iacob denotari, quem Deus ſui apparitione & miraculoſa beneuolentia illuſtrauerit, in quo ſpecialiter coli & inuocari voluerit. Quod inde probari videtur, quia, mutato nomine antiquo, nouum loco illi indidit: *Appellauitque nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur*. Gen. 28, 19. Bethel autem Latinè idem eſt quod *domus Dei*. Habuit igitur Deus in veteri Teſtamento delectum locorum, in quibus ab hominibus coli, & gratias ſuas eis diſtribui voluerit; adeò vt omnis hæretica prauitas meritò hîc oppilet os ſuum, & deſinat fidelium deuotioni & peregrinationi, qua honorant Virginem Lauretanam, Hallenſem, Aſpricollenſem, tamquam ſtultæ & ſuperſtitioſæ detrahere.

156. Porrò ſcalam, cuius cacumen tangebat cælum, non eodem interpretandi modo omnes pertranſeunt. Ferus noſter arbitratur, Ferus. in ſenſu allegorico poſteritatem ipſius Iacob per illam ſignificari, cuius ſupremum gradum interpretatur Ioſeph virum Mariæ: huic enim innixus eſt Dominus, inquit; cùm eius paterna & pia vectatione ho-

mo factus vteretur, de loco ad locum fugiens. Debet autem hoc intelligi ſine excluſione beatæ Mariȩ,cui ſimpliciter & abſolutè conuenit vt cacumen ſcalæ appelletur. Vnde ex ſententia S.Tho. S.Thomæ 2. 2. q. 103. a.4. ad 2. præ alijs Sanctis hyperdulia coli debet, quia diuinitatem propinquiùs attingit. Nam in incarnatione Verbi ab illa factum eſt ſummum, ad quod vis naturæ ſe extendere poteſt; qua deficiente, immediatè ſucceſſit diuinitas, vt ipſam operis ſubſtantiam deinde ſola perficeret.

157. Tropologicè verè ſcala hæc vitā Chriſtianam adumbrat, maximè eorū qui per auſteritatem & pœnitentiam violenter rapiunt cælum, quæ in terra quidem conſiſtit, eius tamen finis & ſupremitas cælum tangit, ſecundùm Matth. 3,2. illud: *Pœnitentiam agite: appropinquanit enim regnum cælorum.* Præ ceteris autem pœnitentibus hæc ſcala erecta eſt Religioſis, in rigore & modo viuendi à reliquis ſegregatis, quorum illa vox eſt, *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*, qui inferiori parte tangunt terram, ſuperiori inter cæleſtes vitam Rom. 8,1.5. agunt, quibus Deus innixus eſt. *Nihil ergo damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt.*

158. Eſt autem hæc interpretatio S.Bern. Matth. 19,27. S. Bernardi in illud Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia.* arcta enim ſcala Simile. ſignificat arctam monaſticæ diſciplinæ viam, quæ ducit ad vitam. Præterea ſcala percommodè Religioſorum viuendi modum figurat, qui non ad hoc ordinatus eſt, vt homines per eum incedant, ſed aſcendāt, & dum aſcendūt, non totis plantis pedum, ſed parum tantùm attingunt tranſuerſum ſcalæ gradum. quæ omnia Religioſis conueniunt, quibus præ omnibus alijs dicit Paulus: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ surſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Colloſſ. 3,1.2. Deinde per ſcalam aſcendentes cum pedibus etiam continua manuum extenſione indigent Simile. Eodem modo veri Religioſi non ſunt contenti more ſæcularium bona voluntate & deſiderio perfectionis, ſed operibus ad illam peruenire contendunt, putantes ſibi dici: *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cælos.* Thren. 3,41. Cor cum manibus leuat, qui bona deſideria operibus confirmat.

159. Benè igitur dixit Antoninus Anton. par. 3. tit. 26. cap. 10. §. 11. fructuoſum Religionis ſtatum ſignificatum eſſe nobili illa ſcala Iacob. Ad cuius confirmationem S. Romualdus, vt habetur in Vita eius, agnouit Religionis perfectionem viſu ſcalæ, per quam intuebatur aſcendentes & deſcendentes Monachos alba veſte indutos. Intelligens autem in illo loco, in quo ſcala ei apparuit, domum Dei ædificandam ſibi deſignari, primarium ſui Ordinis monaſterium ibidem conſtrui curauit anno 1009. ſitum propè Florentiam in monte Apennino, quod ſanctis Eremicolis ibidem Angelico more viuentibus meritò per totum mundum celeberrimum eſt.

160. Porrò omnibus omnino hominibus erecta eſt perfectionis ſcala, cùm omnes teneantur, etiam ſæculares, ſuo modo ad eam tendere. Non enim ſolis Religioſis dictum eſt: *Eſtote ergo perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Matth. 5,48. vnde etiam militibus, ruſticis & delicatulis ſuo modo præcepta ſunt quædam ad perfectionem Matth. 11,28. & 29. ſpectantia. *Venite ad me omnes*, inquit, *tol-*

tollite iugum meum ſuper vos, &c. item: *Contendite intrare per anguſtam portam.* Hæc & ſimilia omnes concernunt. Nam quæ vt ſupererogatiua & particularia propoſita ſunt, cum quadam exceptione leguntur in Scriptura ita quibuſdam præſcripta, vt ceteri eorum obligatione non adſtringantur, vt dum de virginitate loqueretur, ait: *Qui poteſt capere, capiat. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, &c.

Lucæ 13,24.

Matth. 19,12. 21.

161. Non deſunt autem qui turpiter deficiunt à perfectione ad ſalutem requiſita, qui non ſolùm relinquunt ſcalam monaſticæ vitæ, imò nec montem vitæ Chriſtianæ conſcendunt, ſed ſe miſerè maculant luto mundanæ vanitatis: quibus miſericorditer reſtat Chriſtus, per quem omnibus patet acceſſus ad Deum. vnde ait de ſeipſo: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* Aliqui autem fortiores in Eccleſia Dei quaſi per violentiam rapiunt cælum. Qui etſi vix aut rarò Deum peccando offendant, non tamen aliter iis mala proueniunt, cùm propria ſponte ieiuniis, vigiliis, & continua carnis mortificatione & caſtigatione ſe affligunt, ac ſi *opera egerint impiorum.*

Ioan. 10,7.

Eccle. 8,14.

Simile. 162. Similes hi videntur animoſis militibus, qui malunt vrbem conſcenſo muro, & expugnata arce inuadere, quàm deditione facta per portam eius & planam viam intrare. Verum eſt, nemo ſaluatur, nec cælum intrare poteſt, niſi per Chriſtum; aliqui tamen ex feruore ſpiritus & impetu charitatis ita videntur æmulari chariſmata meliora, vt malint per ipſum conſcendere tamquam per murum (ſiquidem *vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale*) quàm placidè per portam intrare cum illis quibus dicitur, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Illi enim ſunt, de quibus non incongruè intelligi poteſt illud Prophetæ: *Sicut fortes current, quaſi viri bellatores aſcendent murum*, qui dicere poſſunt cum Pſalmiſta: *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Magna ex parte eripitur à tentatione, qui mundo nuntium mittit: transgreditur autem murum, qui præter mandatorum Dei ſtrictam obſeruantiam, in vita monaſtica Euangelicis conſiliis ſe ſpontaneè adſtringit.

Iſa.26, 1.

Matth. 19,17.

Ioël.2, 7.

Pſalm. 17,30.

163. Ceterùm ſicut aliquibus porta aperta eſt qui murum animoſè conſcendunt, ita alii ſibi portam illam peccando claudunt. *Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias*, dicit Euangeliſta, *& clauſa eſt ianua*; fatuis virginibus ſcilicet, quibus poſteà pulſantibus & clamantibus dictum eſt, *Amen dico vobis, neſcio vos.* Verum eſt, quòd hîc præcipuè ſignificetur miſer illorum ſtatus qui in peccato mortui ſunt; ſed ſicut eorum ſalus omnino deſperata eſt, ita fruſtrà etiam pulſant in hac vita diuinæ miſericordiæ ianuam, qui affectum peccati ſeriò non deponunt, qui proinde dæmonis, & omnium qui ſunt à parte eius, crudelitati manent expoſiti, ſecundùm illud Pſalmiſtæ: *Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum; quia non eſt qui eripiat.* Ad litteram putat Lyranus noſter, quòd Achitophel hæc dixerit de Dauide, qui conabatur aduerſariis Regis perſuadere, illum propter homicidium Vriæ & adulterium commiſſum cum vxore eius, à Deo reprobatum & derelictum fuiſſe. Eodem ferè modo exponit Titelmannus, quo ſenſu etiam intelligi poſſunt hæc verba indifferenter de omnibus peccatoribus

Matth. 25,10.

℣.12.

Pſalm. 70,11.

Lyran.

Titelm.

bus à Deo derelictis, & omnium aduerſariorum ſuorum crudelitati expoſitis.

164. Verùm illis vnicum reſtat ſolatium, nimirum B. Mariæ patrocinium, ad quam confugientes dicere poſſunt: *Sub tuum præſidium confugimus, ſancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper, Virgo glorioſa & benedicta.* Vocatur Maria ſacrarium Spiritus ſancti, quod omnibus malefactoribus patet, in quo ſeruantur, ne ſubitò præoccupati die mortis, illis deſit tempus pœnitentiæ. *Simile.* Multi viuunt, qui per iuſtitiam fuiſſent mortis ſupplicio affecti, niſi confugiſſent ad aſylum. Eodem modo multi iam damnati eſſent, niſi patrocinio Virginis & immunitate ſacrarij Spiritus ſancti fuiſſent cuſtoditi. Magna fuit Iobi pietas, cuius oſtium viatori patebat: maior Abrahami Patriarchæ, (Gen. 18,2.) & cognati eius Lot, qui ad fores tabernaculi ſui ſedentes, (Gen. 19,2.) rogabant peregrinos ne tranſirent, ſed declinarent, & hoſpitalitatem ſibi fieri permitterent. Maxima autem fuit ſemper B. Virginis miſericordia, quæ non modò hoſpites, ſed etiam Dei hoſtes ſub ſua tutela ſuſcipit, imò, vt immunitate gaudere poſſint, ad ſe vocat & inuitat.

165. Libet hîc vocem inuitantis adferre, quam Eccleſia in perſona Mariæ profert: (Eccli. 24,26.) *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me.* Oneratos & laborantes vocat Chriſtus ad refectionem, dicens: (Math. 11,28.) *Ego reficiam vos.* Malefactores Maria etiam inuitat cuſtodiendos, & à iuſtitia defendendos. vnde alibi ait: (Prouer. 8,35.) *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Inuenit vitam homicida, qui ſeruatur in monaſtico aſylo, dum à miniſtris iuſtitiæ quæritur ad mortem. Notandum autem eſt, quòd confugientibus ad ſe promittat ſalutem à Domino hauriendam. Quemadmodum enim Religioſi, ad quorum monaſteria confugiunt malefactores, eos verbis & monitis ſalutis paſcere, & ad pœnitentiam & peccatorum ſuorum confeſſionem exhortari ſolent; ita Virgo peccatores & profugos ſub tutela illius latitantes, ad meliorem mentem conuertit, nec deſiſtit, donec ſalutem à Domino hauriant.

166. Vt pietati & miſericordiæ beatæ Virginis vitam ſuam & ſalutē peccatores acceptam habeant, docet illos S. Bonauentura in Speculo Virginis, quibus verbis eam affari debeant. Alludit autem ad verba Abrahæ, quibus ille periculum mortis ſibi ab Ægyptijs inferendæ apprehendens, Saram vxorem ſuam allocutus eſt. *Dic, obſecro,* (Gen. 12,13.) *quòd ſoror mea ſis, vt benè ſit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. Virgo Maria* (ait Bonauentura) *ô* (S.Bon.) *ſoror noſtra, dic, obſecro, quòd ſoror noſtra ſis, vt propter te benè nobis ſit à Deo, & ob gratiam tui viuant anima noſtra. Dic, inquam chariſſima, quòd ſis ſoror noſtra, vt propter talem ſororem Ægyptij, id eſt dæmones, nos reuereantur: vt etiam propter talem ſororem, Pater & Filius & Spiritus ſanctus noſtri miſereantur.*

167. Nota, quòd perplexo profugo malefactori parum proſit ſecurum aſylum, ſi, dum indiget eius immunitate, illud clauſum inuenerit. Maria eſt ſacrariū Spiritus ſancti, quod ſemper confugientibus ad illud patet. Hinc vocatur *Felix cæli porta.* Periclitanti de vita verè infelix porta templi, ad quod fugit, dici poteſt, ſi illam obſeratam deprehenderit. Refert noſter Carthagena Tom. 4. lib. 15. Homil. (Carthagena.)

mil. 2. §..5 ex Æmilio Probo, quòd cùm Pauſanias, qui patriæ infidelis fuerat, ex decreto Reipublicæ ad dandas debitas pœnas diligenter quæreretur, in Palladis templum confugerit, certò ſibi perſuadens, templi reuerentiam ab illis minimè violandam fore: verùm Ephori inito conſilio inuenerunt modum, quo, ſalua templi immunitate, Pauſanias puniri poſſet. Erecto igitur muro portas templi occluſerunt, adeò vt nulli, qui indigenti neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem deferret, pateret ad illum acceſſus, & ita fame mortuus aſylum ei factum eſt ſepulchrum. Ante noſtrum ſacrarium Spiritus ſancti numquam protrahetur murus, qui ingredi volentibus & ad illud confugientibus fores claudat, ſed benè Saluator ponetur in eo murus & antemurale, quo hoſtes abarceantur, ne præſumant ſacrarij illius immunitatem violare, rapientes ad mortem eos qui ad illud confugerint, vt promiſſam vitam inueniant, & hauriant ſalutem à Domino.

168. Mira res, peccatori, qui in affectu peccati eſt, non patet ingreſſus ad Chriſtum: qui etſi oſtium ſit per quod intrantes ſaluantur, tamen nulli aperitur, niſi vi clauium per Sacramenta in re aut ſaltem in voto ſuſcepta, quorum vſum & fructum affectus peccati impedit. Si tamen rei ad ſacrarium Spiritus ſancti ad Mariam confugerint, Chriſtus, qui eos in ſe non admittebat, immunes ibidem eſſe decreuit, quibus ad interceſſionem illius promiſſam vitam & ſalutem miſericorditer concedit. Non de omnibus igitur peccatoribus intelligendum eſt illud Prophetæ, *Longè à peccatoribus ſalus*, ſed de ijs ſolùm, qui ad miſericordiæ matrem non currunt. vnde benè dixit S. Bonauentura: *Longè, Domina mea, à neſcientibus te ſalus.* [Pſ. 118, 155.] [S. Bon.]

169. Ex his patet, verum eſſe quod ſcribit Anſelmus in Tractatu de Excellentia Virginis: *Velocior eſt nonnumquã ſalus memorato nomine eius, quàm inuocato nomine Ieſu Filij ſui. Et id quidem non ideò fit, quòd ipſa maior & potentior eo ſit (neque enim ille magnus eſt & potens per eam, ſed illa per ipſum.) Dicam quod ſentio. Filius eius Dominus eſt & Iudex omnium, diſcernens merita ſingulorum. Dum igitur ipſe à quouis ſuo nomine inuocatus non exaudit, iuſtè quidem facit: inuocato autem nomine matris, etſi merita inuocantis non merentur vt audiatur, merita tamen matris intercedunt vt exaudiatur.* Viſum fuit hanc Anſelmi ſententiam ad longum hîc ponere, quæ rationem allegat eorum quæ iam ſparſim per aliquot Diſcurſus dicta ſunt. Nimirum quòd, Mariæ pietas cum infinita miſericordia Dei ſæpè contendere videatur. Quemadmodum enim ſcaturigo fontis magis abundat aquis, tamen ipſe fons in foro & publico loco ad communem vtilitatem erectus, eas liberaliùs videtur propinare haurire volentibus, quamuis ne guttam quidem haberet, niſi continuo fluxu ex ſcaturigine reciperet. Eodem modo Maria mater gratiæ tam ſtupenda miſericordia non redundaret, niſi eam Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis continua infuſione adimpleret. Vnde Bonauentura in Pſalterio benè inducit Virginem dicentem ad Deum: *Fontem vitæ inſlus in os meum, ex quo viuentes aquæ profluunt & emanant. Qui bibet ex eo, non ſitiet vmquam.* quia nimirum inueniet *vitam, & hauriet ſalutem à Domino*, &c. Amen. [Anſel.] [Simile.] [S. Bona.]

DISCVRSVS XIII.

Maria, quæ alicui videri poſſet excedere in miſericordia, per Dei Patris nimiam charitatem, & Filij exceſſiuam paſſionem, ac per Spiritus ſancti bonitatem, magnam ſuam pietatem excuſare poterit.

170. TAM magna & glorioſa dicta & ſcripta ſunt de miſericordia & pietate beatæ Virginis, quòd fortè aliquorum iudicio incidere poſſet in ſuſpicionem exceſſus. Verùm pro defenſione eius in memoriam reuocanda ſunt, quæ alibi ex auctoritate S. Bernardi citauimus; nimirum totam miſericordiæ & pietatis œconomiam & diſtributionem adeò ipſi demandatam eſſe à Spiritu ſancto, vt nihil miſeris filijs Euæ, niſi quod per manus huius diſpenſatricis tranſeat, tribuatur. Conſiderans ergo pientiſſima mater infinitas miſericordiæ diuinæ diuitias, & inueſtigabiles ſuæ bonitatis & largitatis theſauros, meritò cogitat illud Chryſoſtomi, qui inſtruens Confeſſarios, ne pœnitentes nimia ſua auſteritate deterreant, hanc allegat rationem, dicens: *Vbi Dominus liberalis eſt, non debet œconomus eſſe auarus.* S. Bern. Chryſoſtom.

171. Nota, quòd Maria optimè apparentiam ſui exceſſus excuſatura ſit per ineffabilem bonitatem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quæ tanta eſt, vt Scriptura nō vereatur in explicatione eius vocabulo exceſſus aut nimietatis vti. Et quidem dilectionem Patris claris verbis nimiam appellat, dicens: *Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos,* &c. Verè nimia videtur, quia *ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Nimius eſſet appetitus rei alicuius (vt videtur) pro qua quis libenter centum daret, cùm tamen non ignoraret decem tantùm valere: ſed minor eſt proportio inter Filium Dei quem Pater dedit, & mundum quem ſic dilexit, quàm inter centum & decem. Vnde meritò exclamat Gregorius hanc nimiam charitatem Patris conſiderans: *O ineſtimabilis dilectio charitatis! vt ſeruum redimeres, Filium tradidiſti!* Ephеſ. 2,4. Ioan. 3,16. Simile. Gregor.

172. Filium in miſericordia excedere putabant homines, quando in terris viſus, cum illis conuerſatus eſt. Non ſunt hîc referenda obloquia, quæ hinc paſſus eſt, homo vorax, potator vini, amicus peccatorum & publicanorum habitus & appellatus. Relinquamus igitur homines paſſionatos, ira & indignatione contra Filium Dei percitos, qui malè loquendo potiùs ſeipſos, quàm eum cui detrahunt, opprobrio & infamia afficiunt. Sed ſicut inimici noſtri ſunt iudices & teſtes omni exceptione maiores, quando pro nobis fertur teſtimonium, ita videtur quòd nemo de exceſſu bonitatis Filij Dei dubitare poſſit, quem maximi amici eius teſtatum faciunt. Moyſes enim & Elias in magna & honorifica transfigurationis ſolemnitate de illius nimia locuti ſunt charitate, quam Lucas dictante Spiritu ſancto non veretur exceſſum vocare, dicens: *Dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.* Lyranus noſter dicit, paſſionem hîc per exceſſum ſignificari, quæ exceſſiua fuit, non quòd excederet modum virtutis, ſed quia excellentiſſimum gradum eius attingebat. Didacus Stella exceſſiuam illam vocat, quia ſoluit plus quàm nos omnes. Lucæ 9,31. Lyran. Didacus Stella.

nes debebamus. Pro quo nota, Deum legem ſtatuiſſe de non remittendo peccatum Adæ & filiorum eius, ſi non offerretur ei obſequium quod gratius eſſet & magis illi placeret, quàm peccatum Adæ in genere delicti diſplicuit. Conſtituit ſe Chriſtus fideiuſſorem pro hominibus bonæ voluntatis, & ſoluit pro eis plus quàm in rigore debebant. vna enim gutta ſufficiebat infinitis mundis, & tamen totum Sanguinem dedit pro dilectione vnius.
Pſalm. 129,7. vnde benè dixit Dauid: *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.*

173. Reſtat, vt iam aliqua bonitatis nimietas in Spiritu ſancto noteтur: quam etſi minùs explicitè Scriptura fateri aut teſtari videatur, liberiùs tamen de illo ſuſpicari licet, cui bonitas inter attributa diuina appropriata eſt.
Rom. 8,26. Porrò in eo quòd *ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, fortaſſis datur tam benignæ ſuſpicionis ſufficiens occaſio. In primis notandum eſt magnum liberalitatis argumentum, ex eo quòd Spiritus incitet homines ad orandum & petendum. Ideò enim dicitur poſtulare, quia efficaci operatione ſua nos orantes & petentes efficit. vnde eo ſenſu poſtulare intelligendus eſt, quo Paulus ait:
Gal. 4, 6. *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem: Abba, pater.* Non indiget Spiritus ſanctus vt clamet & recitet Orationem Dominicam, di-
Matth. 2,9. cens, *Pater noſter qui es in cælis*, & alia quæ ibidem habentur; non enim opus eſt vt illi debita, id eſt peccata, dimittantur, neque pro pane ſuo quotidiano debet eſſe ſollicitus. poſtulare igitur dicitur & clamare Abba pater, quia pios ad poſtulandum & clamandum mouet. Nec diſſimile eſt illud Mat-
Matth. 10,20. thæi, *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Hæc interpretatio etiam elucidare poteſt alium quemdam locum Pauli, qui vt Dei miſericordiam exaggeret, ait: *Qui vult omnes homines* 1. Tim. 2,4.
ſaluos fieri. quem locum cùm Theologi de ipſa voluntate Dei intelligant, laborant in expoſitione eius, diſtinguendo in eo voluntatem abſolutam & condicionatam, antecedentem & conſequentem, voluntatem beneplaciti & ſigni, &c.

174. Verùm facilior erit expoſitio, ſi cum Eſtio poſt Auguſtinum lib. de Corrept. & gratia, cap. 15. dicamus, quòd Deus *vult omnes homines ſaluos fieri*, eo ſenſu, quo Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis & clamat in cordibus noſtris, *Abba pater*; quo denique in nobis ipſe loquitur, quia nimirum huiuſmodi voluntatem pijs & ſanctis inſpirat. vnde Paulus ait: *Omnia omnibus factus ſum, vt omnes facerem* 1 Cor. 9,22.
ſaluos. Cùm enim Dei voluntas nobis occultiſſima ſit, rectè & conuenienter hoc eum velle aſſerimus, quod ipſe in ſuis amicis vult, idque non tantùm præcipiendo vt velint, ſed etiam hoc ipſum in eis operando. ſic exponit Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei, Auguſt.
cap. 1. & 2. & loco ſuprà citato. Confirmari poteſt hæc interpretatio ex verbis præcedentibus eiuſdem Apoſtoli. Rogauerat enim fieri *obſecrationes, orationes pro omnibus*, addens: 1. Tim. 2,1.
Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ✝. 3. &
Saluatore noſtro, qui omnes homines 4.
vult ſaluos fieri. Probat igitur pro omnibus orandum eſſe, ex eo quòd Deus velit & præcipiat vt nos velimus & procuremus omnium ſalutem. Magis autem hic ſenſus confirmatur, quòd non dicat Apoſtolus, Deum velle omnes homines ſaluare, & ad agnitionem veritatis adducere (ſunt enim multi

Digitized by Google

qui nolunt, & qui, quamuis lux in tenebris luceat, eidem rebelles ſint, & eam non apprehendant) ſed *vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* quo magis ſignificatur voluntas noſtra quam à Deo habemus pro ſalute omnium, quàm voluntas quæ propriè ſit ipſius Dei. Talem voluntatem excitauit Deus in Theodorico Munſtero Ordinis noſtri Religioſo, qui cùm Bruxellæ tempore peſtis, ex qua moriebantur circiter triginta millia hominum, adminiſtrauerat Sacramenta, & lue ceſſante (vt habet traditio) ei diuinitus reuelaretur, vnum ſolum ex omnibus à ſalute excidiſſe, exclamauit dolens & gemens: Heu quid ille commiſerat! Omnes ſine dubio ſaluos optabat (quantum erat in ſe) qui vnius perditionem tam amarè deflebat. Cùm ergo hanc voluntatem inſpirauerit aliquibus Sanctis ſecundùm iam datam expoſitionem, certum eſt, illam eo modo, quo fuit in aliquo illorum, maximè in Maria matre gratiæ locum obtinuiſſe, quæ ſine dubio ita omnium ſalutem deſiderat, vt (ſi capax eſſet triſtitiæ) vel vnius damnationem præ dolore ferre non poſſet.

Exemplum.

175. Excedere igitur videtur hîc Spiritus ſanctus, cùm inſpirat pijs hominibus deſiderium, quo quiſque velit ſalutem ſuam, nec non omnium aliorum, quam tamen non niſi pauciſſimi conſequentur, quandoquidem *ſtultorum infinitus eſt numerus, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam*. &, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Meritò proinde notauit Willelmus Eſtius, illis verbis, *Ipſe ſpiritus poſtulat*, &c. vehementem magnoque ſtudio factam ſupplicationem Sanctorum ſignificari, qui pro omnium ſalute anxij ſunt, ſcientes ſcriptum eſſe: *Attendite ab omni iniquo.* &: *Mandauit illis vnicuique de proximo ſuo.* Atque adeò in Græco non haberi vocem quæ ſignificet ſimpliciter *poſtulare* aut *intercedere*; ſed ſuperadditam eſſe præpoſitionem ſignificantem exceſſum, vt idem ſit, quod *ſuperpoſtulat* vel *ſuperintercedit*, &c.

Eccle. 1, 15. Matth. 7, 14. Matth. 20, 16. Eſtius. Rom. 8, 26. Eccli. 17, 12.

176. Ex his patet, quòd Maria non facilè de exceſſu miſericordiæ notari poterit, quem ſi quis malignus ſpiritus illi obijceret, defendet ſe exemplo Patris, qui nimiam charitatem habuiſſe, & Filij, cuius paſſionem Sancti, qui ſecundùm quod Spiritus ſanctus illis inſpirauit, locuti ſunt, exceſſum vocare non ſunt veriti: denique ipſius Spiritus ſancti, ex cuius pia motione ipſa cum alijs Sanctis incitatur, vt omnium ſalutem deſideret, oret gemitibus inenarrabilibus, ac indefeſſè laboret.

177. Libertatem addit Mariæ petendi miſericordiam, quòd non ignoret, penes Deum, *qui diues eſt in miſericordia*, infinitum theſaurum repoſitum eſſe; adeò vt quidquid ipſa impetrauerit, illum nedum exhauriri, ſed nec minui poſſe. Sententiam aliquando audiui ferri de licentia, qua gaudere poſſet matrona multùm eleëmoſynaria, quæ nata videbatur vt quacumque oblata occaſione manum ſuam aperiret inopi, & palmas ſuas extenderet ad pauperem. Maritus autem rerum ſuarum tenacior erat: vnde pia mulier ſcrupulis agitata, conſuluit diuerſos, volens ſcire quouſque ſibi permiſſa eſſet dandi facultas. Vnus illorum iuſto ampliorem (vt videtur) illi viam aperiebat, dicens: Quandoquidē coniuges illi medijs abundent, & prole deſtituti ſint, auſim pietati huius matronæ ſuffragari, quòd abſq; ſcrupulo pro ſua & auari coniugis ſalute, liberè

Epheſ. 2, 4.

liberè egentibus poſſet elargiri omnia quæ ex annuis prouentibus ſuperſunt; nec maritum rationabiliter ægrè ferre poſſe liberalitatem vxoris, dummodò nõ ita excedat, vt ſtatum ſuum minuere cogatur. Liberior eſt hæc ſententia, quàm vt alij eidem audeant ſubſcribere, qui putant, maritum habere ius augendi prouentus ſuos annuos, & ſtatum ſuum, ſi voluerit.

178. In B. Virgine, quæ ſecundùm S. Bernardum cæleſtium donorum diſpenſatrix eſt, maior poteſt eſſe libertas: cùm theſaurus miſericordiæ Dei, ſicut nullo modo minui, ita nec augeri poſſit. Multum abeſt autem, vt ſpes ſit augendi ſtatum & maieſtatem Dei, ſi is in ira continuerit miſericordias ſuas, quin potiùs elargitæ & miſeris diſtributæ, faciant ad maius gloriæ ſuæ præconium. vnde Dauid ait: *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* (Pſalm. 88, 2.) Refert Panormitanus lib. 2. de Rebus geſtis Alphonſi, quòd Eques quidam prodigus magis quàm prouidus, (Exemplum.) ſæpè à Rege muneribus & donarijs honoratus fuerit: quæ cùm ille liberaliùs conſumeret, pro nouis impetrandis frequentiùs inſtabat. Cui tandem Rex ait: *Citiùs me pauperem efficero, quàm te diuitem.* (Panormitan.) Fortaſſis noſtro modo intelligendi dici poſſet, Mariam vix vmquam diuitem fieri poſſe in miſericordia, quam miſeris diſtribuẽdam accepit, cùm ad dandum ſit propenſiſſima, & miſerorum magnus ſit numerus, quibus miſericordia neceſſaria eſt. Tamen ſemper de nouo fiducialiter petit. Nam ſicut Deus non poteſt ditari magis ſi ſua retineat; ita nec depauperabitur, etſi ad votum Virginis liberaliter ſua elargiatur.

179. Nihil igitur eſt quòd Virginem à poſtulando cohibeat. Non timet diſplicere, etiamſi frequenter etiam maxima petat. Eſt enim ſtatus beatitudinis omnium aggregatione bonorum perfectus, omnino timoris expers, cùm nihil iam à Beatis fieri poſſit, quod diuinæ Maieſtati diſpliceat. Et cùm omnia quæ petit tam ad Dei gloriã quàm ad ſalutem animarum pertineant, non eſt mirum, ſi fiducialiter Filium ſuum ſalutis auctorem pro nobis interpellet. Rogabat cæcus ille, qui ſedebat ſecus viam mendicans, ſtrepitum turbæ prætereuntis audiens, quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quòd Ieſus Nazarenus tranſiret. Et cœpit clamare, nec quiſquam tranſeuntium illi potuit increpando ſilentium imponere, ſed multò magis clamabat: *Fili Dauid, miſerere mei.* (Lucæ 18, 39.) Quid mendicum illum tam fortiter animauit, niſi quòd Ieſus vocabatur, vnde colligebat illum Saluatorem eſſe qui tranſibat. Maiori cum fiducia Maria miſeris petet gratiam à Ieſu, quem non ſolùm Dauidis Filium nouit ex progenie, ſed etiam ſuum; quemque de Spiritu ſancto concepit, in vtero nouem menſibus portauit, peperit, & vberibus lactauit. Non eſt igitur quòd timeat repulſam, cui tot rationes & iuſti tituli ſuppetunt impetrandi miſericordiam, &c. Amen.

DISCVRSVS XIV.

Maria propter eximiam dignitatem ſuam ad impetrandum potens; numquam ſine miſericordia (cuius mater eſt) miſeris diſpenſanda relinqui debet.

180. MARIA non modò inuocatur quia clemens, adeò vt miſeris facilè compatiatur, ſed etiam quia potens eſt ad impetrandum, ita vt quidquid petierit, ei à Domino concedatur. Tantæ auctoritatis eſt, vt plus

Digitized by Google

ſola apud Deum poſſe credatur, quàm omnes Sancti ſimul. Eſt hæc Auguſtini ſententia, qui ſic ait: *Neque enim dubium eſt, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſe plus omnibus impendere ſuffragium.* Sic ille Serm. 35. de Sanctis. Tot meritis illam cumulauit Altiſſimus, vt nihil à Deo petat quod dedeceat illam obtinere, vnde fit quòd Deus poſſit & velit circa eam magnificentiam ſuam oſtentare. Auguſt.

181. Reges terræ aliquando magna tribuunt paruis & indignis, non enim tam attendunt vt iuſti, quàm vt benefici & magnifici vocētur. Hinc factum eſt, quòd Rex Ageſilaus ſupplicanti cuidā plebeio, & fortè nulla aut parua quædam ſeruitia regno exhibita alleganti, curauerit ingens quoddam & regium donarium tribui; ex cuius magnitudine ipſe adeò ſtupefactus ſit, vt præ verecundia illud recuſans diceret, quòd hoc nimis magnum eſſet pro ſua exiguitate, ac non ſolùm merita ipſius ſupplicantis excederet, ſed & vota. *At* (inquit Rex) *non eſt magnum nimis pro Ageſilai maieſtate.* Vulgare eſt Regibus, in hoc iuſtitiam diſtributiuam offendere. vnde imitantur Herodem, qui, relicto Ioanne Baptiſta eximiæ dignitatis viro, meretriculæ ſaltatrici, non quia meruerat heroica faciendo, ſed ſolùm quia placuit leuiter tripudiando, promiſſionem dimidij regni ſui iureiurando aſſeuerauit. Offerens igitur Herodes, quod transferre non poterat (ad Romanos enim hæc deuoluta erat, ob peccata populi Iudaici) manifeſtè ei concedit (inquit noſter Angelus del Paz lib. 6. c. 23. in Marc.) quidquid illi poſſibile foret.

Exemplum. Marc. 6, 23. Angel. del Paz.

182. Non ſic procedit Deus, qui reſpicit dignitatem & merita petentis. Non ſimpliciter promittit Filius Dei orantibus & petētibus effectū ſuarum orationum, ſed *ſi quid petieritis Patrem* (inquit) *in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16, 23. Chriſtus enim eſt qui preces & ſupplicationes offerens, ſemper *exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Hebr. 5, 7. Poſt Chriſtum in altiſſima dignitate Maria Virgo poſita, nihil non obtinebit. Cur, putas, refert humillima Virgo magnalia ſibi à Deo facta, dicens: *Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius?* Lucæ 1, 49. An vt inde fiduciam concipiamus, quòd omnia quæ pro nobis poſtulabit, ei concedentur? Ex eo quòd tam magna ei facta ſunt ipſa orante, miſericordia Dei per vniuerſum mundum diſtribuitur. vnde conſequenter ait: *Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* ℣. 50. Miſericordia Dei apparet in hoc & in illo templo: nunc ad Virginis Hallenſis, nunc verò ad imaginem Aſpricollenſis, &c. Magnalia Dei apparent, & miſeris beneficia conferuntur: hîc reſuſcitatur mortuus, ibi ſanatur ægrotus. Denique renouantur miracula Chriſti: nam Maria orante *cæci vident, claudi ambulant, pauperes euangelizantur,* Lucæ 7, 22. dum puſillanimes de ſua ſalute deſperantes, currunt ad laqueum, concipiunt ſpem de miſericordia Dei, & corde contrito ad illam conuertuntur. Sed vnde, quæſo, tam mira mutatio dexteræ Excelſi? An non per Mariam, cuius eximiæ dignitati & ſanctitati tantam miſericordiæ Dei inundantiam acceptam ferre debemus?

183. Nota, quòd Maria titulos habeat, ex quibus quodammodò ius allegare poteſt obtinendi omnem gratiam & miſericordiam quam pro miſeris petet. Pro quo ſciendum, quòd ſicut Deus vocatur *Pater miſericordiarum,* 2 Cor. 1, 3. ita illa mater gratiæ & mater miſericordiæ iudicio totius Eccleſiæ; & per conſequens inſtinctu Spiritus ſancti nomi-

nominetur & ſit. Imò Eccleſia non ei hoc nomen impoſuit, cùm illud à Chriſto in cruce pendente acceperit, dicente Ioanni, qui *Gratia* interpretatur, *Ecce mater tua*. Quatenus eſt mater gratiæ, ſponſa eſt Spiritus ſancti, per cuius ineffabiles amplexus concipit, & parit nobis miſericordiæ & gratiæ fructus. Sponſus quidem & vir caput mulieris eſt: in ijs autem quæ ad filiorum procreationem pertinent, æquale eſt ius vtriuſque. vnde Paulus ait: *Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*. Eodem modo Maria quodammodò ius habebit concipiendi gratiam ex Spiritu ſancto, quam miſeris & indigentibus pariat.

Ioan. 19,27. *Simile.*

1. Cor. 7.4.

184. Clamauit olim Rachel ad Iacob, dicens: *Da mihi liberos, alioquin moriar*. Dum hæc diceret Rachel, necdum matris nomine honorata erat, ac proinde ſine liberis quidem viuere, quamuis mater eſſe non poterat. Maria mater gratiæ appellatur & eſt, & ideò miſericordia & gratia, quam miſeris elargiatur, non poteſt deſtitui, niſi etiam mater eſſe deſinat. Notandum eſt autem, quòd Iacob impatientiam ſuæ vxoris taxans, ait: *Num pro Deo ego ſum?* ac ſi dicat, Non à me, ſed à Deo pete proles.

Gen. 30,1.

℣. 2.

185. Benè dicunt Hebræi (vt hîc notauit A lapide) Deum ſibi ſoli quatuor naturæ claues reſeruaſſe. Primò clauem pluuiarum, quam pro ſuo beneplacito emittit aut retinet. vnde dicitur: *Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, cœlum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo.* item: *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ*. Secundò reſeruauit ſibi clauem vitæ, id eſt generationis, vt patet ex hoc loco. Tertiò clauem nutritionis. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Quartò clauem ſepulchrorum & reſurrectionis. *Ecce*, inquit, *ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris.*

Deut. 28,12. Pſalm. 67,10.

Pſ. 144, 15.16.

Ezech. 37,12.

186. Ex his patet, quòd ſine ratione fuerit Rachel marito ſuo Iacob moleſta & moroſa, qui proinde benè excuſans, negauit ſe Deum eſſe. Ceterùm Maria in ſua poſtulatione perſiſtere poterit, nec timere debet repulſam quam Rachel paſſa eſt, tum quòd, niſi gratia & miſericordia hominibus diſtribuenda ei ſemper præſtò fuerit, mater gratiæ & mater miſericordiæ nec eſſe nec dici poterit, ac proinde ſine his liberis quodammodò mortua erit; tum etiam, quòd is apud quem inſtat, verus Deus ſit, qui & pater miſericordiarum appellari voluit, ac proinde pietatis & gratiæ exhibitionem vtrumque decere, ac vtrique honorificam fore.

187. Quòd Deo ſit glorioſum, miſereri, ita ex Scripturis, quæ obuię ſunt omnibus, notum eſt, vt non ſit opus nouas hîc probationes texere; quòd autem eximia illa pietas & efficax miſericordia in peccatores Mariæ honorifica & glorioſa ſit, ex eo patet, quòd, vt diximus, non niſi eximijs & magnis ſupplicibus à Deo, qui omnia facit cum pondere & menſura, magna concedi ſoleat. Itaque cùm in hiſtorijs legimus ſtupendas ſceleratiſſimorum hominum conuerſiones per ſupplicationes Mariæ à Deo impetratas, meritò exclamamus cum Propheta, dicentes: *Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* Pſalm. 86,3.

188. Verum eſt, per hanc ciuitatem Dei intelligit Auguſtinus Eccleſiam, quæ meritò ciuitas appellatur, conſtans ex hominibus charitate aut Auguſt.

ſaltem

ſaltem fidei vnitate coniunctis; adeò vt ſit inter fideles quædam quaſi ciuium vnitas, vnde ciuitatis nomen deducitur.
Lyran. Notat autem Lyranus noſter, fideles etiam ciues appellari ab Apoſtolo.
Epheſ. 2,19. *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei.* De hac ciuitate, de Eccleſia inquam, glorioſa dicta ſunt, in qua multa nec ſatis, vt oportet, laudare, nec ſatis mirari poſſumus. Vt reliqua taceam, quis non obſtupeſcit gratiam Sacramentorum, quibus illa ditata eſt? Quis non miretur poteſtatem dimittendi peccata, & abſoluendi & ligandi, quæ in terris executioni mandata, rata habetur in cælis? Verùm maiorem ſtuporem meritò cauſat mira illa Dei noſtri præſentia in venerabili Sacramento, quam
Apoc. 21,3. præuidit & obſtupuit qui dicebat: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Verè tabernaculum Dei nobiſcum, cuius clauem gerens cuſtos templi, verum Deum nobiſcum habitantem occludit & recludit. O rem mirabilem, & Eccleſiæ verè glorioſam, cui tanta in illam ineffabilem Maieſtatem eſt collata poteſtas!

189. Propter hæc & alia multa, glorioſa dicta ſunt de ciuitate Dei, de Eccleſia ſcilicet, verùm non ſine cauſa la-
Hugo Cardin. mentatur Hugo Cardinalis, eò quòd propter peccata ciuium, huius ciuitatis Dei ita obſcuratus ſit ſplendor, vt iam non glorioſa, ſed potiùs ignominioſa dicatur. Vnde hæretici, qui ex probitate & ſanctitate ciuium deberent conuerti ab errore ſuo, ſollicitantes vt illorum numero poſſent adſcribi, potiùs ſcandalizantur: nam Eccleſiam, quam,
Epheſ. 5,26. 27. S. Paulo teſte, Chriſtus ita dilexit, *vt traderet ſeipſum pro ea vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata*, appellant meretricem Babylonicam. Fortè ad hanc miſeriam Eccleſiæ (quæ etſi in ſe ſancta ſit, cùm numquam deſint verè ſancti & pij in ea, tamen deformis & rugoſa inſipientibus videtur, propter impios, quos vt pia mater, ſperans emendationem, in gremio ſuo fouet) reſpexit Propheta quando ait: *Quomodo facta* Iſaiæ 1,21. *eſt meretrix ciuitas fidelis, & plena iudicij?* Ad litteram loquitur de Ieruſalem, quæ defecit à fidelitate & auita ſua pietate. Non veretur tamen Hugo Hugo Cardin. Cardinalis hæc ſenſu accommodatitio intelligere, ac ſi de Eccleſia dicta ſint. Verè ſtupendum eſt, quòd aliqui in Eccleſia (quæ eſt ciuitas fidelis, & plena veri & recti iudicij, in qua viget fides) non vereantur impiè viuere, cùm nihil ibi audiatur frequentius, quàm ſermo de impiorum futura & acerbiſſima damnatione, & bonorum glorificatione. In qua hæreticorum lenocinia & ſomnia de fide ſpeciali, & non imputatione peccatorum quibus multi ſopiuntur, ſecurè dormientes in fęcibus ſuis, locum non habent.

190. Ceterùm etſi minùs fortè litteraliter, tamen ad præſens noſtrum intentum accommodatiùs ſentit idem Hugo Cardinalis, per ciuitatem Dei poſſe etiam Mariam Virginem intelligi, de qua multa glorioſa dicta ſunt. In primis ſuperat humanum captum, quòd de ea Iſaias dixit: *Ecce Virgo* Iſaiæ 7,14. *concipiet, & pariet Filium.* item Ieremias: *Nouum faciet Dominus ſuper* Ierem. *terram, Mulier circumdabit virum.* 31,22. Ad hanc ciuitatem Dei, Mariam Virginem ſcilicet, pertinet illud Iſaiæ, qui ait: *Antequam parturiret, peperit: an-* Iſa. 66, *tequam veniret partus eius, peperit* 7. *maſculum. Quis audiuit vmquam tale?*

let? & quis vidit huic ſimile? Quæ verba de B. Virgine intelligit Nyſſenus Oratione de Reſurrectione, Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 15.

191. Meritò ciuitas vocatur Virgo, in qua Chriſtus regnauit, qui dicitur Apoc. 19,16. *Rex regum, & Dominus dominantium.* qui etiam fuit Epiſcopus, de quo Paulus ait: Hebr. 9,11. *Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum*. Item ciuitas illa Dei numeroſum populum & multos ciues in ſe continuit: omnes enim nos gerebat & modò gerit pientiſſima mater in corde, in cuius miſericordiæ viſceribus omnes cõtinemur. Quid mirum? cùm etiam ipſe Paulus, cuius charitas etſi magna, tamen incomparabiliter minor fuit, quàm Matris gratiæ pietas & miſericordia erga Chriſti fideles cenſenda eſt, dicat ſe ſuos in Phil. 1, 7. corde ſuo portare. *Eſt mihi iuſtum hoc ſentire* (inquit) *pro omnibus vobis, eò quòd habeam vos in corde meo.* Multa alia ad completam ciuitatem requiſita in B. Virgine fuiſſe, notauit Hugo Pſalm. 86, 3. Cardinalis ſuper illa verba: *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.*

192. Nota autem, quòd ſicut quæ glorioſa ſunt Deo, communiter hominibus ſalutaria eſſe ſolent; & contrà quæ ad ſalutem horum pertinent, etiam illius prædicant magnitudinem (vnde pro miſericordia peccatoribus facta illi gloriam canimus, dicentes: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*) ita de ciuitate Dei, de Virgine ſcilicet Maria, res ſe habet. Referens igitur Dauid in eodem Pſalmo, quæ illi glorioſa ſint, ſubdit in perſona eius quæ nobis conſolatoria ℣. 4. & ſalutaria cenſentur, dicens: *Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me.* Ecce qui ſolam notitiam Virginis profitentur, in memoria illius ſunt. *Memor ero ſcientium me*, inquit. Non expectat pientiſſima Virgo, donec humiliter opem eius implorent, nec differt miſericordiam ſuam vſquequò inuocent eam, dicentes cum latrone, *Memento mei, Domina, cùm veneris in regnum tuum*: Luce 23,42. ſed ſufficit illi, quòd cum Eccleſia fateantur & agnoſcant illam eſſe cum Filio ſuo cæleſtis regni conſortem, dicentes: *Salue Regina, mater miſericordiæ.* item: *Aue Regina cælorum, aue Domina Angelorum.*

193. Non ſine cauſa hîc primo loco fit mentio Rahab meretricis, quæ vox latitudinem ſignificat; & Babylonis, quæ Latinè idem eſt quod *confuſio*: probabile enim videtur, Virginem primò conſolatoriam ſuam memoriam exhibuiſſe Magdalenæ, quæ in ciuitate peccatrix, confuſa retrò ad pedes Chriſti ſtabat, ita vt nec Virginem fortè aſpicere præſumpſerit, nedum aliquid poſtulare ab illa auſa ſit. Vnde fit, quòd etſi in Scriptura ſacra ſubinde legamus illius cum Virgine conſortium, non tamen vel vnum verbum referatur pro illius gratia impetranda ab ea prolatum. Memor igitur fuit illius quæ fuit *meretrix obliuioni tradita* Iſaiæ 23,16. fortè ab omnibus alijs (vix enim quis pro meretriculæ conuerſione laborat, cùm eam facilè omnes deſperent) & ita precibus ſuis egit apud Deum pro illa, vt tandem amore Chriſti vulnerata, ad illum recurreret.

194. Vt autem omnes peccatores & peccatrices de pietate B. Mariæ confidant (præſertim ſi peccatũ ſuum ſicut Sodoma non prædicent, nec frons meretricis eis facta ſit, ſed incipiant erubeſcere peccatum ſuum) notandum, in illius & Chriſti Filij ſui genealogia (quòd aduertat Hieronymus lib. 1. in Matth.) Hier. *nullam ſanctarum aſſumi mulierum, ſed eas quæ* Scri-

Scriptura reprehendit, &c. *Vnde & in*
conſequentibus Ruth Moabitis ponitur,
& Bethſabee vxor Vriæ. Sed & Rahab,
Matth. 1,5. quę fuit meretrix. *Salmon autem genuit*
Booz de Rahab (dicit Matthæus) *Booz*
autē genuit Obed ex Ruth. Sicut enim,
Matth. 9,12. Chriſto teſte, *non eſt opus valentibus*
Simile. *Medicus*, *ſed malè habentibus*, ita materna
ſollicitudo Virginis non ſolùm
verſatur circa bonas & ſanas, ſed maximè
circa animas infirmas. Fugit
ſomnus ab oculis pientiſſimæ alicuius
matris, cuius vna ex prolibus in infirmitate
de vita periclitatur, quam, relictis
alijs, decies, ſi poſſibile eſt, in vna
hora viſitat. In hunc modum B. Virgo
eorum ſpecialem curam habet,
quorum anima in graui infirmitate
conſtituta eſt, adeò vt æterna ſalus in
magno periculo verſetur.

195. Facilè mouetur Deus ad mi-
Rom. 10,12. 13. ſericordiam, vnde Paulus ait: *Non eſt*
diſtinctio Iudæi & Græci: nam idem
Dominus omnium, diues in omnes qui
inuocant illum. Omnis enim qui inuocauerit
nomen Domini, ſaluus erit. Amplum
videtur hoc diuinæ pietatis præconium,
verùm adhuc magis exaggerare
videtur Dauid magnitudinē miſericordiæ
eius, quando agnoſcentibus
nomen illius ſpem promittit, dicens:
Pſalm. 9,11. *Sperent in te qui nouerunt nomen*
tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes
te, Domine. Non ſolùm inuocantibus
& nomen eius magnificantibus
ſpes datur, ſed etiam habentibus noti-
℣.11. tiam illius. *Sperent in te qui nouerunt*
nomen tuum, inquit. Eodem modo Maria
Virgo etiam agnita à peccatoribus,
Pſalm. 86,4. ſuccurrit. vnde ait: *Memor ero Rahab*
& Babylonis ſcientium me. Hinc fit,
cùm à multis per pias ſaltem commemorationes
ſalutatur & agnoſcitur,
quòd multi etiam per illam ſaluentur.
Ibid. *Ecce alienigenæ* (inquit Dauid) *& Tyrus*,
& populus Æthyopum, hi fuerunt
illic. Ecce admirantis nota eſt: meritò
enim omnes ſtupent tantam Virginis
dignationem, in cuius memoria, corde
& viſceribus miſericordiæ latent peccatores
& peccatrices, vt finaliter concertantur
& viuant.

196. Non igitur ſine ratione omnes
qui cum pietate hanc Virginem
colunt, & in illa quodammodò habitant,
dicentes, *Hæc requies mea in* Pſalm.
ſæculum ſæculi, hîc habitabo, quoniam 131,14
elegi eam, eidem gratias agendo pro ſecuritate
ſua & conſolatione animæ ſuę,
clamant cum Eccleſia, & dicunt: *Sicut* Pſalm.
lætantium omnium noſtrûm habitatio eſt 86,7.
in te, ſancta Dei Genitrix. Quibus
verbis benè ad propoſitum noſtrum
concluditur Pſalmus, in quo Dauid
affirmat glorioſa dici & dicta eſſe de
ciuitate Dei. verè enim lætari poſſunt
qui ſub præſidium Virginis confugiunt,
quibus à Propheta dictum eſt:
Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in Iſa. 66,
ea omnes qui diligitis eam, &c. Amen. 10.

DISCVRSVS XV.

Pater miſericordiarum reſpicit Matrem gratiæ ex peccatis olim afflictam, & nihilominùs in peccatores miſericordem adeò, vt etiam nūc illis impetret veniam.

197. EFFICACISSIMA fuit oratio
Chriſti, quam
obtulit Patri pendens
in cruce, quando cum
ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata Iſa. 53,
multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus 12.
rogauit. Conſiderans enim ſtupendam
illam miſericordiam Filij ſui,
non potuit Pater ſuam continere in
ira, qua, ſi vmquam, tunc percitus erat.
Magnitudo miſericordiæ B. Virginis
ſic ſe prodidit, dum ipſa in terris
viſa

viſa cum hominibus conuerſabatur, quòd etiamſi gladius doloris pertranſiret animam eius, ex eo quòd videret Filium Dei poſitum in ſignum cui à multis contradicebatur, tamen non fuit ijs infenſa tamquam peccatoribus, ſed potiùs vt miſeris clemens & miſericors.

198. Reſpicit Deus modò in cælis matrem miſericordiæ, & ſuſpicit eam propter dolorem & afflictionem quam olim perpeſſa eſt, cùm *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, *nec flumina* peccatorum obruerunt *illam*, ſed pro peccatoribus miſericorditer orauit, & efficaciter ſæpè exorauit. *Quia reſpexit* (inquit ipſa) *humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Verbum illud *humilitas* non ſignificat ſemper virtutem illam à Chriſto tantopere commendatam, cui exaltatio & gloria multis Scripturæ teſtimonijs promiſſa eſt, quam communiter concipimus, dum Sanctum aliquem humilem prædicamus: ſed aliquando afflictionem deſignat, quam Deus in Maria reſpexit, vt ipſa prædictis verbis teſtatur.

Cant. 8,7.

Lucæ 1,48.

199. Hoc modò intelligendæ ſunt multæ Scripturæ. *Exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus*, inquit Dauid. Lyranus putat, Dauidem hîc loqui de populo Iſraëlitico, qui priùs exaltatus per tot victorias, dum rerum potiretur in terra promiſſionis, victis & proſtratis tot Regibus Chanaan tempore Ioſue, Dauidis & Salomonis, humiliatus tandem, id eſt valdè afflictus fuit, per Nabuchodonoſor Regem Babylonis, qui vaſtauit templum, & populum duxit in captiuitatem. verùm noſter Titelmannus per exaltatum, & poſteà humiliatum, id eſt afflictum, intelligit Chriſtum Filium Dei, qui poſtquam anno trigeſimo ætatis ſuæ, Patris voce delapſa è cælo, in magnifica gloria exaltatus eſſet præclaro illo teſtimonio, *Hic eſt Filius meus dilectus*, &c. cœpit magnis laboribus obrui & affligi contradictionibus impiorum hominum. Nam iam Licentiato facto, & Patris iuſſione miniſterio verbi operam danti, Scribæ & Phariſæi, qui eiuſdem Patris mandato tenebantur illum audire (vt quibus dixerat: *Ipſum audite*) amariſſimè rebellarunt, & ita concitati ſunt contra eum, vt poſt multas afflictiones, eum in ignominioſiſſimam crucis mortem adigerent. Itaque videntur verba illa peculiariter Chriſto Domino accommodari poſſe.

Pſalm. 87,16.

Lyran.

Titelm.

Matth. 17,5.

200. Verùm ipſi Dauidi etiam hæc verba aptè conueniunt, qui parta mirabili illa victoria contra Goliath & ſceptra regni tandem tenens, valdè exaltatus eſt. *Porrò cùm reuerteretur percuſſo Philiſthæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſraël*, &c. *Et præcinebant mulieres ludentes & dicentes: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia*. Verùm hoc mulierculārum præconium magni odij & inuidiæ cauſa fuit: nam *iratus eſt Saul nimis, & diſplicuit in oculis eius ſermo iſte*. vnde Dauid ab eo tempore multa paſſus ab illo eſt, adeò vt verè dici poſſit, *Exaltatus autem humiliatus*, id eſt afflictus. Vnde verum eſt illud: *Petunt ſumma montium cacumina venti*.

1. Reg. 18,6.

℣. 7.

℣. 8.

Pſalm. 86,16.

201. Ex his patet, quòd humilitas in Scriptura aliquando afflictionem ſignificet; quod ipſum clariùs etiam ex alijs Scripturę teſtimonijs probari poſſet, quale eſt illud Sapientis: *In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe*. Ex Græco poni humilitatem pro afflictione, notauit Octauianus de Tuſo: ſic etiam Pſal. 118. *Hæc me conſo-*

Simile.

Eccli. 2,4.

Pſalm. 118,50

Hieron. *lata eſt in humilitate mea.* Hieronymus
legit *in afflictione mea.* Denique pa-
tientia modeſtiæ & veræ humilitati ita
inſeparabiliter aſſociata eſt, vt non ſit
opus ſubmiſsè & humiliter de ſe ſen-
tienti commendare. *In humilitate tua*
Prou. *patientiam habe.* Sicut enim *inter ſu-*
13,10. *perbos ſemper iurgia ſunt*, ita inter hu-
miles pax & patientia numquam de-
ſideratur. Verus enim humilis gaudet
in contumelijs & in opprobrijs. Affli-
ctus igitur monendus eſt, vt in patien-
tia ſua poſſideat animam ſuam; qui ve-
rò à Chriſto didicit quòd ſit mitis &
humilis corde, facilè inuenit requiem
animæ ſuæ.

202. Præterea Sapientem calami-
tatum & afflictionum nomine humi-
litatis ibidem mentionem feciſſe, ſe-
quens ſententia probat, quæ ratio-
Eccli. nem allegat patientiæ habendæ. *Quo-*
2,5. *niam in igne probatur aurum & argen-*
tum, homines verò receptibiles in cami-
no humiliationis, id eſt afflictionis. Ad-
de quod virtus delectat, ergo humili-
tas, quæ virtus eſt & aliarum virtutum
fundamentum, non poteſt eſſe materia
℣.4. patientiæ. Cùm igitur Sapiens ait, *In*
humilitate tua patientiam habe, idem
Rom. eſt ac diceret cum ſancto Paulo: *In*
12,12. *tribulatione patientes.*

203. Ex his conclude ſenſum ver-
Lucæ borum Mariæ quæ ait: *Reſpexit humi-*
1,48. *litatem ancillæ ſuæ*, id eſt conſiderauit
afflictionem & dolorem, quem in ani-
ma ſentiebat ex offenſis hominum,
pro quibus miſericorditer apud Deum
interceſſit. Hæc eſt enim bonorum
conditio, vt afflicti cor ſuum leuent ad
Deum miſericordiam poſtulantes pro
1.Cor. perſequentibus & vexantibus. *Male-*
4,12.13 *dicimur, & benedicimus* (inquit Pau-
lus) *perſecutionem patimur, & ſuſtine-*
mus; blaſphemamur, & obſecramus.
Mali autem ex impatientia ſe mer-
gunt in profundum peccatorum, qui
vt vindictam ſumant de illata iniuria,
ſe non verentur damnationi obnoxios
reddere. Si quis prope littus, vbi aues Simil.
ſunt, lapidem iaciat, piſces quidem in
fluminis profunda ſe conijcient, aues
verò celerrimè petent cælum, cùm ta-
men pennata & pinnata ex eadem ma-
teria emerſerint. In hunc modum ho-
mines ex eadem maſſa compoſiti, non
vno & eodem animo lapides tribula-
tionum ſuſcipiunt. Quinimò boni per
eos leuant oculos ſuos in cælum, &
cum Stephano poſitis genibus orant
dicentes: *Domine, ne ſtatuas illis hoc* Actor.
peccatum. Mali autem occaſione tribu- 7,59.
lationum magis proijciunt ſe in pro-
fundum peccatorum. Nam, vt ait Sa-
piens, *qui impatiens eſt, ſuſtinebit*
damnum. Prou. 19 ℣.19.

204. Eſt ſententia Auguſt. Quòd
ſi Stephanus non oraſſet, Eccleſia Pau-
lum doctorem non haberet. Meritò
pater miſericordiarum motus fuit vt
Saulum reciperet in gratiam, ex mira-
bili protomartyris miſericordia. Si
enim cùm ille dura pateretur non ſo-
lùm donauit, ſed etiam veniam poſtu-
lauit lapidantibus (quorum Saulus
adoleſcens quidem ætate, ceteris ta-
men magis vir crudelitate erat, *qui* Auguſt.
ſic aderat lapidantibus, inquit Auguſt.
Serm. 19. de Sanctis, *vt non ei ſufficeret*
ſi tantùm manibus ſuis lapidaret. Vt
enim eſſet in omnium lapidantium ma-
nibus, ipſe omnium veſtimenta ſerua-
bat.) Non videretur rationi conſonum
quod Deus in ira contineret ſuam mi-
ſericordiam, qui etſi peccatis homi-
num impiorum offendatur, non tamen
afficitur dolore aut læditur.

205. Ex eodem hoc fundamento
Maria orans efficaciter exorat veniam
peccatoribus. Reſpicit enim Deus hu-
militatem, id eſt afflictionem ancillæ
ſuæ,

ſuæ, quam paſſa eſt quando videbat non ſolùm Deum offendi, ſed etiam Filium ſuum poſitum in ſignum, cui contradicebatur à multis. vnde iuxta Simeonis prædictionem, gladius doloris pertranſiuit animam eius. Et inde Deus permouetur, vt illius miſericordiæ ſuam adiungens, fiat quod Virgo
Lucæ 1,50. fore canebat, nimirum: *Miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.*

206. Forè meruit B. Virgo, vt in negotijs animarum, quando iuſtitia & miſericordia coram Deo proceſſum alicuius peccatoris mouent, ſemper habeat votum deciſiuum. Cùm in tribunalibus ventilatur cauſa criminalis alicuius rei, allegantur ab Aduocato
Simile. fiſcali (quem vocant) rationes contra reum, ab Aduocato verò ipſius rei rationes pro illo facientes adducuntur. Quibus auditis, & diligenter perpenſis, Scabini ſiue Conſiliarij procedunt ad vota; quæ ſi hinc inde paria fuerint,
Prou. 18,21. tunc ipſius rei *vita & mors in manibus lingua* vltimi votantis conſtituta eſt. Collegium enim Scabinorum numero ſeptenario aut aliàs impari ſolet conſtare, vt caſu & tempore vototum in duas partes æqualiter diſcrepantium, per vltimum, quod reſtat, diſceptationi finis imponi poſſit.

207. Nota, quòd in tribunali Dei non leuiter feratur iudicium, aut pronuntietur ſententia contra peccatores. Allegantur rationes pro & contrà. Miſericordia Dei laborans vt reum abſolutum videre poſſit, multa adducit. Excuſat peccatorem, dicens eum per vehementiam tentationis fortè ſuperatum, aut ex carnis fragilitate ſuccubuiſſe. Publicat etiam voluntatem be-
1.Tim. 2,4. neplaciti, qua Deus *vult omnes homines ſaluos fieri.* Non tacet copioſam redemptionem Saluatoris, per exceſſiuam paſſionem & Sanguinem eius effuſum, meliùs clamantem quàm Abel. Datur etiam iuſtitiæ audientia, quæ contra reum deponit quibus grauari poſſet, cui adeſt is de quo Ioannes ait, quòd ſit *accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* Omnibus igitur perpenſis, ſi ad vota procedendum eſt, Maria mater gratiæ pro reo concludens, ſemper flectit iudicem ad miſericordiam. Apoc. 12,10.

208. Pro quo nota, illius ſalutem ferè ſecuram iudicari poſſe, qui ita vixit vt votis & precibus Mariæ ſaltem relictus ſit locus. Ipſa enim orante, ſemper exaudimur. Videmur enim ipſi petere omne id quod illa à nobis ſubornata & ſollicitata petit. Nec mirum, cùm etiam filij Zebedæi, matre pro illis poſtulante, & Christum adorante, indicio ipſius petebant. vnde obiecit non matri, ſed filijs, ſuam imprudentiam, dicens: *Neſcitis quid petatis.* Matth. 20,22.

209. Maria igitur orante, & nobis vt oportet per illam orantibus, verificatur clariſſimè magnifica illa promiſſio, nobis à Christo facta, duplici iuramento confirmata, de certiſſima exaudatione, quam refert Ioannes, dicens: *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, ſtat irreuocabile promiſſum Dei; nam *fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Ioan. 16,13. Pſalm. 144,13.

210. Nec mirum, cùm etiam Reges exiſtiment Maieſtati ſuæ inuri notam leuitatis, niſi compleant ſtatuta & promiſſa, etiam quæ minùs prudenter ab ipſis publicata ſunt, maximè ſi iuramento illa confirmarunt. Vnde Herodes audiens crudelem puellæ ſaltatricis poſtulationem, *contriſtatus eſt* Matth. 14,9.

Rex: propter iuramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, iuſſit dari. ℣.10. *Miſitque, & decollauit Ioannem in carcere.* Nil magis mouet Regem ad concedendum quod petis, quàm ſi allegaueris promiſſum illius iureiurando confirmatum. Vnde Bethſabee mater Salomonis à Nathan inſtructa, 1.Reg. 3,17. ad Regem ingreſſa dixit: *Domine mi, tu iuraſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ: Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo.* ℣.18. *Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi Rex, ignorante.* Putant Hebræi, vt refert Abulenſis quęſt. 30. & Hieronymus in Tradit. Hebr. ad illum locum, hoc Dauidem Bethſabee promiſiſſe antequam Salomon eſſet natus, vt dolentem nimis de mortuo paruulo qui ex adulterio fuerat conceptus, conſolaretur. Ad propoſitum hoc ſolum notandum eſt, quòd nullas interponat preces, putans ſufficere vt Regem promiſſi & iuramenti memorem reddat.

211. Non ignorabat Anaximenes, quòd Regia indoles ſit promiſſi & iuraméti obſeruantiſſima, qui mira aſtutia impediuit, ne ab Alexandro Magno Lampſacienſes (qui contra illum ſemper fauebant partibus Darij) omnes interficerentur. Fuerat Anaximenes pædagogus eiuſdem Alexandri, eratque ei charus valdè. Procedens igitur Alexander ad ſanguinem, intellexit de aduentu pædagogi ſui, ſuſpicãs (quod res erat) illum aduentare vt precibus cruentæ illius reſolutioni reniteretur, vertens ſe ad exercitum, iurauit per omnes Deos & Deas, quod iſta vice omnino contrarium faceret eius, quod Anaximenes (etſi ei amiciſſimus) ab illo poſtularet. Innotuit hoc Philoſopho, qui ad audientiam admiſſus, & humaniter ab Alexandro exceptus eſt. Rogatus autem aduentus ſui cauſam, dixit: Rex inuictiſſime, adſum maieſtati tuæ ſupplicaturus, vt funditus vaſtet Lampſacienſes, nullo habitu reſpectu loci ſacri, ſexus feminei, aut infantilis ætatis, ſed omnes ferro & flamma perimat. Alexander admirans hominis ingenioſam inuentionem, ſentiens ſe iuramento obligatum ad id quod ſupplicationi illius contrarium eſſet, recepit Lampſacienſes in gratiam.

212. Si Deus alicui concedat quidquid petierit (quod ſanctè promiſit & iurauit ſe facturum omnibus, qui nimirum quomodo & quod oportet petunt) certè de B. Virgine, quæ non erat niſi cum omnibus requiſitis circumſtantijs, nullum relinquetur dubium. Vnde fiet, quòd libello ſupplice humiliter pro aliquo oblato, poterit Filium ſuum promiſſi & iuramenti ſui commemoratione ad concedendum flectere, imò recuſare volenti viam præcludere, dicens: Non reſpicias eius pro quo rogo demerita, ſed promiſſorum tuorum fidelem & ſtabilem veritatem. In me ſaltem, & per me ſupplicantes clarè intelligant, quàm verè promiſeris: *Amen amen dico vobis, quodcumque petieritis*, &c. Ioan. 16,13.

213. Certum eſt, quòd non mereatur à Deo exaudiri, qui cum proximo in gratiã redire recuſat. Vnde miratur Sapiens illorũ impudentiam, qui cùm miſericordiam proximo negant, à Deo ſibi eam poſtulare non verentur dicens: *Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur.* Eccli. 28,3.4. Benè igitur præmiſit: *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.* ℣. 2. vbi benè notauit Hugo Cardinalis, quòd non dicat, *qui nocuit tibi*, ſed *nocenti* præſentialiter, quando Hugo Cardin. ſolet

ſolet cupido vindictæ & ira magis inardeſcere. Non exauditur igitur qui proximo iram reſeruat, dum in Oratione Dominica petit, *Dimitte nobis debita.* ſtat enim firma ſententia: *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

Matth. 6,12. ŷ.15.

214. Porrò vt conſtet, quanta ſit Mariæ Virginis orationum efficacia, ipſa orans impetrauit ijs qui in odio proximi ſui deſperata obduratione laborabant, miſericordiam, qui per illam orantes, & cor carneum & veniam ſuorum peccatorum conſecuti ſunt. Refert Carthagena de Mirandis B. Mariæ, §. 103. ex Franciſco Bencio in Annal. Societatis ex Hiſtoria prouinciæ Auſtriæ, de quodam, qui in inimicum odio ardebat tam implacabili, vt non ſolùm non acquieſceret reconciliationem ſuadentibus, ſed & aures ſubtraheret concionibus, & per conſequens clamoribus Dei. Hunc amicè conuenit vnus ex Patribus Societatis, rogans magna inſtantia, vt ſi ſerpentino more obturauerat aures, ſaltem oculos ſibi claudi non pateretur; ſed ad templum ſe conferret, & deuoto intuitu ad imaginem Virginis reuerentiam exhiberet. Acquieuit homo facili ſuggerentis conſilio. Ingreditur templum (mirabile dictu, verum tamen) aſpicit miſericordiæ matris imaginem, & ſubitò in aliam imaginem pertranſijt homo, non tamen fruſtrà, ſed ſalubriter conturbatur. Nam tam vehementer derepentè percutit is viſus hominem, vt exclamaret, dicens: Do veniam, libens obliuiſcor iniuriæ; condona tu mihi Deus, condona peccata mea. Et his dictis, ſtatim præmiſſa Sacramentali confeſſione, ſacra Communione refectus, tamquam viuum & ſanum membrum corpori Chriſti reſtitutus eſt. Hæ ſunt mutationes dexteræ Excelſi, quæ per interceſſionem Virginis fiunt. Beatus igitur quem illa oratione ſua dignatur, &c. Amen.

Franciſcus Bencius. *Exemplum.*

DISCVRSVS XVI.

Miſericordes cenſentur, qui cum Virgine perditis peccatoribus ſingularem gratiam à Deo poſtulant: non enim diſplicet, quòd Sancti maiorem petant quàm is largiri decreuit.

215. MITES & miſericordes in cælis illuſtres futuri, etiam tamquam magni honorandi ſunt in terra, cuius glorioſa poſſeſſione gaudent, Chriſto dicente: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terrã.* Magnatum eſt, poſſidere & occupare terras ſub imperio; vilium autem, poſſideri & occupari ab eis contra dictamen rationis. Hinc factum eſt, quòd poſtquam Deus Abrahæ promiſit famoſum nomen, dicens, *Magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus*, ſtatim præceperit illi terrarum in ſignum poſſeſſionis conculcationem: *Surge*, inquit, *& perambula terram in longitudine & latitudine.* Si magni ſunt qui poſſident terram, cuius poſſeſſio manſuetis promiſſa eſt, ſequitur, quòd mites ſint Eccleſiæ Dei Magnates, non ſolùm ob hanc rationem, ſed maximè quia ſeipſos in pace poſſident, & dominantur animo ſuo. *Magni animi eſt*, inquit Seneca, *iniurias deſpicere; puſilli hominis & miſeri eſt, repetere mordentem.* Mures, & formicæ, & ſimilia viliſſima animalcula, ad minimum alicuius contactum vertunt caput, & diſponunt dentes ad mordendum: generoſi autem equi nec percuſſi, nec calcaribus ſtimulati, recalcitrant, ſed alacriùs

Matth. 5,4. Gen. 12,3. Gen. 13,17. Sen ca. *Simil.*

Digitized by Google

criùs currentes, ſeſſori obtemperant. Verè viles ſunt iracundi & impatientes, qui meritò à Belgis vocantur, *Cruydeken en roert my niet*, Latinè, *Herba noli me tangere.* Abominabilis valdè eſt Sanctis iracundorum vilitas, qui ideò non parcunt laboribus & ſumptibus, vt manſuetudine magni euadant. In Vitis Patrum legimus de quodam, qui anhelans ad perfectionem, à Seniore regulam ſibi præſcriptam accepit, & ſtudioſè obſeruauit. Ex illius autem conſilio toto triennio iniurias illatas, & aliorum onera patienter tulit. Altero verò triennio dedit mercedem ijs, qui illum contumelijs & conuitijs impetebant: quo elapſo, Senior illum ſecum aſſumens duxit Athenas, vt de illius profectu ſumeret experientiam. Cùm verò ad portas ciuitatis perueniſſet, & à quodam, Deo permittente, contumelijs impeteretur, cœpit iuuenis blandè ridere. Miratus conuitiator, Quid hoc rei (inquit) quòd à me irriſus, non commoueris, ſed hilareſcis & rides? Non rideam? inquit diſcipulus: tres annos mercedem ſolui ijs qui me maledictis onerarũt, hodie gratis tu mihi hac in te deſeruis. Stupefactus Athenienſis, Ingredere vrbem, inquit, dignus es cœtu ſapientium. Parum dicebat, nam per manſuetudinem quis Magnatum collegio adſcribi meretur.

216. Magnis non ſolùm annumeranda eſt Virgo propter eximiam manſuetudinem ſuam, ſed etiam præferenda, tum quòd præ omnibus manſuetis omnia terrena poſſideat & calcet
Apoc. 12,1. (vnde Ioannes ait: *Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius*) tum etiam quòd ad proprias iniurias inſenſibilis, pro ijs autem quæ Deo fiunt, ex miſe-
Seneca. ricordia ſupplex eſt. Refert Seneca in libris de Ira, quòd *M. Catonem in balneo quidam percuſſit imprudens, cui poſtea ſatisfacienti Cato, Non memini, inquit, percuſſum me. Melius putans non agnoſcere, quàm ignoſcere.* Eodem modo etſi B. Virgo grauiſſimè lædatur ex peccatorum offenſis in Deum commiſſis; ita tamen diſſimulat, ac ſi non ſentiret nec agnoſceret proprium incommodum, quæ in eo tota eſt, vt pro ijs apud Deum inſtet, quatenus ille miſericorditer condonet & ignoſcat. Chriſtum Dominum imitatur, qui apud diſcipulos euntes in Emaus diſſimulauit memoriam & notitiam ſuæ amariſſimæ paſſionis, indicans, melius eſſe non agnoſcere culpam, quàm ignoſcere, pro qua iam in cruce rogans veniam, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Mirantibus igitur & dicentibus, *Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus?* ille dixit: *Quæ?* Lucæ 24.18. ỳ.19.
Ecce vocem ignorantis potiùs quàm condonantis.

217. Beata Virgo proprias iniurias diſſimulans, ſenſit vehementem acerbitatẽ ex gladio doloris, qui pertranſijt animam illius, propter contradictionem quam patiebatur Filius eius à peccatoribus, quibus poſitus fuit in ſignum: & ita quodammodò ſupplebat defectum pœnitentiæ, quam meritò peccatores ſentire deberent. Ideò fit, quòd nunc orans faciliùs eis veniam exoret. Refert Muſonius, quòd vxor Phocionis olim à quodam notabilem iniuriam paſſa ſit: qui ſtatim facti pœnitens, marito (in quem illa maximè redundauit) ſupplex adfuit, pedibus illius proſtratus. Cui ille: *Mea quidem vxor nihil abs te affecta eſt.* Muſon.

218. Quo ſenſu Phocion ſic locutus ſit iniurianti, non adeò clarè conſtat; niſi fortè voluerit his verbis indicare

dicare

dicare vehementem dolorem, quem vxor conceperat propter iniuriam marito eius illatam, ad quem reſpiciens citiùs pacari deberet, cùm ipſa ſupplere videretur defectum triſtitiæ & pœnitudinis, quam à calumniatore meritò exigere poſſet. Eodem modo, etſi gladius doloris pertrâſijt animam Virginis, quando Filio illius contradicebatur à multis, proprium tamen dolorem paruipendens, tota erat in reparanda iniuria quæ Deo illata erat; & ita pro peccatoribus orans, dolorem, qui ex illorum parte requirebatur, exorauit, & in ſe quodammodò suppleuit. Et hæc eſt ratio, cur etiam nunc faciliùs Deum iratum & offenſum pacet. Itaque Maria, tamquam verè magna, offenſam in ſe commiſſam ex miſericordia neſcit, & ideò pro illa, quæ in Deum commiſſa eſt, tam efficaciter orat, vt etiam in gratiam illius miſericorditer ſæpè eam ignoſcat.

219. Quemadmodum igitur magnorum eſt, magnas miſericordias facere, & pro miſeris inſtare; ita econtrà viles nec miſericordes ſunt, & ijs qui eſſe volunt ſe opponunt. Refert Guicciardinus in Horis fol. 163. de Ariſtodemo, quem fortunæ fauor in tantum prouexerat, quod Rex Antigonus ab illius conſilijs in adminiſtratione regni ſui ita penderet, vt ab illo quodammodò regeretur, cùm tamen eſſet filius coqui quondam culinarij. Qui cùm quodam die Regi munificentiſſimo perſuadere vellet, vt liberalitati ſuæ & miſericordiæ erga ſollicitantes & indigentes modum poneret, meritò reportauit vilitatis ſuæ opprobrium à Rege qui reſpondit: *Ariſtodeme, hæc verba tua olent focum & culinam.* Guicciardin.

220. Non ſemel occurrunt in Scriptura dicta quorumdam, quæ vilioris indolis ſuſpicionem ingerunt, quàm vt à Deo infinitæ miſericordiæ approbêtur, qui nimirum nimiam quodammodò miſericordiam in Deo notare videntur. Talis fuit Ionas, qui non ferens miſericordiam Dei, & elapſis quadraginta diebus Niniuen non ſubuerti, vt ipſe prædixerat, *afflictus eſt afflictione magna, & iratus eſt*; nec Ionæ 4.1. de alia re conqueſtus eſt, quàm de clementia Dei. *Scio enim, quia tu Deus clemens*, inquit, *& miſericors es, patiens & multa miſericordia, & ignoſcens ſuper malitia.* quaſi dicat: Si hanc miſericordiam cum illis faceres, vt inde diſtinctè magis haberem notitiam tuæ benignitatis, fortè condonanda eſſet; ſed ſcio quàm ſit tibi proprium miſereri ſemper & parcere. Ecce Domine, dum parcis impijs, exiſtimationi meæ detrahis. Cùm enim non fiat iuxta verbum meum, reſpicient me homines deinceps tamquam impoſtorem, qui hactenus vt Prophetam honorarunt. Olent hæc omnia culinam, longè ſunt à conditione eorum qui verè miſericordes, & per conſequens magni ſunt apud Deum.

221. Mechanicam vilitatem hac in re oſtenderunt etiam Iacobus & Ioannes, cùm indignarentur Samaritanis, eò quòd nolebant Chriſto per ciuitatem illorum patere tranſitum, quem contemptum cùm ille manſuetè ferret, iudicantes hoc modo auctoritati illius nimis detractum iri, dixerunt: *Domine, vis dicimus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos?* Hi duo fuerant immediatè antè in monte Thabor Lucæ 9,54. cum Chriſto, & contemplati erant Domini maieſtatem, vnde exiſtimabant, illam nihil debere per manſuetudinem & miſericordiam diſſimulare, errantes grauiter, cùm (vt dictum eſt) manſuetudo & miſericordia verè ma-

magnis conueniat. Erant tunc adhuc viles duo illi: poſteà autem per ſuſceptionem Spiritus ſancti nobilitati ſunt cum reliquis Apoſtolis, ex quibus Petrus (qui etiam vilioris indolis indicia dederat, cùm rogaret, ſeptiéſne deberet fratri peccanti offenſa dimitti) Ioanne ſibi ſocio dato miſſus eſt, vt eoſdem Samaritanos (quos igne conſumi optauerat) in fide confirmarent.
Act. 8, 14. ſic enim habetur in Actis. *Cùm audiſſent Apoſtoli, qui erant Ieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem.* Non iam petijt Ioannes ignem de cælo qui interficiat eos, ſed ignem Spiritus ſancti qui reficiat. vnde ſubdit
℣. 15. Lucas: *Qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum.*

222. Qui in aula Regum verſantur, conſuetudinibus & aulicis moribus imbui debent, niſi velint tamquam inurbani ab ipſo Rege & reliquis Nobilibus contemni. In aula Dei, maximè in nouo Teſtamento, nemo eſt in æſtimatione, niſi qui manſuetudine & miſericordia illuſtris eſt. Hinc omnibus huius aulæ Nobilibus præ omnibus alijs ornamentis morum facilitas & manſuetudo commendatur.
Matth. 11, 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum*, inquit, *& humilis corde.* Phariſæos & Scribas tamquam obſcuros, & aula ſua indignos propter defectum miſericordiæ, à ſe ablegauit, dicens: *Euntes*
Matth. 9, 13. *autem diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Non erant ſatis imbuti moribus Nobilium Iacobus & Ioannes, quos proinde increpauit, dicens: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis.*
Lucæ 9, 55. Reprehenſibiles erant: nam, vt habet
S. Tho. S. Thomas in Catena, *non eſt excludenda infirmitas, ſed iuuanda: procul à Religioſis indignatio, procul à magnanimis cupiditas vltionis.* Samaritanis ignem de cælo petebant, cùm per Euangelium ad pœnitentiam inuitandi eſſent, & venia peccatorum eis offerenda, ac à Deo petenda.

223. Glorioſum eſt Regibus terræ, *Simile.* quòd Nobiles magnificè veſtiti compareant in aula illorum, nec ægrè ferunt, etſi ab illis aliquando in exteriori pompa veſtium ſuperentur. Eodem modo Deus putat ſibi glorioſum eſſe, quòd ſui, dum peccatoribus miſericordiam poſtulant, maiorem ornatum & apparatum oſtendant, quàm ipſe Deus, cui ſufficit ſi tam diues in miſericordia ſit, & ab omnibus habeatur, vt nemo dubitet quòd miſericordiæ eius non ſit numerus aut finis. Talem ſe exhibuit Moyſes, cùm diceret: *Aut* Exod. *dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* 32, 32. Et Paulus, qui optabat anathema fieri Rom. à Chriſto, non modò pro fratribus, 9, 1. ſed etiam pro perſecutoribus ſuis.

224. Magna eſt conſolatio pijs parentibus, quando conſiderant quòd in filijs & filiabus ab infantia ita creſcat miſericordia erga pauperes, vt velint plura illis diſtribui, quàm ipſi neceſſarium iudicant aut expediens, maximè ſi paratos ſe exhibent, vt ſibi detrahatur quod detur egenis. Hac virtute præditus legitur S. Bernardinus fuiſſe: In Vita qui, vt habetur in Vita eius cap. 2. S. Bern. tanto ſtudio ferebatur ad præſtandas eleëmoſynas, vt nulla re adhuc puer magis delectaretur, quàm ſi poſſet pauperibus benignè facere. Caſu contigit, vt in ædibus Dianæ materteræ ſuæ (cuius curæ gratioſus puer, vtroque parente orbatus, iam ſexennis commiſſus eſt) parum panis relictum eſſet, quæ ipſum pauperi mendicanti dare nolebat. dixit ergo ei pius puellus: Quæſo demus pauperi ſtipem,

alioquin

alioquin ego hodie neque prandium neque cœnam ſumpturus ſum. Malo enim pauperem hoc pane refici, quàm me. Lætabatur valdè Diana optima illa pueri indole.

225. Eamdem miſericordiam in ijs quæ ſpectant ad animæ bonum, oſtendiſſe videntur Moyſes & Paulus, qui ita pro miſeris & peccatoribus ſolliciti fuerunt, vt ſui omnino obliti viderentur, ac proinde meritò inter Magnates in aula cæleſti, & veri Filij Dei, qui tanta charitate prædíti fuerunt, vt non tam ſua,quàm quæ ſunt aliorum quærere viderentur, cenſeri debent. His annumerari debet Samuel, qui non ſemel rogauit Deum vt Sauli eſſet miſericors. Cùm autem nihil obtineret, inſtar gratioſi filij Dei triſtem & deſo-
1. Reg. 15,35. latum ſe oſtendit. *Verùmtamen lugebat Samuel Saulem*, dicit Scriptura. Non fuit Deo ingratus hic luctus Samuelis, qui amici caſum miſeratus ex animo, nullo tempore vim doloris extinxit. vnde patet, quàm ſit ei grata miſericordia, quam etiam approbat, dum alicuius reprobi ruinam dolemus.

226. Non deſunt, qui exiſtimant, Deum non prohibere vt quis lamentetur propter damnationem alicuius, quæ Deo reuelante fortè ei innotuit. quam ſententiam Rangolius in 1. Regum 15. ℣.35. tribuit Lyrano, & vlteriùs conatur probare exemplo Chriſti
Lucæ 19,41. de quo dicitur: *Videns ciuitatem, fleuit ſuper eam*, quam certò certiùs nouit euertendam. Paulus etiam vehementi dolore affectus eſt pro fratribus quibuſdam, quos tamen prædicat
Rom. 9,8. alienos fuiſſe à promiſſione Dei. *Non qui filij carnis*, inquit, *hi filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine*. Nota quoque ſunt lamenta Dauidis, quibus deplorauit Abſalonis & Saulis mortem, non ſolùm corporis, ſed & animæ. Pro quo ſciendum, moderatum luctum à Spiritu ſancto permitti ſuper mortuum, in quo tamen Deus finalem ſuam voluntatem manifeſtauit. *Modicum plora ſupra mortuum*, dicit Sapiens, *quoniam requieuit*. Loquitur de pio & Eccli. 22,11.
probo, cui data eſt requies æterna. vnde ſequitur, quòd Deus non requirat à nobis in hac vita tam perfectam voluntatis noſtræ cum ſuo beneplacito conformitatem, qualem in cælis habent iuſti, qui videbunt & ridentes lauabunt manus ſuas in ſanguine peccatoris; quin potiùs mirabili diſpenſatione permittit fletum, vt cùm iuſtiſſima ſua voluntas completur, eo ipſo noſtra patientia ad maius meritum exerceatur.

227. Porrò ſi Deus in fauorem miſericordiæ diſſimulat, nec ægrè fert quòd dolemus reprobi alicuius infelicem mortem, cuius ſalus deſperata eſt, gratiſſimum illi erit, ſi lamentando, orando, gemendo, pro peccatore etiam perditiſſimo (quòd non niſi ab ijs, qui maximi ſunt in Eccleſia Dei, ex compaſſione fieri ſolet) ſingularem & magnam miſericordiam ab illo poſtulemus.

228. Ceterùm ſciendum eſt, quòd Maria, quæ in omnibus alijs ſe paruam & humilem exhibuit, diuitias miſericordiæ Domini ſuis continuis precibus poſtulando, magnitudinem ſuam probauerit. Vilium eſt, à magnis parua petere, & magna deſperare. Refertur, *Exemplum.*
quòd ruſticus quidam olim Philippum II. Hiſpaniarum Regem (qui data opera forte à venatione ad domum ipſius deflexerat) ignotū magna cum vrbanitate receperit, & ita tractauerit, vt multa ingenuæ nobilitatis indicia exhiberet. Nam in primis hoſpitium,

quod pro iuſto pretio poſtulabat negans, ex gratia humiliter petitũ conceſſit. Deinde incognitum digniori & primo accubitu honorauit,& recuſantem præcedentiam, quòd illam patrifamilias debitam aſſereret,coëgit, dicens: Ego rex & dominus in domo mea mando, ac proinde tibi parendum eſt. Præterea Regi donaria aliqua domeſticis, gratitudinis ergò, offerenti, ſe viriliter oppoſuit, dicens, gratioſum,non mercenarium hoſpitium ſibi conceſſum eſſe. Admirans Rex in ruſtico tantam generoſitatem , gratias agens,ad ſuos,& tandem in aulam reuerſus,iuſſit illum ad ſe vocari. Venit igitur tremulus, formidans ſi fortè regiam maieſtatem , quam ignorans honorificè receperat,offendiſſet. Ad Regem autem ingreſſus , iuſſus eſt conſidere , & occupare ſedem de induſtria paratam , quam ille inſtanter recuſans, iiſdem verbis, quibus Regem in domo ſua obtruſerat primarium conſeſſum , coactus eſt recipere. *Ego Rex* , inquit Philippus , *& dominus in domo mea mando*, &c. Tum ruſticus hoſpitem nocturno tempore ſuſceptum (cuius proinde vultum non ſatis notare potuit) ex verbis agnouit,& procidens ad pedes Regis, veniam petiit , ſi fortè in aliquo offendiſſet. Ad quem Rex, Non eſt,inquit,quod condonem , ſed quod compenſem. Pete igitur à me tam liberalis hoſpitij mihi conceſſi aliquam mercedem. Opportuna erat hîc ruſtico oblata occaſio ditandi ſe & omnes ſuos, & impetrandi immunitatem totius familiæ ſuæ: ſed hîc defecit miſer , & vilitatem ſuam prodidit. Nam Regiæ munificentiæ iniurioſus, ſolùm poſtulauit domum ſuam exonerari cenſorio capone, quem annuè cuidam Abbatiæ debebat. Ad quem Rex, Hactenus, inquit, te generoſum præbuiſti, iam verò iterùm te ruſticum oſtendis.

229. Contrario modo procedit Virgo Maria, quæ in omnibus ſe tamquam abiectam & humilem ancillam Deo præbuit , oſtendens factis quòd verè & ex corde dixerit; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum* Lucæ 1,38.
tuum. Non eſt opus hîc referre humilitatis opera, quibus Virgo Maria placuit Deo. vnde in perſona illius canit Eccleſia: *Cùm eſſem paruula, placui Altiſſimo, & de meis viſceribus genui Deum & hominem.* Hoc autem pro noſtra conſolatione notandum eſt, quòd generoſam ſuam magnitudinẽ oſtenderit, dum eximia & ſtupenda miſericordiæ dona à Deo poſtulare non veretur. Qui cùm ſit pater miſericordiarum, ei poſtulata concedens, indicat ſibi gratum eſſe, vt gemitibus & lacrymis optemus etiam perditiſſimis hominibus ab eo fieri miſericordiam, etſi peccatis ſuis illi viam præcludant, atque adeò tamquam vaſa contumeliæ reſeruentur, vt in illis oſtendat ſuam iram & indignationem, quam à nobis auertat mater gratiæ, &c. Amen.

DISCVRSVS XVII.

Beata Virgo dæmoni terribilis, erga peccatores præſertim qui imagines eius colunt, mitis eſt; quos ſubinde ex ſpeciali miſericordia per virgas emendari curat.

230. QVEMADMODVM furibundorum eſſe videtur, ex odio inſanire contra imagines eorum quos execrantur; ita debitæ reuerentiæ eſt, & magnæ vtilitatis, imagines Sanctorum, & præſertim B. Virginis,colere. Tradit Eraſmus l. 6. Apopht. Eraſm.

quòd

Digitized by Google

quòd cùm Aratus ex odio regum & tyrannorum vellet abolere imaginem inſignis artificij, quæ Ariſtratum in curru victorem habebat; Neacles ſupplex interceſſerit, vt opus egregium ſeruaretur illæſum, dicens: *Cum tyrannis, non cum tyrannorum imaginibus belligerandum eſt.* Beata Virgo peccatoribus miſericors, quos reſpicit tamquam imagines infernalis tyranni, eos libenter ſeruaret illæſos, vt in ipſis reparari poſſet imago Dei; & ideò fortiſſimum bellum ei eſt cum ipſo tyranno, cum antiquo ſcilicet ſerpente, ad cuius nomen ſuperbus ille contremiſcit, non ignorans quòd ipſa ſit mulier quæ contriuit, & ſingulis momentis conterit caput eius, data ſibi poteſtate à Deo, qui in principio mundi
Gen. 3, 15. dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius, & ipſa conteret caput tuum.* Seruatis igitur imaginibus, cum ipſo tyranno bellum gerit fortiſſima mulier.

231. Refert Lucas miſeriam cuiuſdam pueri à dæmone malè vexati, qui optimè repræſentat triſtem peccatoris conditionem.
Lucæ 9, 38. 39. *Ecce*, inquit, *vir de turba exclamauit, dicens: Magiſter, obſecro te, reſpice in filium meum, quia vnicus eſt mihi: & ecce ſpiritus apprehendit eum, & ſubitò clamat, & elidit, & diſſipat eum, cum ſpuma, & vix diſcedit dilanians eum.* Multa obuia hominum peccata, quos dæmon vt ſuos apprehendit, hîc deſcribi videntur, qui nunc præ furore clamant, nunc ſpumant luxuriam. *Venter enim repletus ſpumat libidinem*, & immundus ſpiritus vix diſcedere videtur ab eis per momentum, cùm illos continua agitatione præcipitet de peccato in peccatum.

232. Notandum eſt autem ad propoſitum noſtrum, quòd *increpauit*
Lucæ 9, 42. *Ieſus ſpiritum immundum, & ſanauit puerum.* Non puerum vim patientem (inquit Hugo Cardinalis) ſed diabolum vim inferentem increpat Dominus. Hugo Cardin. Sic qui peccatorem vult ſanare, vitium quod ad diabolum pertinet, debet arguere, hominem verò miſericorditer fouere. *Vnus alium corrigat, & iudicet, & accuſet* (inquit Auguſtinus) *cum dilectione hominum, & cum odio vitiorum.* August. Et Gregorius: *Debemus naturæ compaſſionem & vitijs diſtinctionem; vera iuſtitia compaſſionem habet, non indignationem.* Gregor. Chriſtus igitur parcens imagini, potentiam ſuam in diabolum, à quo deformata erat, exercuit. Hoc modo procedit Virgo ſingularis, hominibus & peccatoribus mitis, diabolo autem infernali tyranno terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

233. Ex his patet, quòd hæretici imitantes diabolum, inſaniant furore, qui cùm Sanctos & ipſam Virginem attingere non poſſunt, in imagines illorum debacchantur. Eodem modo proximorum ſuorum oſores, & rancoris ac inimicitiarum nutritij, eos, à quibus aliquid moleſtiæ paſſi ſunt, inuadunt, dæmonem autem, cuius illi imaginem ſolùm repræſentant, non lędunt: quia dum peccatores ad pœnitētiam minimè inſtruunt, opera diaboli non diſſipant, nec ei bellum gerunt. Quibus proinde dicendum eſt, quod Neacles dixit: nimirum cum tyrannis, non cum tyrannorum imaginibus pugnandum eſſe. Maria Virgo peccatoribus, quatenus ſolùm ſunt imagines dæmonis, parcit; quatenus verò ſunt Dei imagines per dona naturæ, habentes ſaltem in potentia ſimilitudinem eius per gratiam, quæ adhuc in illis reparari poteſt, miſericorditer pro illis ſollicita eſt.

234. Verùm etſi omnibus pecca-

toribus ſit miſericors, faciliùs tamen clementiam eius experiuntur, qui illius ſacras imagines honore & reuerentia proſequuntur. vnde meritò inſurgunt Catholici contra hæreticos, præſertim Iconomachos & ſacratum imaginum incendiarios. In Actis legimus, magnam turbationem concitatam fuiſſe ab aliquibus contra Paulum & ſocios eius, quia opponebant ſe imaginibus quæ in honorem ſuperſtitioſæ Dianæ fiebant, propter lucrum ceſſans, & temporale damnum emergens, quod ex illarum abolitione ti-
Act.19, 24. mebant. *Demetrius quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artificibus non modicum quæſtum* Qui conuocabat omnes qui circa illas imagines occupari ſolebant. Nam præter artifices præcipuos, erant alij multi eorum adminiſtri, vt notauit A lapide: alij enim argentum in laminas deducebant, alij poliebant, alij picturis, alij cælaturis ædiculas illas iconicas ornabant.

235. Maiori zelo nos debemus defendere imagines Dianæ Chriſtianorum, icones inquam Virginis Mariæ. Quæ enim falsò traduntur de illa fabuloſa Diana, in Maria verè locum habent. Inter alia refertur, quòd Principes theſauros ſuos in templo Dianæ reponere ſoliti, ſecuri erant ab hoſtium direptione: timebant enim hoſtes vrbem vaſtantes, vel leuiter attingere ea quæ Dianæ in depoſito commiſſa erant. Eodem modo virtutis & ſalutis noſtræ fideliſſima cuſtos eſt Deipara Virgo, ita vt vix periclitetur, qui ſe ſuáque eidem deuotè commendat. Vnde S. Bernardus Hom. 4. ſuper
S. Bern. *Miſſus eſt; Ex ore tuo, ô Maria,* inquit, *pendet conſolatio miſerorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, ſalus vniuerſorum filiorum Adam totius generis tui.* Idem alibi: *Mariam rogitans non erras, Mariam rogans non deſperas. Sine Maria nihil refectum, ſicut ſine Deo nihil factum: per Maria manus tranſijt quod Deus habere voluit.*

236. Propter beneficia, quæ Eccleſia recipit ab hac benedicta Virgine, imagines eius frequentiùs pingi & ſculpi, & in pluribus locis erigi curat. Ex quibus quàm vberem quæſtum ſpiritualem faciant Chriſti fideles, patet ex multis, maximè ex hiſtorijs, quibus, quàm ſit illarum cultus dæmoni exoſus & infeſtus, probatur: qui aliquãdo legitur promiſiſſe, ceſſaturum ſe à tentatione, ſi, quos vexabat, modò omittere vellent conſuetas ſuas inclinationes & reuerentias, quas Virgini in ſuis imaginibus exhibere ſolebant. Notabile huius rei exemplum habet Carthagena ex Ioanne Monacho in ſuo Prato florido c. 45. Non ignorabat etiam, fructuoſam imaginum Virginis reuerentiam dæmoni valdè exoſam eſſe S. Hedigundis, quæ (vt refert Alexius de Salo in ſua Methodo cap. 15.) Alexius de Salo.
viuens imaginem Mariæ ſecum ſemper reuerenter circumferens, cum illa mori voluit. Quod quàm fuerit Deo gratum, miraculum comprobauit. Nam anno vigeſimoquinto poſt mortem illius, omnibus corporis partibus corruptis, digiti, quibus imaginem firmiter tenebat, illæſi & integri inuenti ſunt. Scriptum reliquit etiam Antoninus Florentinus in Hiſtor. Anton.
tit. 17. cap. 6. §. 27. quòd quidam geſtare ſolebant imaginem Virginis lineis tunicellis aſſutam, quales ſunt Monachorum alborum ſcapulares, qua mediante, hominum cædes illis impunitę eſſe ſolent, ſaltē à cognatis & amicis illius, qui per infortunium fortè interemptus erat. Non enim conſan-

ſanguinei aut amici laborabant de vltione, ſed cælitus de componenda pace admoniti, libentèr homicidæ ignoſcebant.

237. Ex his patet, eſſe debitæ pietatis, imagines eorum, quorum beneficijs gaudemus, & gratias ſperamus, honorare. Maria Virgo reſpicit homines, & ſi propter peccatum dæmonem referant, quia tamen gratiæ capaces ſunt, tamquam imagines Dei (vt dictum eſt) quos propter illum amat, à quo ſumma beneficia accepit. vnde ait: *Fecit mihi magna, qui potens eſt.* (Lucæ 1,49.) Notandum autem eſt, quòd non ſemper blanditijs, ſed etiam ex ſingulari miſericordia aduerſitate & afflictione curat Dei imagines vitiatas & deformatas, id eſt homines vitioſos, reformari. Quemadmodum non ſolùm beneuolus cenſendus eſt imagini Crucifixi, vel alterius Sancti, qui illam in loco honeſto collocatam ſtudioſè conſeruat & adornat, ſed etiam qui lapſam in lutum & valdè ſordidatam erigit, dura manu fricat, & mordaci lixiuio purgat & mundat. (*Simile.*) Ita B. Virgo ſingularem miſericordiam exercet cōtra naturalem ſuam dulcedinem, dum homines duriùs increpat, aut à Deo per flagella increpari curat, vt ad ſaniorem mentem reuertantur. tunc enim verè dicere poterit: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* (Ierem. 29,11.)

238. Certè rigidior (ſi ita loqui licet de pientiſſima Virgine) viſa eſt aliquando, ſed miſericordiæ recordabatur, dum permiſit, vel etiam fortè procurauit, vt qui ab illa auerſi erant, ſine qua vix aliqua fulget ſpes ſalutis, per afflictiones conuerterentur. Non enim ignorat, imagines Dei æternis tormentis fore poſt hanc vitam puniendas, niſi in iſta à ſordibus, quas contraxerunt, expiatæ fuerint & purgatæ. (*Simile.*) Si imago lignea ſenſu & intellectu prędita eſſet, an non ageret gratias fricanti eam, & duriori manu abluenti, præſertim ſi non ignoraret, ſe hoc modo ab incendio fore liberandam? Deſperata erat ſalus viri cuiuſdam Nobilis (de quo ſcribit Franciſcus Bencius) (Franciſcus Bēcius. *Exemplum.*) qui à propria vxore ſeductus, incidit in ſectam Waldenſem, qui ex fructibus ſtatim manifeſtauit ſe arborem vitiatam eſſe. Nam curauit ex ſacello, quod domi habebat, auferri imagines Sanctorum, hac ſola ratione motus, quòd diceret eas audiendi & loquendi ſenſu carere. Non fuit dilata gratioſa punitio. Nam qui in templo pati noluit muta & ſurda Sanctorum ſimulacra, in domo mutos ſurdoſque liberos, quos identidem pariebat vxor, ferre cogebatur. Infelix parens cuidam ex Patribus Societatis miſeram ſobolem oſtendit: qui hac opportunitate vſus, rogauit qua ratione miſerandæ illæ animæ in fide Saluatoris inſtrui poſſent. Oſtenſa, inquit ille, Crucifixi effigie, alijſque ceterorum myſteriorum figuris, quorum picta vel ſculpta repræſentatione mentes intuentium mouentur. Hac via vtor quotidie, inquit, ad meos erudiendos. vnde patet, quòd non imagines Saluatoris, ſed Sanctorum ſolummodò in erronea ſua opinione è templis eijciendæ erant. Quod cùm prædictus Pater audiſſet, offenſam homini oſtendit, & irreuerentiam & iniuriam Sanctis factam aſſerüit, quorum imagines nouus error, in quem inciderat, de templis eliminandas docuit, quam luebant filij. Vnde factum eſt, vt pœna quæ apparebat, extorqueret confeſſionem erroris. Numerat Carthagena hanc hiſtoriam inter gratias & miſericordias hominibus per Virginem collatas. vnde conſequenter opinatur, illa miſericor-

diter

diter intercedente, tribulationem illam filijs viri illius obueniſſe, vt eius occaſione interruptum imaginum illius cultum reſumeret. Non enim ignorat prudentiſſima Virgo, aliquos eſſe, de quibus illud Iſaiæ intelligi poteſt: *Tantummodò ſola vexatio intellectum dabit auditui.* Iſaiæ 28,19.

239. Quemadmodum ſummæ cõſolationis eſt, à Deo corripi, ita ſingularis miſericordiæ indicium eſt, quando Maria duriuſculè aliquem tractãs, oſtendit quòd illum ſua materna ſollicitudine dignetur. *Virga tua & baculus tuus*, inquit Dauid ad Deum, *ipſa me conſolata ſunt.* Vt enim ſemper eſt anxius, qui nouit ſe virum potentem iniuria affeciſſe, præſertim ſi non ignoret illum eſſe vindicatiuum, à quo ſi tandem baculo aut pugno impetatur, ſecurè poſteà conquieſcit, confidens ſe euaſiſſe mortis periculum, quam anteà ſingulis momentis apprehendebat. Eodem modo peccator meritò gemit, & æternam mortem apprehendit, qui Deum affecit iniuria, quam ille impunè non feret. Vnde benè prohibet Sapiens, ne quis de miſericordia Dei ita confidat, vt non formidet iuſtitiam eius. *Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. Dominus Deus tuus fortis, zelotes*, dicit Moyſes, *viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Vnde ſollicitè anxiari debes, ſi culpæ alicuius conſcius, à pœna in hoc mundo immunis fueris, & dicere cum Dauo apud Terentium, cui heri ſui, quem ſciebat ſe offendiſſe, ſerena facies ſuſpecta erat: *Heri ſemper leuitas quorſum vergat neſcio.* O miſer, ſi peccaſti, & tamen nihil tibi accidit triſte, meritò apprehendis, ſimulatam leuitatem non eſſe aliud quàm diſſimulatam iram & indignationem! Vnde ſi ſapis, ſemper cogitare debes in lecto, in menſa, in foro, in templo, *Quid erit poſt hæc? Dei ſemper in me leuitas quorſum vergat neſcio.*

Pſalm. 22,4. Simile. Eccli. 5,4. Exod. 20,5. Terent.

240. Præſtat igitur baculo aut virga à Deo percuti, quàm continuam apprehenſionẽ ſuę indignationis pati. Eodem modo valdè conſolatorium cenſeri deberet, ſi quis à B. Virgine corriperetur. Verè ſignum eſſet ſpecialis miſericordiæ, adeò vt correptus eam ſibi promittere poſſet, dicens: *Superuenit manſuetudo, & corripiemur.* Superuenientis & ſuperabundantis manſuetudinis argumentum videri poſſet, ſi Virgo, cui proprium eſt ſemper miteſcere, aliquando duriuſculè agere videretur, vt aliquid imminentis mali à ſuis deuotis auertat. Mirabile eſt, quod ex Cæſario refert Carthagena de Mirandis Deiparæ virginis, §.83. de Religioſa, quæ per alapam ſibi impactam ab imagine Virginis correpta, & à periculoſa tentatione miſericorditer liberata eſt. Sicut Paulus non ſolùm patienter, ſed etiam lætanter diſciplinam Domini ſuſcipiendam eſſe monet, *Quem enim diligit Dominus*, inquiens, *caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* item: *A Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur:* ita ſumma cum iucunditate Religioſa illa meritò accepit cum alapa ſignum maternæ dilectionis & ſollicitudinis, qua Maria ſalutem illius procurabat.

Pſalm. 89,10. Hebr. 12,6. 1.Cor. 11,32.

241. Paulus ſpem ſalutis ex tribulationibus infert. Hinc Eccleſia benè celebrat ſolemnitatem S. Crucis Inuentionis, quando Sancti non ſolùm exultant propter inuentam Crucem, in qua Saluator pependit, ſed etiam cum gratiarum actione diem feſtum agere debent pro omnibus crucibus

&

& tribulationibus à Deo immiſſis, vnde ſpem probabilem concipere poſſunt, quòd ſi compatiuntur, & conregnabunt. Nam virga eius & baculus
Ioan. 3,5. illius conſolantur fideles. *Amen amen dico tibi* (inquit Chriſtus Nicodemo) *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Loquitur Chriſtus de baptiſmo fluminis. Nota, quòd tanta ferè ſit neceſſitas tribulationum ad ſalutē conſequendam, quanta eſt Baptiſmatis. Hinc fit, quòd ſicut Baptiſmus neceſſarius eſt in voto, etſi in re deſit fluminis, neceſſarius eſt Baptiſmus flaminis; ita exiſtimant Sancti, crucem & tribulationem, ſi abeſt, neceſſariam eſſe in præparatione animi, ſine qua vix quieſcere poſſunt, memores ver-
2. Tim. 3,12. borum Pauli, dicentis: *Et omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur.* item alio loco:
Hebr. 12,8. *Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes; ergo adulteri, & non filij eſtis.* Ob hanc rationem pientiſſima Virgo ſuis etiam, quos ſingulariter amat, ex ſpeciali miſericordia ſubinde per cruces & tribulationes ſuccurrit, &c. Amen.

DISCVRSVS XVIII.

Sicut Sancti miſericordias Domini in æternum cantabunt, ita poſt hanc vitam operum miſericordiæ, quæ fecerit homo, diſtincta commemoratio & præcipua remuneratio erit.

242. QVÆ hactenus dicta ſunt de miſericordia & pietate Virginis, non ſolùm nos conſolari debent, ſed etiam erudire. Parum enim proderit nobis illius miſericordia, niſi eam imitari conemur. Ideò aliquot Diſcurſus in calce huius Tractatus ſubnectemus, quæ nos ad hanc virtutem inſtruant & excitent. Nota igitur, quòd in extremo iudicio omnium bonorum operum erit quidem memoria, operum tamen miſericordiæ & pietatis explicita & expreſſa fiet commemoratio. Probat Scriptura, quòd nullius boni obliuio ſit apud Deum; cui Paulus videtur iniuſtitiæ opinionem timere, ſi obliuiſceretur bonorum operum quæ in hominibus operatus eſt. *Non enim iniuſtus Deus* (in- Hebr. 6,10.
quit) *vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis.* Dicitur Deus operum noſtrorum obliuiſci, quando vel bona relinquit irremunerata, vel mala impunita. Et ex verbis S. Pauli inferri poſſe videtur, quòd eſſet iniuſtus, ſi bonorum operum obliuiſceretur, non quòd illa ſuapte natura talia ſint, vt eis remuneratio debeatur à Deo, ſed quia faceret contra fidem ſuæ promiſſionis, qua ordinauit, imò addixit operibus per gratiam ipſius factis præmia vitæ æternæ.

243. Verùm operum miſericordiæ præcipua erit commemoratio, quorum expreſſam verbalem relationem & particularem enatrationē faciet. Nam cùm ſederit Filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ, iudicaturus viuos & mortuos, tunc dicet his qui à dextris
ſuis erunt: *Venite benedicti*, &c. *eſu-* Matth. 25, 34. 35.
rini enim, &c. Mercator cupreos quadrantes in faſciculos conuolutos nu- *Simile.*
merat: aureos verò ducatos ſigillatim, non autem ſummaria recenſione quadam in computum adducit, dum rei alicuius ſolutionem facit. Quod aurum eſt reſpectu cupri in monetis, hoc opera miſericordiæ & pietatis eſſe videntur in comparatione aliorum ope-

Sap.10, rum. *Reddidit Deus mercedem labo-*
17. *rum Sanctorum ſuorum*, dicit Sapiens.
Non refert in particulari, quorum
laborum. Nec Dauid illos ſpeciatim
Pſalm. recenſet, cùm ait: *Labores manuũ tua-*
127, 2. *rum quia manducabis, beatus es.* Ecce
laborioſa opera quæ quis pro regno
cælorum exantlauerit, venient quidem
in computum, ſed inuoluta ſolùm &
quaſi ſummaria ratione. verùm non
Lucæ ſic procedet iuſtus iudex qui dicit, *Ca-*
12,7. *pilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*,
in operibus miſericordiæ. Non enim
ſufficiet illi vt dicat, Miſericordias
operati eſtis, ergo miſericordiam con-
ſequemini; ſed ſpeciatim enumerabit
opera miſericordiæ dicens, non ſolùm
quòd eſurienti dederint manducare,
ſed etiam quòd ſitienti potum, peregri-
no hoſpitium, nudo cooperimentum
dederint, & ſic de ceteris.

Simile. 244. In magnis ſolemnitatibus, vt
in feſtis Sabaoth aut primæ claſſis,
non ſolet fieri aliqua alterius Sancti
commemoratio, ſaltem in primis &
ſolemnibus Veſperis, quidquid ſit de
Laudibus eiuſdem Feſti. vnde nulla
eſt in Feſto Paſchæ & Pentecoſtes.
Dies iudicij, dies magna & dies Do-
mini in Scriptura appellatur: in qua
quidem omnium operum erit memo-
ria, vt dictum eſt, expreſſa autem &
verbalis commemoratio de nulla vir-
tute fiet, niſi de ſola miſericordia. vn-
de patet excellentia illius virtutis. Sed
quid mirum, cùm in magna Feſtiui-
tate æternæ gloriæ continua etiam cõ-
memoratio fiet miſericordiæ diuinæ?
Pſalm. *Miſericordias Domini* (inquit Dauid)
88,2. *in æternum cantabo.* Non eſt dubium,
quin reliquæ perfectiones Dei refe-
Apoc. rentur: nam Ioannes audiuit quatuor
4,8. animalia *dicentia, Sanctus, Sanctus,*
Apoc. *Sanctus*, &c. & vocem Angelorum
5,12. *dicentium, Dignus eſt Agnus, qui oc-*
ciſus eſt, accipere virtutem & diui-
nitatem, &c. Simile quid habetur A-
pocal. 7. ℣. 12. In his locis cæleſtes
ſpiritus inducuntur ſemper loquentes
ſolùm aut dicentes, non canentes.
Maiorem quidem feruorem aliquo
modo notauit Iſaias in Seraphim.
Nam *clamabant* (inquit) *alter ad alte-* Apoc.
rum, verumtamen non cantabant, ſed 4,8.
dicebant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ex
quibus omnibus patet, quòd ſanctita-
tis & aliarum perfectionum Dei, Beati
ſint quidem relatores & præcones,
miſericordiæ autem illius perpetui
cantores futuri cum Dauide, qui ait:
Miſericordias Domini in æternum Pſalm.
cantabo. 88,2.

245. Quemadmodum in cælis cõ-
tinua eſt commemoratio diuinæ mi-
ſericordiæ, ita humanæ ſemper erit
quam homines faciunt in terris. *In* Pſalm.
memoria æterna erit iuſtus (inquit Da- 111, 7.
uid) *ab auditione mala non timebit.*
Hoc de iuſto dicitur, *qui miſeretur &* ℣. 5.
commodat. Lex veteris Teſtamenti in *Simile.*
lapidibus ſcripta, abolita eſt; lex verò
gratiæ & miſericordiæ, in cordibus &
viſceribus Sanctorum permanet. Eo-
dem modo non eſt aliquis tam diues
& potens, qui in lapidibus, ære, mar-
more, auro & argento perpetuam ſui
memoriam procurare poterit. Fruſtrà
enim erectæ ſunt ſtatuæ, pyramides
Magnatibus huius ſæculi, qui ſic im-
pedire non poterunt quin verum ſit
quod ait Dauid: *Periyt memoria eorum* Pſalm.
cum ſonitu. ſed in pauperum viſceri- 9,8.
bus per opera miſericordiæ & pietatis
memoria iuſti ſemper durabit. Super-
ba igitur epitaphia, ſumptuoſa ſepul-
cra foris dealbata, aut etiam deaurata,
parum proſunt, ſed pauperum xeno-
dochia diuitum ſumptibus aut ere-
cta, aut dotata, panum hebdomadales
diſtributiones in libris æditnorum,
imò

imò in libro vitæ notatæ. Item burſæ pauperibus ſtudioſis fundatæ, & gerontocomia habitationi decrepitæ ſenectutis conſtructa, perpetuant memoriam benefactoris.

246. Omnia obliuione oblitterantur, ſola miſericordiæ opera ſupernatant, & in memoria Dei & Sanctorum
Simile. eius verſantur. Eſt miſericordia olei inſtar, quod vbique indelebiles notulas & veſtigia, quæ elui non poſſunt, relinquat. Manet ad tempus vini aut mori impreſſus coloratus humor in candido panno, ſed aut ſuapte natura, aut ablutione, adhibito ſapone, euaneſcit. Non ſic de oleo, quod ferè indelebile veſtigium relinquit rebus quibus ſuperinfuſum eſt.

Simile. 247. Omnia quæ ordinata videri poſſent ad diuturnam famam, & quæ deſiderantur ab hominibus qui nomina ſua ſcribunt in terris, fundum petunt proiecta in aquas; ſolum oleum miſericordiæ ſymbolum ſupernatat. Aurum, argentum, tiaræ Pontificum, mitræ, & peda paſtoralia Epiſcoporum & Abbatum, denique ſceptra & coronæ Imperatorum & Regum, Doctorum ſubtilia ſcripta, militaris gloriæ arma ſe ſtatim ſubducunt tranſeuntium aſpectui, proiecta in aquas, oleum autem ſupernatans ſe omnibus aſpiciendum præbet. Qui habuerunt ſubſtantiam huius mundi, & fratribus egentibus clauſerunt viſcera miſericordiæ ſuæ, ita vileſcent apud Deum,
Pſalm. 15,4. vt dicat: *Nec memor ero nominum eorum per labia.* Quomodo rerum recordabitur, nominum illorum immemor?

248. In memoria igitur æterna erit iuſtus, qui miſeretur & commodat: nec ſolùm memoria de illo erit, ſed etiam decora & iucunda laudatio. Nam,
Prou. 10,7. vt ait Sapiens, *memoria iuſti cum laudibus, nomen impiorum putreſcet.* Etſi in lampadum inferiori parte ſit Simile. aqua, tamen adminuculo olei ſupernatantis lucebit. Si verò deſit oleum, & flamma peruenerit vſque ad frigidam aquam, cum ſtrepitu & fœtore extinguetur. Iuſtus qui miſeretur & commodat, propter oleum miſericordiæ ab omnibus & in omnibus laudatur. Excuſantur ſumptuoſa eius conuiuia, & alia huiuſmodi, & dicitur inſtituta fuiſſe non tam ad pompam, quàm ad amicitiæ ſuſtentationem: adeò vt oleum miſericordiæ nutriat claritatem nominis & famæ ſuæ: impij verò & inhumani in pauperes, quia ſolùm ſolliciti ſunt quomodo claram famam nutriant in aquis mundanæ vanitatis, ideò illorum nomen non tantùm extinguetur, ſed etiam facilè putreſcet ac fœtebit, & ex inconcinno ſtrepitu ſiniſtrè loquentium manifeſtum fiet, ſine operibus miſericordiæ famam illæſam ſeruari non poſſe.

249. Fruſtrà itaque laborant, qui per veſtimentorum pompas & alias ſæculi vanitates ſe omnibus notabiles & ſpectabiles reddere conantur. Fruſtrà inquam laborant: cū fœtore enim extinguetur lampas. Itaque oleum eſt neceſſarium. O vana! ô mundana, vt memoria tui ſit! Fortè ſe excuſabit quę huiuſmodi eſt, & dicet: Non ſum mei iuris, ſub parentibus & tutoribus & actoribus conſtituta, nihil differo à ſeruo, imò à paupere, quomodo igitur quis mihi imputet, ſi miſericordiæ opera non exerceo? Reſpondeo: Eſt cui miſereri potes, ſuppetit tibi oleum miſericordiæ quod præſtes animæ tuę. Si igitur non vis fœtere, ſi cum fatuis virginibus, intromiſſis prudentibus & cum ſponſo iucundantibus, non vis excludi à nuptijs, *miſerere animæ tuæ* Eccli. 30,24.
placens Deo, & contine. Sollicitè ambula

bula cum Deo tuo, non te nimiùm immergas vanitatibus huius mundi, ſic tranſiens per bona temporalia, vt non amittas æterna.

250. Ceterùm attendendum eſt aliquid ei, qui poſt hanc vitam vult vt per oleū miſericordię ſuæ conſequatur illuſtre nomen apud illos quibus illam
Eccle. 11,1. impendat. *Mitte panē tuū ſuper tranſeuntes aquas*, dicit Sapiēs, *& poſt multa tempora inuenies eum.* Omnes homines per aquas tranſeuntes ſignificari poſſe videntur, iuxta illud mulieris
2. Reg. 14, 14. Thecuitæ, *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non re-*
Titelm. *uertuntur.* Titelmannus noſter tamen putat hîc per tranſeuntes aquas peregrinos pauperes ſignificari. De quibus etiam illud Iſaiæ intelligi debet:
Iſaiæ 58,7. *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam.* Quidam verò exiſtimant, accuſatiuum *aquas* regi à participio *tranſeuntes*, in hunc ſenſum, Mitte panem tuum ſuper eos qui tranſeunt aquas, id eſt tribulationes & inedias, id eſt, ſis miſericors, ſed pauperibus & miſeris. Et hoc eſt quod etiam ſuadet Chriſtus, di-
Lucæ 14,12. cens: *Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos*, &c. *neque vicinos diuites, ne fortè te & ipſi reinuitent.*
Chryſoſt. vnde Chryſoſtomus Hom. 1. in Epiſt. ad Coloſſ. benè ait: *Non igitur ſub hac ſpe alijs beneficia conferamus, vt nobis retribuant. Hæc enim frigida eſt intentio. vnde talis amicitia celeriùs euaneſcit. Si verò pauperem vocaueris, Deum numquam obliuiſcentem habebis debitorem.*

251. Notandum igitur, quòd multi liberales ſint in eos, qui quod accipiunt ad cælum non deuehunt. Sunt quidem omnes homines aquæ dilabentes in terram (vt dictum eſt) & tranſeuntes ad Deum, ſic enim decretum eſt: *Reuertatur puluis in terram* Eccle. 12,7.
ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum. veruntamen ſoli pauperes ſunt rerum acceptarum & miſericordiæ ſibi in hoc mundo exhibitæ vectores. Amicis igitur, præſertim diuitibus, conuiuia parare, & beneficia largiri, non interdicitur quidem, *ſed ad promerenda vitæ cæleſtis* Beda.
præmia nil valere oſtenditur, per illa verba nimirum, *Cùm facis prandium & cœnam*, &c. quod notauit Beda in expoſitione illorum. Non prohibet humanitatem, quæ fit æqualibus, qui præcepit miſericordiam miſeris opportunam, dum ait: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.*

252. Porrò aliqui ſunt homines, Simile.
qui quamuis velint nolint vadant ad mortem, tamen ſi modum viuendi, ſi terrenum affectum conſideres, non ſunt aquæ tranſeuntes, aut deferentes ad cælum beneficia quibus afficiuntur, ſed magis cenſeri debent ſordida ſtagna hîc in terra quieſcentia. Non cogitant vani & mundani, & quotquot rebus terrenis afficiuntur, ex corde illud Pauli: *Non habemus hîc manentem* Hebr.
ciuitatem, ſed futuram inquirimus. 13, 14.
quin potiùs terra contenti, nullo cæleſtis gloriæ deſiderio tenentur, dicentes intra ſe: *Cœlum cœli Domino, terram* Pſalm.
autem dedit filijs hominum. Quidquid 113,16
beneficiorum talibus confertur, perit largitori, qui inde nullam mercedem expectare poteſt. vnde promiſſio memoriæ æternæ non eſt facta ſine diſcrimine omni illi qui commodat (talis enim etiam eſſe videtur qui hodie inuitatus, infra octiduum diuitem reinuitat) *ſed qui miſeretur & commodat*, & Pſalm.
qui mittit panem ſuum ad miſeros & 111,5.
egenos, tranſeuntes aquas tribulationum. Diuiti quidem compenſatio, ſoli autem miſero propriè dicta miſeratio fit,

ſit, quæ mereatur vt apud Deum ſit in memoria æterna.

253. Hinc notanter dixit Chriſtus: Lucæ 16,9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Diues diuitem inuitans fouet quidem, iuſtus verò qui miſeretur & commodat, & mittit panem ſuum ſuper tranſeuntes aquas, amicos facit. Mammona iniquitatis Caiet. appellantur diuitiæ (inquit Caietanus) eò quòd inæqualiter diuiſæ ſint. Itaque iniquæ hîc vocantur, non quòd illicitis medijs acquiſitæ, ſed inæqualiter diſtributæ ſint à Deo, vt pauperes per patientiam, ditiores per miſericordiam ſaluentur. Dum diues alium diuitem beneficijs proſequitur, ludit cum æquali; qui verò pauperi benefacit, mammona iniquitatis, id eſt inæqualitatis, ad conciliandum ſibi amicos miſericorditer diſtribuit. Et quia Prou. 19,17. *fœneratur Domino qui miſeretur pauperis, viciſſitudinem reddet ei.*

254. Si quis filium Regis hoſpitio ſuſciperet, qui abſoluto prandio eidem ſolueret hoſpitij ſui mercedem, nihil à patre Rege pro ſuſceptione filij in aula Simile. poſſet prætendere. Si autem benignè tractaſſet filium eius nudum, pauperem, ſpoliatum à latronibus, & nihil habentē quod ſolueret, an non hoſpes ille meritorius gauderet in ſinu, videns ſibi oſtium magnum apertum in aula per hanc occaſionem petendi & prætendendi magna? an non cogitaret, & ſibi firmiter perſuaderet, diem magis quæſtuoſum ſibi in vita illuceſcere Pſalm. 48,3. numquam poſſe? *Simul in vnum diues & pauper.* Omnes ſunt filij Regis cæleſtis. Qui diuiti beneficus eſt, à quo illi beneficia reciprocantur, quo titulo aliquid prætendet à Patre? Si verò pauperis filij Dei miſeretur, qui non eſſet pauper, niſi incidiſſet in latrones (omnibus enim cæleſtis Pater ſufficienter prouidit, ſed multi ſuperflua, quæ ad pauperes pertinent, iniuſtè detinent) fœneratur Domino dominantium, & Regi regum, qui viciſſitudinem reddet, nec vmquam obliuiſcetur beneficij Filio ſuo præſtiti: ſiquidem *in memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit,* &c. Amen.

DISCVRSVS XIX.

Miſericordia iuſtitia aſſociatur, quæ tunc laudabilis eſt, quando eleemoſynarius non vni ſolùm, ſed abſque partialitate diuerſis ſua bona diſpenſat.

255. MAGNA ſunt quæ Iſaias promittit ei qui frangit eſurienti panem ſuum, id eſt qui miſericordiam ſuam exercet. Inter alia autem ait: *Sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua.* Isaiæ 58,8. Nota, quòd dicat *citiùs orietur ſanitas.* Intrant diuerſi vulnerati in domum Simile. chirurgi, qui præ alijs emplaſtrum parat illi, à quo recordatur ſe olim pauperem & egenum fuiſſe ſuſtentatum. Ita Chriſtus, quem eleëmoſynarius in pauperibus pauit, citiùs curat cuius aliquando miſericordiam ſenſit. Promittit præterea iuſtitiam ei qui miſeretur & frangit egeno panem ſuum: *Et anteibit*, inquit, *faciem tuam iuſtitia tua.* ℣.8.

256. Notat hîc Adamus noſter, Adam. quòd Propheta iuſtitiam, qua reuerà iuſti ſumus, noſtram vocet, Paulus verò iuſtitiam Dei appellet, dicens: *Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu* Rom. 3,22. *Chriſti, in omni & ſuper omnes qui credunt in eum.* Explicat Auguſtinus Auguſt. in lib. de Spiritu & littera c. 9. Noſtra iuſtitia eſt, quia nobis inhæret; Dei

autem non ob aliam rationem, quam quòd ipſius largitate nobis ab illo donata ſit. Eo ſenſu hoc intelligi poteſt

Pſalm. 40,10. quod à Dauide dictum eſt: *Qui edebat panem meum, magnificauit ſuper me ſupplantationem*. Ex quibus patet, quòd peccatores pane Dei veſcantur. Sed contraria videtur petitio illa, qua in Oratione Dominica boni & mali orant panem ſuum ſibi dari, dicentes:

Matth. 6,11. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Item: *Cùm ſilētio operantes ſuum*

2.Theſ. 3,12. *panem manducent*. Si panis noſter eſt

Simile. quem comedimus, quomodo illius erit quem offendimus, & ſuper quem magnificamus ſupplantationem? Noſter eſt, quo nimirum intra nos ſuſtentamur; illius autem cui dicit Dauid:

Pſalm. 144,16. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*.

257. Eodem modo loquendi vtuntur Belgæ, quando fidelitatem ſuam domino cui ſeruiunt, aut benefactori cui aſtricti ſunt, profitentur, dicentes: *VViens broodt ick ete, vviens vvoordt ick ſpreke*. quod idem eſt ac ſi Latinè diceret: *Cuius comedo panem, illius defendo opinionem*. Rogare poſſet aliquis, quomodo hoc dicto non potiùs iniuſtitiæ & infidelitatis arguendi ſint.

Simile. Cùm enim iuſtus vnicuique rem ſuam relinquit, quomodo contra iuſtitiam non peccat, qui panem domini ſui præſumit & comedit? Reſpondeo, domini eſt dum pinſitur in furno, & apponitur in menſa; ſed dum à famulo ori ingeritur, maſticatur, & in ventriculum conijcitur, incipit eſſe etiam panis comedentis, qui idcircò ait eſſe panem eius cuius partes tenet, quia ex illius munificentia eum accepit.

258. In hunc modum iuſtitia, qua intus iuſti ſumus & ſanctificamur, no-

Iſa.58, 8. ſtra eſt. vnde Iſaias ait: *Anteibit faciem tuam iuſtitia tua*. & nihilominùs Dei eſſe dicitur, cuius miſericordia ipſam nobis impertitur. Porrò hæc iuſtitia ei promittitur, qui panem ſuum miſericorditer frangit, & egeno diſtribuit. vnde Dauid ait: *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi*. Eleēmoſynæ miſericorditer diſtributæ conſeruant animas per iuſtitiam à corruptione, quam peccatum in illa cauſat. Vt autem maior ſit huius rei fiducia, voluit Deus hoc aliquando ad oculum oſtendere in corporeis membris illorum, qui operibus miſericordiæ dediti fuerunt. Stupendū eſt, quod hac de re Beda Hiſt. Anglic. to. 3. c. 6. refert de Oſwaldo Rege mirabili eleēmoſynario, qui omnes ad palatium confluentes in atrio ſuſtentari curabat. Cùm enim aliquando aduentantium numerus maior eſſet quàm vt illi apparata diſtributio ciborum ſufficeret, ne quis vacuus dimitteretur, argenteam paropſidem eſcariam Regiæ ſupellectili detrahi curauit, cuius fragmentis ciborum defectum ſuppleuit. Hanc Regis munificam miſericordiam Aldamus (qui hilari huic datori tum fortè aderat) miratus, & manum illius oſculatus, eam Religioſo voto proſecutus eſt, dicens; *Tam prompta in dando manus non ſeneſcere non debet*. Reſpondit autem huic petitioni optatus effectus. Aiunt enim, quòd conſumptis ceteris corporis membris, manus eius integra tumulo aſſeruata, teſtimonium det aſpicientibus, quàm grata fuerit Deo aperta & extenſa ad pauperem.

Pſalm. 111,9.

Vener. Beda.

259. Notandum eſt autem occaſione illorum verborum, *Iuſtitia eius manet*, &c. ipſum opus miſericordiæ etiam appellari iuſtitiam, tum quia magna pars eſt iuſtitiæ generalis, quæ in ſe omnes virtutes complectitur; tum etiam quia iuſtitiæ & ſanctitatis eſt ℣. 9.

indi-

indicium. Sancti enim miſericordes ſunt, impij autem ſine vllo compaſſio-
Prouer. 12,10. nis ſenſu. Nam, vt ait Sapiens, *nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia*. Hinc fit, quòd in Scriptura opera miſericordiæ nobis commendentur ſub nomine iuſtitię. Sic intellige verba Chri-
Matth. 6,1. ſti: *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*. & Paulus: *Au-*
2 Cor. 9,10. *gebit frumenta frugum iuſtitiæ veſtræ*. Appellatur autem miſericordiæ ſiue eleëmoſynæ diſtributio iuſtitia, vt ait Commentator Ambroſiaſter, quem citat Eſtius in cap. 2. Corinth. 9. quia iuſtum eſt non ſibi ſoli retinere, quod omnibus datum eſt à Deo.

260. Hinc ſequitur, cùm hæc iuſtitia modo quodam loquendi reſpiciat illam quæ diſtributiua appellari ſolet, non ſatis exactè eam ſeruari ab eis qui ſua cumulatim ſic vni relinquunt, vt non leue indicium præbeant contem-
℣. 9. ptus aliorum. *Diſperſit, dedit pauperibus*, dicitur de illo cuius iuſtitia manet in ſæculum ſæculi. *Diſperſit*, inquam, more ſeminantis. vnde benè
Eſtius. notauit Eſtius, quòd hic verſus admoneat in multos potiùs beneficentiã extendendam in quantum opes ferunt, quàm (quod à quibuſdã imprudenter & minùs charitatiuè & ædificatoriè fieri multi mirantur) in vnum aut in paucos multa conferenda eſſe. Determinat igitur Apoſtolus prædictis ver-
S. Tho. bis (vt teſtatur S. Thomas in 2. Corinth. 9. lect. 2.) quibus ſit dandum, pauperibus ſcilicet: & modum quo diſtributio fieri debeat. Non enim ait, *dedit, donauit, legauit*, hæc enim vni, excluſis omnibus alijs, fieri videmus; ſed *diſperſit; quia non totum vni*, inquit, *ſed diuiſim multis*. Præſcripſit autem Spiritus ſanctus hunc beneficentiæ modum. vnde Paulus allegat auctoritatem Dauidis: *Abundetis*, in- 2 Cor. 9,8.
quit, *in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt*. Non eo modo quem fortè ſuggerent vobis homines ſeipſos amantes, qui ſic quærunt quæ ſua ſunt, vt omnes alij vacui tamquam morti deſtinati relinquantur, ſed *ſicut ſcriptum eſt*. Emphaticum videtur illud, *ſicut ſcriptum eſt*. modum autem à Spiritu ſancto præſcriptum in diſtributione bonorum in pijs legatis, & condendis teſtamentis referens, ait: *Diſperſit, dedit pauperibus*, &c.

261. Sicut peſſimi ſunt in Eccleſia Dei, qui politico fuco omnibus placere affectant; ita verè boni & iuſti non ſunt cenſendi, qui ceteris contemptis in vno ſolo Chriſtum eſurientem per ſuam beneficiẽtiam honorandum eſſe exiſtimant. Non videntur illi habere partem in reſurrectione prima, qua Chriſtiani reſurgunt à peccatis & paſſionum impulſibus, cuius formam nobis ipſe Chriſtus monſtrauit, qui medium locum inter diſcipulos, ex quo omnibus æquè propinquus erat, elegiſſe legitur. *Venit Ieſus, &* Ioan. 20,19.
ſtetit in medio, inquit Ioannes, *& dixit eis: Pax vobis*. & infrà: *Hæc cùm di-* ℣. 22.
xiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum. qui in medio diſcipulorum conſtitutus poſt mortem, diſtribuit Spiritum ſanctum. In vita medium locum elegit, quando miſericorditer aliquid diſtribuere volens, omnibus æquè propinquus erat.
Medius autem veſtrum ſtetit, quem Ioan. 1, 26.
vos neſcitis, inquit Ioannes. Et ipſe teſtatur ſe in medio illorum eſſe, qui ad poſtulandum aliquid ad eum accedunt. *Vbi enim ſunt duo vel tres con-* Matth. 18,20.
gregati in nomine meo, inquit, *ibi ſum in medio eorum*. Adminiſtrans autem panem animarum (ſiquidem *non in ſo-* Lucæ 4,4.
lo pane viuit homo) ſedit in medio Do-

ctorum.

ctorum. Clariùs autem poſt reſurrectionem docuit, medium locum ab eo debere occupari, cui benefaciẽdi eſt à Deo collata poteſtas. *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Qui verò habent ſubſtantiam huius mundi, officio manus, quæ omnia membra fouet, fungi debent. Ridiculus eſſet, qui collum & pectus ſtudioſè veſtiret, vnionibus ornaret, auro & argento oneraret, pedes autem gelu & frigori expoſitos, nudos ac diſcalceatos negligeret. Si non æqualem, aliqualem tamen curam habet de omnibus qui eſt fidelis diſpenſator bonorum Domini ſui.

Rom. 12.5.

262. Quòd rari ſint qui diſtributione diuitiarum ſeruant modum debitum, patet ex verbis Chriſti: *Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens*, inquit, *quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram?* De Prælatis intelligit Lyranus noſter parabolam, & tempus tritici, in quo debent cuilibet pro ſua capacitate diſtribuere menſuram debitam, putat eſſe tempus noui Teſtamenti, quando omnes fideles participare debent eum qui ſe grano frumenti comparauit, dicens, *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.* Chryſoſtomus autem, quem citat Toletus in cap. 12. Luc. annot. 78. ait non ſolùm Prælatis aut Doctoribus hanc parabolam conuenire, ſed etiam opulentioribus, qui ſunt diſpenſatores diuitiarum ſuarum, qui eas pro libito ſuo non debent diſtribuere. Nam, vt ait Caietanus, *diſpenſatio eſt actio recta rationis diſtribuentis.*

Lucæ 12.42. Ioan. 12.24. Chryſoſtom. Caiet.

263. Hinc patet, quòd diues in Eccleſia Dei ſit ſicut ſeruus primarius in aliqua familia à domino conſtitutus, qui aliorum ſeruorum debet curam habere, & ſingulis ſine perſonarum acceptione neceſſaria ex granario & penuario domini ſui diſtribuere. vnde Chryſoſtomus appoſitè explicat duo illa quæ Dominus in diſpenſatore requirit. *Fidelem*, inquit, *appellat, quia nihil ex rebus domini ſibi acquirit, nec incaſſum quidquam expendit. Prudentem autem, quia diſpenſare nouerit opportunè. Siquidem vtraque re nobis opus eſt: ne ſcilicet, quæ domini ſunt, ad proprios vſus rapiamus, & vt oportet omnia diſpenſemus: nam ſi alterum horum abſit, eius abſentiâ alterum omnino claudicat.* Verè claudicat, qui ceteris auerſus, ad vnum ſe conuerſum & propenſum in diſtributione bonorum ſuorum manifeſtat. Verumtamen notandum eſt, quod Spiritus ſanctus non dicat, *auerſi*, ſed *recti diligunt te.* Si ellychnium candelæ in hanc vel illam partem incuruetur, inutili ſtillicidio conſumetur cera, nec ordinatè lucebit, ſed potiùs inconcinnè coruſcabit flamma. Eodem modo, qui multis contemptis in vnum propendet cui omnia relinquit, vt ita fortè ſibi clariorem conciliet famam, bona ſua potiùs infructuoſè diſſipat quàm piè diſpenſat. Si autem ob rationabilem cauſam ſine auerſione inæqualis fiat diſtributio rerum, modò idem erga omnes ſit charitatis affectus, rectus eſt in amando, nec vituperabilis, ſed diſcretus cenſeri debet in diſtribuendo.

Simile. Chryſoſtom. Simile.

264. Quidquid ſit de hac re, ſaltem qui ordinatè & prudenter miſeretur & commodat, ab auditione mala non timebit, etſi moriens pro maiori parte legatorum, ob rationabilem cauſam, in vnam partem cadere contingat; ſi in vita fuerit diſpenſator fidelis & prudens, & indifferens ad omnes, propter communem affectum ſuum beneficum quem ijs exhibuit, magnum

ſui

ſui deſiderium poſt ſe apud omnes relinquet. videtur autem, quòd diſpenſator vndequaque fidelis & prudens ſit rara auis in terra. Patet hoc ex interrogatione Chriſti dicentis: *Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator?* &c. *Quærit autem hoc Dominus* (inquit Chryſoſtomus Hom. 78. in Matth.) *non quaſi fidelem & prudentem diſpenſatorem ignorans, ſed volens innuere raritatem rei.* Sic intelligendæ ſunt multæ interrogationes in Scriptura, vt notauit noſter Didacus Stella in cap. 12. Lucæ. qualis eſt illa: *Leo rugiet, quis non timebit? Quis aſcendet in montem Domini?* Plura huius rei teſtimonia extant apud Origenem Hom. 18. in Numeros, & Hieronymum in 3. cap. Amos, & in 4. cap. Zachariæ.

Chryſoſt. Didac. Stella. Amos 3,8. Pſalm. 23,3.

265. Porrò plures inueniri, qui videntur & appellantur miſericordes, quàm veros prudentes & fideles eleëmoſynarios, patet ex Sapiente. *Multi homines miſericordes vocantur*, inquit, *virum autem fidelem quis inueniet?* ac ſi dicat, Multi nomine & fama ſunt miſericordes, qui tamen ex defectu fidelis & prudentis diſtributionis reipſa miſericordiam non præſtant, cuius puritatem facilè violant, nimio fortè affectu obcęcati erga amicos & cognatos, quibus magnam bonorum partem, defraudatis pauperibus & veris miſeris, relinquunt: aut tam partiales in diſpenſando, vt cùm vni liberales & miſericordes videri volunt, alijs inhumanos & crudeles ſe exhibeant.

Prou. 20,6.

266. Nota. Etſi Deus vni dedit magnam bonorum abundantiam, relictis pauperibus in penuria & inopia, non tamen ideò permiſſum eſt diſpenſatori, vt ipſe pro libitu ſuo in vnum beneficia effundat, relicto altero. *Ego Sapientia effudi flumina*, inquit. quæ quomodo non in vnam partem inundare, ſed in omnes diſtribui debeant, ſubiungit: *Rigabo hortum meum* Hortorum præfecti vrna fuſoria diſtribuunt aquam ſuper terram, quæ per multa foramina in vna effuſione facilè in quinquaginta diuerſis terræ partibus diuiditur. Si enim immoderatè aquam effunderet, putreſierent potiùs herbæ & flores per aquas nimias, quàm ſuccreſcerent. In hunc modum prudens & fidelis diſpenſator bonorum ſuorum, non debet vnam partem Eccleſiæ inundare facere bonis & diuitijs, & alteram ſiccam relinquere, ſed ſparſim rigare.

Eccli. 24,40. ℣. 41. Simile.

267. Ex partialitate & inæqualitate diſpenſationis bonorum, quæ maximè à Prælatis aliena eſſe debet, ſequitur ſæpè animorum diuiſio in miniſtris, quos decet eſſe vnanimes, idipſum ſentientes, vt communi impetu & fraterna conſpiratione, communem hoſtem generis humani charitate vniti fortiùs inuadant. Paulus, qui in præfatione omnium Epiſtolarum ſolebat dicere, *Gratia vobis & pax*, ſcribens Timotheo, qui erat Epiſcopus Epheſi, mutauit conſuetam formam, dicens: *Gratia, & miſericordia, & pax.* Rupertus exiſtimat, Paulum dilecto ſuo diſcipulo miſericordiam commendare, eò quòd in obiurgando & puniendo æquo eſſet ſeuerior. Solent enim iuuenes Prælati (vt hîc notat A lapide) inexperti acriores ſe exhibere, adeò vt velint ſtatim omnia in momento reformari. Et notandum eſt, quòd qui in principio impetuoſiùs agunt, citò fatigati ſuccumbunt facilè rei difficultati, & tepeſcunt. Quod etiam Timotheo accidiſſe, teſtis eſt Hugo Cardinalis, quem putat fuiſſe Angelum Epheſi reprehenſum à Chriſto Apocal. 2. eò quòd charitatem primam amiſiſſet. Cùm enim videret quòd con-

Phil. 1,2. 1. Tim. 1,2. Rupert. Hugo Cardin.

concionando parum proficeret, decreuit deſiſtere, adeò vt indigeret monitione Pauli dicentis: *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè.* Vt enim fons manat ſemper, etſi nullus ſit qui venit aquatum (quæ eſt ſimilitudo Chryſoſtomi Homil. de Lazaro & diuite) ita Epiſcopus verbum Dei prædicare debet, etiamſi pauci illud audiant.

2.Tim. 4,2. *Simile.*

268. Sed ad propoſitum noſtrum, non ſolùm ideò Paulus diſcipulo ſuo commendat miſericordiam, vt acrimoniam illius temperet, qua in peccãtes adhuc iuuenis exardeſcebat, ſed, vt etiam addit Rupertus in 1. Apoc. *commendat ei miſericordiæ opera & hoſpitalitatem, quod vt Epiſcopi obſeruent, qui conſtituti ſunt animarum præſides, neceſſarium eſt.* Notandum hîc eſt, miſericordiam hanc tali ordine ei commendatam eſſe, vt ex ea pax ſperari poſſet. *Gratia, & miſericordia, & pax,* inquit. Hanc pacem inter egenos facilè obtinent, qui in diſtributione bonorum ſuorum ſe non exhibent nimis partiales. Patienter ferunt mendici, dum ſingulis aliquid datur, etſi vnus altero pinguiorem portionem recipiat; non ſic, ſi communium bonorum diſtributor, quatuor, quinque vel pluribus omnino neglectis, vni totum profundat, cuius partes ſibi ex inſtitutione fundatoris deberi putant. Qui igitur vult vt iuſtitia eius maneat in ſæculum ſæculi, & ab auditione mala ſecurus eſſe, prudenter & fideliter miſereatur & commodet, ac illius imitetur pietatem, qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & pauperes & debiles & claudos ſine delectu, non diuites, ad conuiuium vocari voluit, &c. Amen.

Rupert. *Simile.* Matth. 5,46. Lucæ 14,13.

DISCVRSVS XX.

Peccator miſereri debet animæ propriæ, cuius deſolatam ſterilitatem pœnitentia reparat, quæ etiam fructus bonorum operum per peccatum mortificatorum reuocat ad vitam.

269. QVEM ADMODVM impoſſibile eſt, vt quis alium oleo inungat, niſi ipſius manus impinguetur; ita nullus alteri verè miſericors eſt, qui ſibi ipſi inhumanus & crudelis exiſtit. vnde benè ait Sapiens: *Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* Loquitur de auaris, qui ſibi neceſſaria negant & ſubtrahunt, vt accumulent diuitias alijs, quibus tamen ſaltem ex intentione miſericordes non cenſentur, cùm ſibi irrationabiliter duri ſint, vt notauit Hugo Cardinalis. Præter intentionem alijs boni videntur, quandoquidem eis poſt hanc vitam diuitias, quas non audebant attingere, relinquant. de quibus intellige illud Sapientis: *Eſt quaſi pauper, cùm in multis diuitijs ſit.* item: *Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias ſuas, dabit ipſe ditiori, & egebit.* item: *Auarus non implebitur pecunia; & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas eſt.* Incipit auarorum pœna in hoc mundo, de quo iterùm ait Eccleſiaſtes: *Vir, cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, &c. nec tribuit ei poteſtatem Deus vt comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud. hoc vanitas, & miſeria magna eſt.*

Simile. Eccli. 14,5. Hugo Card. Prou. 13,7. Prou. 22,16. Eccle. 5,9. Eccle. 6,2.

270. Auarus igitur ſibi nequam etſi ex intentione nulli bonus ſit, alijs tamen præter intentionem prodeſt per inordinatũ diuitiarum affectum, quibus illæ poſt obitum eius cedunt. Prodeſt.

Digitized by Google

deſt etiam auarus dæmoni, cui relin-
Eccli. quit animam ſuam. vnde dicitur: *Si*
18,31. *praſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Auarus multa negans appetitui ſuo vt parcat pecunijs, concupiſcentiam & radicem omnium malorum reſeruat animæ ſuæ, auaritiam ſcilicet.

271. Nota, quòd Sancti ex magna miſericordia ſibi duri ſint, vt alijs blandi eſſe poſſint; quia ſeipſos in commodis corporis negligunt, vt egenis ſuccurrant. Sed qui hoc modo alijs eſt bonus & miſericors, non eſt ſibi nequam nec crudelis. Quod enim ex charitate ſubtrahit ventri, dum egeno ſuccurrit, cum magno fœnore menti tribuit ad ſpiritualem eius profectum, vnde miſeretur animæ ſuæ, verè pla-
Prou. cens Deo. Nam *qui negligit damnum*
12,26. *propter amicum, iuſtus eſt.* Hoc de corporali damno ex charitate pro conſolatione proximi neglecto intellige.

272. Vult autem Deus, vt homo ita miſereatur animæ proximi ſui, ne minimum damnum ſua patiatur. vnde
S. Tho. docet S. Thomas 2.2. q.43. a 7. ad 5. quòd quilibet ſeipſum præferre debeat in bonis ſpiritualibus cuilibet proximo, etiam ſuperiori, imò & to-
Auguſt. ti communitati. Idem docet Auguſtinus in Pſalm. 5. & communiter omnes Sancti: clara enim nimis ſunt ver-
Matth. ba Chriſti: *Quid prodeſt homini ſi vni-*
16,26. *uerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?* Quare Auguſtinus loco citato docet, ne minimum quidem mendacium eſſe proferendum, etſi ex illo omnium ſalus eſſet emanatura. Hinc benè docet idem S. Thomas, implicare, quod quidam dixerunt, peccatum veniale fieri poſſe ad vitandum ſcandalum aut graue peccatum, ſicut homines ſimplices aſſerunt, quòd mendacium rei melioris gratia prolatum licitum ſit. Si enim licitum eſt aut fieri poteſt, quomodo malum aut peccatum erit?

273. Quemadmodum igitur auarus, qui ſibi nequam, nulli bonus aut miſericors eſt, ex intentione ſcilicet; ita qui ſibi in rebus ſpiritualibus nequam & crudelis eſt, nulli alteri ex vera intentione miſericors eſſe poterit, ad vtilitatem nimirum animæ propriæ. Vnde Bernardus lib. 1. de Con- Bernar.
ſideratione ad Eugenium, *Si maledictus*, inquit, *qui partem ſuam facit deteriorem, quid ille, qui ſe penitus reddit expertem?* Illi igitur miſericordes beatificandi ſunt, & miſericordiam conſequentur, qui in animam propriam non ſunt crudeles, ſed vt placeant Deo, illius præ ceteris miſerentur.

274. Porrò magna eſt peccatoris miſeria ſalutem propriam negligentis.
Nam *iuſtitia eleuat gentem, miſeros au-* Prou.
tem facit populos peccatum. Quid mi- 14,34.
rum, cùm hominem omnibus ſpoliet bonis, & trahat ad infernum? Audi in vno peccatore omnium deplorandam
conditionem. *Miſer factus ſum, &* Pſalm.
conturbatus ſum, tota die contriſtatus 37,7.
ingrediebar. Meritò miſer peccator in- Simile.
curuatus cenſeri debet. Pro quo nota, quòd in omni re curua, ſupremitas propendeat & inclinetur ad partem eius inferiorem. Eodem modo mens & ratio peccatoris, quæ eſt pars ſuperior hominis, non ſapit quæ ſurſum ſunt, ſed inclinatur ad carnem, & quærit quæ ſunt ſuper terram.

275. Miſeria peccatoris ex multis probari poteſt, maximè autem in eo conſiſtit, quòd fructibus omnium bonorum operum priuatus, & gratia Dei
deſtitutus ſit. vnde ait Propheta: *Ve-* Iſa.47,
nient tibi duo hæc ſubitò in die vna, ſte- 9.
rilitas & viduitas. Ad litteram hæc intelliguntur de Babylone, quæ pro-

pter populi relegationem ſterilis, & deſtituta præſidio Regis, vidua effecta eſt. Myſtico ſenſu idem de peccatore dicendum eſt, qui non tantùm ſpoliatus fructibus bonorum operum, quos aliquando peperit tamquam filios, ſed per peccatum ſterilis eſt effectus, & gratioſa cooperatione deſtitutus illius, qui dixit: *Sine me nihil poteſtis facere*; *qui operatur in nobis*, non tamen ſine nobis, *velle & perficere pro bona voluntate*, quam peccator non habet, quamdiu manet, & quatenus talis eſt.

Ioan. 15,5. Phil. 2,13.

276. Eſt quidem hæc ſterilitas animæ reparabilis in hac vita; ſed ſi in peccato diſcedit, deſperata erit, quia ſine ſpe reconciliationis à ſponſo ſuo derelinquetur, qui feret ſententiam perpetui diuortij, dicens: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*. Quod ipſum Chriſtus clarè teſtatur, dicens: *Operamini dum dies eſt, venit enim nox, in qua nemo poteſt operari*. Nox, eſt tempus futuræ vitæ, de quo dicitur: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* &: *Ligatis manibus & pedibus proijcite eum in tenebras exteriores*. quibus verbis ſignificatur, *quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia erunt apud inferos*. Ne igitur deſperata illa ſterilitas & viduitas æterni diuortij ſubitò veniat nobis, dum hìc viuimus, miſereamur animæ noſtræ, vt Deo placere, & cum illo in gratiam redire poſſimus.

Matth. 25,41. Ioan. 9,4. Pſalm. 6,6. Matth. 22,13. Eccle. 9,10.

277. Etſi anima peccatrix in hoc mundo non ſit omnino deſperata & derelicta, tamen vidua eſt valdè miſera, quæ nihil conſolationis recipit à fructibus bonorum operum & laborum ſuorum. Non enim proſunt bona opera quæ ſubſequens peccatum mortificauit, niſi per pœnitentiam iterùm reuiuiſcant. vnde non incommodè huic propoſito adaptari poſſe videntur verba Iſaiæ, dicentis: *Non eſt qui ſuſtentet eam ex omnibus filijs quos genuit, & non eſt qui apprehendat manum eius ex omnibus filijs quos enutriuit*. Parentes ſenes à filijs ſuſtentari eiſque inniti ſolent: vnde antiquitas Pub. Cornelio Scipionis nomen indidit, eò quòd parens ei quaſi ſcipioni inniteretur. Hoc ſenſu non ſemel mater Tobiæ appellauit filium ſuum baculum ſenectutis ſuæ. Deſcribit igitur Propheta ad litteram miſeram Ieroſolymitanæ Reipublicæ conditionem, ſub typo mulieris cui filij non deſunt, ſed non aliter ac ſi mortui eſſent, omnium eſt deſtituta ſolatio.

Iſa. 51, 18. Tob. 5, 23, & 10,4.

278. Eſt autem notandum, quòd mulier hoc modo derelicta à filijs, peioris ſit conditionis quàm ſi numquam concepiſſet aut peperiſſet. Ideò ſubiungit Propheta: *Duo ſunt quæ occurrerunt tibi*, &c. *fames & gladius; quis conſolabitur te?* Eleëmoſynarij prouident pauperculæ viduæ, quæ à filijs non poteſt iuuari; ſi quis autem eos crudeliter tractat, & captiuos detinet à quibus abundè ſuſtentari poſſet, quis miſerebitur eius? Certè ab eleëmoſynarijs nihil ei ſperandum eſt, à quibus miſericorditer prouidetur ſterili quæ numquam peperit. Iuſtitia ciuilis non animaduertit in ſteriles quæ numquam genuerunt, ſed quæ partus enecarunt, extremo ſupplicio afficiendas iudicat. Ita iuſtitia Dei non ſæuiet in paruulos, qui poſt Baptiſmum nihil boni fecerunt, nec abijciet illos tamquam ſteriles, ſed potiùs miſericordia Dei ſuſtentabit eos ex meritis Chriſti, & communi ærario Eccleſiæ; qui autem poſt Baptiſmum multos bonorum operum fructus enixi ſunt, quos peccatis ſuis interfecerunt, eos non paſcet quidem ex ærario & communi theſauro Eccleſiæ, quinimò potiùs

℣. 19. Simile. Simile.

tiùs æternæ mortis reos pronuntiabit, quandoquidem in poteſtate illorũ eſt, vt fructus, quos peccando interemerunt, per pœnitentiam reuocent ad vitam. Quo ſupplicio non debet dignus cenſeri, qui cùm poſſit, nollet Regis filios, quos occidit, ad vitam reuocare, ſciens tamen hoc modo benignum Regem ſibi propitium fore? Opera bona non tam noſtra ſunt, quàm illius cui dicitur: *Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera noſtra operatus es nobis*. Quale igitur ſcelus is committit, qui peccando ea occidit? & quo iure ſperabit miſericordiam, qui, contempto Deo bonorum operum noſtrorum progenitore, recuſat ea priſtinæ vitæ reſtituere per pœnitentiam?

Simile.

Iſa. 26, 12.

279. Multum auget damnatorum triſtitiam recordatio bonorum operum & laborum, quæ illis per peccatum omnino inutilia facta ſunt. Similes ſunt infeliciſſimæ matri omnino depauperatæ, cuius filij illam nec bolo panis, aut minimo verbo conſolationis dignantur, ipſa interim recogitante, quanta paſſa ſit olim, dum eos in vtero geſtaret, quanto dolore lacerata fuit dum pareret, & quot ſollicitudinibus diſtracta dum eoſdem lacte nutriret, & ad prouectiorem ætatem educaret. Tunc ſerò cogitabunt, in primis opera bona ad ſalutem fuiſſe neceſſaria, deinde non ſufficere ea aliquando in bono ſtatu ab hominibus facta eſſe, ſi poſteà ex illorum negligentia per peccata ſunt corrupta & interfecta. Sicut enim corpus non paſcitur niſi carne animaliũ occiſorum, & fructibus à vitali ſuo principio decerptis (nullus enim pomum aut pyrum manducat arbori adhuc & ramis, vnde vitam & incrementum ſumit, adhærens) ita econtrà nemo paſcitur niſi viuis bonorum operum fructibus.

Simile.

Diſſimile.

280. Pro quo nota, ſola illa opera hominem conſolari poſſe, quæ tempore mortis quodammodò per actus vitales vitam ſibi ineſſe manifeſtant. *Beati mortui qui in Domino moriuntur* (inquit Ioannes) *amodò iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos*. Nihil quod vita omnino deſtitutum eſt, incedere aut herum ſuum ſequi poteſt: nam etſi aliquid poſſit eſſe ſine vita, tamen non poterit moueri. Requiritur ergo vita in operibus quæ mortuum comitari debent, vt ſicut illi qui bona fecerunt, ita quoque bona, quæ ab ipſis facta ſunt, dicere quodammodò poſſint: *In ipſo viuimus, mouemur & ſumus*.

Apoc. 14, 13.

Act. 17, 28.

281. Adde, quòd opera quæ proſunt ad ſalutem, & conſolantur auctorem ſuum, debeant eidem vt domino eſſe ſubiecta, non aliter quàm pediſſequus domino ſubijcitur, quem vbique præeuntem ſequitur. vnde notanter ait Ioannes: *Opera enim illorum ſequuntur illos*. Bona autem opera relinquunt auctorem, qui peccando, quantum eſt in ſe, occidit illa, ac proinde ſicut famuli, crudelitatis dominorum pertæſi, fugiunt eum. vnde benè monet Sapiens: *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena*. Fugitiua illa opera per peccatum ex anima factoris deueniunt modo quodam loquendi ad domum, & incidunt in manus crudelis diaboli, qui ijs ſicut ſus putridis & corruptis fructibus paſcitur.

Simile.

℣. 13.

Simile.

Prou. 5, 9. 10.

Simile.

282. Ex his patet, quàm magna ſit miſeria animæ peccatricis orbatæ fructibus bonorum operum. Reſtat igitur, vt peccator miſereatur eius, &

Digitized by Google

placeat Deo, qui nullum ſine fructibus bonorum operum admittet ad cælum Beatorum, & ad denarium ex conuentione ſolis operarijs promiſ-
Matth. 20,8. ſum. *Voca operarios*, inquit, *& redde illis mercedem*, &c. In hoc autem conſiſtit miſericordia quam animæ ſuæ præſtare debet peccator, vt curet fructus bonorum operum, qui per peccatum facti ſunt profugi, imò latent in domo aliena occiſi, reſuſcitari, vt ad auctorem ſuum reuertantur. Quomodo autem hoc debeat fieri, indicat
Matth. 3,8. Ioannes Baptiſta, dicens: *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.*

283. Non eſt mirum, quòd Ange-
Lucæ 15,10. li in cælis gaudeant *ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Pace omnium bonorum operum dixerim, veram pœnitentiam peccatoris in hoc virtutibus ceteris præſtare, quòd non tantùm ei præſtet vitam, ſed etiam omnia opera mortificata reſuſcitet. Conſtans enim eſt Theologorum doctrina, quòd pœnitentiæ actus, qui eſt efficax deteſtatio peccati, per ſe requiratur ad iuſtificationem. Etſi enim caſu inculpatæ obliuionis aut ignorantiæ ſufficiat amor Dei ſuper omnia, hoc non fit ob aliam rationem, niſi quòd talis amor virtute includat illum pœnitentiæ actum, efficacem ſcilicet deteſtationé peccati. Eſt hæc doctrina Scoti in 4.
Scotus. diſtinct. 14. q. 1. a. 3. & aliorum, quos latè citat & ſequitur Suarez diſp. 9. de pœnitentia, ſect. 1. Non ignorant Angeli hanc pœnitentiæ prærogatiuam, cui hoc ſpeciale eſt vt iuſtificet impium, eiuſque opera extincta ad vitam reuocet, ideò ſpecialiter gaudent ſuper vno peccatore pœnitentiam agen-
Simile. te. Imaginare impiam & crudelem matrem, in medio multorum filiorum ab ipſa interemptorum, fœdatis & cruentatis manibus, plenam apprehenſione aduentantis iudicis ſedentem, quæ cùm eſſet grauida, ex terrore ſuppliciorum quæ tale ſcelus expiare deberent, ita commota fuit, vt irruerent in eam dolores partus. Cuius natus puer à Deo tanta gratia donatus eſſet, vt ſuo attactu omnes alij filij miſerè occiſi ad vitam reſuſcitaret, & hoc modo infelix mater liberaretur à morte crudeliſſima, qua erat afficienda: an non meritò omnes amici eius illi gratularentur partum tantæ felicitatis? Quid mirum igitur, ſi Angeli gaudent in cælis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, qui peccando omnes fructus bonorum operum interfecit, quos per pœnitentiam ad vitam reuocans, ſeipſum ab æterna damnatione & morte liberauit?

284. Cùm igitur anima peccatrix orbata ſit viro ſuo, & deſtituta omnium filiorum ſuorum ſolatio; meritò pœnitet & incedit lugens & dolens: nam hoc modo & reconciliatur ſponſo ſuo, quem à diuortio reuocat ad amplexus ſpiritualis coniugij, & præterea iterùm numeroſa prole bonorum operum gaudet, adeò vt de illa dici poſſet Deo: *Vxor tua ſicut vitis* Pſalm. 127, 3.
abundans, in lateribus domus tuæ. ipſi autem conuerſæ peccatrici: *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* ℣. 4.

285. Porrò cùm anima per peccatum non ſolùm infructuoſa ſit & ſterilis, ſed etiam vidua, rationi conſonum eſt vt ſit deſolata. Mortuo marito Simile. honeſta matrona luget habitu exteriori, abſtinet à frequentatione ludentium, non inuenitur in conuiuijs, longè abeſt à tripudijs & cantilenis; verteretur enim illi vitio, & omnibus eſſet notabilis, ſi tunc veſtibus coloratis induta aut mundo muliebri appareret ornata. Quis ferat honorem, qui ho-

Digitized by Google

homini mortuo exhibetur, Dei Filio, à
nobis per peccata interempto & cruci-
fixo, negari? Peccauerant olim Iſraëli-
tæ, quibus Moyſes ex mandato Dei
Exod. ait: *Iam nunc depone ornatum tuum,*
33,5. *vt ſciam quid faciam tibi.* Non omnes
eodem modo hæc verba intelligunt.
Lyran. Rabbi Salomon, quem hîc citat Lyra-
nus noſter, putat per ornatum non in-
telligi pretioſa veſtimenta quæ iam
depoſuerant, vnde ſtatim anteà dixit
ỹ.4. Moyſes, *Populus luxit, & nullus ex*
more indutus eſt cultu ſuo; ſed coronu-
las, quas ſibi principales de populo
impoſuerant in die qua legem accepe-
runt. Putabant enim per eam ſe Deo
deſponſari, & ideò fuerunt coronati ad
modum ſponſæ. Non probat hanc ſen-
Bonfre- tentiam Bonfrerius, qui dicit, Rabinos
rius. hîc more ſuo ſomnia vendere. Quid-
quid ſit de hac re, certum eſſe videtur,
ornatum aliquem iucunditatis & læ-
titiæ ac ſymbolum deſponſationis cum
Deo hîc Hebræis interdictum eſſe,
cùm illis magis luctus conueniret,
propter peccata in Deum commiſſa.

286. Nota, gaudere, epulari, ride-
re, ſunt externa indicia, quibus ſigni-
ficari videtur te cum Deo amicitia
iunctum eſſe. Non ergo conuenit ille
ornatus peccatoribus, ſed iuſtis. nam,
Prou. vt ait Sapiens, *gaudium eſt iuſto face-*
21,15. *re iudicium.* Quòd autem lugubri ve-
ſte deceat peccatorem eſſe pullatum,
Rom. indicat Paulus dicens: *Tribulatio &*
2,9. *anguſtia in omnem animam hominis*
operantis malum. Cogita igitur, quòd
Exod. tibi præcipiat luctum, & dicat: '*Depo-*
33,5. *ne ornatum*, &c. *vt ſciam quid faciam*
tibi. quod idem eſt ac ſi diceret: Luge, &
dignos fac pœnitentiæ fructus, vt viſo
tuo dolore, & cognita pœnitentia, de-
cernam qualem pœnam infligere de-
beam. Non quòd Deus aliquid de
nouo cognoſcat, ſed ſignificatur his
verbis, quòd ex populi mutatione hu-
miliantis ſe coram illo, appareat quid
ſecundùm miſericordiam eidem fieri
conueniat. Vel etiam poteſt illud ver-
bum, *Vt ſciam quid faciam tibi*, eo ỹ.5.
modo intelligi, quo olim dictum eſt
Abrahæ: *Nunc cognoui quòd timeas* Gen.
Deum. vt ſit ſenſus, Depone ornatum, 22,12.
& luge, vt te ſcire faciam quæ tibi fa-
cturus ſum. Nam *qui lætantur cùm* Prou.
malè fecerint, hoc ignorare videntur. 2,14.
ſi enim memores eſſent iudiciorum
Dei, non lætarentur in peccatis, imò
nec peccarent quidem, cùm ſcriptum
ſit: *In omnibus operibus tuis memora-* Eccli.
re nouiſſima tua, & in æternum non pec- 7,40.
cabis. Monendi ſunt igitur à Deo, vt
deponant ornatum, & luctum ſibi fa-
ciant, & planctum amarum, vt Deus
ſciat, id eſt vt illos ſcire faciat, quid ſibi
futurum ſit. Nam, vt habet commune
prouerbium, *imprudentia non doce-*
tur. vnde benè dixit Eccleſiaſtes: *Cor* Eccle.
ſapientium vbi triſtitia eſt, & cor 7,5.
ſtultorum vbi lætitia. Si igitur peccator
vult animæ ſuæ miſereri, ad ſalutarem
conuertatur luctum, vt ira placens
Deo, ab illo inſtruatur ad ſalutem, &c.
Amen.

DISCVRSVS XXI.

*Sibi grauis eſt, qui ſe proximo cru-
delem exhibet; iucundus autem,
qui miſeretur, & aliorum offen-
ſas diſſimulat, quia ſuarum re-
miſſione gaudet.*

287. BENE dixit Dauid (vt in
præcedentibus aliquã-
do oſtenſum eſt) quòd
iucundus homo qui mi- Pſalm.
ſeretur & commodat. quod quidem ad 111,5.
litteram intelligi debet de eo qui ege-
nis & pauperibus miſericors eſt, nihi-
lominus meritò etiam hilaris eſt, quia
omni-

omnibus gratus, qui per facilitatem & manſuetudinem miſericorditer diſſimulat aliorum moroſitates, & inconditos agendi mores: ſicut è contrario duri & intractabiles omnibus exoſi, tabeſcunt mœrore, quia opprobrijs lacerantur. Nam *qui qua vult dicit, qua non vult audiet*. Refert Guicciardinus altercationem quamdam inter hominem mordacem nomine Philippum, & Catulum quemdam aſtutum, & in componendis & adinueniendis dicterijs promptum valdè. Philippus autem cholera percitus incompoſitè contra Catulum inſurgens, dixit: *Quid latras canis?* Cui Catulus: *Quia furem video*. Non tantùm inter ſuperbos, ſed etiam inter impatientes, quorum vnus alterius onera portare recuſat, ſemper iurgia & inquietudines ſunt.

Guicciard.

288. Sibi magnum malum parat, qui paruum ab altero per inaduertentiam fortè illatum, aliquando clauſis oculis non diſſimulat. Qui irritat canem leuiter pro ſua conſuetudine frementem, latratus illius ferre, imò eumdem ad mordendum dentes parantem pati cogetur. Eodem modo non morderet aliquando maleuolus detrahendo, ſi leuia quædam murmura non fuiſſent nimia acrimonia repulſa. *Si inuicem mordetis, & comeditis*, inquit Paulus, *videte ne ab inuicem conſumamini*. Morſu nocumenta minora, comeſtione autem maiora ſignificantur, inquit Caietanus. Inuicem mordetis, verbis malis iniuriando, dicit Lyranus: comeditis autem, crimina objiciendo. vnde Ambroſius pro *comeditis* legit *criminatis*. Qui mordet, non totum aufert; ſed qui comedit, nihil de fama proximi relinquit.

Simile. Gal. 5. 15. Caiet. Lyran. Ambr.

289. Impatientes igitur, dum parua incommoda miſericorditer pati nolunt, magna ſibi parant, quia non habet amicum in cælis, qui vel vni ſe inimicum præſtat in terris. Obiecit Deus quibuſdam crudelitatem ſuam, dicens: *Omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis*. In ſcholis Theologorum illi benè ſolent ſoluere argumenta aduerſariorum, ac ſtabilitis proprijs ſententijs, cum honore diſputationibus finem imponere, qui promptè repetunt obiectiones, dicendo: Sic argumentatur, &c. vnde nihil frequentius audiri ſolet ab ijs qui diſputationibus præſunt, quàm vt ſuos reſponſales animent ad reſumenda argumenta, dicentes, Animosè repete chariſſime, &c. In ſchola verò Chriſti illi præ omnibus alijs obtinent palmam, qui iniurias non ruminant, ſed obliuiſcuntur. Talis erat Dauid, qui dixit: *Ego tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum*.

Iſaiæ 58, 3. ℣. 4. Pſalm. 37. 14.

290. Tota dexteritas diſputantium, & ſententias ſuas in ſcholis defendentium, in eo ſita eſt, vt, facta repetitione, obiectiones ab aduerſarijs propoſitas aut animosè negent, aut doctè in oppugnantem retorqueant. In ſchola verò Chriſti monentur diſcipuli, vt iniurias ſibi obiectas miſericorditer diſſimulent. vnde Paulus ait: *Non vos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ*. Non vult Deus vt memoriam eorum, quæ contra te aut dicta ſunt aut facta, retineas, ne inde exciteris ad eorum commemorationem. Non amat ille eos qui reſumunt talia, quæ obliuione deberent ſepeliri. Ex magna crudelitate Chaldæi oſſa mortuorum effoderunt, vt teſtatur Ieremias, dicens: *Eijcient oſſa regum Iuda, & oſſa Principum eius*, &c. Eodem modo ex defectu miſericordiæ contingit nō rarò, vt homo cupidus vindictæ, retineat non modò,

Simile. Rom. 12, 19. Ierem. 8, 1.

Digitized by Google

modò, ſed etiam ſæpè repetat & refricet memoriam malorum præteritorum quæ aliquando paſſus eſt. Exoſus meritò eſt talis Deo & hominibus, de quo Belgæ noſtri dicere ſolent: *Hy haelt altoos de oude koeyen vvt de gracht.* id eſt, *Reſumit lites, quæ ſopita eſſe debebant.*

291. Conſulit Chriſtus, vt miſericorditer temperemus iuſtitiæ rigorem, & litigioſa negotia non facilè reſumamus, dicens: *Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* Poſſunt hæc verba diuerſos ſenſus admittere. Primò igitur prohibetur illis, ne quis, quod ei ablatum eſt, priuata auctoritate per violentiam repetat. Non enim hoc licet. Secundò conſulitur, vt miſericorditer diſſimulemus potiùs iniuriam & iniuſtitiam quæ nobis facta eſt, quàm vt pro illius reparatione nimis tumultuosè cum aliquo ſalutis noſtræ diſpendio inſtemus. Igitur ſicut Magiſtri noſtri gaudent, ſi in diſputationibus, quibus præſunt, repetitorem loquaculum nacti ſunt, qui ſingula obiecta reſumat & refutet: ita Chriſtus mauult vt ſui diſcipuli miſericorditer oppugnantes ſuos tractent, adeò vt ſi poſſint, tamen illos nolint confundere. vnde ait: *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

Lucæ 6,30.

Rom. 12,19.

292. Qui hoc modo miſericordes ſunt, meritò in pace & conſcientiæ ſerenitate viuunt; habent enim ſibi Deum propitium, qui faciet cum tentatione, quam patiuntur ex malorum iniuſta oppugnatione, prouentum. Parum enim illis ab hominibus detrahitur, & multùm eis à Deo confertur. Promiſit enim inprimis omnium debitorum relaxationem, eis qui debita proximis ſuis miſericorditer dimittunt. *Dimittite,* inquit, *& dimittemini.* Nota autem, quòd nullus relaxetur debitis, quin conſequenter ditetur diuitijs ſpiritualibus. Non enim dimittuntur peccata per ſolam non-imputationem, ſed per gratiæ remiſſiuæ collationem. Semper rei magis depauperati redeunt ad domos ſuas, dum ex carceribus à iudicibus huius mundi dimittuntur, quibus ſufficit quòd iuſtè relaxentur, etſi fortè innocentes fuerint comprehenſi. Rarò enim iudices, ſi tamen aliquando, reparant incommoda quæ rei ex comprehenſione propter lucrum ceſſans aut damnum emergens paſſi ſunt. Aliter res ſe habet erga reos læſæ Maieſtatis diuinæ, qui poſt pœnitentiam relaxati à debitis, ſæpè pluribus diuitijs cumulantur, & ditiores fiunt & reſurgunt, quàm erant ante lapſum.

Luc. 6, 37.

Simile.

293. Porrò hoc certum eſt, quòd nullus ſit miſericors qui expeditur debitis, quin etiam à Deo ditetur multis bonis, & gaudeat ſerenitate conſcientiæ, ac teſtimonio ſancti Spiritus, quibus moraliter certificetur quòd ſit heres cæli. *Ipſe enim ſpiritus,* vt ait Paulus, *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti.* Cùm hoc ita ſit, non debet mirum videri, ſi miſericordes ex tali teſtimonio exhilareſcant, *ſpe gaudentes, in tribulatione,* quam ab inimicis ſuſtinent, *patientes.*

Rom. 8,16.17

Rom. 12, 12.

294. Refert antiquitas, quòd Vincentius Peſcionius, qui fuit nobilitate famoſus, quodam die cum alijs conferens, rogatus de ætate ſua, vt eam adhuc floridam indicaret, reſponderit, *Sanus ſum.* Alteri verò de diuitijs eius inquirenti, dixerit, *Nihil debeo.* Indicabat igitur, illum iuuenem habẽdum eſſe qui ſanus; eum autem diuitem prædicari poſſe, qui abſque debitis eſt. Non eſt hoc ſemper verum apud homines. Nam ſanus erat Moyſes, de quo

Deut. 34.7. quo dicitur; *Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt*, non tamen ideò non erat ſenex, nam, vt præmittitur, Ibid. *Moyſes centum & viginti annorum erat.* Quòd autem nemo ſtatim cenſendus ſit diues qui nihil debet, facilè probatur. Nam Fratres Minores ſicut ſecundùm ſui ſtatus exigentiam pauperes, ita debitis immunes ſunt. Implicat enim vt quis dominij incapax nihilominùs poſſet iuridicè debitis aſtringi. Simile. Item mercator qui ceſſit foro, compoſitione facta cum creditoribus, excluſa fraude & malitia, nihil amplius debet, non tamen ei media relinquuntur quæ ſufficiant ad diuitias, etſi fortè ex priuilegio emporij, in quo negotiari ſolet, quædam ei relinquantur, quæ ad tenuem ſui ſtatus ſuſtentationem neceſſaria eſſe iudicantur.

295. Miſericors autem diues (vt dictum eſt) cenſeri poteſt: quia cùm nihil debeat, gratia & amicitia Dei donatus prætendit ius ad æternam hereditatem titulo filiationis diuinæ. Et præterea ſanitate gaudet: quia cùm Prou. 17,22. *iucundus homo qui miſeretur*, &c. *animus gaudens ætatem floridam facit:* ſicut econtrà, ira, rancor, vindictæ cupiditas, animā hominis, ita & vultum eius quibuſdam rugis ſenectutis quodammodò obducit. Patet hoc in primo Caino ſcilicet, de quo dicitur: Gen. 4. 5. *Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Concidit vultus eius Ferus. inſtar decrepiti ſenis. nam, vt ait Ferus noſter, *terram aſpiciunt, qui crudelia meditantur.* vnde Dauid de inimicis Pſalm. 16,11. ſuis loquens ait: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Qui inimicitias nutrit in corde, verè dicere poſſet cum Pſalm. 6,8. Dauide: *Turbatus eſt à furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos.* Ad litteram loquitur de ſeipſo, qui contabeſcebat propter moleſtias quas ab inimicis patiebatur. Sed ſi hoc fieri poteſt in eo cuius mens benè conſcia conſeruabat patientiam, quantò magis is conſeneſcet, cuius anima ira, rancore & continuis paſſionibus diſtrahitur & laceratur? Triſtis igitur ſpiritus hominis iracundi exſiccat oſſa, ſed qui miſeretur, iucundus eſſe poteſt, & tunc gaudens animus ætatem floridam facit.

296. An non exhilareſcet reus multorum criminum, cui à iudice atrociſſima tormenta ac terribilis quædam & lenta mors decreta eſt, ſi ei plena remiſſio annuntietur? Lata eſt triſtis ſententia contra omnes peccatores à Chriſto, qui ait: *Procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ;* Ioan. 5,29. *qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Clariùs autem eam in illos pronuntiat, qui non fuerunt miſericordes cum proximo ſuo. Nam *ibunt hi* (inquit) *in ſupplicium æternum.* Et Matth. 25,46. quidem hoc dicitur de his qui eſurientibus non dederunt manducare: quid autem futurum ſit illis, qui non dimittunt offenſas, ſatis declarauit in illo ſeruo, de quo dicitur: *Iratus dominus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum.* Matth. 18,34.

297. Nota, vniuerſum debitum, quòd cùm non ſunt ſoluendo, patet quòd ſemper torquebuntur, ſed non morientur. Nam *deſiderabunt homines mori, & mors fugiet ab eis.* Apoc. 9,6. vnde fit quòd damnati non occiſi ſed vulnerati appellentur à Dauide. *Sicut vulnerati* (inquit) *dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius; & ipſi de manu tua repulſi ſunt.* Pſalm. 87,6. Incurabilis eſt autem plaga illorum, qui cum peccato diſcedunt, maximè ſi immiſericordes & crudeles fuerunt in proximum. *Homo homini reſeruat iram* (inquit Sapiēs) *& à Deo quærit medelam?* Eccli. 28,33.

298. Ab-

Digitized by Google

298. Ab his æternis ſupplicijs immunes ſunt miſericordes, imò citiùs curantur à ſuis vulneribus, quorum perfecta ſanitas in Purgatorio non ſine magnis cruciatibus alioquin perficienda erat. Dura valdè eſt manus chirurgi & Medici, quam admittere debent in Purgatorio omnes, qui ex hoc mundo nondum ſatis benè expunctis antiquorum vulnerum cica-
1.Cor. tricibus recedunt. *Salui fient, ſic tamen*
3,15. (inquit Paulus) *quaſi per ignem*, qui nimirum omnia veſtigia & reliquias
Eccli. peccatorum remiſſorum exuret. *Qui*
38,15. *delinquit in conſpectu eius qui fecit eum* (dicit Sapiens) *incidet in manus Medici*. In hoc mundo curantur quidem vulnera eorum qui ſe per pœnitentiam, vt oportet, diſponunt: verùm non ideò ſtatim euadent ignem Purgatorij, quo exuri debent reliquiæ & fœditates, quæ fortè remanſerunt.

299. Vna hæc ſollicitudo tenet pios & ſanctos, quomodo nimirum animas ſuas non ſolùm ab inferno, ſed etiam à pœnis purgatorijs poſt hanc vitam citò expediant. Iucundi autem eſſe poſſunt, ſi miſereantur, & faciles fuerint in condonando offenſas. Non enim ſolùm remiſſio promiſſa eſt in Euangelio ijs qui proximo miſericorditer dimittunt, ſed etiam feſtina ſanatio & perfecta redintegratio, qua homo dignus efficiatur vt gloria Dei poſt mortem ſtatim illum colligat & ſuſci-
Iſa.58, piat. *Sanitas tua citiùs orietur* (dicit
8. Iſaias) *& anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te*. Non eſt hæc promiſſio ſolùm facta ijs qui frangunt eſurienti panem ſuum, vt in præcedentibus oſtendimus, ſed etiam illis, & quidem maximè, qui iniurianti oleum miſericordiæ præbent. vnde
℣. 9. ſubdit: *Si abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris extendere digitum, & loqui quod non prodeſt*, &c. *requiem* ℣. 11.
tibi dabit Dominus ſemper. Si abſtuleris de medio tui catenam, incarceratos relaxando, dicit Lyranus. vnde etiam Lyran.
per *catenam* intelligit Adamus noſter Adam.
omnem inhumanitatem & duritiam, qua quis premit & opprimit proximum propter debita. Requiem igitur ſempiternam promittit illis, qui miſericorditer dimittunt & relaxant obligationes, quas per debita aut offenſas aliquis incurrit.

300. Qui hoc modo miſeretur, meritò hilaris & iucundus eſt, cùm de miſericordia Dei ſibi promiſſa certus ſit, & ſi quid purgandũ aut curandum fuerit poſt hanc vitã, hoc citò & blanda manu abſoluetur. Mira res, quòd miſericordia ſpiritualis aliquando parum aut nihil proſit illi cui fit, ſemper autẽ multùm proſit ei qui illam facit.

301. Sunt quidam homines inſani Simile.
& ſuperſtitioſi, qui volunt herbas agere poſſe in diſtans: quæ ſi hîc terræ mandentur, aſſerunt, quòd vbi putrefactæ fuerint, ſanabitur vulneratus aliquis, etiamſi is ad decem aut viginti milliaria abſens fuerit decumbens lecto. Fabulam eſſe puto, aut certè ſi hoc modo aliquid efficiatur, non videtur dubium quin arte diabolica fiat. Nota
autem, quòd mira arte diuina ſæpè Simile.
contingat, vt miſericors alteri qui in illum peccauit, applicet herbam indulgentiæ & remiſſionis, quæ ipſi cui applicata eſt non prodeſt, ſi nimirum obſtinatus ſine pœnitentia perſeueret, attamen ſibi hoc modo ſalubriter prouideat. Remiſſio enim peccati miſericorditer impenſa, citò & ſuauiter medetur condonanti. *Si enim dimiſeritis* Matth.
hominibus peccata eorum (inquit Chri- 6,14.
ſtus) *dimittet & vobis Pater veſter delicta veſtra*.

302. Eſt hic modus curationis &

ſuauior & facilior. Non enim ait, *curabit*, *ſanabit*, ſed, *dimittet delicta veſtra*. Saluus erit peccator, ſi de proprijs peccatis fuerit contritus, ſed non ſemper ſine igne, ferro & medicamento. Iſa. 61, 1. *Spiritus Domini ſuper me* (ait Propheta ex perſona Chriſti) *vt mederer contritis corde*. Medela enim ſolet moleſtiam aliquam aut dolorem connotare. Felicior ergo erit peccator, ſi non ſolùm de proprijs ſit contritus, ſed etiam miſericors fuerit alienis. Nam ſuauiùs conualeſcet, nimirum per indulgentiam, quæ ſic conferet ſanitatem, vt aut mitiget, aut etiam tollat omnem pœnam. Docet Samaritanus Euangelicus, vt miſeris oleum miſericordiæ exhibeamus, qui videns Lucæ 10, 33. 34. hominem à latronibus vulneratum, *miſericordia motus eſt, & appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum.* Illum imitemur: non enim manet in anima vulneratus, qui oleum miſericordiæ infundit alienis vulneribus. Vnde benè concluſit Chriſtus ſermonem illum quem habuit cum legiſperito, monens eum vt exemplo benigni illius Samaritani miſeris præ- ✝. 37. ſtaret miſericordiam. *Vade & tu* (inquit) *fac ſimiliter*, &c. Cui etiam priùs vitam promiſerat, ſi proximum ama- ✝. 28. ret ſicut ſeipſum, dicens: *Rectè reſpondiſti; hoc fac, & viues.* Amen.

DISCVRSVS XXII.

Exigua eſt hominis in hominem miſericordia, cùm tamen per eam citiùs errantes corrigamus, & Deo nobis offenſo reconciliemur.

303. QVAM exigua ſit hominis in hominem pietas & miſericordia, probat ſancti Petri interrogatio, qua ſibi voluit à Chriſto determinari, quoties fratris in ſe peccantis miſereri deberet. *Domine*, inquit, *quoties in me peccabit frater meus, & dimittam ei? Vſque ſepties?* Matth. 18, 21. Ampla videtur hæc Petri miſericordia, ſi aliorum crudelitati comparetur, qui poſt primum fratris ſui peccatum eumdem de medio ſublatum eſſe deſiderant. Refert Plutarchus Plutarchus. in Apophthegmatibus, quòd Lyſimachus intentans punitionem in quemdam ex Ducibus ſui exercitus, qui contra illum deliquerat, noluerit audire emendationem proponentem & ſanctè promittentem; ſed dicenti, *In poſterum non committam*, reſponderit: *Non licet in bello bis peccare; error enim in bello mors eſt.* O quàm pauci eſſent in cælis (ſi tamen vel pauci, cùm, excepta Virgine, *nemo mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram*) ſi Deus patienter agens non expectaret hominem, vt de peccato pœnitens conuertatur & viuat!

304. Deſcribens Propheta inſtabilem hominum pietatem & miſericordiam, benè eam comparat nubi matutinæ. *Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina*, inquit, *& quaſi ros manè pertranſiens*. Oſeæ 6, 4. Nubes matutina vocatur res quę facilè diſſoluitur & euaneſcit, cùm tamen multa promittere videatur. Apparet aliquando turgida nubes manè, ex qua agricola ſperat terræ ſitienti pluuiam, quam tamen lenis ventus longè fugat, aut ſolares radij omnino exſiccant. Similis eſt quorumdam ho- Simile. minum miſericordia, qui multa amicitiæ & beneuolentiæ indicia ſæpè oſtendunt amicis, qui ſi fortè minùs circumſpectè loquendo vel agendo illos offenderint, ſtatim omnis fauor ſuſpenditur, & moroſa quædam ſiccitas illi ſuccedit. *Ventus Aquilo diſſipat pluuias*, dicit Sapiens. Prou. 25, 23. Ventus Aquilo eſt

eſt leue verbum ex parua cholera duriuſculè fortè prolatum, quod ſufficit ſæpè ad rumpendam amicitiam, ex qua quis ſibi multa beneficia promittebat. Sicut nubes eſt aliquando ſine pluuia (dicit Lyranus noſter) & ros matutinus, quia nimis exiguus eſt, ſine humectatione terræ, quia minimus Solis calor illum abſumit; ita miſericordia hominum ſæpè eſt ſine effectu, & per conſequens ficta & hypocritica.

Lyran.

305. Hæc defectuoſa hominum miſericordia Deo meritò exoſa eſt, & illius pietati valdè contraria. Si enim poſt primum peccatum deſperata eſſet hominum ſalus, quandoquidem *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei,* nullus eſſet qui in cælis miſericordias eius in æternum cantaret, aut gratias ageret de finali victoria, quam contra diabolum reportauit per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Cùm olim incitaretur Ageſilaus, vt rebelles quoſdam ferro & flammis tradi curaret, dixit: *Quòd ſi delinquentes è medio noſtrûm tollere volemus, cauendum eſt, ne quo barbaros ſuperemus non habeamus.* Sic Dominicus Nanus in Polyanthea, v. Rex.

Rom. 3, 23.

Nanus.

306. Conduxit nos Deus & adſcripſit ſacræ ſuæ militiæ, vt pugnando debellemus dæmonem. Inſtruit nos per Apoſtolos, quibus armis ab illius inſultibus defendi, & quibus nequiſſimus ille à nobis offendi poſſit. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei* (inquit Paulus) *in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumere, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Vt habeat igitur in cælo Eccleſiam triumphantem, voluit vt in hoc mundo fideles pugnando efficiant militantem. Vult enim non modò per ſe, ſed etiam per ſuos conſcriptos milites victoriam obtinere, & ſuperbiam diaboli, ad maiorem contemptum & punitionem eius, proſternere. Quòd ſi omnes milites ſuos delinquentes ſtatim è medio tolleret, certè nulli eſſent præter Virginem (quæ contriuit caput ſerpentis) in quibus ipſe Deus contra barbaros & hoſtes infernales triumpharet.

Epheſ. 6, 16. & 17.

307. Reliquit igitur miſericors Deus in ſe peccantibus locum pœnitentiæ, per quam fiet, vt non modò ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties miſeri in gratiam recipiantur. Miſericordia, qua toleramus inimicum & vindictam differimus, &, prout Chriſtus monuit, benefacimus his qui oderunt nos, maximè mouet delinquentes, vt amore potiùs quàm timore ſe reconcilient ei in quem peccauerunt. Refert Ioannes à Chokier in ſuo Theſauro Politicorum Aphoriſmorum lib. 2. c. 5. nu. 16. de Carolo IV. Roman. Imperatore, quòd non modò cunctatorem iudicem, ſed etiam beneuolum fautorem ſe exhibuerit aulico inhumano, qui cum reliquis in mortem ſuam conſpirauerat, cui is pro tanta clementia, laqueo & reſte alioquin dignior quàm præmio aut beneficio, gratias egit, & ad conſpiratores regreſſus, *Neſciebam*, inquit, *qualis Carolus eſſet; nunc liberalem & clementem Principem ferire nullo modo poſſum.* Fortiùs ligantur manus & linguæ eorum, qui eas ad nocendum parant beneficio miſericorditer iniurias diſſimulantis, quàm ferro aut catenis ſe vindicantis.

Ioan. Chok.

308. Eſt hæc glorioſa victoria, qua quis inimicum ſuperat, & digna filiis Patris cæleſtis: vnde Chriſtus ait: *Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos*

Matth. 5, 44. & 45.

nos & malos, &c. Non ignorabat hoc Sigiſmundus, cui cùm Laurentius Palatinus Hungariæ obiecisset quòd imprudenter ageret, eò quòd victis hoſtibus non ſolùm vitam & opes relinqueret, ſed etiam inter amicos extolleret, & honoribus cumularet, reſpondit: *Tibi videtur vtile inimicum occidere, quòd mortuus bellum non excitet: at ego inimicum occido dum parco, & amicum facio dum extollo.* Eſt nobiliſſimus hic vincendi modus, de Rom. 12,21. quo Paulus ait: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* A malo, id eſt ab iniuria illata, & conſequenter à dæmone qui eam excitauit. Vel, *noli vinci à malo*, à tua ſcilicet impatientia. *Vindicare ſe, non eſt actus fortitudinis* (dicit Ambr. Ambroſius lib. 1. Officiorum cap. 36.) *ſed abiectionis & timiditatis. Vincitur ab inimico, non vincit, qui ſe vindicat.* Magnanimi eſt, obliuiſci iniuriarum, Ariſtot. dicit Ariſtoteles lib. 4. Ethic. cap. 3. *Simile.* *Sicut debilis ſtomachi eſt*, inquit, *cibum duriorem non poſſe concoquere; ita puſillanimi eſt, verbum duriuſculum non poſſe ſuſtinere.*

309. In hoc pugnandi genere, quo fit vt miſericordia læſi ſuperet malitiam iniuriantis, non erant verſati Iacobus & Ioannes, qui ſecundùm vulgarem agendi modum, pro primo delinquentium peccato deſiderabant vindictam de cælo Samaritanis, qui Chriſto trāſitum per ſuā ciuitatem negabant. Lucæ 9,54. *Domine*, inquiunt, *vis dicimus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos?* Ægrè tulit Chriſtus ſordidum & ignobilem pugnandi affectum in ijs quos ſua ſequela dignatus erat: non enim volebant hoſtes in melius mutare per patientiam, ſed mactare per V. 55. & 56. vindictam. *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*, inquit; *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare.*

310. Ex his patet, quòd militum Chriſti ſit, non crudeliter euertere, ſed miſericorditer conuertere inimicos; reficere, non interficere. Benè Sapiens monet: *Verte impios, & non erunt.* Prou. 12.7. Non conueniunt Expoſitores in explicatione huius ſententiæ. Ad propoſitum noſtrum explicant Lyranus & Hugo Cardinalis. *Verte impios*, id eſt, conuerte ad bonum, ab impietate ad pietatem, & non erunt impij. Eſt pretioſa hæc impiorum interfectio, quæ fuit S. Petro mandata, dum cælitus oſtenſo linteo repleto ſerpentibus & animalibus immundis, ei diceretur: *Occide, & manduca.* Act. 10, 13. Nota, irrationabilia animalia debent occidi, vt cedant eſurientibus in vtilem cibum; quæ *Diſſimile.* tunc minùs ſapiunt, imò ſanitati comedentium obſunt, cùm ex infirmitate moriuntur ſponte, ſine vllo inflicto vulnere ex quo ſanguis defluat. Econtrà miſericordia, quæ inimicis parcit, vtiliter ſanguinem illorum, id eſt peccata extrahit, quæ (ſicut ſanguis *Simile.* in cadauere non violenter occiſo condenſatur) concreſcunt fortiùs ſæpè in eo cui quis vim infert, aut duriùs tractat.

311. Per miſericordiam inimico exhibitam fit, vt is propria ſponte moriatur peccato, & ſanctè ac piè Deo viuat. *Viuo autem iam non ego*, dicit Paulus, *viuit verò in me Chriſtus.* Gal. 2, 20. Sed vnde ita viuit? quia pietas & miſericordia Chriſti vertit & conuertit impium, blaſphemum, legis ſuæ acerrimum zelatorem, nec manſit talis, ſed factus eſt doctor, Apoſtolus, præco nominis Ieſu, eiuſque diſcipulus. Nimis illum mouit & commouit longanimitas & miſericordia eius, qui dicebat: *Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris.* Act. 22, 8.

312. Cum his armis faciliùs & ſuauiùs

Digitized by Google

ſuauiùs proſternitur hoſtis, ac proinde ſingularem gratiam obtinent à Deo qui illis vtuntur, & procedunt contra inimicos manſuetudine potiùs quàm enſe armati, imitantes illum quem Dauid gladio quidem accinctum ſuper femur volebat, tamen proſperum belli ſucceſſum non niſi ex ſua dulce-
Pſalm. 44. 5. dine promittebat, dicens: *Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſperè procede, & regna.* Rogata fuit olim Chriſtina virgo ſingularis ſanctitatis
Tauler. (de qua Taulerus in Inſtitut. cap. 13.) iam morti propinqua, quibus medijs ad tantam perfectionem perueniſſet, & tantam gratiam à Deo obtinuiſſet. Reſpondit autem inter alia, quòd miſericordia & beneficijs inimicos ſuos debellare conſueuerat. *Iis*, inquit, *à quibus læſa fui, beneficium ſingulare rependi; quod non feciſſem, niſi læſa ab eis fuiſſem.*


313. Cùm in multis Chriſtum imitari non poſſimus, ſaltem eius humilitatem ac manſuetudinem æmulari
Matth. 11, 29. conemur. *Diſcite à me*, inquit, *quia mitis ſum, & humilis corde.* Porrò miſericordiam ſuam erga eos, qui contra illum peccauerant, non benefaciendo ſolùm, ſed etiam deflendo miſe-
Lucæ 19. 41. riam illorum oſtendit. *Videns ciuitatem, fleuit ſuper illam*, dicit Euangeliſta. Tactus eſt dolore cordis intrinſecus, eò quòd fruſtrà habitatores illius miraculis & multis beneficijs conatus fuerat delinire & flectere. Hac
¥. 42. de re conqueritur dicens: *Si cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Plenus erat miſericordia & pietate triumphalis ille in ciuitatem Ieroſolymitanam ingreſſus, quem tunc Chriſtus parabat, cuius
Zach. 9. 9. meminit Zacharias, dicens: *Exulta ſatis filia Sion, & iubila filia Ieruſalem: ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator.* Dolet igitur & deplorat, quòd hac ſua dulcedine & miſericordia non profuerit habitatoribus illius ciuitatis, quam multis modis manifeſtam fecit, maximè autem, quando eſurientibus, ne in via deficerent, commeatū procuraturus dixit, *Miſereor ſuper turbam.* Marc.

314. Nota, quòd Chriſtus peccata, 8, 2. de quibus quis pœnitet, ſuauiter diſſimulet, ea autem quaſi deſperata deploret, quæ per ſuam pietatem & manſuetudinem tamquam per efficacius medium ſuperare non poteſt. Mira fuit Gratiani Imperatoris in delinquentes pietas, de quo ſcribit Am- Ammia. mianus, quòd mulierculam quamdam de mariti ſui moroſitate immoderatiùs querulantem retuſerit. Dum enim variè & aſperè eum accuſaret, quem ex iure coniugali & iuuare & portare tenebatur, dixit criminanti, & iniurias à marito ſibi illatas plus ſatis exaggeranti: *Quid hoc ad me, mulier?* Et cùm illa ſubijceret, *Etiam in te malè animatus eſt, & loquitur.* Rurſum benignè ſimul & facetè: *Quid hoc ad te, mulier?* Ac ſi dicat: Sicut mala quæ tibi ab illo fiunt, me non lædunt, ita quæ ille contra me committit, te nullo dolore afficiunt.

315. Eodem modo fortè miſericors Deus deludit dæmonem, nos ſingulis momentis apud illum accuſantem. *Proiectus eſt accuſator fratrum* Apoc. *noſtrorum, qui accuſabat nos ante con-* 12, 10. *ſpectum Dei noſtri die ac nocte.* Si enim deponit malefacta quæ in proximos commiſimus, dicet: *Quid hoc ad me?* præſertim ſi is qui offendit pœniteat; ſi autem fortiori medio Deum ad iracundiam prouocauerit, allegando peccata in illum commiſſa, retundet crudelem accuſatorem dicendo: *Quid hoc ad te?* Tune zelas honorem meum? An tibi diſplicet culpa contra me commiſſa?

miſſa? Hanc miſericordiam Chriſtus nobis imitandam exemplo reliquit, qui peccata pœnitentium diſſimula-
Ioan. 8. uit, vt patet in muliere, quæ deprehenſa in adulterio, ad illum deducta fuit. Nam ſcribens in terra, viſus fuit dicere accuſantibus eam de iniuria, quam per adulterium in maritum commiſerat, *Quid hoc ad me?* Imò excuſauit pœnitentes. vnde etiam quæ
Luc. 7. erat in ciuitate peccatrix, ab eo defenditur contra Simonem, interiùs per ſolas cogitationes illi obmurmurantem.

316. Vt claudam hunc de Pietate & Miſericordia Tractatum, nota, quòd illi ſint electi, & præ ceteris à Chriſto dilecti, qui illius & matris ſuæ miſericordiam diligenter imitari conantur. Contra hos non facilè audiet accuſa-
Rom. 8, 33. tiones. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei?* inquit Paulus. quaſi dicat: Deus eſt qui electos ab intentatione peccati, & dæmonis actione, qui ius prætendit in illos, abſoluit, & iuſtos
Anſel. pronuntiat. *Quis ergo diabolus* (ait Anſelmus) *vel homo cõtrariam damnationis ſententiam in eos ferat?* Elidit Paulus ſupradictis verbis duo diffidentiæ iacula, volens piorum fiduciam & amorem in Deum roborare. Primum eſt perſecutio exterior hoſtium, contra iuſtos ex inuidia ſæpè conſpirantium: alterum diffidentiæ iaculum eſt interior metus, & conſcientiæ anxietas, ob peccata aliquando in Deum commiſſa. Propter hæc enim cum metu & tremore ſalutem ſuam operantes, ſæpè anxiantur timentes, ne fortè illorum eis reſtet ſtricta ratio reddenda in iudicio, cuius rigorem præuidens Iob aiebat: *Non iuſtificabitur homo compoſitus Deo: ſi voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere vnum pro mille.* Iob 9. 2. & 3. Hanc ſollicitudinem ſi non omnino tollit, multum tamen mitigat pietas & miſericordia, quam quis in ſe peccantibus præbuit. Fruſtrà enim dæmon accuſabit eum, quem Deus tamquam miſericordem excuſat, nam *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur,* &c. Matth. 5, 7. Amen.



TRA-

TRACTATVS DECIMVS.

DE CONSTANTIA.

IOANNIS CAP. XIX.

Stabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius, &c.

DISCVRSVS I.

Maria iuxta crucem Ieſu in ſilentio conſtanter agens, doloris gladium in anima pertulit.

1. NON ſolùm ex eo
quòd B. Virgo ſtabat,
illius animoſa
conſtantia probari
poteſt, ſed etiam
quòd non ſteterit
quaſi timida à longè, ſed *iuxta crucem.*
Indigent autem hæc verba expoſitione,
ne Ioannes à reliquis Euãgeliſtis
diſſentire videatur. Matthæus enim,
poſtquam ſcripſit Chriſtum inclinato
Matth. capite emiſiſſe ſpiritum, ſubdit: *Erant*
27,56. *ibi mulieres multæ à longè.* Idem narrat
Marcus cap. 15. ℣. 40. Luc. 23. ſic
Lucæ ſcribit: *Stabant autem omnes noti eius*
23,49. *à longè, & mulieres quæ ſecutæ eum*
erant à Galilæa. Etſi omnes mulieres,
quæ à longè ſtetiſſe leguntur, non nominentur,
tam Matthæus tamen quàm
Marcus nominant Magdalenam &
Matth. Mariam Iacobi. *Erant autem mulieres*
27,56. *multæ à longè,* inquiunt, *inter quas erat*
Maria Magdalene, & Maria Iacobi.
Dubium igitur eſt, quo ſenſu dicat
Ioan. Ioannes Mariam matrem Ieſu ſtetiſſe
19,25. iuxta crucem cum Maria Magdalene,
quam Marcus à longè ſtetiſſe fatetur.

2. Notauit Auguſtinus hanc difficultatem
& enodauit, dicens, quòd
longè & propè fuerint diuerſis reſpectibus,
quia non erant immediatè iuxta Auguſt.
illum, inquit, *propter turbam comprimentem,
nec ita longè, quin poſſent eum
videre, ideò poſſent dici longè & propè
diuerſis reſpectibus.* Priùs propè fuerunt,
nimirum quando Chriſtus loquebatur,
diſcipulum matri, & viciſſim
matrem diſcipulo commendans:
ſed cùm alta voce clamans expirauit,
turba quæ adſtabat ad ſpectaculũ, valdè
commota concurrit, & propiùs accurrit
ad crucem, adeò vt propter tumultuoſum
illum concurſum Maria
cum ſuis coacta ſit longiùs recedere
vſque ad alios Chriſti notos, quos
dicit Lucas omnes de longè ſtetiſſe.

3. Porrò non-repugnat, vt idem,
quod vno tempore alicui propè adeſt,
alio abſit longè. Patet hoc ex verbis
S. Pauli dicentis: *Nunc autem in Chri-* Epheſ.
ſto Ieſu vos, qui aliquando eratis longè, 2,13.
facti eſtis propè in Sanguine Chriſti.
Loquitur hîc Paulus de animorum
diſſenſione, qua Epheſij priùs longè
diſtabant à Republica & conuerſatione
Iſraël, & per conſequens à ſalute
& Chriſto Saluatore. Non erant elongati
loco, ſed merito, vt ait S. Thomas S.Tho.
ſect. 4. in cap. 2. ad Epheſios. quo ſenſu
longè à peccatoribus ſalus, vt teſta- Pſalm.
tur Dauid. Hi ergo conuerſi propè 118,
facti ſunt. Quod autem de animorum, 155.
hoc de locorum diſtantia intelligi poteſt,
quæ non eſt ſemper eadem diuer-

ſis temporibus. vnde benè ad propoſitum ait Dauid: *Qui iuxta me erant, de longè ſteterunt.* Quæ verba allegorizans Hugo Cardinalis, exponit de Apoſtolis qui ſemper Chriſto propinqui eſſe ſolebant, ſed tempore captiuitatis, *relicto eo omnes fugerunt*, &c. *Petrus autem ſequebatur à longè.*

Pſalm. 37,12.

Matth. 26.

4. Stetit igitur tenera, ſed conſtantiſſima Virgo iuxta crucem. Longè abfuit Agar ancilla Sarai ab hac reſignatione & animi fortitudine, quæ diſcedens reliquit filium ne videret ſiti morientem. *Abyt*, inquit Scriptura, *ſeditque è regione procul quantum poteſt arcus iacere. dixit enim: Non videbo morientem puerum*, &c. *Et ſedens contrà, leuauit vocem ſuam, & fleuit.* Ex morte filij timebat cordi ſuo ſagittas doloris, ideò ſe collocauit in loco tam diſtante, vt vſque ad illam non pertingerent. diſceſſit ergo quantum poteſt arcus fortè excluſiuè iacere.

Gen. 21,16.

5. Non ſic B. Virgo, quæ ſtetit iuxta crucem, vt ſi fieri poſſet, ſagittas, quas Pater contra Filium (in quo poſuerat iniquitates omnium noſtrûm) emittebat, ipſa reciperet & interciperet. Monitus olim Ludouicus XII Galliæ Rex in bello Mediolanenſi, vt vitaret globos, dixit: *Ecquem Galliarum Regem vmquam pila necatum accepiſtis? qui metuit, me clypei loco vtatur.* Sic Corozer, quem citat Beyerlinck in Apoph. v. *Animi fortitudo.* Si Rex ille ſe immunem fore ab ictibus exiſtimabat, non fuit mirabililis fortitudo eius, qua ſe vt clypeum aliorum defenſioni offerebat. Maior fuit Mariæ Virginis conſtantia, quæ certo certiùs ſciebat, quòd Pater cæleſtis tempore illo, quo Filius patiebatur in cruce, dirigeret ſagittas iræ ſuæ in illum, quas ipſa inſtar clypei in ſe recipere parata erat: ideò enim ſtabat iuxta crucem, non à latere crucis, quamuis ita communiter pingi ſoleat, ſed ex oppoſito ante illam, vt affirmat Murillo tom. 2. tract. 8. diſc. 1. ſuper illa verba, *Stabat iuxta crucem*. Nec cogitandum eſt, eam euaſiſſe immunem: nam etſi claui illam non perforarunt, nec flagella lacerarunt, tamen iuxta crucem acerbiſſimè gladius doloris animam illius pertranſiuit.

Iſa. 53, 6.

Coroz.

Muril.

6. Non eſt dubitandum, quin Virgo libenter cum Filio mortua, & iiſdem quibus ille clauis transfixa fuiſſet: ſed etſi crucem amplexa eſt, tanta tamen dexteritate cæleſtis Pater vſus eſt arcu, & direxit ſagittas ſuas in Filium, qui ſolus genus humanum ſaluare poterat, & conſortem ſuæ paſſionis habere non debebat, vt nemo furibundorum hominum legatur Virginem vel aſpero verbo impetiuiſſe, ſed totum pondus belli in illum cecidit, qui per Prophetam ait: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.*

Iſa. 63, 3.

7. Mira ſunt quæ refert Antiquitas de ſagittariorum quorumdam dexteritate, in qua (vt teſtis eſt Suetonius) Domitianus Imperator tam feliciter exercitatus fuit, vt quandoque in pueri procul ſtantis & extendentis diſpanſam dexteram apertis & cancellatis digitis ſagittas tanta arte librauerit, vt omnia interualla digitorum ipſis illæſis & intactis cõtingeret. Famoſus etiam hac in re fuit Alcon ſagittarius Cretenſis, qui cùm vidiſſet filium Phalarium à ſerpente circumplexum, tantam habuit fiduciam in iaculandi arte, vt non diffideret ſerpentem perfodere, & puerum nec lædere nec attingere.

Sueton.

8. Nota, quòd tempore paſſionis maximè verificata fuerit Simeonis prophetia, qua prædixerat quæ Chriſtus

ſtus ab hominibus iacula eſſet ſuſce-
Lucæ 2,34. ptutus. *Ecce*, inquit, *poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael; & in ſignum cui contradicetur.* vnde idem Chriſtus dicere potuit illud
Thren. 3,12. Ieremiæ, *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.* Sciendum tamen, nihil ei factum eſſe mali, ſiue in vita ſiue in morte, abſque directione & prouidentia Dei: per quam mala quidem ipſo nolente fiunt (certum enim eſt quòd *actio diſplicuit*, vt loquuntur Theologi, etſi paſſio grata fuit) ipſo tamen ordinante in finem bonum diriguntur & ordinantur.
Act. 2, 23. vnde Petrus ait, Chriſtum definito conſilio & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum cruci affixum fuiſſe & interemptum. Qui igitur nulla mala permittit, niſi ex quibus bona elicere voluerit; magna ſapientia permiſit, vt ſagittarij, quibus Chriſtus poſitus fuit in ſignum contradictionis, mala voluntate eum ſic opprobrijs & morte turpiſſima afficerent, ne in minimo Mariam Virginem aut Magdalenam crucem amplectentes læderent aut attingerent.

9. Magna fuit illius pueri animoſitas, qui expanſam & diſpanſam manum oppoſuit iaculo Domitiani; non enim certus erat, ſed probabiliter ſolùm confidebat, telum per digitorum interualla ſine vlla illorum læſione vibratum traijciendum fore: non minor fuit Phalarij fiducia, qui telum non horruit quo Alcon illius parens ſerpentem, à quo circumplexus tenebatur, interfecit. Multò maior fuit Mariæ Virginis conſtantia, quæ, cùm Pater cæleſtis euacuans pharetram ſuam, omnes ſagittas iræ ſuæ in Filium exploderet (adeò vt ipſe terrore con-
Pſalm. 87,17. cuſſus diceret: *In me ſunt Deus ira tua, & terrores tui conturbauerunt me.*) *Stabat iuxta crucem.* Non igno-
Ioan. 19,25. rabat, etſi ex prouidentia Dei euaderet illæſa in corpore, quòd in anima ex ijs quæ videbat Chriſtum pati, deberet valdè torqueri. Poſtquam enim Simeon prædixit, quòd Filius eius paſſurus eſſet contradictionem, ſtatim intulit: *Et tuam ipſius animam pertranſi-*
Lucæ 2,35. *bit gladius.* His non obſtantibus, non receſſit ſicut Agar, nec dixit, Non videbo morientem puerum, ſed ſtabat iuxta crucem, vt non ſolùm videret, ſed etiam ſentiret in anima quæ Chriſtus in corpore patiebatur.

10. Manifeſtauit B. Virgo animi ſui fortitudinem, in eo quòd ſtetit iuxta crucem, maximè autem quòd ſicut Filius eius quaſi ouis, quæ ducitur ad victimam, non aperuit os ſuum, ita illa obmuteſcens corde afflictiſſimo conſeruabat patientiam. De Agar dicitur quòd *leuauit vocem ſuam, & fleuit.*
Gen. 21,16. Clamores inconcinnos fortè impatientiæ teſtes dedit. De B. Virgine nihil horum legitur. benè Iſaias dicit: *In*
Iſa. 30, 15. *ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.* Eſt ſignum fortiſſimi & reſignati animi, & ſingularis conſtantiæ in magnis afflictionibus, non ſolùm clauſo ore per ſilentium, ſed etiam corde tacito conſeruare patientiam. Refert Plinius l. 3.
Plin. & Macrobius l. 1. Saturnal. quòd antiqui ſolebant in templis ſuis ab vna parte habere depictam Angeronam, quæ erat Dea triſtitiæ & afflictionis, ore obſerato; ab altera verò Volupiam, quam dicebant eſſe Deam iucunditatis & lætitiæ. Significabant hoc modo, quòd is qui in magna afflictione per tolerantiam ſilet, nec diſcutit, ſed potiùs colit iuſtitiam Dei (qui non niſi ob iuſtiſſimas rationes immittit aut permittit iuſtos affligi; vnde benè
Iſa 32, 17. dicit Propheta, quòd *cultus iuſtitiæ ſilentium* meretur magnum ſuæ ma-

 gnani-

gnanimitatis & conſtantiæ præmium, quod ei poſtmodum ſingularem lætitiam & iucunditatem adferet.

11. Non tam paſſionem quàm patientiam Chriſti & fortitudinem per ſilentium oſtenſam miratus eſt Pilatus, quam etiam Propheta, tamquam omnium circumſtantiarum paſſionis eius digniſſimam, prænotauit dicens: Iſa. 53, 7. *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum.* Eodem modo B. Virgo fortem & conſtantem ſe præbuit. Senſit enim gladium doloris tempore paſſionis, non compulſa aut per violentiam tracta ad locum ſupplicij, ſed quia voluit, & iuxta crucem ſtans, omnia quę Filius patiebatur proprijs oculis conſpexit. Ad imitationem igitur Filij ſui ſicut agnicula obmutuit: & interiùs gladium acerbiſſimi doloris ſentiens in anima, ad quoſlibet corporis cruciatus ſe reſignatam & paratam obtulit. Prima fuit & præcipua in compaſſione, quia facta eſt Pſalm. 37, 15. *ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Fuit igitur in Maria, quę eſt templum Dei & ſacrarium Spiritus ſancti, Angerona, ſilentium ſcilicet in ſumma triſtitia, vnde factum eſt quòd nunc in cælo præ omnibus alijs Volupia in ea agnita ſit ab Angelis, qui aſcendenti cum ſtupore acclamarunt dicentes: Cant. 8, 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum?*

12. Ex his quæ hactenus dicta ſunt patet, quòd Maria meritò vocetur Regina Apoſtolorum, qui à Chriſto miſſi ſunt ſicut Agni in medio luporum. Lucæ 10, 3. *Ecce* (inquit) *ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Maria autem propria ſponte ad locum ſupplicij properans, in medio luporum Filium ſuum, qui eſt Ioan. 1, 29. Agnus Dei qui *tollit peccata mundi,* deuorantium, ſtabat in magna conſtantia, non quidem aduerſus eos qui ſe anguſtiabant, ſed paratam ſe offerens, vt non ſolùm per gladium doloris in anima compati, ſed etiam morienti Filio ſuo commori poſſet, &c. Amen.

DISCVRSVS II.

Maria conſtanter ſtabat iuxta crucem, vt gladius doloris animam eius pertranſiens, corpus feriret, & compaſſionis ſigna foris exhiberet.

13. EST doctrina S. Thomæ S. Tho. per experientiam confirmata, quòd effectus tantò plus de ſua cauſa participat, quantò illi eſt propinquior. Plus caloris recipit qui proximè adſtat Simile. igni, quàm is qui longiùs ab eo diſtat. Quia igitur *longè à peccatoribus ſalus,* Pſ. 118, 155. ideò ſine luce gratiæ, ſine multis alijs donis cæleſtibus ſunt, quos proinde Dauid vtiliter monens ait: Pſalm. 33, 6. *Accedite ad eum, & illuminamini,* &c. Non ſufficiebat autem ipſi vt accederet & adeſſet ſolùm, ſed vt plus de diuinis donis participare poſſet, illi connecti & vniri voluit. *Mihi,* inquit, *adhærere* Pſalm. 72, 28. *Deo bonum eſt.* verè bonum, imò & iucundum eſt homini, illi adhærere qui eſt ipſa bonitas, ſed econtrà *ſcito* Ierem. 2, 19. *& vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum.*

14. Non ignorauit Maria hanc veritatem; & ideò non cum reliquis notis Chriſti erat à longè, ſed *ſtabat iuxta* Ioan. 19, 25. *crucem*: vt quantò illi erat propinquior, tantò gladius doloris, qui pertranſibat animam eius, ei acerbior eſſet; quibus mediantibus, etiam vberiores fructus donorum & meritorum ex ipſa crucis arbore colligeret. Quòd Maria Chriſto cruci propinquior, plus

plus ceteris ex dolore illius participauerit, probant & teſtantur Patres. *Quot læſiones in corpore Chriſti*, dicit Hieronymus, *tot vulnera in corde matris. Quot ſpinæ pungentes, clauiq́ue perforantes, quot ictus carnem rumpentes, tot ſagittæ fuerunt per oculos intrantes, & animam Virginis vulnerantes*. Vnde etiam Anſelmus de excellentia Virginis ait: *Quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leue fuit, aut potiùs nihil comparatione tuæ paſſionis*, &c. qui etiam putat non potuiſſe ſuſtinere dolores, niſi ſpiritus vitæ eam confortaſſet.

Hieron.

Anſel.

15. Tanta acrimonia gladius doloris pertranſiuit animam Virginis, vt acerbitas illius magnum in tenero corpore eius dolorem cauſaret. Etſi magna fuit S. Franciſci compaſſio, tamen incomparabiliter maior fuit Virginis. Si ergo ille longè abſens, ex ſola paſſionis meditatione, in corpore ſuo pœnas ſenſit, vt vulnera ſibi inflicta teſtantur; quales experta eſt tenera Virgo ex oculari illius inſpectione, quę crucifixo adfuit, & prope crucem ſtetit? Notandum eſt, quòd ſponſus non ſolùm in corde, ſed etiam in brachijs ſponſæ voluit paſſionis ſuæ inſignia efformari. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, inquit, *vt ſignaculum ſuper brachium tuum*. Quibus verbis ſignificatur, quòd dolores Sanctorum non ſolùm ſint interiores in corde & anima, ſed quòd ex illis etiam afflictiones redundent in corpus.

Cant. 8,6.

Simile. 16. Hinc factum eſt, quòd ſponſus non ſine ſpeciali ratione petat brachium potiùs quàm aliud corporis membrum: quia officium brachij eſt, ſe quaſi clypeum opponere gladijs & ſagittis capiti intentatis. Caput Eccleſiæ eſt Chriſtus, quę vt defenderet Maria, libenter inſtar brachij omnes ictus, quos crucifigentium crudelitas in illum vibrabat, intercepiſſet. Cùm autem interpoſitione ſui virginei corporis hoc ei præſtare non licuit, in anima ſaltem omnes iniurias Filio ſuo illatas, flagella ei inflicta, ſpinas, clauos, tam viuaci compaſſione excepit, vt inde magnus dolor corpori ipſius infligeretur.

17. Felices ſunt, qui Virginem, quę ſtabat iuxtà crucem, ſaltem à longè imitantur, etſi non tam viuaciter, tamen aliqualiter in corpore ſuo ſentiunt, quod & in Chriſto Ieſu: hoc enim modo obtunditur ſenſus doloris, quo ex aduerſitatibus huius mundi à creaturis afficimur. Cur, putatis, olim Chriſtiani tanta animoſitate cum gaudio iacturam omnium bonorum ſuorum accipiebant? vnde quæſo etiam nunc aliqua tenera virguncula fortiter fert aduerſa quæque, & reſignata eſt, ſi piis parentibus orbatur, infirmitate premitur, detractionibus laceratur? An non ex eo quòd in meditatione paſſionis Chriſti dilecti ſui abſorpta, minùs ſentit dolorem ex eorum amiſſione, quos infra Deum minùs debet diligere? Optimum igitur antidotum contra inordinatas triſtitias nobis aſſignans Paulus, ait: *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes*. Non enim plorat immoderatè pia filia propter mortem famuli, quæ intuetur & adeſt proprio parenti agonizanti, quem circumdant dolores mortis. Quid ſunt omnes creaturæ, quibus fortè compatimur, aut quorum mortem lugemus, ſi Filio Dei amantiſſimo noſtro parenti comparentur? Igitur vt illarum damna moderatè feramus, in horto Patrem noſtrum factum in agonia, & in monte Calua-

Hebr. 12,3.

Simile. 1.

Digitized by Google

tiæ doloribus plenum, omni ſolatio deſtitutum, & tandem exſpirantem contemplemur.

Simile. 18. Fortè obijciet aliquis, quòd remota minùs moueant & afficiāt quàm propinqua. Plus calefacient tres prunæ præſentes, quàm fornax accenſa *Dan. 3.* nimis, inſtar illius Babylonicæ, in quā tres pueri iuſſu Regis miſſi ſunt, hominem, qui fortè in Iudæa ad multa milliaria abſens fuerit. Eadem ferè de temporis, quæ de loci interuallo ratio eſt. Cùm igitur Chriſtus pientiſſimus noſter parens, ab annis tot & tam longè à nobis paſſus ſit, non debet mirum videri, ſi quæ filia parentem vel fratrem, aut nupta coniugem, aut prolem heri fortè in præſentia illius mortuam irremediabilibus lacrymis deploret, nec triſtitiam ſuā conſideratione mortis & paſſionis Chriſti pientiſſimi ſui parentis temperet. verum eſt enim antiquum illud dictum,

Tempus edax rerum, tuque inuidioſa vetuſtas
Omnia deſtruis. ———

quod etiam à Belgis noſtris confirmatur, cùm aiunt: *Den tydt die verſlijt het al.* Minùs enim mouet obiectum triſte quod ab anno, quàm quod ab hora nobis propoſitum fuit.

19. Indeuotorum & minùs quàm oportet Chriſti dilectionem ponderantium, eſt hæc euaſio. Chriſtus enim, *Matth. 28, 20.* qui dixit, *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, ne putetur aut tempore aut loco à nobis diſtare, in Euchariſtia ſe nobis ſingulis momentis per verba conſecrationis de nouo præſentem exhibet. Et vt loci aut temporis interuallo memoria amariſſimæ illius paſſionis in nobis non tepeſcat, expreſſis verbis illam nobis commen- *Lucæ 22, 19.* dans ait: *Hoc facite in meam cōmemoratione.* Si quis igitur inordinatè triſtetur de triſti aliquo euentu, Chriſti paſſionem meditetur, vt ita inordinatam triſtitiam moderetur. *Chriſto igitur paſſo in carne*, inquit Petrus, *& vos eadem cogitatione armamini*, ne videlicet omnem pietatis ſenſum amiſiſſe *1. Pet. 4, 1.* videamini. Emortui brachij & paraly- *Simile.* ſi diſſoluti ſignum eſt, ſi, cùm caput percutitur, immobile manet. Eodem modo qui non mouetur per compaſſionem, conſiderans Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ, tot tunſionibus, preſſuris cōcuti, ſpinis & flagellis lacerari, clauis & lancea perforari; mortuus aut paralyticus cenſeri debet. Viuaciſſimum totius Eccleſiæ membrum fuit Virgo Maria, quæ proinde ſtabat iuxta crucem, dum caput percuteretur, vt quantum ei eſſet poſſibile, ipſum corde & corpore defenderet, & tanta compaſſione affligeretur in anima, vt inde corpus triſtitia & dolore conficeretur.

20. Non deſunt tamen, qui nobis Mariam tamquam inſenſibilem depingant, ſine compaſſione, ſine affectione: qui exiſtimant eam exteriùs nullum afflictionis ſignum exhibuiſſe, imò vix aliquam in anima ſenſiſſe. Rationes illorum, etſi apparentes, tamen inefficaces ſunt, nec in minimo hebetant aut obtundunt gladium doloris, quem prædixit Simeon animam illius pertranſiturum. Virgo (inquiunt) conſtantiſſima, & plena charitate & ſapientia, voluntati diuinæ maximè conformis, cognouit, quòd per manus impiorum illa circa Chriſtum facta *Act. 2.* ſunt, quæ Deus definito conſilio permittere decreuit. Non ignorabat etiam fructum paſſionis, ergo non videtur poſſibile, vt ſine præiudicio perfectæ reſignationis, qua totius mundi redemptionem ad magnam Filij ſui gloriam optabat, vt potuerit externa triſti-

triſtitiæ ſigna exhibere, aut internum dolorem in anima admittere.

21. Sed his non obſtantibus, tenendum eſt, Mariam verè acerbum doloris gladium in anima ſenſiſſe, qui etiam corpus ita affecit, vt magno mœrore conficeretur, quem lacrymis, gemitibus & alijs ſignis (ſalua tamen modeſtia) teſtatum fecit.

22. Placuit Chriſto diſcipulorum compaſſio lacrymis & gemitibus foris patefacta, qui tempore paſſionis cum alijs notis fortè de longè ſteterunt. vnde euntibus in Emaus ſe adiunxit, di-
Luc. 24, 17. cens: *Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem, & eſtis triſtes?* Maria igitur, quæ ſtabat iuxta crucem, non debuit ſe exteriùs inſenſibilem exhibere. Si rationes adductæ aliquid concluderent, non potuiſſet Chriſtus Dominus triſtari de paſſione ſua, nec lacrymari, aut ſigna doloris edere, dum v.g. flagellaretur, aut coronaretur, &c. Nam ſapientia Patris optimè ſciebat,
Luc. 24, 26. quòd *ſic oportebat ipſum pati, & ita intrare in gloriam Dei.* Nouerat etiam, ſi pro peccatoribus poneret animam ſuam, quòd videret ſemen longæuum. Cùm igitur benè ſtat Chriſti perfectiſſima obedientia, & voluntatis ſuæ cum beneplacito Patris omnimoda conformitas cum dolore & triſtitia,
Marc. 14, 33. 34. imò cum tædio & pauore illius (*cœpit enim pauere & tædere*, dicens: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*) eò quòd ſicut paratus erat mori, & omnia pati quæ Deus Pater volebat, ita eidem omnino fuit obediens, dum de morte ſua triſtabatur, & gemebat ac plorabat propter dolores, quia Deus Pater volebat vt huiuſmodi affectus etiam admitteret & ſentiret, vt docet
S. Bonauent. S. Bonauentura in 3. diſt. 17. a. 1. q. 3. Eodem modo Maria reſignatiſſima libenter Filium ſuum obtulit beneplacito Dei Patris: tamen quia non ignorabat, ei etiam placere vt patienti Filio compateretur & condoleret, ſtabat iuxta crucem, quatenus per acerbiorem compaſſionem mereretur illi conregnare in cælis, cui ſe ſociam præbuit in pœnis, &c. Amen.

DISCVRSVS II.

Maria crucifixo propinqua, ſuo exemplo tribulatos animat, cum quibus Deus ſecuriùs quieſcit.

23. STABAT *iuxta crucem Ieſu mater eius.* Non Ioan. 19, 25.
ſolùm ideò, vt ipſa de dolotibus crucifixi & de fructibus ac meritis crucis abundantiùs participaret (vt dictum eſt præcedenti Diſcurſu) ſed etiam vt nos in tribulatione conſtitutos efficaciùs animaret & conſolaretur. Sanctiſſima igitur Virgo, quæ prior eſt in donis, præcipua eſt inter omnes, qui Deo permittente in hoc mundo opprimuntur dolotibus, vt apertè nobis innoteſcat, quòd hinc non ſit ſumendum argumentum auerſionis, ſed potiùs amoris Dei, & quòd tribulationes quæ nobis immittuntur, non ſemper ſint alicuius iniquitatis pœna, ſed quandoque inculpatæ vitæ apertiſſima nota, & teſſera futuræ gloriæ. Figuram huius fortè intueri licet ad oculum in velo tabernaculi veteris Teſtamenti, cuius contexendi modum Deus præſcribens, ait: *Facies & velum de hyacintho,* Exod. 26, 31.
& purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta. Tribulationes in purpura & byſſo, præmia autem cæleſtis gloriæ in hyacintho ſignata & figurata, debent commiſceri, vt ſcias, quòd ex pœnis ad præmia, ex laboribus ad requiem, denique ex cruce & tribulatione ad gloriam peruenire oporteat.

24. No-

24. Nota, libentiùs adeſt Deus tribulatis, quàm conſolatis, & fortè nimis quietis animabus. Pſalm. 90,15. *Cum ipſo ſum in tribulatione*, inquit de iuſto; nuſquã autem legitur ſpecialem præſentiam ſuam promiſiſſe ijs qui ſunt in exultatione. Quietis adeſt quidem, ſed tamquam vigil tenens excubias. vnde tempore dormitionis, quando nulla tribulatio affligit, aut tentatio hominem angit, oramus vt ipſe vigilet, dicentes: *Salua nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes*, &c. quando ſponſa lecto affixa quieti nimis operam dabat, tunc ſponſus foris vigilans, inclementiæ aëris expoſitus, conquerebatur dicens: Cant. 5,2. *Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*, adeò vt Ibidem. ipſa verè dixerit: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Conſolati poſſunt ſignificari per filium Iſaac nomine Iſraël inſignitum, ſicut triſtes & deſolati, ac cum tentationibus & tribulationibus luctantes, per eumdem Iacob appellatum. Porrò Deus pro illis quaſi anxius, Pſalm. 120,4. cum his velut ſecuriùs dormit. *Ecce non dormitabit*, inquit Dauid, *neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël*.

25. Non debet mirum videri, ſi Deus ſit aſſiduus in vigilijs pro ijs, qui etſi immunes ſint à peccato, non ſunt tamen armati tribulatione, cùm dæmon non deſperet acceſſum ad domum etiam ſcopis mundatam, & competenti ſupellectili ornatam, ſi præſidio crucis, quam ille præ omnibus munitionibus horret, deſtituta fuerit. Optimè figurari poteſt infelix dæmonum caterua per tribum, cui Iacob conueniens vaticinium decernens ait: Gen. 49,17. *Fiat Dan coluber in via*, & de qua dicitur: Iudic. 18,1. *Dan quærebat poſſeſſionem ſibi, vt habitaret in ea*, quæ tandem obtinuit terram Lais. Intellexerant enim filij Dan, habitatores terræ illius abſque vllo timore ſecuros & quietos eſſe, vnde exploratores reuerſi ad ſuos dixerunt: *Nolite negligere, nolite ceſſare.* ℣.9.10. *Eamus & poſſideamus eam*, terram ſcilicet. *nullus erit labor: intrabimus ad ſecuros*. Dæmon poſſeſſione ſua, cælo nimirum pulſus, *tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*, 1.Pet. 5,8. cui (iuxta monitionem Petri) reſiſtere debemus fortes in fide. Fortis autem nemo eſt ſine cruce, qua ablata, hoſtis nil veritus domus munditiam, tandem intrat & habitat ibi. Eiectus dæmon ab homine, & plantata cruce qua is domus Dei efficitur, *ambulat* liberè Luc. 11, 24. *per loca inaquoſa*, vt Chriſtus teſtatur. Si moralitati venia relinquitur, per loca inaquoſa, homines nulla cruce ſignati, aut aqua tribulationis irrigati, intelligi poterunt, ad quos dæmoni pro libitu ſuo facilè patet ingreſſus, vt in illis ambulet. Nec obſtabit quòd dicatur ibi requiem non inuenire. Cùm enim *circuit quærens quem deuoret*, 1.Pet. 5,8. non quieſcit, niſi hominem inuadat, ex quo deiecta cruce Deum expellat. Sicut enim *nõ dormitabit neq; dormiet qui cuſtodit Iſraël*, ita non luxuriatur dæmon in ijs quos poſſidet tamquam ſuos: nam *abſorbebit fluuium, & non* Iob 40, 18. *minorabitur*, &c. Sæpè legitur Chriſtus oraſſe, & in oratione ſollicitè etiam pernoctaſſe, pro illis nimirum qui ſecure dormiebant: ſemel autem ſe compoſuit de induſtria ad dormiendum, quando ſcilicet Apoſtoli valdè inquietati magna iactabantur tempeſtate, timentes ſingulis momentis à fluctibus abſorberi. *Ecce motus magnus factus eſt in mari*, Matth. 8,24. inquit Euangeliſta, *ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat*. Imò locum dormitioni aptiorem ex propoſito quæſierat. Nam, vt ait Marcus, *erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens.* Mar. 4, 38.

Nec

Nec mirum: certum eſt enim, quòd faciliùs centum tribulati ad portum ſalutis perueniunt, quàm decem ſecuri. Quando igitur Apoſtoli ſecurè dormiebant, ille vigilat, & factus in agonia prolixiùs orabat: quando verò in mari iactabantur magnis fluctibus, ipſe ſecuriùs altè dormiebat.

Iſa. 66, 1.2. 26. *Cælum mihi ſedes eſt* (dicit Deus per Prophetam) *ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Simile. Videbis hominem aliquando, abſoluta cœna, nutabundo capite in ſede focaria dormitantem, qui tandem vt perfecta quiete gaudere poſſit, ſurgens ſe recipit ad cubile & lectum ſuum. In hunc modum videtur Deus in quibuſdam iuſtis: qui, quòd conconſcientia fortè illos non reprehendat, ſecuri ſunt, & tamquam in ſede conquieſcunt; quandoquidem *anima iuſti ſedes ſit ſapientiæ*, vt notauit Bernardus Serm. 27. in Cantica, exponens prædicta Iſaiæ prophetæ verba. vnde Pſalm. 121, 5. Dauid ait: *Quia illic ſederunt ſedes in iudicio.* Porrò anima iuſti etiam cælum vocari poteſt, cùm ſcriptum ſit: Pſalm. 18, 2. *Cæli enarrant gloriam Dei.* item: Iob 26, 13. *Spiritus eius ornauit cælos. Nec mirum*, inquit idem Bernardus, Bernar. *ſi libenter inhabitet cælum hoc Dominus Ieſus, quod vtique non quomodo ceteros dixit tantùm vt fieret, ſed pugnauit vt acquireret, occubuit vt redimeret. Ideo & poſt laborem voto potitus ait*: Pſalm. 131, 14. *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hìc habitabo, quoniam elegi eam.* Porrò ſecuriorem ſomnum capit in pauperculo, & ſpiritu contribulato, ac multis afflictionibus agitato. Ideò ex ſede & cælo, id eſt ex anima iuſti, qui ſecuritate & conſolatione gaudet, reſpicit ad anxium & tribulatum, in quo non dormitet nutabundus, ſed placidè obdormiat, & totus conquieſcat.

27. Impoſſibile eſt vt homo immotus quieſcat, qui vehitur naui multis Diſſimile. fluctibus agitata: econtrà Deus maximè quieſcit in anima, quam multæ tentationes, cruces & paſſiones ſurſum & deorſum ferunt. *Si exprobramini* (inquit Petrus) *in nomine Chriſti*, 1 Pet. 4, 14. *beati eritis; quoniam quidquid eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus, ſuper vos requieſcet.* Ecce in patiente & tribulato, ſpiritus Chriſti tamquam in templo, lecto aut thalamo requieſcit; quia in patiente delectatur, imò triumphat. Non eſt triumphanti in curru moleſta eiuſdem agitatio, ſed quò maiori impetu procedit per publicas plateas, eò magis gloriatur. Videtur Rex, qui curat ſe in lectica geſtatoria deferri, qualem olim ſibi fieri curauit Salomon, de quo dicitur, *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani*, Cant. 3, 9. minùs quidem inquietari; Simile. verùm in curru triumphali, quem tumultuosè trahunt animoſi leones, aut celeres cerui, quibus olim famoſi Principes pro meritis ſuis honorari ſolent, anima illius conquieſcit & delectatur. In hunc modum, etſi Deus cum iuſtis ſit in tribulatione, & cũ S. Ignatio à leonibus trahatur & laceretur, tamen delectabiliùs in illis recreatur tamquam in curribus triumphalibus, qui in hoc mundo ad magnum honorem illius tumultuantur.

28. Fortè dicet aliquis, quòd implicet, Deum in iuſto, qui magnas patitur tribulationes, placidè quieſcere. Cùm enim dicat, *cum ipſo ſum in tribulatione*; Pſalm. 90, 15. quomodo erit in quiete? Reſpondeo, non ob aliam rationẽ quieſcere dicitur Deus in tribulatis, quàm quòd de illorum finali ſalute ſit maior ſecuritas. Scriptum eſt enim: *Per mul-* Act. 14, 21.

tas tribulationes oportet nos intrare in
Simile. *regnum Dei.* Cùm multi ſint qui veniunt ad aulam, vt habeant acceſſum ad Regem, vix vnus decrepitus aulicus lectica geſtatoria in quiete adducitur, reliqui omnes arceris tumultuantibus, Belgicè *Rosbaeren*, non ſine magna concuſſione aduehuntur. Honoratur autem Rex non tam melancholicis lecticis, quàm ſtrepitu & tumultu, quem ante aulam edit curruum & arcerarum multitudo. Eodem modo ex centum iuſtis, qui tendunt ad aulam æternæ gloriæ, vix vnus in ſella geſtatoria tranquillus perueniet. In figura huius miniſterio currus &
4 Reg. equorum igneorum *aſcendit Elias*
2,11. *per turbinem in cælum.*

29. Non eſt ſurda aure pertranſeundum, quòd Spiritus ſanctus magnam tribulationum neceſſitatem ſignificet, cùm ait, quòd per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei. vnde benè infert Hieronymus in Epiſt. ad Ocean. de ferendis
Hier. opprobrijs: *Si per multas tribulationes quibuſdam aditus regni cælestis aperitur, illis vtique clauditur, qui nolūt ſuſtinere vel paucas.* Si oportet nos per multas tribulationes intrare ad regnū Dei, non licet igitur murmurare quando immittuntur, alioquin ad æternas perueniemus pœnas, pro quibus has tranſitorias damnati loco magni beneficij reciperent, ſi concederentur. Ægrè ferunt vinipolæ in Germania qui vina propinant, ſi hoſpites quod primum apponunt, vt inſipidum & acerbum vituperant: ideò ſemper peius & peius hauriunt, donec repetendo quod priùs propinatum erat, cogantur fateri illud bonum & ſapidum fuiſſe.

Simile. 30. Nota, quòd Deus hominibus degentibus in hac vita propinet ſubindè vinum quidem ſalubre, ſed infirmis mentibus inſipidum. de quo Dauid loquens ait: *Oſtendiſti populo tuo* Pſalm.
dura, potaſti nos vino compunctionis. 59.5.
Delicatulus nimis conqueritur, quaſi Deus duriùs cum illo ageret, immittens & permittens tribulationes. vnde fit quòd ſæpè acerbiora illi propinantur, quæ niſi forti animo ferat, tandem in purgatorijs pœnis cogetur deſiderare omnes afflictiones huius vitæ, & fateri illas dulces & ſuaues iudicari debere. In illum enim finem permittit pios tribulationibus concuti & acerbo compunctionis vino affligi, vt inde noſcant & declinent acerbitatem Purgatorij. Si enim duriùs tractat pios & ſanctos tempore miſericordiæ, quomodo cum illis aget tunc quando erit tempus ſtrictæ iuſtitiæ? Ideò benè ſubdit Dauid: *Dediſti metuentibus te ſi-* Pſalm.
gnificationem, vt fugiant à facie arcus. 59.6.
Tunc fatebuntur ſecum miſericorditer actum fuiſſe, dum eis vinum compunctionis in hoc mundo propinaretur, & cauſam Dei iuſtificantes, ſeque de imprudentia arguentes, dicent: *Quia non ſunt condigna paſſiones huius* Rom.
temporis ad futuram gloriam, quæ re- 8,18.
uelabitur in nobis.

31. Maria quæ *ſtabat iuxta cru-* Ioan.
cem, ex illa hauſit non modò multas, ſed 19,25.
& magnas tribulationes, vt ſciamus, legem hanc eſſe indiſpenſabilem, & immutabile Dei decretum, quo firmiter ſancitum eſt, quòd *per multas tri-* Act.14.
bulationes oportet nos intrare, &c. ſine 21.
quibus ſalus noſtra periclitatur, ad quam (vt dictum eſt) concuſſi & agitati peruehi debemus in arceris & curribus triumphalibus, non ſuauiter aſportari in ferculis aut lecticis geſtatorijs. *Empti enim eſtis pretio magno* 1.Cor.
(dicit Paulus) *glorificate & portate* 6,20.
Deum in corpore veſtro. Non ſolùm portatur, ſed etiam glorificatur in tribulatis

Digitized by Google

bulatis tamquam in curribus triumphalibus. Delicatuli verò, qui tamquam infirmi aduerſa nimis timent,
2.Cor. 4.7. *habent theſaurum iſtũ in vaſis fictilibus.* Minùs ſecurè cuſtoditur liquor, qui
Simile. fragili vaſculo committitur. Ad exemplum igitur Virginis ſtantis iuxta crucem, accedamus propiùs, vt per ignem charitatis, quam Crux Chriſti vbique ſpirat, ſolidemur magis, & excitemur ad portandum fortiter iugum Chriſti, quò requiem animabus noſtris inuenire poſſimus, &c. Amen.

DISCVRSVS IV.

Sicut crux plantata templum Deo conſecratum oſtendit, ita homo Dei domum ſe eſſe probat, qui in accipienda & ferenda cruce conſtantiam Mariæ imitatur.

32. DIXIMVS in præcedenti Diſcurſu, quòd Deus ſit cum tribulatis, & in illis quaſi in lecto conquieſcat; non mirum igitur debet videri, ſi ſpeciali aliquo titulo tribulati ſint & vocentur domus Dei, quibus inhabitat. Porrò Chriſtus verus Deus, vt in his domibus habitare poſſit, domum non manufactam æternã, quam habebat in cælis, eo ſenſu dimiſit, quo intelligi poteſt quod per Ieremiam ait,
Ierem. 12,7. dicens: *Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam.* quæ verba ad literam ſignificant deſertionem obſtinatorum Iudæorum, tamen ſenſu ac-
Hugo Cardin. commodatitio eadem exponens Hugo Cardinalis, putat per illa Chriſtum indicare quod *propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit* de cælo, & reliquit cæleſtem Ieruſalem, imò ſinum Patris vel etiam Angelorum cohabitationem, quantum ad præſentiam naturæ aſſumptæ ſcilicet. Non enim in cælis, ſed in *terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Baruch 3,38.
Imò *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Ioan. 1,14. Nam *nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Hebr. 2,16.

33. Mira Chriſti dignatio, qui, relicta domo cæleſti de qua Propheta exclamans ait, *O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſsionis eius! Magnus eſt, & non habet finem; excelſus & immenſus*, nòn ſolùm nouem menſibus habitauit in Virgine Maria, ſed etiam in nobis, miſeris caſis & luteis tuguriolis, habitare non dedignatur. Baruch 3,24. 25.

34. Nota, quòd Deus quidem eſt in multis, imò in omnibus, vnde Auguſt. lib. 1. Confeſſ. c. 2. ait: *Quid peto quòd venias in me, qui non eſſem niſi eſſes in me?* In paucis tamen tamquam in domo ſibi dedicata habitat. In principio prædicationis Chriſti legimus, quòd *audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum.* Tenebantur magno deſiderio ſocialis conuerſationis illius, vt poſſent illum audire, & vlteriùs ab eo inſtrui. *Conuerſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis?* Nouit benignus Dominus, eos ſubuereri tãquam ignotos & rudes, & ideò præuenit eos ſua clementia, & conuerſus ſe offert eis qui necdum interrogabant, qui proinde ex hac benigna conuerſione animoſiores effecti, dixerunt: *Magiſter vbi habitas?* Indicant quòd volebant doceri, ideò rogant de loco habitationis, vt opportunè poſſent ſuo tempore ei colloqui. *Nolunt enim tranſitoriè vti eius magiſterio* (inquit Alcuinus, quem citat S. Thomas in Catena) *ſed inquirunt vbi maneat, vt & tunc in ſecreto, verbis illius imbui, & exinde ſæpiùs poſſent eum viſitare, &* [Auguſt. — Ioan. 1, 37. — ỳ. 38. — Ioan. 1,38. — Alcuin.]

plenius inſtrui. Addit autem idem Doctor ad propoſitum noſtrum, quòd ſenſu myſtico *volebant ſibi oſtendi, in quibus hominibus ſcilicet Chriſtus habitet, vt eorum exemplo ſe tales exhibeant.*

35. Ab hac ſollicitâ inquiſitione ſumus liberati per mortem & crucem Chriſti. Sicut enim nullus eſt qui ignoret quòd ſacramentaliter habitet in templis & domibus cruce materiali inſignitis, quæ ſtatim erigi & plantari ſolet, quando domus aliqua à communi hominum inhabitatione ſegregata, Deo conſecratur & dedicatur; ita *in maleuolam animam non introibit* quidem *ſapientia, nec habitabit* in *corpore ſubdito peccatis:* imò quod plus eſt, nec continuæ habitationis locum accipiet *in terris ſuauiter viuentium.* In illis verò habitabit confidenter, in quibus aut per immiſſas à Deo, aut per voluntarias ab homine aſſumptas afflictiones, crux Chriſti erecta aut plãtata apparet.

Simile. *Sap. 1, 4* *Iob 28, 13.*

36. Domus Regis aut Principis alicuius manifeſtatur per pompoſam illius fabricam, domum autem Dei ſola crux ante fores plantata, aut in culmine eius erecta probat. Mundana vanitas, & ſæcularis veſtimentorum pompa benè indicat, quòd Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, aut princeps huius mundi, quem Chriſtus, quantum eſt in ſe, per paſſionem ſuam eiecit foras, ſubinde in aliquo habitet; quòd autem Deus in homine habitationem ſibi fecerit, ſola tribulatio patienter amore crucifixi tolerata manifeſtat. Nam Apoſtolus ait: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.* Non eſt tam pompoſa fabrica in toto mundo, quam ſummus Pontifex accipiet, vt ex illa fiat templum aut domus Dei, ſi is qui eam conferre vult, nolit crucem in illa plantari. Eodem modo Chriſtus, Pontifex futurorum bonorum, neminem accipit tamquam locum & domum continuæ manſionis, quantumuis fuerit ſanctus & virtutum ornamentis ornatus, niſi crux in illo collocata fuerit. Nam *qui non accipit crucem ſuam* (inquit) *& ſequitur me, non eſt me dignus,* continuo ſcilicet habitatore.

Simile. *Simile.* *Gal. 5, 24.* *Simile.* *Matth. 10, 38.*

37. Venerabile Sacramentum aliquando defertur quidem ad domum infirmi, vt Chriſtus ſit illi conuiua & medicus; verùm non moratur ibidem tamquam in domo propriæ habitationis, ſed ſtatim iterùm defertur ad templum & locum ſigno Crucis inſignitum. Eodem modo aliquibus Chriſtus vt medicus, vel etiam vt hoſpes & ſocius menſæ, ad breue tempus adeſt; ſoli autem tribulati, & mortificationem Chriſti in corporibus ſuis circũferentes, eum in ſe habent vt domeſticum. Talis erat Paulus, qui aiebat: *Ego enim ſtigmata Domini* noſtri *Ieſu* Chriſti *in corpore meo porto.* item: *Chriſto confixus ſum cruci: viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Nota, viuit, non tantùm conueſcitur vt hoſpes & conuiua; nec vt Medicus curat ſolùm & ſanat, ſed viuit in me, inquit, quod continuam manſionem & inhabitationem ſignificat.

Simile. *Gal. 6, 17.* *Gal. 2, 19, 20.*

38. Non aurum vel argentum, non picturæ artificioſæ, aut alia quælibet pretioſa ſupellex probat locum aliquẽ Deo conſecratum eſſe, ſed ſola crux, maximè quæ foris apparet, omnibus clamat, & domum eſſe Dei, ipſumque ibidem habitare. In hunc modũ opera charitatis per aurum ſignificata, nec gratia verbi aut ſacra eloquia ab illa procedentia, quæ argenti nomine honorantur, ſecundùm illud: *Eloquia Domini, eloquia caſta; argentum igne exami-*

Simile. *Pſalm. 11.*

examinatum. Imò nec alia ſpiritualis domus ſupellex, ſi crux deſit, ſufficiens teſtimonium præbent hominem aliquem Deo in domum, cui inhabitet, dedicatum eſſe. Aliud enim eſt nos illum habere, aliud autem eum inhabitare, ſedemque permanentem in nobis figere.

39. Non deſunt homines, quales
Pſalm. erant tempore Dauidis, de quibus ille
48,19. ait: *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei.* Si autem crucem volueris plantare in ſignum continuæ habitationis, omni conatu poſſibili ei renitentes, oſtendēt
Lucæ ſe de illorum numero, qui *ad tempus*
8,13. *credunt, & in tempore tentationis recedunt*. Verùm qui cruce conſignati ſunt, probant ſe domum Dei eſſe, &
Tob. oſtendunt eum ſibi inhabitare. *Quia*
12, 13. *acceptus eras Deo* (inquit Angelus Tobiæ) *neceſſe fuit vt tentatio probaret te*: vt tu & omnes poſteri tui ſcilicet ſcirent cuius domus ſis. Nam per tentationes & cruces fit quod ait Dauid:
Pſalm. *Deus in domibus eius cognoſcetur, cùm*
47,4. *ſuſcipiet eam*, qui, vt dictum eſt, nullam domum ſuſcipit, niſi in qua de conſenſu dantis crux plantari poteſt.
Hebr. vnde Paulus ait: *Flagellat autem om-*
12,6. *nem filium quem recipit*.

40. Hinc factum eſt, quòd vix legatur domum aliquam in numerum ſuarum acceptaſſe, ad quam non miſit ſpiritualem crucem. Priuſquam accepit poſſeſſionem domus & familiæ Euangelici Centurionis, præmiſit, imò firmiter plantauit in ea crucem, infirmitatem ſerui ſcilicet, de quo ait Lu-
Luc.7,2 cas, quod *malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretioſus*. Cruce igitur plantata, claris verbis indicauit ſe poſſeſſio-
Matth. nem illius ſuſcipere, dicens: *Ego ve-*
8,7. *niam, & curabo eum*. Domum mulieris Chananææ deſiderabat, in qua etiam perfectam manſionem obtinuit. Nec mirum, cùm ſuæ habitationis ampliſſimam perſoluens mercedem, dixerit: *O mulier, magna eſt fides tua!* Matth.
fiat tibi ſicut vis. Porrò crucem in ea 15,28.
plantatam fuiſſe, expreſsè fatetur, dicens: *Filia mea malè à dæmonio ve-* Ibid.22
xatur.

41. Porrò notandum eſt, quòd mediante cruce hi & plures alij ad veram fidem promoti ſint. Teſtatur autē Paulus, *Chriſtum habitare per fidem in cor-* Epheſ.
dibus veſtris. Nec debet nos monere, 3,17.
quòd in aliquibus crux plantata legatur, qui adhuc fide erant deſtituti (*ſine* Hebr.
fide autem impoſſibile ſit *placere Deo*, 11, 6.
aut illum ſibi inhabitantem habere.) Nam etſi aliquæ domus necdū actuali poſſeſſione ſuæ ſint, tamen vbi crucem plantat, quam reprobi contemnunt (*Verbum enim crucis pereuntibus* 1.Cor.
ſtultitia eſt (teſte Paulo) *ijs autem qui* 1,18.
ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt) ſaltem ad illum pertinent, nempe ſecundùm æternam prædeſtinationem. Talis fuit domus & familia Reguli, cuius filius infirmabatur Capharnaum, qui etſi magna cruce affligere-
tur (*incipiebat enim mori*) filius eius; Ioan.4,
de fidei tamen defectu adhuc argue- 47.
batur à Chriſto, qui dicebat roganti, vt deſcenderet & ſanaret infirmum:
Niſi ſigna & prodigia videritis, non Ibid.48
creditis, ſed mediante cruce tandem
credidit ipſe & domus eius tota, adeò vt v.53.
nullus in ea fuerit angulus, quem Deus actuali poſſeſſione nō occuparet.

42. Ex huius domus conuerſione meritò magnum gaudium ortum eſt in cælis coram Angelis Dei, qui ſi
gaudent *ſuper vno peccatore pœniten-* Lucæ
tiam agente, quantò magis gauiſi ſunt, 15,7.
videntes totam illius Reguli aulam cruce ſignatam, Deo in domum & locum continuæ manſionis ceſſiſſe? Sed etiam ipſe Regulus meritò, ſuſcepto

Digitized by Google

tali inhabitatore, valdè gauiſus eſt. Nam oblata cruce ſanato ſcilicet filio, honorata fuit domus illius continua manſione eius qui crucem plantauerat. vnde occurrit hîc differentia notanda inter domos materiales, quæ ſuſcepta cruce fiunt domus Dei, & homines, apud quos mediante cruce ſumit poſſeſſionem.
Diſſimile. Ab illis enim quamdiu Deo dicatæ manent, crux ſemel plantata numquam deijcitur. Hi autem quia non ſolùm Deo inhabitatore ſed etiam conſolatore gaudent, ſubinde ſunt ſine tribulatione & cruce: quæ etſi aliquando vſque ad mortem ad ſecuriorem domus cuſtodiam manet, tam libenter tamen portatur, vt non rarò Chriſti cruciger in ea glorietur.
Gal.6, 14. *Mihi autem abſit gloriari* (inquit Paulus) *niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

43. Ceterùm vt conſtantiam B. Virginis,
Ioan. 19,25. quæ ſtetit *iuxta crucem Ieſu*, imitemur, quæ tam altas radices in ea fixit, vt toto tempore quo vixit in hoc mundo, nihil vmquam gladium doloris, qui pertranſiuit animam eius, hebetauerit, aut compaſſionem eradicauerit, ſciendum eſt quòd Deus nuſquam habeat ſecuriorem domus alicuius poſſeſſionem, quàm quæ ab hoſtium impulſione continua crucis erectione defenditur. Vnde notanter Chriſtus monuit, vt quotidie crucem eius portet qui ſecurè ipſum ſequi &
Lucæ 9,23. ſalutem conſequi deſiderat, dicens: *Si quis vult venire poſt me*, inquit, *abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie.*
Caiet. Putat Caietanus, quòd aduerbium *quotidie* ibi ſuperfluat, cùm
Tolet. tamen Toletus Annot. 46. affirmet illud communiter haberi in exemplaribus Græcis, & in plurimis Latinis. Certum eſt autem, quòd illud *quotidie* faciat conuenientem ſenſum, & propoſito noſtro accommodatum.

44. Non ignorabat Paulus, Deum ſecuriorem obtinere poſſeſſionem & habitationem in nobis per continuam crucis deportationem. Pro quo nota, Simile.
quòd nemo inſtet vt emere poſſit aut conducere domum, in qua Crux poſita teſtatur quòd Deo inhabitationem cedat. Vnde ab omnibus meritò vt inſanus eſſet exſibilandus mercator, qui, oblata etiam ingenti auri & argenti maſſa, deſideraret ſibi vendi cathedralem v. g. aliquam Eccleſiam. Eodem modo homo per crucem expeditur à multis ſollicitatoribus. *De cetero nemo* Gal.6, 17.
mihi moleſtus ſit, inquit Paulus: *ego enim ſtigmata Domini* noſtri *Ieſu* Chriſti *in corpore meo porto.* qui proinde benè monet, vt per crucem omnibus, qui fortè locum apud nos prætendiſſent, ſpem aliquid obtinendi, quod ſenſualitatem ſapit, adimamus, dicens: *Sem-* 2.Cor. 4,10.
per mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.

45. Palatia Regum & Principum, & aliæ huius mundi magnificæ domus, facilè reuoluuntur ab vno ad alium, & nunc bonus & iuſtus, nunc verò impius aliquis eas inhabitat. Vnde olim Ieremias inter cetera lamen- Simile.
tatus eſt triſtes Prouinciarum ſuarum viciſſitudines, dicens in perſona gentis ſuæ: *Hereditas noſtra verſa eſt ad* Thren. 5,2.
alienos, domus noſtra ad extraneos. Eodem modo domus, ex qua dæmon pulſus eſt, quamquam fortis armatus occupat, ſi ſolùm ſcopis mundetur & ornetur, Cruce verò non muniatur ab eodem, qui aſſumit ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe, iterùm facilè occupari poteſt, vt dictum eſt Diſcurſu III. non ſic Templa & domus Dei à ſacris ad profanos vſus deueniunt.

46. So-

Simile. 46. Solent indeuoti Principes ſe valdè opponere multiplicationi locorum ſacrorum & domorum Cruce conſignatarum, quarum poſſeſſionem Deus ſuſcipit. Mouentur autem ex eo, quòd non ignorent ex illis nulla vectigalia aut gabellas ſibi ſoluendas eſſe; & quòd ferè ſint deſperatæ recuperationis. Eodem modo princeps huius mundi valdè odit homines cruce conſignatos, & Deo conſecratos, quòd parum aut nihil de ijs contributionis ſperet, & poſſeſſionem illorum ferè deſperet.

47. Alia autem eſt ratio, ob quam dæmon crucigeros tanto odio proſequatur, vnde etiam illorum felicitas apparet; nimirum quòd vnus qui crucem animosè tollit, alios efficaciter ad crucem ferendam excitet. Difficulter Simile. obtinet Deus nouam domum materialem in ciuitate, in qua multæ ſunt quæ illi per crucis plantationem conſecratæ ſunt, facilè autem Paulus aut Franciſcus aliquis, qui per ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti oſtendunt ſe crucigeros & Deo conſecratos, multos alios ſuo exemplo mouent ad ſuſceptionem crucis. Quàm multos quàm citò mouit ad pœnitentiã Crux, quæ in corpore Franciſci per manum Altiſſimi complantata fuit?

48. In hac materia docendi via per exemplum & efficacior & compendioſior eſt. Non ignorauit hoc Macarius Abbas, de quo refert Socrates l. 8. Hiſt. tripart. c. 1. quòd ad eum venerit iuuenis quidam Religioſus abſtinentiæ & ferendæ crucis pertæſus, quem nullo alio medio ad reſumendam & conſtanter ferendam crucem animare potuit, quàm exhibitione & oſtenſione ſuæ crucis. *Confide*, inquit, *fili, per annos viginti ego neque pane, neque aqua, neque ſomno ſatiatus ſum.* (Historia tripart.)

Non eſt dubium, quin Sancto illi valdè moleſtum fuerit, quòd ſeipſum commendaret, ſed quia proximi ſalus hoc exigebat, dicere potuit cum Paulo: *Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis: ego enim à vobis debui commendari.* Ad exemplum igitur Sanctorum, & B. Mariæ, quæ ſtetit iuxta crucem Ieſu, etiam nos crucis erectione & continua mortificationis Ieſu Chriſti in corpore noſtro deportatione, manifeſtemus illum in nobis tamquam in domo viuere & habitare, ſperantes pro mercede, ſi fortè per cruces & tribulationes parum citiùs *terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis*, &c. Amen. (2. Cor. 12, 11.) (2. Cor. 5, 1.)

DISCVRSVS V.

Maria ſtans iuxta crucem, docet per humilitatem, vanam ſui oſtentationem fugiendam eſſe, & amicitiam cum Deo ſemel initam conſtanter continuari debere.

49. BEATA Virgo iuxta crucem Ieſu multas virtutes exercebat & docebat. Inter alias ſplenduit in illa profundiſſima humilitas, adeò vt ad pedem crucis conſtituta dicere potuiſſet: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Quis eſt ille Rex, inquit noſter Murillo tom. 2. de Excellentijs Matris Dei, tract. 8. Diſcurſ. III. niſi Chriſtus in monte, qui iam non ſolùm puerorum acclamatione intrans Ieroſolymam, & ſedens ſuper aſinam, ſed etiam tituli ſcriptione à Pilato Rex appellatus eſt? *Scripſit & titulum Pilatus* (dicit Euangeliſta) *& poſuit ſuper crucem.* (Cant. 1, 11.) (Muril.) (Ioan. 19, 19.)

Erat

Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Quis autem fuit accubitus, quo tunc decumbebat, niſi crux in qua corona ſpinea capiti eius loco ceruicalis ſuppoſita erat? Ipſo igitur exiſtente non in lecto honoris & gloriæ, ſed horroris & contumeliæ; nardus, id eſt odorifera Mariæ humilitas, mirum ſparſit & ſpirauit odorem, quandoquidem omnibus manifeſtauit matrem ſe eſſe illius qui fa-
Pſalm. ctus erat, *opprobrium hominum, & ab-*
21,7. *iectio plebis*: & qui pendens in medio
Marc. duorum latronum, ſecundùm prædi-
15,28. ctionem Iſaiæ, *cum iniquis reputa-*
Iſaiæ *tus eſt*.
53,12.

50. Latebat domi humillima Virgo, quando Filius eius in monte Tha-
2. Pet. bor accipiẽs *à Deo Patre honorẽ & glo-*
1,17. *riam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi*
Matth. *à magnifica gloria: Hic eſt filius meus*
17,5. *dilectus, in quo mihi complacui, ipſum*
℣. 2. *audite. & reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*, triumphauit. Adfuit autem ſtans iuxta crucem inter infames carnifices, excipiens auribus opprobria, quibus filium quaſi maledictum impetebant. Humilis Virgo, vt in ſui contemptu gauderet, pendentis in crucem ſe matrem eſſe teſtata eſt. Ignorabatur, cùm facies Filij ſui reſplenderet vt Sol: ſed ab omnibus agnita fuit, quando tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, & omnes creaturæ quodam modo conabantur ignominiam illius contegere, de quo ait Pro-
Iſaiæ pheta: *Nos putauimus eum quaſi lepro-*
53,4. *ſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum*.

51. Longè abeſt mundana vanitas ab hac Virginis humilitate & modeſtia. Solent enim filij Adam aliquando mendacio ſibi claram & nobilem parentelam tribuere, obſcuros verò conſanguineos erubeſcere. Ita penetrauit hoc venenum, quòd etiam corda puerorum infecerit. Memini de quodam, qui vix octennis ita propriæ matris, *cuius non erat extrinſecus capillatura aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus*, pudebat, quòd mentiretur eam ancillam domeſticam ſuæ paternæ familiæ eſſe. Quid mirum, cùm etiam Petrus Apoſtolus trina negatione iuramento confirmata, notitiam ſui magiſtri iam captiuitate, vinculis & contumelijs obſcuri diſſimulauerit, quo in monte Thabor veſte, vultu, & cæleſti teſtimonio ful-
gente, dicebat: *Domine, bonum eſt nos* Matth.
hic eſſe? 17,4.

52. Ab hac humillima Virgine diſcamus omnem oſtentationem declinare, & ſi quid ad noſtri contemptum facit viriliter pandere, vt ita humilitatem nõ ſolùm cuſtodire, ſed etiam augere poſſimus. Nota, quòd ſui oſtentatio ſæpè ſit ſeminarium & occaſio
vilipenſionis. In Annalibus Franciæ re- Annal.
fertur, quòd Ludouicus XII. Galliæ Franciæ.
Rex quodam tempore audiebat, Bearnenſes & Pictones homines obſcuros de generis ſplendore gloriari, & ſe nobilibus quibuſdam annumerare: quorum iactantiam non ferens modeſtus Princeps, dixit: *Decem iſtiuſmodi Nobilibus vnicus enſis ſatis ſuperque fuerit*. Quibus verbis obiecit illis ſuam vilitatem, & tam raram rerum benè geſtarum ac virtutum, quibus homo verè nobilitatur, ſupellectilem, vt ex decem illis vix aliquis beneuolus ſcrutator inuenire & colligere poſſet, quæ ad ornatum vnius viri nobilis requiruntur.

53. Quantò quis vilior, tantò in ſui oſtentatione impudentior eſt. Quò Sol terræ, quæ eſt elementorum omnium infimum, propinquior, eò maiores

iores facit vmbras, vt videre eſt manè & veſpere. Eodem modo, quò quis viliori parentelæ vicinior, eò magis iactantiæ ſuæ & emendicatæ nobilitatis vmbras protendere conatur. *Simile.* Sana & plena oua ſidunt & fundum petunt, corrupta aut vacua fluitant: ita ſani & integri virtute & probitate ſeſe occultant cum Maria, dum occaſio offertur gloriæ & honoris; homines autem corruptis moribus & pietate vacui occultant & ſubducunt ſe, dum periculum imminet contemptus & abiectionis, & ſeipſos ſtultè produnt, cùm ſpes *Simile.* fulget vanæ auræ: chamæleonti ſimiles, vix aliquid intus habenti præter pulmonem, quo continua auræ & aëris attractione & ſpiratione occupatur.

Plinius. 54. Refert Plinius lib.8.c.24. quòd *Diſſimile.* Bucephalus equus Alexandri Magni, quoties nudus erat, contemptibiles agaſones manſuetè ſuſcipiebat portandos, verùm ornatus regijs phaleris contra illos ferociens, ſolum Regem ipſum ferebat. Econtrà quando homo intus nulla virtute ornatus eſt, dedignatur, ſi quos habet conſanguineos tenues & abiectos, & ſolos magnos agnoſcit tamquàm ramos arboris ſuæ proſapiæ; illis adeſt, cum ipſis familiaritatem & amicitiam nutrit: ſi autem intus anima illius veſtita eſt duplicibus, & mira virtutum varietate ornata, tunc etiamſi quis amicorum aut parentum ad extremam deuenerit vilitatem, verbis & factis ſe conſanguineum illius profitetur, ad imitationem Mariæ, quæ ſtetit iuxta crucem Ieſu, quando infame mortis ſupplicium ſubibat.

55. Ceterùm ſtans iuxta crucem Ieſu non ſolùm humilitatem docet, ſed etiam proponit nobis conditio- Prou. 17.17. nem veræ amicitiæ. Dicit Sapiens: *Omni tempore diligit qui amicus eſt, & frater in anguſtijs comprobatur.* Breuiter prædictis verbis deſcribit Sapiēs conditionem veri amici, quem diſtinguit à ficto & temporario. Verus amicus diligit tempore aduerſitatis ſicut tempore proſperitatis. vnde Seneca ait: Seneca. *Amicos ſecundæ res optimè parant, aduerſæ certiſſimè probant. Equi vſum aſperitas viæ probat* (dicit Menander) *& amicum beneuolum calamitates decernunt.* Videbis aliquando nobiles *Simile.* equos in via plana non ſatis manſuetos, quorum petulantiam ſine obmurmuratione fert prudens ſeſſor, expertus quòd per vias difficiles & fragoſas animosè pertranſeant, & ſeſſori ſuo fideliter ſeruiant, in quibus alij equi luto hærent, qui per faciles vias ſe benignos & manſuetos ſolent exhibere. Verus amicus tempore proſperitatis minùs benignum & affabilem ſe præbet, rariùs viſitat, compendioſiùs colloquia abſoluit, ſed ſi occurrit aliquid aduerſi, tunc toto conatu & omnibus viribus amico ſuo eſt ſolatio & ſeruitio.

56. Nota, quòd vbi vulgaris lectio habet, quòd *amicus & frater in anguſtijs comprobatur*, ℣. 17. ex Hebræo tranſlatio Vatabli legat, *& frater ad anguſtiam naſcetur.* Videtur hîc magnam differentiam innuere amicorum, qui tempore proſperitatis ſe manifeſtāt, & qui permanent in aduerſitate. Quem- *Simile.* admodum enim infans cōcipitur cum voluptate, ſed non niſi magnis doloribus editur in lucem & naſcitur: ita amicos concipere tempore proſperitatis, facilè eſt & iucundum, tempore verò aduerſitatis illos veros amicos experiri, arduum valdè: in aduerſitate enim naſcuntur, qui ventis proſperè flantibus concipiebantur.

57. Conſtantiſſima Virgo Maria tempore ſummæ aduerſitatis indicat amici-

amicitiam veram erga Filium, qui patiebatur & pendebat in cruce, quam tempore proſperitatis magna cum iucunditate conceperat, quando nimirum increatum Verbum Angelo nuntiante carnem ſuſcepit; ſed iuxta crucem non ſine vehementiſſimis doloribus peperit. Vnde Damaſcenus lib. 4. de Fide c. 15. *Quos* (inquit) *dolores* Damaſcenus. *beata Virgo in partu non habuit, iuxta crucem ex compaſſione in anima ſuſtinuit.*

58. Petrus (vt dictum eſt) concepit amicitiam cum magna iucunditate tempore glorioſæ Transfigurationis Christi, item in menſa vltimæ Cœnæ, Matth. 26,35. Lucæ 22,33. quando dixit: *Etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.* Certè his verbis Petrus, qui Matth. 26,56. fuit lepus in pugna, quando, *relicto eo, omnes fugerunt*, oſtendit ſe leonem in menſa, ideò non habebat omnes veri amici conditiones; non enim diligebat omni tempore, quod amicorum Simile. eſt. Puellis comparari poſſunt infirmi amici, qui ad ripas fluminum tempore æſtatis deambulant, vt floribus ſinum & tempora adornent, verùm hiemis tempore dum rigent omnia, floreſque deſunt, ripas iſtas non ampliùs perambulant. Alludit ad ſimiles temporarios amicos Iſaias, vt videtur, Iſa. 15, 6. quando ait: *Aqua Nemrim deſerta erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interyt.*

59. Vt claudam Diſcurſum hunc, nota, humilem amicitiā B. Virginis ſimul & conſtantiam eius iuxta crucem Ieſu. Non recuſat Ioannem recipere in filium, ad inſtantiam eius qui dice- Ioan. 19,26. bat: *Mulier, ecce filius tuus.* Non contemnit Ioannem, etſi ſanctitate & perfectione Filio ſuo, qui moriebatur in cruce, ſine comparatione inferiorem, nec illi obiecit ignauiam ſuam, quam cum reliquis Apoſtolis in captiuitate Christi, dum *relicto eo omnes fugerunt*, Matth. 26,56. oſtendit. Sed ſeipſam obtulit in matrem ei qui ab *illa hora recepit eam* Ioan. *in ſua.* 19,27.

60. Timent homines, præſertim militares, quòd ſuæ conſtantiæ & fortitudini præiudicium ferrent, ſi imbecilliori amicitia iungerentur, quē proinde vt conſortio ſuo indignum ſubinde contemnunt. Et ita fit, vt dum volunt fortes ſe oſtendere, deſinant eſſe humiles. Refert Plutarchus in Alci- Plutarc. biade, quòd capto Helleſponto, & Lacedæmonijs in fugam verſis, in tantum criſtas erexerint milites Alcibiadis præ victoria inſolentes, vt dedignarentur alijs militibus ſubinde ab hoſte victis ſe commiſcere. Maria inuicta mulier, terribilis vt caſtrorum acies ordinata, quæ contriuit caput ſerpentis, non eſt dedignata Ioannem in filium ſibi adoptare, quem timor cum alijs ſuperauerat, & relicto Christo in fugam verterat.

61. Ceterùm, ſicut Maria humilitatem & fortem amicitiam oſtendit erga Chriſtum in cruce ſuſpenſum; ita poſt mortem eius illam continuat erga omnes miſeros & peccatores, quorum mater non confunditur appellari, cuius tanta eſt in charitate firmitas & conſtantia, vt aquæ multæ eam numquam extinguere poſſint. Imitatur Chriſtum, qui ex humilitate miſeros tamquam fratres ſuos agnoſcit. Vnde ſcriptum eſt: *Non confunditur fratres* Heb. 2, *vocare eos, dicens: Nuntiabo nomen* 11. & *tuum fratribus meis.* qui ergo mortem 12. moriendo deſtruxit, triumphans per reſurrectionem de omnibus hoſtibus ſuis, non eſt dedignatus meticuloſos ſuos diſcipulos, nec amicitiam ſemel cum eis initam retractauit. Nam *omni* Prou. 17,17. *tempore*

Ioan. 20,19. *tempore diligit qui amicus eſt. Cùm ergo ſerò eſſet die illa, vna Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis*, &c. Amen.

DISCVRSVS VI.

Vt Christus in capite libri prædeſtinationis ſcriptus Dei voluntatem perfectè compleuit; ita Maria nobis præbens exemplum conſtantiæ, in omnibus ſe illi conformauit.

62. Ad pedem crucis docet Virgo Maria perfectam reſignationem propriæ voluntatis, per quam Chriſtus Filius eius opus redemptionis noſtræ humiliter cœpit, cœptum continuè promouit, promotum feliciter conſummauit. qui, vt ait Paulus, dixit: *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Hebr. 10,7. Quàm plenè autē Dei voluntati fuerit reſignatus, patet ex verbis Dauidis, à quo Paulus ſua deſumpſit, quæ ſic habent: *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Pſalm. 39,8. & 9. Quantæ dignitatis ſit hæc virtus, hoc inde patet, quòd in capite libri primo & honoratiori loco ſcripta & Chriſto commendata ſit. In libro æternæ prædeſtinationis (inquit Chriſtus) de me præordinatum eſt, vt facerem voluntatem tuam vſque ad ignominioſiſſimam mortem. Manifeſtum eſt (vt notauit Titelmannus noſter) eſſe librum quemdam prædeſtinationis & vitæ apud Deum, de quo intelligi poſſunt verba Moyſis, quando zelans ſuorum ſalutem dixit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem ſcripſiſti*: Titelm. Exod. 32,31. 32. & Dauidis, qui videns præuaricantes tabeſcebar, adeò vt pietati Moyſis aduerſari videretur, quando ait: *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* Pſalm. 68,29. Ad hunc librum reſpiciebat Chriſtus, quando Apoſtolis iuſtam gaudendi occaſionem aſſignans, ait: *In hoc gaudete, quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Lucæ 10,20. Benè vocatur prædeſtinatio diuina liber quidam, quia ſicut in libro ſcientia ſcripta ſemper vniformiter manens non variatur, ita diuina prædeſtinatio inuariabilis perſeuerat, ſecundùm quam nec prædeſtinatus damnari, nec reprobus poteſt ſaluari, in ſenſu compoſito, etſi hæc viciſſitudo non ſit inconueniens in ſenſu diuiſo, vt docent Theologi poſt Magiſtrum in 1. diſt. 40. Simile.

63. Notandum eſt autem, quòd in hoc libro omnes prædeſtinati non ſolùm ſint conſcripti, ſed etiam media quibus ad ſalutem peruenient. Hinc Chriſtus non dicit ſimpliciter, Ego in capite libri ſcriptus ſum tamquam primogenitus in multis fratribus, ſed ait: *Scriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam.* Pſalm. 39,9. Ex quo patet, quòd omnes qui ad gloriam ex Dei præordinatione pertinent, non niſi perfecta voluntatis diuinæ adimpletione ad illam peruenient. Qui igitur ſalutem conſequi deſiderant, *per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris; per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam*, 2. Cor. 6,8.9. conſolati & triſtes, ſani & infirmi dicere debent, & corde optare illud Orationis Dominicæ: *Fiat voluntas tua.* Matth. 6,10.

64. Hoc generale & abſolutæ neceſſitatis medium ſalutis Chriſtus Dominus docuit nos in principio, continuatione, denique in conſummatione vitæ ſuæ. Nam in principio ſuæ

conceptionis, Patris voluntatem acce-
ptauit, adeò vt verè dicere potuerit:
Pſalm. *Volui,& legem tuam in medio cordis mei*
39,9. illæſam ſeruare propoſui. In vita au-
tem reſignatione fuit admirabili, vnde
factum eſt, quòd nihil aliud corde vol-
uebat, quàm id quod aliquando legi-
Ioan. tur dixiſſe, nimirum, *Deſcendi de cælo,*
6,38. *non vt faciam voluntatem meam, ſed*
voluntatem eius qui miſit me, de quo il-
Iſa. 44, lud Iſaiæ intelligi poteſt: *Qui dico Cy-*
28. *ro: Paſtor meus es, & omnem volunta-*
tem meam complebis. Cyrus idem eſt
Hugo quod heres, vt notat Hugo Cardinalis
Cardin. in Pſal 39. & ſignificat Chriſtũ, quem
verum heredem eſſe teſtantur, & ini-
Matth. mici eius ſunt iudices: *Hic eſt heres,*
21,38. inquiunt, *venite, occidamus eum.* Hic
compleuit voluntatem Domini; vnde
Iſa. 46, idem Propheta ait: *Vocans ab Oriente*
11. *auem, & de terra longinqua virum vo-*
luntatis meæ. Auis hæc Chriſtus eſt,
Lucæ *qui viſitauit nos, oriens ex alto.* Ita Cy-
1,78. rillus & Hieronymus. Sicut enim auis
Cyrill. citò de loco ad locum tranſit, ita Chri-
Hier. ſtus citò ex cælo deſcendit in vterum
Virginis per incarnationis myſterium.
Phil. Compleuit autem voluntatem Dei *fa-*
2,8. *ctus obediens vſque ad mortẽ.* quamuis
Lucæ naturaliter horruit, tamen aiebat: *Ve-*
22,42. *rumtamen nõ mea, ſed tua voluntas fiat.*

65. In multis impleuit voluntatem
Domini Iudas, ſed quia non comple-
uit, perijt miſer. Latro verò toto tẽpo-
re vitæ ſuę beneplacito Dei renitens, tã-
dem cum Chriſto moriens, beato fine
voluntatem eius compleuit. Solus au-
tem Chriſtus propter perfectiſſimam
obedientiam & humanæ voluntatis cũ
diuina in rebus difficillimis conformi-
tatẽ, vir voluntatis diuinæ meritò ap-
pellari poteſt. Non deſunt effeminati
in Eccleſia Dei, qui in facilioribus vo-
Iſa. 30, luntati Dei ſe conformare parati ſunt,
10. dicentes: *Loquimini nobis placentia, &*
audiemus, quibus non virilia & he-
roica imponuntur, ſed facilis manda-
torum obſeruantia præſcribitur ab eo
qui ait: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua* Matth. 19,17.
mandata. Et quamuis fortè vel pauci
inueniantur qui Chriſtum alacriùs ſe-
quuntur, nimirum quibus perſuaſum
eſt, quòd *regnum cælorum vim patitur,* Matth. 11,12.
& violenti rapiunt illud; non tamen
in paſſionis acerbitate illum aſſequun-
tur qui ait: *Pauper ſum ego, & in la-* Pſalm. 87,16.
boribus à iuuentute mea. item: *Non* Thren. 1,12.
eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus. cui
proinde præ ceteris conuenit nomen
viri diuinæ voluntatis. Verè enim *fuit* Lucæ
vir propheta, potens in opere & ſermone, 24,19.
qui voluntariè ſibi tam amaram paſ-
ſionem indixit. vnde ait: *Nonne hæc* ℣.26.
oportebat pati Chriſtum, & ita intrare
in gloriam ſuam?

66. Vt autem, quantum fragilitas
humana patitur, conemur in nobis
per reſignationem voluntatis noſtræ
efformare imaginem viri voluntatis
diuinæ, notanda ſunt verba Prophetæ,
quibus ſignificat, quem locum Chri-
ſtus conceſſerit legi & voluntati diui-
næ. *Et legem tuam in medio cordis mei,* Pſalm.
inquit. Ab eo quod eſt in medio, æ- 39,9.
qualiter diſtat ſupremum & infimum,
dexterum & ſiniſtrum. Qui legem & Simile.
voluntatem Dei in medio cordis ha-
bent, illi ad oppoſita æquè ſunt prom-
pti & parati, dicentes cum Propheta:
Paratum cor meum Deus, paratum cor Pſalm.
meũ. Si placet vt in infimo loco omni- 56,8.
bus ſim ſubiectus, paratum cor meum;
ſi denique mandas vt aſcendam, para-
tum cor meum. Si aduerſa immiſeris
per ſiniſtram ſignificata, ſi denique fe-
ceris in me conſolatoriam mutationem
dexteræ Excelſi, Paratum cor meum.

67. In corde hominis eſt quædam Simile.
concauitas, quæ recipit & continet ſpi-
ritum vitalem, quo vita conſeruatur.

Si-

Digitized by Google

Si in iſta concauitate excreuerit caro, homo moritur. Eodem modo ſi lex aut voluntas diuina eſt in medio cordis tui, viues per gratiam, tunc enim adeſt ſpiritus vitalis in concauitate cordis, ex quo omnes potentiæ animæ vigorem quemdam recipiunt. Intellectus enim illuſtratur fide, quæ per dilectionem operatur, voluntas verò informatur
Rom. 5,5. charitate. vnde Paulus ait: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Si autem cor noſtrum ab aliqua carnalitate occupetur, qui ſpiritum illum vitalem de medio illius expellat, ſe-
Gen. 6, 3. cundùm illud, *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt*; ſtatim homo per peccatum mori-
Rom. 8,13. tur. *Si ſecundùm carnem vixeritis*, inquit Paulus, *moriemini*. Sit igitur per reſignationem voluntatis noſtræ lex & voluntas Dei in medio cordis noſtri; ſic enim fiet quod idem Apoſtolus ait:
Ibid. *Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.*

68. Porrò in reſignatione voluntatis propriæ Virgo, quæ *ſtabat iuxta crucem Ieſu*, poſt Chriſtum nulli Sanctorum eſt ſecunda. Nota, quòd tantò ſit perfectior reſignatio, quantò homo alacriùs pergit in caſtellum quod contra ſe eſt; & id in quo ſe conformat voluntati diuinæ, difficiliùs, & magis ſenſualitati ſuæ aduerſatur. In hac virtute duo illa conueniunt, quæ Chriſtus à ſuis diſcipulis & ſequacibus deſidera-
Matth. 16,24. bat, cùm diceret: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum; & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Hanc præ omnibus perfectiſſimè exercuit Virgo Maria, in qua duo hæc inueniuntur, conſtans nimirum alacritas reſignationis, & ſumma rei difficultas, in qua ſe Dei voluntati conformauit.

69. Tam voluntaria & prompta extitit, vt non ſolùm ſine vlla indignatione, ſed etiam cum magna compaſſione viderit eos, qui dilectum Filium tot vulneribus & tormentis lacerabãt, & tot opprobrijs ac ignominijs obſcurabant. In monte Caluariæ ad pedem crucis Ieſu docuit Virgo verè clemẽs, verè pia, exemplo quod Filius omnibus etiam præcepit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Matth. 5,44. Poteſtne maior eſſe inimicus matri, quã crudelis tortor innocentis Filij? Tales erant ferè omnes, in quorum medio *ſtabat iuxta crucem Ieſu mater eius.* Ioan. 19, 25. Verùm hos omnes pientiſſima mater tam tenero amore proſequebatur, quòd libenter ſingulis cum Filio ſuo vitam propriam eorum ſaluti impendiſſet.

70. In ſignũ promptæ conformitatis cum diuino beneplacito, non poſtulauit vindictam, ſed exorauit crucifixoribus veniam, memor illius quod Filius ſuus docuerat, dicens: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Matth. 5,44. Orationi igitur Filij ſui dicentis, *Pater, dimitte eis*, Lucæ 23, 34. adiungens ſuam, aiebat, vt meditatur Anſelmus in libro Meditat. poſt medium: *Specta glorioſe conditor* Anſel. *gratiſſimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus, quod eſt de mea ſubſtantia. Conſpice Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam. Vide Redemptoris ſupplicium, & remitte redemptis delictum.*

71. Incredibile quidem videtur, certum tamẽ eſt, quod Antoninus Archiepiſcopus Florentinus Theologus p.4.tit.15.c.41. §.1. de promptitudine reſignationis Mariæ ſcribit: *Ita erat* Anton. *diuinæ voluntati conformis*, inquit, *quòd ſi oportuiſſet, ad implendam ſecundùm rationem voluntatem Dei, ipſa Filium in cruce poſuiſſet atque obtuliſſet.* Sine dubio repugnaſſet hoc mul-

tùm teneritudini manſuetiſſimæ conditionis B. Virginis, ac per conſequens fuiſſet eidem ſummo dolori: nihilominùs tanta erat illius cum voluntate Dei conformitas, vt promptiſſimam ſacrificulam ſe exhibuiſſet tam afflictiuæ oblationis, ſi ea ſibi à Deo fuiſſet demandata. Maiori quidem pœna, eadem tamen promptitudine & reſignatione Chriſtum obtuliſſet in cruce, qua, ſecundùm aliquorum opinionem, virgineas manus olim cruentauerat in illius circumciſione.

72. Non eſt dubium, quòd ſicut B. Virgo alijs virtutibus reliquos Sanctos excedit, ita nullus illam reſignatione aut conformitate voluntatis diuinæ præcedat. Conſtat autem, quàm promptum ſe exhibuerit Abraham, qui ſurgens de nocte, immolationi filij ſui ſibi à Deo mandatæ, ſine mora ſe accinxit. Non defuit ſimilis, imò maior animoſitas ſexui imbecilliori. Mira & memoria digna prædicatur illa mater, *quæ pereuntes ſeptem filios vnius diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat, propter ſpem quam in Deo habebat; & ſingulos eorum hortabatur in voce patria fortiter, repleta ſapientia; & femineæ cogitationi maſculinum animum inſerens.* Huic matri ex nouo Teſtamento quædam non debent cedere, inter quas Symphoroſa & S. Felicitas, quæ videbat ante oculos ſeptem filios crudeli morte affici, quos ipſa ſecuta eſt octaua. vnde Gregorius Hom. 3. in Euangelia ait, quòd fuerit plus quàm martyr, quia videns ſeptem filios, quos amabat, dura pati, mater toties martyr fuit, quoties aliquis filiorum expirauit. Notum eſt etiam heroicum factum matris Melithonis, qui fuit vnus quadraginta Martyrum, quod Baſilius refert, quæ relictum filium dolebat, & ideò in humeros aſſumptum ad rogum contulit, & aliorum conſortio adiecit. Eodem modo legitur ex cæca obedientia quidam Monachus filium viuum & ſanum Deo in holocauſtum conſecraſſe. Cùm enim ſignis & verbis ſemel atque iterùm indicaſſet Abbati, quòd illum teneré amaret, præcepit illi Abbas, qui tunc fortè in piſtrino erat, & ardenti fornaci adſtabat, dicens: Tolle ergo, ſi amas illum, & mitte in furnum. Obediuit in re difficillima reſignatus parens, Dei voluntati, cum ſumma abnegatione propriæ, conformis.

Gen. 22.

2. Machab 7. 20. 21.

Gregor.

Baſil.

73. Ex his patet, quòd nonnulli Sancti oſtenderint ſuam fortitudinem in executione rei difficilis, & ſenſualitati valdè repugnantis. Maior autem fuit Virginis reſignatio & fortitudo: nam nullus illorum, imò nec omnes ſimul iuncti tam teneré amabant ſuos filios, quos diſpoſitioni diuinæ alacriter obtulerunt, ſicut pientiſſima Virgo ſuum. vnde ſequitur, quòd tantò ſenſus doloris eius fuerit acerbior, quantò Filius, in cuius paſſione torquebatur, ei charior fuit.

74. Verùm quia ait Paulus, quòd *animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei*, poſſet fortè hæc omnimoda reſignatio Virginis aliquibus inſenſibilitatis ſuſpicionem ingerere. Facilè enim quis ſibi perſuaderet, quòd mater minùs filio in tortura poſito compateretur, ſi conuerſa ad Deum, potiùs pro tortoribus exoraret veniam, quàm lamentaretur aut querelas deponeret pro filio, quem non ignoraret ſine culpa ſubire pœnam. Quid igitur, ſi crederet illam paratam vt per ſe exequeretur, quæ manus Dei & conſilium eius decreuerunt fieri? Multum abeſt vt Virgo promptiſſima ſua reſignatione, qua parata fuit proprijs manibus Filium ſuum ſacrificare, aliquam duritiei 1. Cor. 2. 14.

tiei ſpeciem dederit, quin potiùs cauit ne afflicto Filio ſuo in cruce poſito adderet afflictionem. Pro quo ſciendum eſt, quòd tolerabilius fuerit Filio Dei, extrema pati in corpore, quàm quòd aliquis per defectum reſignationis in minimo cõtradiceret voluntati diuinæ.

75. Hinc factum eſt, quòd cùm ſub graui pondere crucis procederet ad montem, magis ſenſerit lamentationes quarumdam filiarum Ieruſalem quæ ſequebantur & plangebant eum, ſed non ſatis ſe reſignabant beneplacito Dei, quàm proprias anguſtias. Ideò conuerſus ad eas dixit: *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me.* Non diſplicebant lacrymæ, ſed affligebant lacrymantes non ſatis reſignatæ, & voluntati diuinæ minùs conformes. Non dixiſſet viduæ, cuius filius vnicus efferebatur, *Noli flere* (nam Lucæ 23, 28. Lucæ 7, 13.

Quis matrem, niſi mentis inops, in funere nati
Flere vetat) ———

niſi lacrymis eius fuiſſet admiſtum vitium irreſignationis. Ob eamdem cauſam non tulit Magdalenæ lacrymas, quia eis deerat diuini beneplaciti omnimoda conformitas. Cùm enim poſt reſurrectionem fleret ad monumentum, dixit: *Mulier quid ploras?* Nuſquam autem legitur dolorem Virginis aut mitigaſſe, aut cohibuiſſe. Non enim diſplicent lacrymæ compaſſionis, niſi inficiantur vitio irreſignationis. Etſi ergo Virgo pientiſſima plus ceteris compateretur plorans, ne tamen patienti Filio adderet dolorem, perfecta reſignatione & mira conſtantia approbauit, quæ Pater cæleſtis definito conſilio decreuit fieri. Hinc *ſtabat iuxta crucem*, &c. Ioan. 20, 13. Ioan. 19, 25.

76. Vt alacriùs operam demus imitationi B. Virginis in hac reſignatione voluntatis noſtræ, & conformitate cum Dei beneplacito, nota, quòd in illa conſiſtat ſumma perfectionis & veræ iuſtitiæ, & quòd reſignati numquam ſint ab omni parte deſolati. Nam, vt ait Auguſtinus, triſtitia originem habet ex eo quòd aliquid nobis ſuccedat, quod voluntati noſtræ repugnat. certum eſt autem, quòd ei qui ſuam voluntatem perfectè reſignauit voluntati diuinæ, nihil tale poteſt accidere, ergo expers eſſe poteſt triſtitiæ. Hinc dixit Sapiens: *Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit.* Tam verum eſt hoc, vt S. Bonauentura in Dieta ſalutis tit. 8. cap. 1. non vereatur aſſerere, quòd *etiam ignis gehennæ facilis eſſet, ſi voluntas illum acceptaret.* Auguſt. Prou. 12, 21. S. Bonauent.

77. Aliquid reſignationis habuiſſe videtur leproſus ille, de quo ſcribit Matthæus, & ideò mitiùs ferebat moleſtiam illius infirmitatis, quam abſolutè non deprecabatur, ſed ſuppoſita voluntate Dei, dicens: *Domine, ſi vis, potes me mundare. Si vis*, inquit, quia voluntas eſt quæ Dei potentiam exequitur (quæ tamen an aliqua ratione diſtincta ſit ab ipſa voluntate, diſcutiunt Theologi in 1. diſt. 37. & 36. & p. 1. q. 25.) ideò Theologicè loquens leproſus iſte, ait: *Domine, ſi vis, potes*, &c. Benè orat, dicit Ferus noſter: quia voluntatem ſuam in beneplacitum Dei reijcit. *Neque dixit, Domine, munda me* (inquit Chryſoſtomus Hom. 26. in Matth.) *ſed ei totum concedit, & Dominum eum facit, & poteſtatem vniuerſorum ei attribuit.* Videtur quòd leproſus timeat voluntati Dei eſſe difformis, & propterea non audet abſolutè velle mundari, ignorans quæ ſit hac de re *voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta*, cui ſe per omnia conformare vult. Hunc ſaltem imitemur, ſi nos terret eximia Matth. 8, 2. Ferus. Chryſoſtom. Rom. 12, 2.

Chriſti & matris eius reſignatio. Nam, Scotus. vt docet Scotus in 1. diſt. 39. quem citat noſter Angelus del Paz lib. 1. c. 40. Angel. del Paz. in Marc. voluntas Dei eſt regula omnium quæ ſunt tam neceſſariorum quàm contingentium, & eorum quæ vel à natura vel à libertate dependent.

78. Nota, quòd duobus modis contingat opus aliquod à debita rectitudine deficere. *Simile.* Primò, ſi fiat ad regulam curuam & prauam: ſecundò, ſi à recta declinet. In agendo multi aberrant, quia ſequuntur propriam voluntatem, quæ eſt regula curua & multùm deprauata. Vnde etiam communiter perdit hominem, ſecundùm illud: *Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam.* Alij autem aberrant à recto, qui ſcientes voluntatem Dei, & inſpicientes eam, tamen pertinaciter ab illa recta regula non verentur deflectere, pœna maiori digni. Lucæ 12, 47. Nam *ſeruus qui cognouit voluntatem domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis.* Porrò quicumque à rectiſſima voluntate deflectunt, incuruabuntur, Pſalm. 68, 24. ſecundùm illud: *Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.* & præterea diabolo tortuoſo ſerpenti ſubijciuntur, qui nocte & die ad nihil aliud nos ſollicitat, quàm vt auocet à conformitate voluntatis diuinæ, dicens, *Incuruare vt tranſeamus:* qui verò ſe conformare conantur, grati ſunt Deo, nam Pſalm. 111, 2. *generatio rectorum benedicetur*, &c. Amen.

DISCVRSVS VII.

Maria, quæ nullam admiſit culpam, nihilominùs forti animo ſuſtinuit crucem. Beati qui patienter ferunt ſuam, quia in morte ſecuri erunt.

79. QVEMADMODVM Apoſtolus permittit vt Chriſti fideles lætentur, ſaluâ tamen debita modeſtia, cùm ait: *Gaudete in Domino ſemper, iterùm dico gaudete, modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*; Phil. 4. 4 5. ita non debet triſtitia prohiberi, quæ cum patientia & reſignatione coniuncta, nullum debitæ compoſitionis præiudicium operatur Non reprehendit Martham & Magdalenam lugentes mortem fratris ſui, Ioan. 11. ſed collacrymando moderatas illarum lacrymas approbauit & cohoneſtauit. *Quare autem fleuit Chriſtus, niſi quia homines flere docuit*, Auguſt. inquit Auguſtinus Tract. 49. in Ioannem? Non modò permiſit, ſed etiam ſuo exemplo docuit modeſtè & moderatè triſtari.

80. Non eſt dubium, aliquid defuiſſe eorum fletibus, quos Chriſtus (qui lugentibus ſolatium promittens ait: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur)* Matth. 5, 5. legitur vituperaſſe. vnde notandum eſt, quòd *cùm veniſſet Ieſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non eſt mortua puella, ſed dormit.* Matth. 9, 23. 24. Ecce inconcinnè eiulantes à ſe repulit, &, vt ait Marcus, ingreſſus ait illis; *Quid turbamini, & ploratis?* Marc. 5, 39. Ecce non ægrè ferret, ſi ſalua modeſtia & debita compoſitione plorarent, ſed vituperat quòd turbati ſunt, & tumultū excitant in domo, & abſque moderamine eiulant. *Igitur eiectis omnibus,* ✠. 40.

Digitized by Google

nibus, aſſumit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur vbi erat puella iacens. Rationem dat
Angel. del Paz. noſter Angelus del Paz lib. 5. c. 40. in Marc. cur alijs eiectis admittat parentes, qui ceteris erant triſtiores: quia tumultuantes, inquit, & multùm eiulantes, nolebant conſolatoria verba
Matth. 9, 24. recipere, à Chriſto dicente: *Non eſt mortua puella, ſed dormit.* Aſſumit igitur parentes, qui his verbis aliquo modo confortati, modum ponebant triſtitiæ, nec erumpebant in clamores aut inconcinnos eiulatus. Improbat igitur omnem fletum, quem modeſtia & recta ratio non moderatur. Conſolatur autem illos qui non contriſtantur
1. Theſ. 4, 12. *ſicut cęteri qui ſpem non habent*, ſed ſi in ſenſu & inferiori parte amariſſimè dolent, tamen, ſecundùm rationem, diuini conſilij ordinationem cum reſignatione propriæ voluntatis approbant.

81. Cùm igitur Chriſtus humanæ fragilitati condeſcendens, diſpenſet cũ ijs qui amarè lugent, quando rei magnitudo permittit, per Prophetam di-
Ierem. 6, 26. centem, *Luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum*, modò nihil interiùs admittatur quod debitæ reſignationi, aut exteriùs quod modeſtiæ aduerſetur: non eſt dubium, quin Virgo Maria ſic fleuerit & defleuerit amariſſimam Vnigeniti ſui mortem, vt tandem nec ſermone, nec morum compoſitione, aut membrorum agitatione aliquid commiſerit quod in minimo leges modeſtiæ violare videretur. Amaritudine quidem plena, ſed tamen reſignatione & voluntatis diuinæ conformatione conſtantiſſima fuit. Non repugnat fortitudini animæ planctus & luctus, quem extorquet compaſſio alienæ miſeriæ. Conſtantem animum Dauidis laudans mulier illa à Ioab ſubornata, vt reconciliationem Abſalonis ſollicitaret, dixit: *Sicut enim* 2. Reg. 14, 17.
Angelus Dei, ſic eſt Dominus meus Rex, vt nec benedictione nec maledictione moueatur. Significat his verbis, quòd Rex nullis aduerſitatibus concutiatur, nec hominum verbis, ſiue eum laudent, ſiue vituperent, nec à regula iuſtitiæ, nec à ſtabilitate patientiæ moueatur. Huic tamen fortitudini & conſtantiæ adfuit tenerrimus compaſſionis ſenſus, quem lacrymæ teſtatum fecerunt quas fudit, non ſolùm dum de morte Abſalonis certior fieret, ſed etiam dum puer, quem ex adulterio ei peperit vxor Vriæ, diſponeretur ad mortem; item dum Saulem & Ionathan lugeret interfectos, &c.

82. B. Virginem, quæ ſtabat iuxta crucem Ieſu, cum ſumma triſtitia & amariſſimo fletu inconcuſſam conſtantiam habuiſſe, qua omnia ferebat & ſentiebat, quæ & in Chriſto Ieſu ſine vlla commotione impatientiæ, certum & indubitatum eſt. vnde verè dicitur, quòd

Stabat mater doloroſa
Iuxta crucem lacrymoſa,
Dum pendebat Filius.

Ex eo igitur quòd ſtetiſſe legitur, eneruatur illorum opinio, qui pia quadam credulitate illam prę doloris acerbitate ſpaſmũ ſuſtinuiſſe, & corruiſſe putant vel in terram, vel inter brachia Ioannis aut Magdalenæ eamdẽ ſuſtentantium. Eſt hæc non ſolùm Bonauenturæ, ſed etiam Bernardi Opuſculo de Lamentatione Virginis, & Anſelmi Dialogo de Paſſione Domini, denique Laurentij Iuſtiniani lib. de Triumphali agone cap. 21. & Lanſpergij lib. Elucidationum in paſſionem Chriſti, opinio. Bonauent. Bernar. Anſel. Laurẽt. Iuſtin. Lanſpergius.

83. His non obſtantibus, tenendum eſt cum multis alijs, quòd Virgo non ſuſtinuerit talem ſpaſmum, vt ei

vires deficerent,& ſenſus hebetaretur.
Caiet. Sic docent graues Theologi vt Caieta-
nus Tom. 2. Opuſcul. quæſt. vltima,
Medin. Medina p. 3. q. 27. art. 4. Item Sua-
Suarez rez p. 3. tom. 2. diſp. 41. ſect. 2. &
multi alij, quos citat Carthagena no-
ſter t. 3. l. 12. Hom. 7. Gratius enim fuit
Deo, vt ſentiret gladium Simeonis,
qui tunc maximè animam eius per-
tranſibat, quàm vt triſtitiæ vehemen-
tia eam inſenſibilem redderet. Euertit
deuotam Meditationem illorum, qui
putant eam collapſam eſſe in terram,
dum videret baiulantem ſibi crucem
exire in eum qui dicitur Caluariæ lo-
cum, aut quando poſt mortem vidit la-
tus eius lancea perforari, aut depoſi-
tum de cruce in gremium recepit, hoc
Ioan. quod dicit Ioannes, *Stabat iuxta cru-*
19, 25. *cem Ieſu mater eius.* Si tunc ſtetit, quā-
do Chriſtus maiores dolores paſſus
eſt adhuc viuus in cruce, nō eſt quòd
cecidiſſe in terram credatur, videns
euntem etſi cruce oneratum, multò
minùs videns poſt mortem latus eius
perforari, aut iam mortuum deponi de
cruce: tunc enim certò ſciebat, eum
nullis doloribus agitari, & glorioſo fi-
ne conſummata eſſe quæ ſcripta erant
de illo. Denique non modicam conſo-
lationem tunc adferebant conuerſo-
rum lamentationes & pectorum tun-
Matth. ſiones, dicentium: *Verè Filius Dei*
27, 54. *erat iſte.*

84. Cùm igitur ait, *Stabat iuxta*
crucem, non ſignificat Euangeliſta hoc
verbo permanentiam ſolùm, ſed cor-
poris ſitum. Verum eſt, quòd ſtare ſæ-
pè quidem permanentiam ſignificet:
vnde hoc ſenſu etiam multæ Scriptu-
ræ exponi poſſunt, vt cùm dicitur:
Pſalm. *Beatus vir qui non abijt in conſilio im-*
1, 1. *piorum, & in via peccatorum non ſtetit.*
Pſalm. item: *Quis aſcendet in montem Domi-*
23, 3. *ni? aut quis ſtabit in loco ſancto eius?*
item: *Vidiſti virum velocem in opere* Prou.
ſuo? coram Regibus ſtabit, nec erit inter 22, 29.
ignobiles. Terra autem in æternum ſtat. Eccle. 1, 4.
Si ſatanas ſatanam eijcit, aduerſus ſe Matth.
diuiſus eſt; quomodo ſtabit regnum eius? 12, 26.
Fratres ſtate, & tenete traditiones. Fir- 2. Theſ.
mum fundamentum Dei ſtat; nouit Do- 2, 14. 2. Tim.
minus qui ſunt eius. Communis etiam 2, 19.
noſter modus loquendi probat, ver-
bum *ſtare* idem eſſe quod *manere*. vn- *Simile.*
de etiam vigiles qui cuſtodiunt ciui-
tatem de nocte, ſi percipiunt alicuius
acceſſum per mœnia, clamant *Sta*, non
enim præcipiunt aduentanti ſitum,
ſed prohibent progreſſum, donec adſit
qui teſſera militari examinet qualita-
tem eius.

85. Ceterùm, quòd etiam hoc ver-
bum *ſtare* ſignificet ſpecialem corpo-
ris poſitionem, & modum quemdam
ſitus, nemo dubitat. Sic intellige,
Ieſus autem ſtetit ante præſidem. item: Matth.
Ante præſides & reges ſtabitis. item 27, 11.
dixit *homini qui habebat manum ari-* Marc.
dam: Surge, & ſta in medium. Poſt re- 13, 9. Lucæ
ſurrectionem *ſtetit Ieſus in medio eo-* 6, 8.
rum, dicens, Pax vobis. Ad ſignifican- Ioan.
dum autem conſtantiam Virginis, cui 20, 19.
nec vires nec animus defecit, dicit
Euangeliſta: *Stabat iuxta crucem Ie-* Ioan.
ſu mater eius. Poſitione igitur corporis 19, 25.
ſignificabat ſtabilitatem mentis.

86. Meritò Maria vocari poteſt
domus in ripa maris fundata, contra
quam *venerunt flumina, & flauerunt* Matth.
venti, & irruerunt in domum illam, & 7, 25.
non cecidit: fundata enim erat ſupra pe-
tram. Inferior pars talis domus ſubia-
cet multis viciſſitudinibus aduentitijs, *Simile.*
ſine vlla tamen totali mutatione ſui.
Nam propter maris fluxum & reflu-
xum iam eſt in ſicco poſita, & vbique
radijs ſolis illuſtrata; iam verò flucti-
bus maris concuſſa, aqua illam vndi-
que alluente, ipſa tamen, vt dictum eſt,
immo-

immobilis perſeuerat. Eodem modo B. Virgo, profundiſſima ſui reſignatione fundata in beneplacito Dei, ne per latum quidem vnguem remoueri potuit ab omnimoda conformitate voluntatis ſuæ cum voluntate diuina, per quam ſemper eadem, diuerſis, imò contrarijs affectibus Deo placuit. Ita & ſubinde diuinæ dulcedinis ſolatio, quaſi ſplendore Solis exultaret ſpiritus eius, erumpens in gratiarum actionem & cantans: *Magnificat anima mea Dominum.* Pro maiori verò parte patientem & conſtantem ſe exhibuit. Verùm aquæ multæ, quæ maximè affluebant tempore paſſionis Filij ſui, non potuerunt eius charitatem, ne dicam extinguere, imò nec aliquatenus remittere quidem.

Lucæ 1,46.

Simile. 87. Parua cymba ſuperficialiter aquam attingit, & tamen minimo vento concuſſa facilè agitatur ſurſum deorſum, nauis verò prægrandis grauiori pondere ſaburrata, Belgicè *ghe-ballaſt*, profundiùs immerſa aquis ſtabilitur, adeò vt vix magnis tempeſtatibus cedat. Omnes Sancti, ſi Mariæ comparentur, cymbæ ſunt, illa verò ſola *nauis inſtitoris de longè portans panem ſuum. Saluum me fac Deus*, dicebat Dauid, *quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* Ecce attigerunt aquæ animam illius dumtaxat, & tamen anxius eſt: Mariæ verò animam doloris gladius tranſiuit, & immobilis *ſtabat iuxta crucem.*

Prou. 31, 14. Pſalm. 68,2.

Ioan. 19. 25.

3. Reg. 19,4. 88. Elias petijt animæ ſuæ vt moreretur, tribulationum pertæſus. *Sufficit* (inquit) *mihi Domine, tolle animam meam; neque enim melior ſum quàm patres mei.* Mirum eſt illud argumentum. Non ſum melior, inquit, quàm patres mei Prophetæ prædeceſſores, ergo non eſt æquum vt profundiùs immergar aquis tribulationum. *Sufficit mihi*, inquit. Indicat Propheta, hanc regulam ferè generalem eſſe, vt homines pro maiori aut minori ſua ſanctitate, pluribus aut paucioribus tribulationum aquis obruantur aut immergantur. *Vas electionis eſt mihi iſte* (dixit Chriſtus de Paulo) *vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſraël. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* O quàm pretioſa ſimul & ponderoſa fuit illa vectura! *Vt portet nomen meum*, inquit. Propter hoc ſalubre pondus plus ceteris tribulationum aquis immerſus fuit. vnde ait: *Miniſtri Chriſti ſunt (vt minùs ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter*, &c. Vt enim nauis quò pluribus onerata eſt diuitijs, eò profundiùs aquas ſulcare ſolet, vacua in ſuperficie leuiter fluctuante; ita de homine philoſophandum eſt. Piſces maiores abundantiùs aquas inſorbent, & minùs à ventis & fluctibus agitantur.

Act. 9, 15. 16.

2. Cor. 11,23.

Simile.

89. Omnium ſanctiſſima fuit Maria, ac proinde præ omnibus potata fuit aquis tribulationum, adeò vt etiam de ipſa intelligi poſſit quod ait Propheta: *Cui comparabo te? vel cui aſſimilabo te, filia Ieruſalem?* &c. *Magna eſt enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Allegorica adaptatione hęc B. Virgini meritò multi cõuenire putant, cuius tãta fuit triſtitiæ amaritudo, vt benè multitudini aquarũ maris comparari poſſet. Primò tam vaſtum eſt mare, vt nulla cataracta contineri aut concludi poſſit, ſecundùm illud: *Quis concluſit oſtijs mare?* Omnium fluminum curſus arte humana ſiſti poteſt, imò ita aquæ ſubinde educuntur, vt euacuato alueo eorum fundus ſiccus remaneat. Eodem modo omnium aliorum affli-

Thren. 2, 13.

Iob 38, 8.

Simile.

Digitized by Google

ctio & triſtitia tempore teritur, ſed compaſſio & deſolatio quam Virgo concepit dum ſtaret iuxta crucem, nulla conſideratione vſque dum viueret diminuta, nec conſolationis obice ita cohibita fuit, vt diu interrupta, multò minùs omnino extincta eſſet. Ipſa nihilominùs magna conſtãtia per multas tribulationes ita proceſſit, vt ne minimùm quidem vnquam fluctuaret à propoſito conformandi ſe in omnibus voluntati diuinæ: ſed plena virtutibus, & bonorum operum mercibus, tamquam nauis inſtructiſſima ſecurè perueniens ad portum ſalutis, intrauit in regnum cælorum.

90. Nota, etſi nauis vectoria, magna mercium varietate onuſta, minùs à vento agitetur quàm parua aut vacua, vt iam dictum eſt; non tamen ideò minùs periclitatur orta tempeſtate; quinimò exoneranda eſt ſubinde, ne conteratur. Hinc factum eſt quòd nautæ, qui præerant naui in qua Ionas dormiebat ſopore graui, *miſerunt vaſa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis.* Aliter res ſe habet cum homine. Nam qui eſt plenus bonis operibus, non ſolùm ſtabilior eſt, ſe conformans voluntati diuinæ in aquis & tribulationibus multis, ſed etiam tempore mortis, quando homo ſumma tempeſtate concutitur, ſecurior à periculo naufragij perſiſtit.

Ion. 1, 5.

Diſſimile.

91. Quàm læta, quàm ſecura fuit Virgo Maria, dum mors inſtaret! quã ſerena peruenit ad glorioſum portum ſalutis! vnde canit Eccleſia: *Aſſumpta eſt Maria in cælum, gaudent Angeli.* Præ omnibus alijs meritò ſecurior fuit, quia virtutibus & gratiarum donis plenior, quam ſalutauit Angelus dicens: *Aue gratia plena.* Nam gratia non ſolùm in vita, ſed etiam in morte confortat & confirmat cor. vnde & Stephanus dixit: *Ecce video cælos apertos*, &c. qui ex ſecuritate Angelico vultu fulgebat. Sed vnde hoc? quia dicitur: *Cum autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei.* Dauid etiam moriturus naui ſuæ non timuit iacturam: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam*, quia nimirum *mortuus eſt in ſenectute bona, plenus dierum, & diuitijs.* Dubium eſſe poſſet, quæ & quales fuerint diuitiæ quibus Dauid plenus fuiſſe dicitur. Nam terrenæ plerumque ita obſunt, vt multis naufragij occaſionem in illa vltima hora præbeant, cùm ex illis non rarò inſurgant *deſideria multa inutilia & nociua, quæ* (Apoſtolo teſte) *mergunt homines in interitum & perditionem.* Quidquid igitur ſit de illis, certum eſt quòd Dauid ideò tam ſecurè in pace dormiuerit & requieuerit, quia naui ſuæ magnam ſpiritualium bonorum copiam procurauit. Mortuus eſt plenus bonis temporalibus & ſpiritualibus, dicit Lyranus noſter. Gloſſa ordinaria ait, quòd Scriptura prædictis verbis *ſignificat Dauidem cum copia virtutum & operibus lucis vitam finiſſe præſentem, dignum quiete futura, & cæleſtis regni gloria.*

Lucæ 1, 28.

Act. 7, 55.

Pſalm. 4, 9.

1. Par. 29, 28.

1. Tim. 6, 9.

Gloſſa ordin.

92. Non ignorabat S. Martinus, quòd is qui vult nauem ſuam periculo eximere tempore mortis, quando homo vndique tempeſtatibus concuti ſolet, magno bonorum operum pondere in vita eam aſſecurare debeat. vnde canit Eccleſia: *Oculis ac manibus in cælum ſemper intentus, inuictum ab oratione ſpiritum non relaxabat.* Oculis quidem intendit in cælum, qui deſiderijs eò fertur, dicens cum Paulo, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*; manibus verò, qui dum viuit, ſatagit vt bonis operibus certam ſuam ſalutem & electionem faciat. His modis & medijs

tanta

Digitized by Google

tanta ſecuritate gauiſus eſt Sanctus ille tempore mortis, vt adſtantem dæmonem non formidaret, ſed exſibilaret potiùs, dicens: *Quid adſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſte reperies.* Noſtræ naues quæ ſubſunt ſcrutinio, tantò rigidiùs examinantur ab inquiſitoribus, an nihil prohibitæ vel hoſtilis vecturæ contineant, quantò pleniores apparent tutarum mercium, quas publica Regis emporia ſine contradictione admittunt. Tunc enim infidelis mercator faciliùs ſolet cauponari, id eſt *lorren draeyen*, vt Belgæ loquuntur: quod non eſt aliud quàm merces lucri cauſa aliò transferre & diſtrahere, vel aliunde acceptas mentiri. Econtrà fruſtrà quærit dæmon aliquid tamquam ſuum in illo homine, in quo Deus vel vnum ſolum opus bonum habet. Vnde mirum videri non debet, quòd nihil inueniat in Sanctis, qui pleni bonis operibus ex hac vita decedunt.

Diſſimile.

93. Nota, quòd tanta ſit vnius boni operis in gratia facti maieſtas, vt terrorem incutiat mille peccatis mortalibus. Legimus in hiſtorijs, quòd circa Caroli V. tempora generoſus quidā miles, paucis ſibi adſcitis ſocijs, pro ſeruitio Dei & Regis, ſiue ad viuendum ſiue ad moriendum reſolutus, mirabile facinus ſit aggreſſus. Cùm enim hoſtilis aliqua nauis bellica non longè à ripa Albis fluuij, conatibus Cæſareæ Maieſtatis eſſet infeſta, & periculum non pateretur fortè moram, exutis veſtibus, ſolis ſemicinctijs tectus, ſumpto in ore gladio, illam milite inſtructam aggredi non eſt veritus. Deo igitur cooperante illæſus appulit, & conſcenſa naui, tanto terrore omnes hac inaudita reſolutione perculit, vt arrepto ex ore gladio, vniuerſos aut interimeret, aut de naui in aquas præcipites daret, adeò vt glorioſè rerum potitus, inimicam nauim diſpoſitioni adduceret Imperatoris.

Egregium facinus.

94. Tot ſunt naues, quæ contra Deum hoſtilitatem, & in hoc mari magno & ſpatioſo manibus piraticam exercent, quot ſunt leues & mundanæ puellæ. Quotquot enim compoſitæ & circumornatæ vt ſimilitudo templi, ſeipſas animarum capturæ adaptant, ſi non eodem animo, non tamen minori damno quàm illa, de quā Spiritus ſanctus eam deſcribens, ait, *Mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula & vaga*, tot contra Deum nauigia inſtruunt, quot homines ſuis leuitatibus irretiunt & peccatis obnoxios conſtituunt. Verùm hoc ad præſens propoſitum nobis notandum eſt, quòd tanta ſit peccatorum ignauia, vt ne vni quidem bono operi reſiſtere valeant, imò ad ingreſſum primi militis à Deo deſtinati omnia aufugiant. Sola enim pœnitentia hoſtilem nauem innumeris peccatis confertam tam animosè oppugnat, vt tandem ingreſſa, ne vnum quidem ex omnibus peccatis remaneat. Confidebat S. Martinus, quòd pœnitentia & multa alia bona opera in illo locum obtinuerint, hinc ſecurus ſe parans ad mortem, infernalem inquiſitorem à ſe repulit, dicens: *Nihil in me cruenta beſtia reperies.* Operam igitur demus bonis operibus, vt ad imitationem B. Mariæ in aquis tribulationum ſimus conſtantes, & in morte ſecuri. Vnde monet Paulus, dicens: *Itaque, fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles; abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino*, &c. Amen.

Prou. 7, 10.

1. Cor. 15, 58.

DISCVRSVS VIII.

Homo conſtans in bono hoſtibus terribilis, fit Deo per tribulationem charus, quam fortiter tolerat, qui ſe meditatione crucis Chriſti ſuſtentat.

95. PER conſtantiam fit homo terribilis hoſtibus tam viſibilibus quàm inuiſibilibus. Poſtquã Petrus magna conſtantia teſtimonium reddiderat reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, Iudæi *conferebant ad inuicem dicentes: Quid faciemus hominibus iſtis?* Verba hæc victis conueniunt, non vincentibus. Vincebantur igitur Iudæi, inquit Lyranus noſter, conſtanti aſſeueratione Petri & Ioannis. vnde præmiſit Lucas cauſam, ex qua omnes proſtrati tam ſollicitè conſulunt quid facto opus ſit, dicens: *Videntes autem conſtantiam Petri & Ioannis, comperto quòd homines eſſent ſine litteris & idiotæ*, &c. Meritò igitur poſteà ad conſtantiam cohortatus eſt illos Angelus, qui aperiens carcerem in quo tenebantur captiui, dixit: *Ite, & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.* Ite, & *ſtantes*, inquit; ſtatio eſt enim ſymbolum conſtantiæ, & conſtantium geſtus.

Act. 4, 16,
Lyran.
V. 13.
Act. 5, 20.

96. Maria Virgo, de qua canit Eccleſia, quòd cunctas hæreſes ſola interemerit, deuictis hoſtibus viſibilibus per ſuam conſtantiam, quam maximè oſtendit, dum ſtabat iuxta crucem Ieſu, contriuit & conterit quotidie caput ſerpentis, de toto inuiſibilium hoſtium cœtu glorioſè triumphans. Hinc ſuperbus ille ſpiritus contremiſcit ad ſolum Mariæ nomen, cui reuerentiam etiam inuitus exhibens, ſæpè cogitur expulſus de obſeſſorum corporibus infernum, locum ſibi deſtinatum, repetere. Fortitudo & conſtantia multas feminas famoſas fecit, vt teſtatur antiquitas. Ex præcipuis eſt Thamiris Scytharum Regina, cuius mirabilem fortitudinem refert Carthagena tom. 4. Lib. 15. Hom. 2. §. 4. quæ cùm aduerſus Regem Cyrum vnicum filium miſiſſet, quem ipſe interfecit, ſtatim animoſa mulier nouum cogens militem, nouum inſtruxit exercitum, & tanto impetu mirabili conſtantia irruit in hoſtem, vt, occiſis viginti millibus Perſarum, etiam ipſum Regem Cyrum iugularet. Cuius cùm truncatum caput in vas ſanguine plenum immitteret, ait: *Si ſanguinem ſitiebas, immerſus ſanguine es, bibe ad ſatietatem.*

Carthagena.

97. Nota, quòd B. Maria vnicum Filium ſuum non miſit quidem, tamen voluntati Dei conſtantiſſimè reſignata permiſit vt aſcenderet Ieroſolymam, vbi conſummarentur omnia quę ſcripta erant de Filio hominis. Fuit autem Filius eius ab exercitu malignantium, cui præerat diabolus, occiſus. Quo mortuo, Maria terribilis vt caſtrorum acies ordinata, ſumpſit arma: & conſiderans, quòd infernalis ille tyrannus non quieſceret, Filio ſuo naturali interempto, ſed pergens ſæuire in filios ſuos adoptiuos, nihil aliud quàm ſanguinem animarum ſitiret; inſtrui curat exercitum contra illum per Sacramenta à Filio ſuo inſtituta, ac exorciſmos Eccleſiæ, & accedente ſua interceſſione, eum de animabus & corporibus hominum deturbans, non deſiſtit donec in infernum conijeiatur, vbi cogitur audire: Sanguinem, id eſt peccata, blaſphemias, maledicta ſitiebas: iam immerſus es damnatis, blaſphemis & maledictis, bibe ad ſatietatem.

98. Cete-

98. Ceterùm vt Mariæ conſtantiam ita imitemur, quatenus etiam dæmoni ſimus terribiles, ſæpè cum illa inueniamur iuxta crucem Ieſu, cuius participatione præter alia multa apud Deum etiam nobilitamur, atque adeò *Simile.* gloriari debemus non aliter, quàm ſi teſſeram dilectionis & filiationis diuinæ accepiſſemus. Nobilitantur homines maximè fortitudine bellica, qua hoſtes proſtrauerunt. Per conſtantiam in tribulatione, & in cruce ferenda de- Iob 41, 24. bellatur ille, de quo ait Iob: *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt neminem timeat.* Cùm igitur homo per conſtantiam in tribulatione fiat terribilis diabolo, & deinde nobilitetur coram Deo, meri- 2. Cor. 12, 30. tò dicit Paulus: *Si gloriari oportet: in his quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor. Non ob miracula, ſed ob tribulationes* Chryſoſtom. *gloriatur*, dicit Chryſoſtomus. Per miracula Deus confert homini honorem & gloriam, per tribulationes verò & conſtantiam Deus gloriam ab homine accipit. Porrò in hac materia Act. 20, 35. *beatius eſt magis dare quàm accipere*, & glorioſius eſt militi meruiſſe quàm accepiſſe honores.

99. Hinc fit, quòd etiam eos quos ipſe Deus honorauit miraculorum patratione, tamquam ignotos & obſcuros reijciet. Matth. 7, 22. *Multi dicent mihi in illa die*, inquit Chriſtus, *Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in* ℣. 23. *nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam noui vos.* Qui autem fortes facti ſunt in bello, & conſtantes fuerunt in perſecutione & tribulatione, coram Regibus ſtabunt, nec erunt inter ignobiles. Sap. 5, 1. vnde dicitur, quòd *ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum.* Nemo fit clarus ex eo quòd à Rege multis præficiatur. *Simile.* Aliquid ſplendoris accipit, ſi poteſtate & præfectura fideliter vtens, multos rebelles deiecerit, & viuat: ſed ſummo honore dignus cenſetur, ſi, exantlatis multis laboribus, pro Rege pugnans in bello fortiter occumbat.

100. Magna præfectura gaudebant olim Apoſtoli, ad quos Chriſtus honoribus eos augens, ait: *Ecce dedi vo-* Lucæ 10, 19. *bis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici*, &c. Putabant autem ſe ideò magna reuerentia dignos; quos ab errore reuocans, ait: *In hoc nolite* ℣. 20. *gaudere, quia ſpiritus ſubijciuntur vobis: gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* ſuper quæ verba ſcribens Cyrillus, ait: *Sed cur, Domi-* Cyrill. *ne, non ſinis lætari honoribus a te collatis, cùm ſcriptum ſit: In nomine tuo exultabunt tota die? ſed Dominus eos ad maius gaudium erigit. vnde ſubdit, Gaudete autem*, &c.

101. Nemo ſcribitur in libro vitæ, niſi ſit de numero illorum, qui peracto legitimo certamine perſeuerant vſque in finem. *Eſto fidelis*, inquit, *vſque* Apoc. 2, 10. *ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* item: *Vincenti dabo manna abſcondi-* Apoc. 2, 17. *tum, & dabo illi calculum candidum; & in calculo nomen nouum ſcriptum.* Nota, *nomen nouum.* Nullus miles no- *Simile.* bilitatur per hoc quòd militiæ adſcribatur, ſed opus eſt vt rebus in bello benè & fortiter geſtis, libro victorum & triumphantium inſcribatur. Eodem modo per Baptiſmum quilibet noſtrûm conſcriptus eſt in libro militantis Eccleſiæ: vt nobilitetur, opus eſt vt viriliter agat, & confortetur cor eius, & accepto nouo nomine in libro vitæ honoretur.

102. Ex his patet ratio, cur Paulus non-

non de miraculis, ſed de tribulationibus glorietur, non ignorans per eas ſpem fulgere generoſi nominis in libro vitę annotati, & dilectionis ac glorioſæ filiationis diuinæ. vnde etiam alij Sancti vſque hodie deſiderant aut eſſe cum Chriſto in cruce, aut mori & frui æterna ſalute. *Aut mori, aut pati*, dicebat feruens fundatrix Tereſia. Surius. Refert Surius in Comment. rerum in orbe geſtarum ad annum 1501. de quadam muliere Ruthena, quam miles Germanus in vxorem duxerat, quæ indolebat & conquerebatur ſe à marito ſuo non amari, ſed negligi, propterea quòd numquam eam verberaret. Vbi hoc ille intellexit, teſtatus eſt ſe eam impensè amare, ignoraſſe autem verbera eſſe amoris argumenta. Itaque multis verberibus illam excipiens, expertus eſt amorem eius erga ſe cum illis augeri. Tandem homo crudelis ceruicem & crura ei præſcidit. Barbarum erat illud amoris teſtimonium. Sancti tamen meritò conqueruntur ſe neglectos, & quaſi deletos de numero filiorum Dei, ſi crucis expertes ab eo non flagellantur. Non Hebr. 12,6. enim ignorant illud Pauli: *Quem enim Dominus diligit, caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.*

Simile. 103. Vt à Principibus nobiles percuſſione cærimoniali creari ſolent (Eques enim ab ipſo Rege, vel Regis nomine ab exercitus Præfecto, flexis genibus, educto gladio in humeros percutitur) ita homines per tribulationem à Deo nobilitantur.

Tunſionibus, preſſuris
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis
Per manus artificis,

Simile. cecinit Eccleſia. Nullus lapis eruitur de fodina ædificio ita coaptatus, vt Iob 14, 1. malleo non egeat, *ita homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs*, vt conſtanter eas in ſe admittat, & ita diſponatur permanſurus in cæleſti ædificio. Nam *per* Act. 14. 21. *multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Hinc benè monet Paulus, dicens, cùm non ſit filius quem non corripit pater, *in diſciplina perſeuerate*. Hebr. 12,7. Ridiculus enim eſſet, qui honorem equeſtrem ambiret, & Regi ictum euaginato gladio intentanti humeros ſubduceret. Quomodo erit Eques, Belgicè *gheſlaghen Ridder*, Simile. ſi cærimoniam, qua creandus eſt, recuſauerit? Conſtanter igitur ſuſcipiat percuſſionem, qui vult gloriari ſe fuiſſe percuſſum.

104. Ex his patet, verum eſſe quod ait Dauid, *Virga tua, & baculus tuus,* Pſalm. 22,4. *ipſa me conſolata ſunt*. Solent Belgæ importunè minanti verbera, dicere: *Slaet die ghy te eten gheeft*. id eſt, *Quem paſcis cibo, compeſce baculo*. Simile. Deus omnia rationabiliter & ſuauiter diſponit: meritò igitur qui ab illo corripitur, conſolatus eſt, non ſine fundamento ſperans, quòd ab eo etiam paſcetur. Ideò benè loquitur in eodem Pſalmo: ℣. 5. *Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me*. Obtulit S. Auguſtinus ſe paratum Deo non modò percutienti, ſed etiam ſecanti & vrenti, nil petens pro ſua conſtantia & reſignatione, niſi vt in futuro parceret. S.Aug. *Hic vre*, inquit, *hîc ſeca, vt in æternum parcas*. Qui honorem filiationis diuinæ deſiderat, & Beatis annumerari, qui manducabunt panem in regno Dei, paratum ſe debet exhibere ad ſuſcipiendam diſciplinam Patris, dicens: *Hic percute, hîc flagella, vt in æternum paſcas*. Conſoletur te igitur virga & baculus eius, & dic cum Propheta: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Pſalm. 22,1.2.

105. Nota

105. Nota autem, quòd non omnes, quos virga correctionis aut baculus tribulationis tangit, ſint nobiles, ac Dei menſa digni, ſed qui in ſuſceptione diſciplinæ præbent ſe conſtantes. *Vos autem eſtis, qui permanſiſtis in tentationibus meis* (inquit Apoſtolis;) *& ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam*, &c. Non dicit, fuiſtis aut manſiſtis, ſed permanſiſtis, veræ conſtantiæ quamdam permanentiam ſignificans.

Lucæ 22,28. ỷ.29. & 30.

106. Nobilium eſt, in tribulatione gloriari, quòd cum Chriſto ſint ſocij paſſionum, atque adeò patientiam, imò conſolationem oſtendere, & dicere: *Virga tua & baculus tuus*, &c. Per virgam intelligunt nonnulli leuem tribulationem, vt aduertit noſter Titelmannus, per baculū verò grauem & acerbam. Omnes tribulationes quas nos patimur, leues ſunt. Nam *non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Acerba autem & grauis fuit Chriſti paſſio per baculum ſignificata, vnde vocatur exceſſus; *(Loquebatur de exceſſu.)* quos ſolùm *virga*, id eſt tribulatio propria tangit, qui nimirum ita de cruce propria dolent, vt ad ea quæ pro nobis paſſus eſt Chriſtus, non reſpiciant. Viles ſunt, & ſæpè ſuccumbunt; nobiles verò conſtanter impoſitam ſibi virgam portant, quos baculus crucis & meritum crucifixi ſuſtentat. Nobiliſſima Virgo Maria gladio doloris quaſi virga quadam percuſſa, non cecidit, ſed ſtans *iuxta crucem Ieſu* innitens baculo, *qui dat laſſo virtutem*, in tribulatione patiens & conſtans fuit.

Pſalm. 22,4. Titelm. Rom. 8,18. Iſa.40, 29.

Simile. 107. Viles baculo percutiuntur, ſicut nobiles eo ſuſtentantur. Qui vix vnquā meditatione cum Maria ſtant iuxta crucem Ieſu, ac proinde inſtabiles ſunt vt arundo vento agitata, *ad tempus credunt, & in tempore tribulationis recedunt*, non confortabuntur, ſed terrore concutientur in die iudicij, viſa cruce Chriſti; de quibus intelligi poteſt quod dixit: *Tunc parebit ſignum Filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ*. Inimici crucis Chriſti tunc inſtar canis vlulabunt, nullum ex crucifixi meritis ſperantes refrigerium, ſed formidantes neglectæ crucis ſempiternum opprobrium. Crux igitur erit impijs, quod fuſtis canibus, pijs verò & ſanctis, qui ſæpè tribulationibus impulſi euerſi ſunt vt caderent, baculus eſt quo ſe & animo & corpore erectos tenent cum Maria, quæ *ſtabat iuxta crucem Ieſu*.

Luc 8, 13. Matth. 24,30. Phil.3. Simile. Ioan. 19,25.

108. Qui tempore pluuioſo per viam lutoſam in lubrico ambulat, indiget baculo, ne cadens ſordeſcat. Vallis lacrymarum eſt mundus iſte, pluuiæ miſeriarum & tribulationum ferax, præ ceteris autem *omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, tribulationem patientur*. Per lubricum igitur incedendum eſt, in quo etiam fortiſſimi vacillare ſolent. *Mei autem penè moti ſunt pedes* (dicit Dauid) *penè effuſi ſunt greſſus mei*. Penè moti ſunt pedes de loco, in quo firmiter ſtare debent, & inſtar hominis lubricantis in glabritie imminebat mihi periculum lapſus. Cauſam autem huius poſteà ſignificans ait: *Laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die*, cùm tamen meo iudicio æquum ſit vt impij flagellentur, & iuſti miſericorditer tractentur. Scipione igitur, id eſt crucis meditatione & recogitatione Dominicæ paſſionis hîc opus eſt ei qui vult eſſe de numero illorum, qui ex conſideratione crucis Chriſti patienter poſt illum baiulant ſuam, quique liberi

Simile. 2.Tim. 3,12. Pſalm. 72,2. Pſalm. 72,13.

liberi à caſu cum illis conſtanter progrediuntur, de quibus idem Dauid ait: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Pſalm. 118,1.

109. Porrò immaculati ſenibus annumerantur à Spiritu ſancto, quando ait: *Ætas ſenectutis, vita immaculata.* Sap. 4, 9. Hi cum Maria ſtant iuxta crucem, cui innituntur, vt viriliter agant, & roborato corde conſtanter ſuſtineant Dominum. de quibus ſenſu accommodatitio intelligi poteſt illud Zachariæ: *Viri baculus in manu eius præ multitudine dierum.* Zachar. 8,4. Viri nomen non ſemper in Scriptura ſexum diſtinguit, ſed innuit fortem & conſtantem animum. Sicut multitudo dierum non ſemper ſignificat ſenectutē venerabilem, diuturnam, aut annorum numero computatam, cùm cani ſint ſenſus hominis, & (vt dictum eſt) *ætas ſenectutis, vita immaculata.* Sap. 4, 9. Significari igitur poteſt prædictis Prophetæ verbis, quod in manu fortis & conſtantis ſit baculus crucis Chriſti vt vitam immaculatam ſeruet, ac proinde ſit *beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* Apoc. 16,15.

110. Sciendum eſt, quòd is qui ſe non ſuſtentat baculo crucis, & per impatientiam cadit, non ſolùm turpiter ſordidetur & ſordidè deturpetur, ſed etiam veſtibus exuetur. Homo ille qui deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, *incidit in latrones, qui etiam ſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt.* Lucæ 10,30. Fœdè lacerarunt nudum. Nota, veſtes corporales ferunt quidem ſordes, in quas egregiè veſtitus lapſus eſt; non ſic ornamenta animæ. *Diſſimile.* Hinc fit, quòd impatientes virgæ à Deo immiſſæ baculo crucis ſe non erigunt aut ſuſtentant, vnde virtutes amittunt, quibus cooperiri ſimul & decorari ſolebant, & prætereà vitijs ſordeſcunt. Semper igitur ſit *viri baculus in manu eius.* Zachar. 8,4.

111. Celebrat antiquitas conſtantiam Diogenis, quem nulla moroſitas ab Antiſthene ſibi illata abigere potuit, ſed diſcendi deſiderio omnia animosè tolerauit. Adeò vt cũ ei aliquando baculũ intentaret, libenter illi caput ſubiecerit, dicens: *Nullum inuenies baculum tam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid docueris.* Laërt. Sic Laërtius. Eamdem conſtantiam promiſit quidem Petrus, ſed turpiter fidem fefellit, quam ſi non omnino venalem, ſaltem nimis infirmam habuit. Iactauit ſe fore conſtantem, ſed non probauit. Intentatus baculus ab infirmo brachio ancillæ oſtiariæ illum deiecit. Viſus fuit Chriſto promittere, nullum baculum tam durum inueniri poſſe, qui ſuam conſtãtiam confringere poſſet, ignorans, arundinem conquaſſatam à leui vento facilè agitari. Quid eſt, *Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire?* Lucæ 22,33. niſi, Nihil poterit me ſeparare à charitate tua, nec tribulationem tam acerbam immittes aut permittes, quæ me à te repellat? Turpe, magniloquum potiùs quàm fidum eſſe, & leuitatis eſt, promittere potiùs, quàm conſtantiam præſtare.

112. Vt autem fides noſtra ſit verbis maior, ſtemus cum Maria iuxta crucem Ieſu, baculo illo genua debilia roboremus. Non confundat nos Iob, quem nulla virga, nulla à Deo permiſſa tribulatio in minimo commouit vir ſimplex & rectus, & talem ſe oſtendit, quando dicebat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.* Iob 1,21. Abſit, inquit, vt me Deus à ſe ableget aut abigat, etſi abductis bobus & aſinis, combuſtis ouibus, inſuper à planta pedis vſque ad verticem percutiat me vlcere peſſimo, quin

Digitized by Google

quin potiùs nullum baculum inueniet quo me perterritum vertat in fugam.
Iob 13, 15. *Nam etſi occiderit me, ſperabo in eum.* Non ſine iuſta ratione inuitat nos Apoſtolus Iacobus ad conſideratio-
Iacob. 5, 11. nē infracti animi eiuſdem Iobi. *Ecce*, inquit, *beatificamus eos qui ſuſtinuerunt, patientiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* Quia ipſe fuit exemplum patientiæ & conſtantiæ, vt ait
Baſilius. Hieronymus Epiſt. 103. quem Baſilius Homil. 4. de Gratiarum actione
Hilar. vocat *adamantini cordis hominem.* Hilarius verò in Pſalmum 68. & 118. *vniuerſarum paſſionum humanarum glorioſum & beatum victorem.* Suidas in ſua Oeconomia, v.Iob, *firmiſſimam columnam & incudem* appellat.

113. Vt ergo illius nobilem conſtantiam imitemur, per interceſſionem Virginis, quæ ſtabat iuxta crucem, aſſidua meditatione ſalutiferæ crucis baculo innitamur. Ex defectu huius inſtabiles ſumus in bono, & proni ad
Thren. 4, 18. malum, adeò vt dicere poſſimus: *Lubricauerunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum.* Qui verò deuotè & diligenter ſtationes ſuas ſeruant iuxta crucem Ieſu, illis omnis tribulatio eſt refectio, omnis pœna medicina. Hi audiunt Sapientis monitionem,
Eccle. 10, 4. cùm ait: *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuumne dimi-*
Eccli. 11, 21. *ſeris.* item: *Sta in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce.* Beati qui militarem ſtationem ſuam ſeruant cum
Pſalm. 121, 2. ijs qui aiunt: *Stantes erant pedes noſtri in atrys tuis Ieruſalem.* Nullus in aula admittitur ad conſpectum & colloquium Regis in penetralibus ſuper ſolium conſidentis, niſi in atrio patienter tulerit frigus aut æſtuem, ac alia
Simile. quæque incommoda. Stemus igitur in hoc mundo iuxta crucem, vt tandem meritis Crucifixi admittamur ad contemplandam lucem inacceſſibilem, &c. Amen.

DISCVRSVS IX.

Conſtantes voluntariè bibunt calicem quem illis Chriſtus propinauit, non eligentes ſibi crucem, ſed tollentes eam quam is portandam immittit.

114. IOSEPH præcepit diſpenſatori, vt ſcyphum ſuum argenteum poneret in ore ſacci Beniamin. vnde factum eſt, vt poſteà quaſi in furto deprehenſus præ ceteris
Gen. 44, 5. & innocens & afflictus fuerit, adeò vt dimiſſis reliquis fratribus, Ioſeph illi ſoli compedes & carcerem intentaret, quæ omnia conſtanter & forti animo gratioſus puer ferens, ita animum Ioſephi commouit, vt compoſitam ſtropham detegeret, & ſeipſum manifeſtās cum eiulatu, pacatum omnibus, maximè autem Beniamino beneuolum & liberalem, exhiberet. In Beniamino optimè figurari videntur conſtantes, & in tribulatione patientes. Beniamin enim *filius dexteræ* interpretatur. Omnes autem qui piè volunt viuere in Chriſto, & forti animo tribulationem patiuntur coram Regibus, ſine dubio ſtabunt à dextris ſedentis in ſede maieſtatis ſuæ, ad iudicandum viuos & mortuos, nec erunt inter ignobiles hœdos à ſiniſtris cum illis abigendi in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.

115. Inquiunt Doctores, quo animo & ſenſu, & an ſalua iuſtitia & illæſa veritate Ioſeph ſtropham hanc fratribus ſuis ſtruere potuerit. Non eſt improbabilis illorum opinio, qui exiſtimant Ioſephum pertentare voluiſſe,

quo animo reliqui fratres eſſent erga Beniaminum, & an ei non inuiderent tamquam filio Rachelis, quem ipſe in menſa etiam potiori ferculo honorauerat. Nam *ſumptis partibus, quas ab* Gen. 43,34. *eo acceperant, maiorque pars venit ad Beniamin, ita vt quinque partes excederet.* Experiri igitur voluit an fratres ei inuiderent hanc præferentiam, qui illorum crudelitatem ſenſerat, non ob Gen. 37,4. aliud *niſi quòd à patre plus cunctis filijs amaretur.* Simulat ille, ſe Beniaminum velle incarcerare, vt ſi inuidiam perſentiſceret per ſilentium fratrum, illum ſine vlla compaſſione negligentium, & ſibi de ſua euaſione gratulantium, eum apud ſe retineret, ne quid mali in via contra illum, vt olim contra ſe fecerant, molirentur. Si verò amorem fraternum anxietate & conatu liberandi eum manifeſtarent, eumdem cum illis ſecurè dimitteret. Sic Ioſephus lib. 2. Antiquit. cuius hîc Ioſeph. libet ſubſcribere verba. *Id faciebat volens experiri fratrum animum,* inquit, *eſſentne adfuturi Beniamino reo furti, an illo relicto, tamquam maleficium hoc nihil ad eos attineret, ad patrem reuerterentur.* Ita præter alios Chryſoſtom. etiam ſentit Chryſoſtomus, quem ſequitur Lyranus noſter, qui dicit non Lyran. eſſe mirandum, quòd Ioſeph excogitato medio fratres ſuos probauerit, quia malitiam eorum in ſeipſo fuerat expertus.

116. Fortaſſe dubium videri poſſet, quo iure fratres innoxios tanto metu ex impoſitione furti concuſſerit. Nota igitur, quòd Ioſeph iuſtè potuerit fratres pro ſcelere olim in ipſum commiſſo punire, vt per hanc afflictionem in ſe reuerſi, peccatum ſuum cognoſcerent, vti re ipſa fecerunt, inquit Auguſtinus, quem hîc citat Cornel. vn- Auguſt. de Iudas nomine omnium, *Quid reſpondebimus*, inquit, *domino meo? vel quid loquemur, aut iuſtè poterimus obtendere? Deus inuenit iniquitatem ſeruorum tuorum.* Gen. 44,16. Notanda hîc occurrit vtilis doctrina. Fratres Beniamin coram pio patre peccatum ſuum celauerant, ne ab illo arguerentur. Et ecce iam tremuli illud fatentur coram terribili (vt putabant) & alieno Principe, qui confeſſione non pacatur, ſed pergit confitenti vincula & carceris ſqualorem decernere. O miſeros peccatores, qui peccatum verentur aperire Confeſſario & Patri ſpirituali, compatienti miſericorditer, & leui iniuncta pœnitentia reum auctoritate Dei abſoluenti, qui in die iudicij cogentur illud coram toto mundo irato iudici aperire, *dicentes intra ſe, pœnitentiam* Sap. 5, 3.6. *agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes,* &c. *ergo errauimus à via veritatis,* &c.

117. Difficultas oritur de Beniamin innocente, à quo Ioſeph nihil vmquam mali paſſus eſt, quem tamen præ ceteris afflixit, imponendo illius ſacco ſcyphum in ſpeciem apparentis furti. Videtur Ioſeph hîc à leui ſaltem calumnia, & per conſequens à peccato veniali excuſari non poſſe. Verum eſt, quòd illa fuerit concinnata in bonum Beniamini, vt patet ex ijs quæ iam diximus, tamen non eſt dubium, quin prudens ille Princeps ſibi facilè mitius medium ſuggerere potuiſſet, quo expiſcaretur animū fratrum ſuorum erga hunc ſuum vterinum magis ſibi dilectum. Poſſet fortè iuſtificari Ioſeph, quòd innocentem cum alijs reis fratribus, qui illum vendiderant, affligeret. Vt enim Deus, ita & Princeps (qualis erat Ioſeph in terra Ægypti, cui proinde erat collata poteſtas puniendi parricidium & plagium in ſe à fratribus admiſſum) communibelli.

Digitized by Google

belli clade innocentes cum reis & ſontibus inuoluit & plectit quibus commiſti ſunt, ſine vlla iuſtitiæ iniuria. Ita Ioſeph egit, de quo ſic ſcribit Gregorius Homil. 21. in Ezechielem: *Vincebat mentem pietas, cùm frater innocens videretur; ſed permanebat in oſtenſione aſperitas, vt fratres noxij purgarentur.* Gregor.

118. Sed ad propoſitum noſtrum: ſicut Ioſeph luſit cum Beniamin, quem in principio quaſi furem premere & affligere velle ſimulauit, cùm tamen reuerà illum præ ceteris charum haberet, vnde poſteà etiam totum id ioco factum & à ſe confictum eſſe oſtendit, dum illum ceteris prætulit amplexibus & amoris indicijs; ita Deus agit cum dilectis ſuis, quos contemni & affligi patitur, vt in tribulatione patientes & fortes facti in bello, conſtantiæ ſuæ mercedem accipiant.

119. Multa ſunt, quæ nos ad patientiam & conſtantiam in tribulatione meritò excitare debēt. Primum, quòd Filius Dei patiendo intrauerit in gloriam ſuam. Figuratur ille per Ioſeph, qui occaſione venditionis & iniquæ oppreſſionis, quam fratres illius crudeliter in illum exercuerunt, peruenit ad primatum totius Ægypti. Miſit ille Beniamin ſcyphum ex quo ille bibere Gen. 44,5. ſolet. *Scyphus*, inquit diſpenſator, *quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Propinat Filius Dei omnibus electis ex calice paſſionis; væ illi qui rationem facere recuſat. Intolerabilis quidam eſt error, imò furor quorumdã, qui immoderato vino & ebrietati aſſueuerunt: quo fit vt illum odio perſequantur, imò & ferro aliquando inſectentur, qui propinanti æqualibus hauſtibus reſpondere detrectat, exiſtimantes ſe contemni, niſi vim naturæ faciat; etſi iam ebrius ad vomitum quàm ad vlteriorem potum pronior ſit.

120. Inuitat nos Chriſtus, ſi non ad æquales, ad aliquales tamen hauſtus calicis & crucis; vnde ait: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Matth. 10,38. Non petit vt ſit crux tua eiuſdem ponderis cum illa quam ipſe tulit, aut vt calicem exhaurias tantæ amaritudinis & magnitudinis, quantæ fuit is quem dedit illi Pater: ideò nuſquam dicit illius crucem aut abſolutè crucem ferendam eſſe, ſed vbique monet vt *quilibet accipiat crucem ſuam*, quam ille, nimirum qui *attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*, quique *omnia in menſura, & numero, & pondere* ordinat, pro viribus noſtris proportionatam nouit: qui proinde ſecundùm Apoſtolũ *non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſtare.* Sap. 8,1. Sap. 11,21. 1. Cor. 10,13. Si quis autem naturæ nullam vim facere voluerit, cenſetur Chriſtum propinantem contemnere, atque adeò iuſtè illius indignationem, & per conſequens damnationem incurrere. Si meribibulus, ne ſordido compotatori diſpliceat, naturæ ſuæ vim facit ad animæ ſuæ damnationem; quæ erit Chriſtiano excuſatio, ſi Chriſto non veretur diſplicere propinanti calicem ſalutarem? Non omnibus, ſed reprobis crucis & calicis participatio deſpectui eſt. *Verbum enim crucis* (inquit Paulus) *pereuntibus quidem ſtultitia eſt, ijs autem qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt.* 1. Cor. 1,18. Si quis ſe excuſauerit propter aliqualem naturæ horrorem aut repugnantiam, dicetur ei, quòd propinans Chriſtus meritò ſe arbitrabitur contemni, ſi corruptæ naturæ acquieuerit. vnde ſubiunxit, poſtquam crucem tollendam eſſe monuerat: *Qui enim voluerit* Matth. 16,25.

animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Qui crucem omnem abijcit, qui præbibenti Chriſto reſpondere renuit, inordinato & vitioſo ſui amore laborans, is tamquam inimicus crucis eum contemnit, & ſeipſum perdit.

121. Nota autem, ad veram conſtantiam non ſufficere, vt quis quocumque modo crucem qualemcum-
Simile. que portet. Vt enim coactio, ita & crucis electio repugnat conſtantiæ. Inuitus eſt miles, qui cogitur confligere cum hoſte, quem, ſi poſſet, mallet declinare. Voluntarios baiulos crucis, & ſitibundos compotatores calicis ſui quærit Chriſtus, de quo ſcriptum eſt,
Iſaiæ *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*; non faſti-
53,7. dioſos. vnde ait: *Si quis vult poſt me*
Matth. *venire, abneget ſemetipſum, & tollat*
16,24. *crucem ſuam, & ſequatur me.* Non durat quod illata vis agit. nullum enim violentum perpetuum. *Quidquid ne-*
Hier. *ceſſitate fit* (ait Hieronymus in Oſeę 7.) *citò ſoluitur; quod voluntate arripitur, perſeuerat.* Natura pellente perrumpunt aggerem aquæ, quas cataracta ſtagnabat, aut alius obex à curſu violẽter cohibebat. Si autem ſteterint, quando patet defluendi locus (quomodo ſteterunt aquæ Iordanis quando populus
Ioſue 3, Dei incedebat contra Iericho, ſacerdo-
16. tibus Arcam Dei deportantibus) diui-
Simile. næ virtutis argumentum exhibent. Ad tẽpus ſe cohibet, ſed tandem erumpit per iracundiam, qui patitur iniuriam, non quia velit eam tolerare, ſed quia iniurianti reſiſtere non poſſit. Ille verò conſtans eſt, & diuina fretus virtute, qui aquas tribulationũ propter Deum fortiter retinet, quamuis ijs per ſui defenſionem egreſſus pateat, ſecun-
Rom. dùm illud Pauli: *Non vaſmetipſos*
12,19. *defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ.*

122. Inconſtantiæ fuit, quòd Apoſtoli tempore paſſionis Chriſti, *relicto eo omnes fugerunt:* ſummæ fortitu- Marc. 12, 12.
dinis verò, quòd *ſtabat iuxta crucem* Ioan.
Ieſu mater eius, quam poſteà imitati 19,25.
ſunt, dum *ibant gaudentes à conſpectu* Act. 5,
concilij, &c. & nullas tribulationes de- 41.
clinantes, conſtanter reddebant teſtimonium Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nam ſæpè dimiſſi & permiſſi vt abirent, quaſi aquæ Iordanis virtute Dei ſteterunt immobiles, illi exhibentes reuerentiam, cuius abſque vllo timore prædicabant fidem. Vult aliquando Deus hanc ſuam virtutem oſtendere, qua diſcipuli Chriſti in aquis tribulationum immobiles, aperto oſtio vnde euadant, ſubinde voluntariè ſubſiſtunt.

123. Paulus & Silas miſſi in carcerem, media nocte orantes laudabant
Deum: *Subitò verò terræmotus factus* Act. 16,
eſt magnus, ita vt mouerentur funda- 26.
menta carceris. Et ſtatim aperta ſunt omnia oſtia; & vniuerſorum vincula
ſoluta ſunt. Expergefactus autem cu- ℣. 27.
ſtos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio voluit ſe interficere, æſtimans fugiſſe vinctos. Impoſſibile enim credebat, in aperto carcere captiuos ſubſiſtere. Poſteà autem
dicente Paulo, *Nihil tibi mali feceris,* ℣. 28.
vniuerſi enim hic ſumus, in ſtuporem raptus, & propter hanc conſtantiam
tremefactus, procidit Paulo & Silæ ad ℣. 29.
pedes, & producens eos foras ait: Domi- ℣. 30.
ni, quid me oportet facere, vt ſaluus fiam? Conuerſus eſt hic cuſtos, non tam per terræmotum, qui ſine dubio terribilis erat, vtpote quo fundamento carceris concuſſo, omnes meritò terrore concutiebantur; quàm quòd Paulus & Silas vinculis ſoluti, in ijs tamen perſtitiſſent laudantes Deum. Inde enim clarè colligebat, non eſſe humanæ virtutis, ſed operationis diui-

næ,

næ, hanc Pauli & Silæ voluntariam conſtantiam.

124. Deinde non ſunt per omnia conſtantes, qui portant cruces quas ſibiipſis conſtruunt. De quodam ſene legitur, qui inter fratres quietè viuere non poterat, & ideò cruces à Deo ſibi miſſas fugere cupiens, contulit ſe ad ſolitudinem, in qua ſibi pro libito cruces efficeret. Qui citò ſuæ inconſtantiæ argumenta dedit. Nam cùm hydria, quam habebat, ſemel atque iterùm cecidiſſet, iratus eam confregit, & ita cognouit, quòd non electæ, ſed à Deo acceptæ cruces virum conſtantem efficiant & probent. Non deſunt

Gal. 5, 24. propriæ crucis fabri, *qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs*, qui proprijs manibus caſtigant cum Paulo corpus ſuum, & in ſeruitutem redigunt, vigilijs ſpontaneis & carnis macerationibus ſe affligunt; qui ſi murmurant dum aliena manu aliquid imponitur, totum quod ſponte ſibi infligunt, non à ſpiritu recto inſpiratum, ſed ab hypocritica ſingularitate confictum cenſeri debet. Certum eſt autem quòd pauci ſint crucis Chriſti fortes & conſtantes baiuli, quales deſiderat, qui nuſquam ait: *Qui poſt me*

Matth. 16, 24. *vult venire*, fabricet ſibi crucem, ſed, *tollat crucem ſuam*, à me fabricatam ſcilicet. Meritò diabolicæ fraudis ſuſpicionem ingerit, qui in Monaſterio oneribus vitæ communis ſe imparem fatetur, quem tamen Prælatorum auctoritas vix cohibere poteſt, ne ſanitati obſit per ea quæ proprij ſenſus ſingularitas ſuggeſſit. Rarò à bono ſpiritu mouetur, quin potiùs à diabolo & ſpiritu vertiginis crucifigitur, qui grauia ſibi imponit, ſi vel vnum negelexerit eorum quæ communi Religioſorum decreto præſcripta ſunt. Qui in vno offendit quod ad vitam communem pertinet, omnium quæ ſingularitatem ſapiunt eſt reus. Ipſæ extaſes monaſtico moderatori ſuſpectæ eſſe debent, quæ ſubdito, ne in choro cum reliquis pſallat, impedimento ſunt. Non cenſentur eſſe Chriſti, qui carnem ſuam crucifixerunt, ſi eamdem, ne alienis manibus crucifigatur, ſubtrahunt.

125. Sicut igitur peſſimi ſua peruerſitate, cùm ſint inimici crucis Chriſti, alijs moleſtias & cruces parant; ita optimi cenſeri debent, qui omnibus blandi, ſibi autem duri, ad ſuſcipiendas verò cruces à Deo immiſſas parati ſunt. Omnia hæc in Ioanne Baptiſta luce clariùs apparent, cui Herodes impietate inſignis, luxu in ſeipſum mollis, valdè crudelis fuit, ipſe verò Ioannes ſibi ſummè auſterus, omnibus miſericors & mitis, *cùm audiſſet* Matth. 11, 2.
in vinculis opera Chriſti, tam forti animo crucem ſibi impoſitam tulit, vt non pro ſua libertate, ſed pro ſuorum diſcipulorum ſalute anxius, eos mitteret ad Chriſtum, dicens: *Tu es qui venturus* ℣. 3.
es? &c. Non fuit igitur arundo vento agitata, ſed in propria tribulatione fortis & patiens, in aliena verò mitis & compatiens. Requirit Paulus has conditiones in nobis. Vult, inquam, vt crucem noſtram accipientes, nulli crucem aut moleſtiam imponamus, ſed potiùs miſericordia moti, aliorum miſerias mitigemus. *In tribulatione pa-* Rom. 12, 12.
tientes, inquit, *orationi inſtantes, neceſſitatibus ſanctorum communicantes.* His medijs fit homo fortis & conſtans, vnde concludit: *Noli vinci à malo, ſed* ℣. 21.
vince in bono malum, &c. Amen.

DISCVRSVS X.

Sancti fiduciam, non omnimodam certitudinem habent de peccatorum remiſſione, ideò conſtantes ſunt cùm falſa eis imponuntur, vt pro veris ignotis ſatisfaciant.

126. MIRABILIS eſt ſeptem Machabæorum in exquiſitiſſimis cruciatibus conſtantia, quæ in ſtuporem rapuit ipſum tyrannum, cui fortaſſis incidebat diabolicæ artis ſuſpicio, cui tribuebat fortitudinē, quam conſtantiſſimi adoleſcentes beneficio Dei acceptam ferebant. Ad quem Sextus, vt illum ab errore reuocaret, ait:
2. Machab. 7. 18. *Noli fruſtrà errare: nos enim propter noſipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum.* Eamdem confeſſionem facit
ꝟ. 32. iunior omnium, dicens: *Nos enim pro peccatis noſtris hæc patimur*. Licet enim ſancti eſſent & innocentes, vt
Lyran. dicit Lyranus noſter, tamen humiliter confitentur ſe peccatores. Nemo enim eſt qui non cum metu & tremore ſuam ſalutem operari debet. Etſi enim conſcientia non reprehendit nos, non tamen ideò omnimodam habemus certitudinem noſtræ iuſtitiæ. Pro quo notandum, quòd ſicut pœnitentes ſcrupulis fortè agitati, non debent nimis eſſe anxij; ita illi qui videntur conſcientiæ ſerenitate gaudere, non debent ſine formidine de oppoſito plus quàm conuenit eſſe ſecuri.

127. Notabilis eſt hæc de re B. Ioan-
1. Ioan. 3. 20, 21. nis doctrina: *Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum*, inquit, *maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia. Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Priori ſententia confortat puſillanimes, qui nimis anxij de quotidianis & leuibus culpis aut inordinatis ſenſualitatibus & affectibus, quibus etiam timorati ſe irretitos vident & dolent: vel qui nocte & die ruminant peccata præterita cum Propheta, qui aiebat, *Quoniam iniquitatem meam* Pſalm. 50. 5.
ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Etiam, inquit, ſi cor noſtrum nos reprehenderit, ac præterita peccata memoriæ obijciat, tamen confortari debet verus pœnitens, quia Deus maior eſt corde noſtro, hoc eſt, maior eſt miſericordia Dei quā omnis iniquitas noſtra, & plura dimittit quàm humana puſillanimitas præſumit. Hoc modo priorem illam ſententiam Ferus Ferus.
noſter interpretatur, qui addit aliorum opinionem, exponentium eam contra eos qui charitatem tantùm ſimulant, quorum conſcientia dictat, quòd vera charitate vacui diligant verbo, non opere & veritate: quibus ſimulata charitas non proderit, quam Deus, quem nihil latet, diſtinctè nouit. Sed prior expoſitio etſi fortè accommodatitia potiùs ſit quàm genuina (vt illam vocat Cornelius) cùm ſit etiam S. Thomæ, propoſito noſtro deſeruit.

128. Hac interpretatione poſita, ſequitur quidem, quòd maior ſit ſpes illius cuius cor non reprehendit eum, eò quòd ab omni inordinato affectu expurgatum, vix vmquam aut rarò admittit vlli peccato veniali aditum. Nam, vt ait Ioannes, talis fiduciam habet ad Deum. Fiducia autem eſt modus quidam & perfectio ſpei, vt docet
S. Thomas 2. 2. q. 129. a. 6. vnde etiam S.Tho.
Seneca, ſignificans fiduciam aliquid Seneca.
addere ſpei, *De te*, inquit Epiſt. 11. *ſpem habeo, nondum fiduciam*. Porrò
Tobias eleëmoſynæ non vulgarem Tobias.
ſpem, ſed fiduciam promittit, dicens:
Fiducia magna erit coram ſummo Deo Tob. 4.
eleëmoſyna omnibus facientibus eam. 12.
Ha-

Habet igitur ſingularem ſpem, qui cum omnimoda pietate gaudet puritate conſcientiæ præſertim, ſi cor non reprehendit illum, ne quidem de affectu culpæ venialis. Verum hæc fiducia ſtat cum formidine de oppoſito, ideò nullus eſt qui per omnimodam certitudinem poteſt eſſe ſecurus.

129. Hinc ſequitur, quòd etiam ſanctiſſimi ſpe quidem gaudétes, cum metu ſuam ſalutem operantur, & ideò conſtantes & in tribulatione patientes ſunt; vt ſi quid in fundo inſcrutabilis cordis ſordium lateat, per cruces & tribulationes luſtretur. Hinc Auguſtinus ſuadet, vt ſpe confortati, timore tamen
Auguſt. ſolliciti ſimus. *Qui ſperat*, inquit Sermon. 15. *& non timet, negligens eſt; qui autem timet & non ſperat, depreſſus eſt, & deſcendit in profundum quaſi lapis.*
Bernar. Idem monet Bernardus Serm. 7. in Cantica, vbi copiosè perſuadere conatur, ne quis alterum pedem Chriſti ſine altero oſculetur, id eſt, ne Dei ſeueritatē ſine illius miſericordia conſideret, appoſitè citans ad hoc propoſitum
Pſalm. 146, 11. illud Dauidis: *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.* Nam quia timent Deum, ceſſant à malo, dicit Haymon, quia verò ſperant, benè operantur. Peccata quæ per confeſſionem emungimus, ſpem inter & metum compreſſa omnino extinguuntur: ad
Simile. eum verò modum, quo fungus candelæ in emunctorio ſemper ardet & fœtet, etſi auferatur, niſi inter duas laminas laterales ipſius emunctorij violenter contorqueatur. Ita peccata viuunt, quæ torcular paſſionis Chriſti mediante contritione inter timorem Dei & ſpem miſericordiæ eius non confringit. Sperant ſolùm, imò in fide ſua ſpeciali hæretici ſibi certam ſuam ſalutem promittunt, ſed non minùs quàm Iudas, qui timuit, ſed deſperauit, in peccatis ſuis moriuntur.

130. Verùm aliter timeri debet Deus quàm homo iniuſtus, aut latro qui ſanguine hominum paſcitur, aut fera peſſima. Vt enim ab his liberemur, timor pedibus addit alas, aut arma parat defenſiua & offenſiua; & ſi vires deſunt, ſuppetias ab alijs poſtulare facit. Non ſemel legitur Dauid fugiſſe & effugiſſe, quando timebat perſequentem Saulem, aut perduellem filium ſuum Abſalonem. Idem verò cùm naturaliter horreret leonem & vrſum, nec non immanē Goliath, qui ſola voce & aſpectu ſuo toti exercitui terrorem incuſſerat, volens gregē ſuum defendere à beſtijs, & Dei exercitū à ſuperbi & iactabundi opprobrijs, nō fugiendo, ſed auxilium à Deo poſtulando timorē ſuum temperauit. Eodem modo Iacob, qui occurſum fratris ſui Eſau timebat, à Deo petijt ſuppetias, dicens: *Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valdè eum timeo.* Ecce quando creaturę terribiles ſunt, aut fuga nobis conſulimus, aut reſiſtendo (implorato etiam ſi opus eſt alieno auxilio) nos contra eos defendimus. Verū qui vt oportet Deū timet, non fugit; nouit enim quod effugere non poteſt dicens cum Dauide: *Quo ibo à ſpiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam?* Multò minùs bellum contra illum parat. Quis enim Omnipotentem debellare poteſt? Sed quia miſericors & bonus eſt, non ſolùm iuſtus & potens, confugit ad eum quem offendit, & in eius miſericordia ſperat, quem propter peccata in illū commiſſa meritò formidat. Nam *beneplacitū eſt Domino ſuper timentes eum*, &c. Pſalm. 146, 11

Gen. 32, 11.

Pſalm. 138, 7.

131. Hæc dicta ſunt occaſione illorum Martyrum, qui in tormentis conſtantes confeſſi ſunt culpas, quaſi pro illis darent pœnas. Qui, agnita

Digitized by Google

agnita culpa, patitur pœnam eamdem mitiorem, ſe verò fortiorem reddit. In medio fornacis ardentis fecit Azarias confeſſionem peccatorum, & ideò Deus miſit in illam rorem refrigerantem. *Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum*, inquit, &c. *quia iuſtus es in omnibus quæ feciſti nobis*, &c. *Peccauimus enim, & iniquè egimus, recedentes à te.* Vnde putas latro in cruce ſe præbuit virum tam fortem & conſtantem, vt non vereretur Chriſtum defendere, & conſortem ſui ſupplicij corripere, dicens: *Neque tu times Deum qui in eadem damnatione es?* An non ex peccatorum ſuorum recordatione & confeſſione? *Nos quidem iuſtè*, inquit, *nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali geſſit.*

Dan 3, 26. 27. 29.

Lucæ 23, 40.

℣. 41.

132. Dices: Latro ſciebat ſe peccatorem, & pro ſua culpa pœnam illam ſecundùm apices Iuris fuiſſe decretam: non eſt igitur eadem ratio huius & illorum Machabæorum, qui optimè nouerant ſe neque in Regem, neque contra Rempublicam aliquid commiſiſſe, atque ideò iniuſtè ſibi tam atrocia à tyranno decerni tormenta. Reſpondemus, ſit ita, quòd cùm eſſent iuſti & innocentes, cor eorum non reprehenderit illos de peccato, multò minùs de aliqua offenſa contra tyrannum aut Rempublicam commiſſa: tamen non ideò certò eis conſtabat de omnimoda ſua innocentia coram Deo. vnde quilibet illud Pauli dicere potuit: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui autem iudicat me, Dominus eſt.* item illud: *Etſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.*

1. Cor. 4, 4.

Iob 9, 21.

133. Vnde fit, quòd conſtantes eſſe debeamus ad illorum imitationem, etiam quando falsò aut iniuſtè nobis aliquid imponitur: tunc enim tempus eſt, vt recogitantes omnes annos noſtros in amaritudine animæ, oremus cum Dauide, vt Deus pro culpis ſibi ſoli notis recipiat ſatisfactionem per pœnas ab hominibus iniuſtè illatas, dicentes: *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine.* item: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.* vnde Gregorius lib. 31. Mor. c. 17 ait: *Tunc illata contumelia benè toleramus, cùm in ſecreto mentis ad mala perpetrata recurrimus.*

Pſalm. 24, 7.

Pſalm. 18, 13. 14.

Greg.

134. Ceterùm quòd homo nonnumquam iuſtè puniatur, qui conqueritur ſe iniuſtè opprimi & grauari, multa exempla docent. Mirabile eſt, quod S. Ephrem hac de re refert, & in ſeipſo expertus eſt: qui innocens in vincula coniectus, reperit duos alios in carcere, quorum vnus falſa impoſitione homicidij grauatus, alius item ſine culpa adulterij inſimulatus eſt. Vtrumq; verò ſociali familiaritate examinans, reperit quidem eos ſine impoſita culpa, non tamen ſine iuſta cauſa in carcerem detruſos eſſe. Nam primus dixit, In crimine de quo accuſor, innocens ſum, ſed nuper virum quemdam ab aduerſario in anguſtias redactum, & ex ponte deturbatum, aquis & morti eripere neglexi. Alter verò: Nullius adulterij reum me tenet conſcientia, verumtamen miſellam quamdam confiсto adulterio fama & bonis omnibus euerti, pretio à fratribus eius conductus, qui hoc falſo titulo in illius hereditatem conuolarunt.

135. His auditis, in admirationem rapitur Ephrem, mirabilem Dei prouidentiam in punitione criminum conſiderans, quam ipſe in ſe eodem ferè ordine expertus eſt. Vnde referens caſum & fortunam, imò non caſum nec fortunam, ſed diuinam circa ſe diſpo-

diſpoſitionem, in narratione ſuæ confeſſionis ait: *Ego, inquit, dubitabam de prouidentia Dei, & an non potiùs caſu omnia & fortuitò acciderent. Hoc dubiũ mihi Deus non verbis, ſed factis exemit.* Pergens igitur ad longum referre quæ fuerit ſuæ incarcerationis origo & cauſa, ſubiungit, quòd ipſe quodam die laſciuus & petulans adoleſcens vaccam grauidam lapidibus inſectans abegerit feris in prædam; & ſollicitum eius inquiſitorem, ad quem illa pertinebat, contumelijs onerauerit, addens afflicto afflictionem. Poſt menſem, inquit, à parentibus in Meſopotamia ad ſuburbana miſſus, nocte ad paſtores diuerto, qua nocte in caulam irruentes feræ gregem diſpergunt, hinc à dominis gregis comprehẽſus, Prætori trador & carceri, vbi cùm fuiſſem dies quadraginta, dormienti adſtans adoleſcens, Quid, inquit, in iſto agis carcere? cui cùm caſus meos enarraſſem, reſpondit: Ego noui te hac culpa vacare, ſed præterita cogita: ſcis enim te pauperculi hominis iumentum agitando necaſſe. Intellexi & cognoui prouidentiam & iuſtitiam Dei, & quòd meritò luerem pœnas, etſi criminis ob quod captus eram, innoxius eſſem. Ex his patet, quòd tribulari ſibi perſuadere debent, crucem & pœnam communiter eſſe culpæ alicuius prolem. Quod etiam Chriſtus Dominus oſtendit, quando paralytico ſibi oblato dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* quibus verbis finem doloris & morbi promiſit. Matth. 9, 2.

136. Præterea, dato quòd remiſſa omni culpa Deus permittat aut immittat crucem aut tribulationem, meritò conſtanti animo illam ferre deberemus: nam per cruces & tribulationes in pietate magis fundamur. Concutitur & agitatur arbor ventis, non tamen ſemper euellitur, ſed potiùs profundiùs radices agit, vt deinceps tempeſtati ſecuriùs reſiſtat. Magna tempeſtate concutietur homo tempore mortis, quam concitabit is cui dictum eſt: *Et tu inſidiaberis calcaneo eius.* Tunc nequam ille ſpiritus exeret omnes vires vt hominem deijciat, non ignorans quòd poſt mortem non ſit qui captiuum eripiat, aut erigat lapſum. Gen. 3, 15. Vnde meritò plangendus, qui tunc impatientiæ ſigna præbet. Felix autem qui in vita aſſueuit concuſſionibus, quia tunc viriliter aget. Contingit hominem illum, vt filium lucis, in gratia Dei conſtanter mori, qui in vita tribulationibus ſolet multùm agitari. Qui candelam per auram ſerenam portat, ſibi à vento non cauens, is ſæpè in ianua domus, flantibus ventis, deſtituitur lumine eius; qui verò per ventum illam defert vbique ſollicitus, maximè tamen in ingreſſu domus vigilat ne extinguatur. Multa priuilegia refert Salomon mulieris fortis, inter alia autem ait, quòd *non extinguetur in nocte lucerna eius.* qui igitur dum viueret cum illa *manum ſuam miſit ad fortia*, & aſſueuit tempeſtatibus & tribulationibus, tempore mortis lucem gratiæ non facilè amittet, ſine qua nemo poteſt videre lumen gloriæ. vnde Propheta ait: *Et in lumine tuo videbimus lumen.* Simile. Prou. 31, 18. Pſalm. 35, 10.

137. Turbatur homo, qui diu per aream lumen portauit, cùm extinguitur in oſtio domus, quando illi vſui eſſe debet. Tamen non præcluditur ei via, ne poſſit redire ad lumen prius, à quo extinctum iterùm reaccendatur. Eodem modo meritò cum Propheta turbamur, cùm per peccatum accenſam lucernam gratiæ extingui permittimus. Verùm non deſperamus, quia quilibet luci gratiæ reſtituetur qui audierit Simile.

Pſalm. 33,6. dierit Prophetam dicentem: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtra non confundentur.* Vnde multò minùs verecundari debent, qui ex fragilitate in leuiora peccata incidunt: nam etſi humiliter ad Dei vicarios eis accedendum ſit, non tamen extincta eſt eorum lucerna, ſed parumper obſcurata, adeò vt non tam indigeat reaccenſione quàm emunctione. quòd in illorum gratiam notandum eſt, qui frequentiùs ſe ſiſtunt illorum pedibus, à quibus gratiam peccati remiſſiuam ex vi clauium accipiant. Si autem in nocte, tempore mortis ſcilicet, alicuius lucerna extincta fuerit, is ſine vlla ſpe lu-
1. Reg. 2,9. cis in omnem æternitatem cum *impijs in tenebris conticeſcet.* Vt igitur in morte, dum magnæ tempeſtates ſurgere ſolent, lucerna noſtra non extinguatur, in tribulationibus huius vitæ patientes, crucem nobis à Deo poſitam fortiter portemus, &c. Amen.

DISCVRSVS XI.

Conſtans tyranno abutenti poteſtate non cedit, ſciens non niſi Deo permittente iuſtos affligi, qui Chriſto calicem propinanti meritò reſpondere debent.

138. CONSTANTIAM Chriſti patientis miratus Pi-
Ioan. 19,10. 11. latus dixit: *Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit Ieſus: Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Quibus verbis Chriſtus rationem aſſignat ſuæ fortitudinis & patientiæ, quaſi diceret: Cum tota tua cohorte, & omnibus Iudæis, nec capillum mihi inflectere poſſes, niſi Patris mei conſilium & voluntas deſuper me pati decreuiſſet. hoc Patris mei beneplacitum me in cruciatibus immobilem & conſtantem facit: nullam enim haberes aduerſum me poteſtatem, niſi Deus diſpoſuiſſet & voluiſſet vt tibi me ſubderem. Noli igitur cogitare, quando obmuteſco & ſileo à bonis, quòd ſit aliqua iniquitas quæ oppilat os meum: non eſt hoc meum ſilentium alicuius reatus aut formidinis, ſed fortitudinis & conſtantiæ.

139. Chriſtus Dominus præ ceteris omnibus exactiſſimè præſcriptum Sapientis obſeruauit, qui ſic monet: *Si* Eccle. 10,4.
ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris: quia curatio faciet ceſſare peccata magna. Non vna eſt omnium huius ſententiæ expoſitio. Nobis illa ſeruit, quæ eſt Hugonis Cardinalis, qui per ſpiritum Hugo
intelligit iram, indignationem alicuius Cardin.
potentis vel Magnatis. Familiare eſt enim Scripturæ ſacræ, per ſpiritum intelligere iracundiam ſiue impetuoſitatem quamdam; vt cùm Moyſes Deo victoriam cantans ait: *Miſiſti iram* Exod.
tuam, qua deuorauit eos ſicut ſtipulam. 15,7.8.
Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ. item: *Flauit ſpiritus tuus, & ope-* Exod.
ruit eos mare. & in Pſalmò dicitur: *In* 15,10. Pſalm.
ſpiritu vehementi conteres naues Thar- 47,8.
ſis. Quando Pilatus tam præſumptuosè ſuam poteſtatem iactauit, tunc ſe contra, imò & ſupra Filium Dei ere-
xit. *Neſcis,* inquit, *quia poteſtatem ha-* Ioan.
beo? Verùm Chriſtus non dimiſit lo- 19,10.
cum ſuum, ſed oſtendit ſe illo altiorē.
Accedet homo ad cor altum, inquit Pſalm.
Propheta, *& exaltabitur Deus,* qui nō 63,8.
cedit, ſed reſiſtit ſuperbo. *Non haberes* Ioan.
poteſtatē, inquit, *aduerſus me vllam,* &c. 19,11.

140. Multi ſunt, qui optimum locum habebant in cælo, quem illis
Chriſtus parauerat, qui ait, *Vado vobis* Ioan.
parare locum, qui turpiter illum dimi- 14,2.
ſerunt,

ſerunt, cedendo ſpiritui poteſtatem
habentis, id eſt diabolo aut ſatelliti-
bus ſuis, eò quòd non conſiderarunt,
omnia incommoda Deo permittente
euenire. Hac conſideratione putabat
Chriſtus, locum ſibi à Patre aſſigna-
tum, ob nullas impugnationes aduer-
ſariorum dimittendum eſſe. Vnde ait
Petro, defenſionem, imò & offenſio-
nem euaginato gladio contra poteſta-
Ioan. tem tenebrarum intentanti: *Calicem,*
18, 11. *quem dedit mihi Pater, non vis vt bi-*
bam illum? Singula verba hæc empha-
ſim ſuam habent. Specialiter autem
docet hîc Chriſtus, nos in aduerſis
non debere reſpicere in hominem aut
dæmonem mala inferentem (alioquin
numquam fortiter aut patienter fere-
mus) ſed in Deum permittentem.

141. Vt ergo fortes ſimus & con-
ſtantes crucis baiuli & ſitibundi bi-
bones calicis Chriſti crucifixi, dum
infirma ſenſualitas, & animalis ho[illegible]
qui non percipit quæ ſunt ſpiritus
Dei, fortè nititur euertere & effunde-
re calicem ſalutaris his Chriſti verbis,
cohiberi debet, eique ſuggerenda eſt
conſideratio dignitatis ſimul & beni-
gnitatis eius, qui illum nobis biben-
dum propinat. Túne effundes quod
Pater infudit? euertes & auertes quod
ille decreuit? Nota, quibus rationibus
Chriſtus Petrum gladium vibrantem
cohibuit, iiſdem nos inſurgentes paſ-
ſiones cruci ac calici Chriſti rebelles
continere debemus.

142. Primò igitur conſiderandum,
quòd Pater ſit qui permiſſione tribu-
lationis, tamquam potione medica ſa-
luti filiorum prouidet. Secundò, quòd
ille qui calicem dedit, poſſit per ſe im-
pedire eos qui cogunt ad bibendum.
Matth. *An putas,* inquit Petro, *quia non poſſum*
26, 53. *rogare Patrem meum, & exhibebit mi-*
hi modo plus quàm duodecim legiones
Angelorum? Cogitemus oppreſſi &
afflicti, quòd Deo noſtro, qui liberauit
Lot de Sodomis, & Suſannam à falſo Dan. 13
crimine, & Danielem de lacu leonum, Dan. 3.
& tres pueros de flamma ignis, &
B. Theclam de tribus atrociſſimis tor-
mentis, non deſint modo Angeli aut
Danieles, qui eius auctoritate nos libe-
rent, quippe qui ſolo nutu concludere
poteſt ora leonum, id eſt detractorum,
& de cælo mittere rorem refrigeran-
tem, quo reficiantur in camino pau-
pertatis & tribulationis, qua nos pur-
gare & à vinculis expedire intendit,
quod in figura oſtenſum eſt in tribus
pueris, de quibus dicitur: *Sidrach, Mi-* Dan. 3,
ſach & Abdenago ceciderunt in medio 23. 24.
ignis ardentis colligati; tamen ſolutis
vinculis *ambulabant in medio flammæ,*
laudantes Deum. Hi autem conſtanter
minacem tyrannum contempſerunt
fornacem parantem, quòd ſcirent, pe-
nes Deum eſſe, cùm ei placuerit, illos
liberare. vnde aiunt: *Deus noſter, quem* ℣. 17.
colimus, poteſt eripere nos de camino 18.
ignis ardentis, & de manibus tuis, ô
Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum
ſit tibi Rex, quia deos tuos non colimus.
Hoc ſolum ſufficere debet, vt mens
benè conſcia, in omni tribulatione
conſeruet patientiam, quòd non igno-
remus, Deum agonem noſtrum ſcire,
& cùm ei viſum fuerit, finem impo-
nere poſſe.

143. Præterea flecti poteſt refra-
ctaria ſenſualitas, vt cum ratione con-
ſtanter conſpiret ad ferenda quæ ex or-
dinatione Dei nobis imponuntur, per
tertiam rationem qua Chriſtus præci-
pitantiam Petri correxit. *Quomodo,* in- Matth.
quit, *implebuntur Scripturæ? quia ſic* 26, 54.
oportet fieri. Nil frequentiùs clamant
Scripturæ, quàm quòd *per multas tri-* Act. 14,
bulationes oportet nos intrare in regnum 21.
Dei. Econtrà teſtatur, illos æternæ dam-

nationi certo certiùs addicendos eſſe, qui abſque pœnitentiâ & cruce in hoc mundo vitam degunt. De quibus Iob

Iob 21, 13. ait: *Ducunt in bonis dies ſuos,& in puncto ad infernum deſcendunt.* Quorum infelicem ſortem Paulus miſeratus, non poterat ſe temperare à lacrymis.

Phil. 3, 18. Audi querulantem. *Multi enim ambulant*, inquit, *quos ſæpè dixi vobis (nunc autem flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus.*

144. Cogitet igitur ſecum, qui ſe inſtabilem & hæſitabundum eſſe animaduertit in cruce ferenda, quiq; calicē ſalutaris conſtanter non accipit, ſed impudenter faſtidit, & dicat:

Matth. 5,18. *Oportet impleri Scripturam.* vnde Chriſtus ait: *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat calũ & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.*

Matth. 24, 35. itē: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Dauid autem ait:

Pſalm. 32,6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Hi tamen citiùs collaberentur, quàm Deus diſpenſaret in aliqua lege à ſe lata, per quam, quid ad ſalutem conſequendam requiratur, decreuit. Cùm igitur in Scriptura damnationis ſententia lata ſit in inimicos crucis Chriſti, & non niſi mediante cruce ſpes ſalutis fulgeat; quærat ſecum animalis homo:

Matth. 26,54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ?* Neceſſe eſt, eas vno vel altero modo in ſingulis hominibus impleri. Attentè igitur conſidera, quomodo in te implebuntur. Nam ſi horres crucem, tamquàm verò illius inimico, Scripturæ teſtimonia irrefragabili veritate prædicunt tibi damnationem. Hac igitur conſideratione animari debemus ad viriliter agendum.

145. Ex his omnibus patet, per Dei ordinationem cruces ædificari, & calicem ſalutaris nobis ab illo propinari, quod ſolum ſufficere debet, vt illam fortiter tollamus, & hunc alacriter bibamus. Ad ſedandum igitur animum noſtrum, dum tribulamur, & perſecutionem patimur, nullum documentum vtilius aut efficacius adferri poteſt, quã illud quod Dauid nobis reliquit, & opere in ſeipſo expreſſit: qui cùm malediceretur, luto & ſaxis impeteretur à Semei, dixit filio Saruiæ vindictã paranti: *Dimitte eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. & quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* 2. Reg. 16, 10. Sed quid eſt hoc, quòd Dauid hîc allegare videatur Dei præceptum? Quomodo præcepit vt malediceret innoxio, qui per Filium mãdauit, *Orate pro perſequentibus & calũniantibus vos?* Matth. 5,44. Præcepiſſe dicitur, quia permiſit maledictionem, quam ordinauit ad Dauidis humiliationem. vnde Bernardus Serm. 34. ait: *Numquid in ore blaſphemi Deus? Abſit. Sed eo vſus eſt ad humiliandũ Dauid. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauerat Deus. Et ideo dicit: Bonũ mihi quia humiliaſti me.* Bernar.

146. Obiter hîc notandum (exacta enim huius quæſtionis diſcuſſio relinquenda eſt Theologis) quòd Spiritus ſanctus in Scriptura nonnumquã permiſſiuam Dei voluntatem exprimere voluerit per verba ſignificantia non modò beneplacitum Dei, ſed etiam præceptum; vt cùm Dauid dicit quòd Deus præceperit Semei vt malediceret, duas ob cauſas, quas adducit P. Theodorus p. 1. tract. 3. diſp. 3. nu. 94. Theod. Vna cauſa eſt, vt ſignificet, illam Dei permiſſionem reſpicere bonum aliquem finem, quem Deus ſemper poteſt, aliquando verò efficaciter elicere vult ex malo culpæ. vnde obuia eſt illa S. Auguſtini ſententia. cap. 100. Enchiridij: S. Auguſtin. *Non fineret bonus fieri mala, niſi Om-*

nipotens

Digitized by Google

nipotens etiam de malo facere poſſet bene. Secunda eſt, quia Deus ſubinde aliquid ponit aut remouet, vnde homo per malam ſuam voluntatem accipit anſam peccandi. Vt in præſenti materia, cùm Semei paratus erat ad maledicendum, & ad irrogãdas Dauidi quaſcumque iniurias, potuit Deus dirigere pedes Dauidis in occurſum Semei, qui inde ſumpſit occaſionẽ exerendi prauam ſuam voluntatem in virum ſanctum. Nec mirum hoc videri debet, cùm etiam homo ſubinde ſine peccato alteri dare poſſit occaſionem peccandi. Vt ſi quis incidens in latrones, à quibus ſcit ſe fore interficiendum, poteſt proiectione auri & argenti, quod raptoribus occaſionem peccati præberet, ſe ab eis expedire, vt intereà fugam parans, vitæ ſuæ conſulat. Item ſi virgo ſciret quòd aliquis exardeſceret in cõcupiſcẽtiam eius, ſi prodeat, non tenetur, ad amouendam occaſionem illam, ſemper domi latitare, & ab exercitijs ſpiritualibus & ingreſſu templi abſtinere, etſi ex charitate ad breue tempus piè ſe ſubtraheret. Hæc occaſione illius dicta ſunt, quod Dauid ait, Semei præceptum eſſe vt malediceret, cùm tamen illa maledictio ſolùm à Deo permiſſa ſit, quam dicit Spiritus ſanctus eſſe præceptam. Loquitur autem ſic Spiritus ſanctus, quia hæc permiſſiua Dei voluntas ordinata fuit ad finem vtilem, humiliationem ſcilicet ipſius Dauidis, quam poſitiuè intendebat.

147. Solùm autem hoc ad præſens propoſitum facit, quòd Dauid ſe paratum & conſta[illegible] præbuerit ad quælibet maledicta ferenda, quæ Semei ex malitia effutiebat, eò quòd conſideraret Deo permittente hæc fieri. Ex quo ſequitur, quòd maiori fortitudine ferendæ ſint illæ cruces, quas non ſolùm permittit, ſed etiam poſitiuè ſubinde immittit, vt ſunt tentationes, dolores, infirmitates. Mirabilem hac in re ſe oſtendit S. Franciſcus, qui cùm duris corporis angeretur doloribus, vt dicit S. Bonauentura cap. 14. §. 1. in Vita eius, illas ſuas anguſtias non pœnarum cenſebat nomine, ſed ſororum. Cùm autem ſemel acerbiùs affligeretur, & quidam Frater ex ſimplicitate eum moneret, vt orationibus inſtaret apud Deum, vt dolores leniret, dicens: *Frater, ora Dominum, vt mitiùs tecum agat, manum enim ſuam plus debito ſuper te grauare videtur*. Reſpondit vir ſanctus cum gemitu: *Niſi noſcerem in te ſimplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem conſortium, qui auſus fueris circa me diuina iudicia reprehenſibilia iudicare*. & proijciens ſe in terram dixit: *Gratias tibi ago Domine pro omnibus his doloribus meis, teque mi Domine rogo, vt centuplum, ſi tibi placuerit, addas, quia hoc erit mihi acceptiſſimum, vt affligens me dolore, non parcas, cùm tua ſanctæ voluntatis adimpletio ſit mihi conſolatio ſuperplena*. S.Bona.

148. Has & ſimiles tribulationes, quibus aliquando nullum malum culpæ interuenit, quarum operator eſt Deus, ſecundùm illud Prophetæ, *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit*; item, *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum*, maiori fortitudine & conſtantia portare & honorare debemus, obmurmuranti naturæ ſilentium imponentes verbis Chriſti: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Pater cæleſtis dedit Filio calicem, qui exiſtimauit ob id ſolum hilariter eſſe ebibendum, Chriſtus verò & dedit & propinauit. Si nemo Regi vinum, quod aliorum labore expreſſum de torcu-

Amos 3.6. Iſa.45.7. Ioan. 18.11. Simile.

torculari, & de penuario ſuo hauſtum eſt offerenti, non protenderet manus vt gratanter illud reciperet, quis tam inurbanus erit, qui propinanti non verebitur caput auertere? Chriſtus non ſolùm dedit nobis calicem ſalutaris, ſed ipſemet elaborauit, & de torcu-
Iſa.63, 3. lari expreſſit. *Torcular calcaui ſolus* (inquit) *& de gentibus non eſt vir mecum.* Et prætereà nobis non ſolùm præbuit, ſed etiam præbibit & propinauit. Dicamus igitur ſenſualitati nauſeam crucis & calicis mouenti: Calicem, quem dedit mihi, imò quem tam benignè prælibauit & propinauit Pater, non vis vt bibam illum?

149. Nihil non fecit Chriſtus, vt nos efficaciter excitaret ad bibendum calicem, quem is diſpoſuit nobis dare. Toto tempore prædicationis ſuæ nullius rei fecit frequentiorem commemorationem quàm de portanda poſt illum cruce, & potando calice. Circa tempus mortis promiſit ſe nihil omnino omiſſurum eorum quæ ad calicem ſibi à Patre datum pertinerent.
Lucæ 18,31. *Ecce,* inquit, *aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt de Filio hominis.* Antequam verò ſpiritum commendaret in manus Dei Patris, toti mundo oſtendere voluit ſe calicem paſſionis vſque ad fundum
Ioan. 19,30. euacuaſſe, ideò ait: *Conſummatum eſt.* Multi in menſis noſtris pro Principis fortè aut Magnatis cuiuſpiam ſanitate bibunt, ſed quo fructu? quo denique fine? Non alio, niſi vt immoderata ingurgitatione ventrem pro Deo colant, dum propriæ ſanitati obſunt, & alienæ non proſunt: & prætereà quaſi non ſufficiant peccata propria, etiam grauentur alienis; cùm per hanc à Baccho inuentam cærimoniam contra ſe inuicem æqualibus hauſtibus certent.
Diſſimile. Vnus autem Chriſtus ad omnium ſalutem bibit calicem, quos meritò mouit, vt ſecundùm determinandam à ſe menſuram illi reſpondeant, quatenus Chriſti potatio ad ſalutem animarum noſtratum inſtituta, ſortiatur ſuum effectum, & fiat quod Paulus ait: *Adimplebo ea quæ deſunt paſſionibus Chriſti in carne mea.* Coloſſ. 1,24.

150. Hoc autem eſt diſcriminis inter compotationes hominum ſimul conuiuantium, & eas quas Chriſtus ſecum fieri deſiderat ab ijs qui dicunt cum Propheta, *Oſtendiſti populo tuo dura, & potaſti nos vino compunctionis;* Pſalm. 59,5. quòd illæ inordinatæ ſint, & diſpliceant Deo, ſi compotores vrgentur ad bibendum vnde conuiuium Aſſueri à modeſtia meretur commendari, eò quòd dicat Scriptura, quòd *nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum* Eſther 1,8. Compotores autem Chriſti, & crucis eius Simile. conſortes, debent ſibi vim inferre, & voluntatem ſuam iudicio & voluntati Chriſti, cuius *charitas vrget nos* ad bibendum, reſignare, ac eiuſdem diſpoſitioni relinquere, non ſolùm quid aut quale, ſed & quantum eis de cruce portandum, aut de calice potandum ſit. Hinc cæcus ille paſſim perſtringitur, quem Chriſtus pro ſua imperfectione rogauit: *Quid vis vt faciam tibi?* Lucæ 18,41. Ipſe autem veræ fortitudinis exemplum nobis præbens, & modum ac formam bibendi calicem relinquens, tædio, pauore, triſtitia animæ vſque ad mortem non obſtantibus, dicebat: *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* Matth 26,41. item: *Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Lucæ 22,42. Multum autem abeſt, vt hic appetitus partis inferioris conſtantiam in ferenda cruce extenuet, quin potiùs miro modo eam amplificet, ad maiorem mercedem & gloriam, &c. Amen.

DIS-

DISCVRSVS XII.

Crucis Chriſti recogitatione, & eiuſdem ſuſceptione fortiores reddimur, & extollimus victoriam eius, qui nos ab hoſte liberans ſibi ſubiugauit.

1.Cor. 1,18.

151. BENE dixit Paulus, quòd *verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, iis autem qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt.* Timeant deriſores, an fortè non ſint de numero pereuntium, qui corpus non caſtigant, & eos ſtultitiæ inſimulant; qui virgis, vigilijs & ieiunijs in ſeruitutem redigunt. Si non amarè ridebat, ſaltem minùs ſeriò loquebatur municipij cuiuſdam Præfectus & dominus de filijs S. Franciſci, qui nuditate, & paupertate, & alijs ſtrictioris obſeruantiæ auſteritatibus, carnem ſuam crucifigunt cum vitijs & concupiſcentijs, dum eos quaſi à territorio ſuo profligans aiebat: Ego ſui interfectores in cruces & furcas agere conſueui, miror ergo quomodo illi vbique terrarum in omnium conſpectu impunè ſeipſos rigoribus indiſcretis mactent. Quibus verbis imitationem crucis & crucifixi, quam illi in corpore ſuo exhibent, tamquam inſanam & ſtultam traducebat.

152. Non eſt quòd nos deterreat vanum huius mundi iudicium de cruce quam Chriſtus paſſus eſt, aut quam electi ad imitationem illius in ſe efformant; ſufficit enim quòd ſit Dei virtus. Chryſoſtom. Notat autem Chryſoſtomus Hom. 4. in 1. Cor. 1. ad verſum 17. & 24. quòd etiam ipſum verbum crucis Dei virtus vocetur. vnde patet, quòd robur eius non ſolùm eluxerit in ſe, ſed etiam in ſui prædicatione. Maiorem igitur fortitudinem conferet crucigeris, qui eam non ſolùm prædicant, ſed etiam in ſe expreſſam manifeſtant. Itaque *Dei virtus eſt.* Non ſumitur autem hìc *virtus* vt diſtinguitur contra vitium (vt notat Caietanus) quo laborant inimici crucis, Caiet. quorum finis interitus, aut etiam contra quodcumque peccatum, ſed vt ſignificat fortitudinem & patientiam.

153. Sicut igitur verbum crucis, id eſt pœnitentiæ (vt moralizat Hugo Cardinalis) reprobis ſtultitia eſt, ita electis Dei virtus eſt, qua ſe contra hoſtem muniunt. Hugo Cardin. *Chriſto igitur paſſo in carne* (inquit Petrus) *& vos eadem cogitatione armamini.* 1. Pet. 4,1. Ita reuolute paſſionem, vt ſentiatis in vobis quod & in Chriſto Ieſu. Nota, deuota recogitatio paſſionis Chriſti fortem reddit. Nam, vt teſtatur Bernardus, Bernar. *tanta eſt virtus crucis Chriſti, vt ſi in mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati praualere poſſit inuidia.* Eadem cogitatione armamini, inquit Apoſtolus. Quod quomodo intelligi debeat, exponit S. Thom. S.Tho. *Armamini cogitatione,* id eſt propoſito *patiendi, exemplo Chriſti.* Addit Petrus: *Quia qui paſſus eſt in carne, deſijt à peccatis.* 1. Pet. 4.1. Sumitur autem hìc *caro* pro toto homine. Itaque qui in anima patitur crucem per contritionem, & in corpore per macerationem, deſijt à peccatis.

154. Nota tamen, quòd fortè plures ſint qui cogitatione paſſionis Chriſti per meditationem occupantur quidem, verùm pauci qui armantur: recogitãt enim multi Chriſtum paſſum, ſed rari ſunt qui ſe illi conformant. Armabat ſe ille qui dicebat: *Ego enim ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto.* Gal. 6, 17. Sunt qui gemitibus aërem verberant, & lacrymantur, ſed illi ſoli paſſione Chriſti ſe armant, qui

Digitized by Google

cum S. Paulo corpus ſuum caſtigant. Eraſmus, vbi communis lectio habet, *Vos eadem cogitatione armamini*, legit, *Vos iuxta eamdem cogitationem armamini*. Ideò cogitate & recogitare paſſionem Chriſti, vt iuxta, id eſt ſecundùm eam vos cruci & paſſioni paratos offeratis. Eamdem lectionem refert Cornelius, qui tribuit illam Oecumenio & Pagnino. Clariùs autem hoc

Hier. docet S. Hieronymi verſio vel potiùs explicatio, quam ille dat lib. 1. contra Iouinianum. *Vos*, inquit, *eadem conuerſatione armamini*. Parum igitur proderit cogitatio paſſionis Chriſti, niſi illi aſſimiletur conuerſatio.

155. Porrò explicat diſtinctè ſanctus Paulus, quid ſit cogitatione paſ-

2. Cor. 4. 10. ſionis Chriſti armari. *Semper*, inquit, *mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes*. His armis contra dæmonem fortes eique terribiles ſumus. quòd S. Franciſcus experimento didicit, & verbo docuit. qui cùm nocte

S. Bon. quadam (vt dicit S. Bonauentura c. 5. §. 2. in Vita eius) propter infirmitatem capitis & oculorum, præter ſolitum morem ceruical de pluma haberet ad caput, dæmon in illud ingreſſus, viro Dei tota nocte moleſtus fuit, atque à ſanctæ eum orationis ſtudio perturbauit. Vnde aiebat ſe per experientiam didiciſſe, dæmonem mollibus ad tentandum inuitari, duris verò & aſperis deterreri.

156. Non ſolùm contra diabolum, ſed etiam contra malos homines, qui ſtant à parte eius, mortificatione & cruce armari debemus, ne ſuccumba-

Pſalm. 34. 11. 13. mus. *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam* (inquit Dauid) *interrogabant me. Ego autem, cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam*. Exponit Lyranus hunc verſiculum ad litteram de Dauide, cui multi de populo Iſraël ad habendam gratiam Saulis (vt fieri ſolet contra eos qui exciderunt priuata familiaritate & fauore Regis) imponebant Dauidi falſa, & applaudebant iniuſtæ perſecutioni eius, quæ inde contra Dauidem magis ſæuiebat. Ipſe verò Dauid, vt ſe per conſtantiam & patientiam muniret, & fortiter omnia tela inuidiæ ſine animæ ſuæ læſione exciperet, ſibi ipſi per macerationem corporis grauis induit cilicium. Vt Simile. enim lorica onerat & fatigat quidem geſtantem, tamen aliunde etiam alleuat, reddit enim contra aduerſarios conſtantem & quodammodò impaſſibilem; ita Dauid per cilicium ſe inuictum & inſuperabilem efficere voluit. Parum enim grauat crux ab altero impoſita, ſi fuerit cruci voluntariæ ſuſceptæ aſſociata.

157. Dici ſolet, quòd equus vo- Simile. luntarius facilè ſuccumbat oneri: non ſic iuſtus, qui iuxta Chriſti conſilium abnegat ſemetipſum, quando ſpontaneè tollit crucem ſuam. Vnde volens nos fortes & conſtantes reddere ad quælibet portanda, ſuadet voluntarium amplexum crucis. *Tollite iugum* Matth. *meum ſuper vos*, inquit, *& inuenietis* 11, 29. *requiem animabus veſtris*. Si vapori- Simile. bus calore Solis in altum attractis, fumi, qui ab igne terreſtri aſcendunt, adiuncti fuerint, augebitur quidem nubes, non tamen grauabitur, quinimò vt priùs in aëre ſuſpenſa manebit, nec preſſa deorſum ruet. Eodem modo qui calore illius accenſus eſt, de quo dicit Propheta, *Orietur vobis timentibus no-* Malac. *men meum Sol iuſtitiæ*, & ex vi amoris 4, 2. ſeipſum abnegans, crucem voluntariè tollit, non grauabitur crucibus & tribulationibus quas ignis perſecutionis & inimicitiæ quaſi fumos quoſdam fortè concitauit, ſed vt nubes inter cæ- Simile. lum

lum & terram ſuſpenſa ſuo tempore pluuias emittit, quæ terram fœcundent, & ignem extinguant, ex quibus fumos & ſordidos vapores ſuſcepit; ita vir fortis apud Deum intercedet & orabit pro perſequentibus & calumniantibus ſe, quærens per manſuetudinem extinguere inimici indignationem, à quo paſſus eſt iniuriam.

158. Qui accipit igitur crucem ſuam, & ſequitur Chriſtum, is armis vtens ab ipſo ordinatis, fortis & conſtans fit in bello, nec lenocinijs huius mundi labefactari aut aduerſitatibus
Bruſc. deijci poteſt. Refert Bruſchius lib. 2. cap. 1. quem citat Nanus in Polyanthea, v. Conſtantia, quòd cùm Decius Brutus contra Antonium coacto exercitu totam Luſitaniam ſubiugaſſet, excepta Cyaina vrbe, quæ magna conſtantia renitens victori, arma non deponebat, illius deditionem tentauit. Sed ciues vrbis vno ore Bruti legatis mira fortitudine reſponderunt, ſe à parentibus ferrum & belli apparatum accepiſſe, quibus ſe defenderent, & hoſtem oppugnarent, non aurum vel quidquam aliud, quo emendicata compoſitione libertatem ſuam ab alijs emerent. Eodem modo conſtantes ciues cælorum, & domeſtici Dei, crucem & pœnitentiam accipiunt à Chriſto & alijs Sanctis, vt hoſtem inuadant, non autem petunt libertatem & mundi delicias cum iactura charitatis Dei, quæ tamquam aurum ignitum diffuſa eſt in cordibus noſtris, vt & diuites ſimus, & nihilominùs hoſtibus reſiſtamus.

159. Conſtantiæ eſt, crucem non ſolùm portare, ſed etiam in illa gloriari. Ingenua hac fortitudine præ ceteris Apoſtolis claruit & clarificauit Deum
Gal 6, 14. Paulus. *Mihi*, inquit, *abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c. In quo proinde gloriabatur etiam ipſe Chriſtus, vocans illum vas electionis, & conſtantem nominis ſui
præconem. *Vas electionis eſt mihi iſte*, Act. 9, 15.
inquit, *vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſraël.* Quàm verò magna conſtantia id ab eo factum ſit, patet ex inconcuſſo animo, quo nil veritus minas Principum, ſolùm ad hoc ſollicitè intendebat, quomodo nomen Ieſu omnibus notum & glorioſum redderet, paratum ſe præbens ſiue ad viuendum ſiue ad moriendum. Audi conſtantem virum:
Sed in omni fiducia ſicut ſemper, ita & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, inquit, *ſiue per vitam ſiue per* Phil. 1, 20.
mortem. Mihi enim viuere Chriſtus ℣. 21.
eſt, & mori lucrum. Et alibi: *Spiritus* Act. 20, 13.
ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur dicens, quoniam vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent. ℣. 24.
Sed nihil horum vereor, &c.

160. Conſtantis vox eſt, qua honoratur valdè is qui de cælo deſcendit, vt illum ſibi ſubijceret, & captiuum redigeret: qui proſtratus in terram, totus ſuæ diſpoſitioni reſignatus clamauit: *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9, 6.
Refert antiquitas, cùm Æmilius Regem Perſarum felici Marte ſuperaſſet, quòd ille inſtar vilis mancipij pedibus victoris proſtratus, ſe illius benignitati commendauerit, veritus nimia ſuæ captiuitatis grauamina; quare Æmilius indignabundus, cum impetuoſo ſtomacho dixit: Apage, ſurge, multùm obfuſcas meam victoriam, quam arbitrabar captiuitate & ſubiugatione præclariſſimi Regis illuſtrem; iam verò experior, quòd cum abiecta muliercula iniuerim prælium. Non ſic Paulus, cui in principio captiuitatis ſuæ à Chriſto oſtenſum eſt, quanta oporteret illum pro nomine

ſuo pati. Multum autem abfuit, vt is tribulationes & vincula effeminatè deprecaretur, ſed vt omnibus conſtaret, quam glorioſam victoriam Chriſtus obtinuit, illo proſtrato & ſuperato, ſtatim ad omnia toleranda ſe promptum & paratum carne & ſenſualitate fruſtrà obmurmurante exhibuit. *Continuò*, inquit, *non acquieui carni & ſanguini*. Non deplorat captiuitatem illam in qua multa paſſus eſt, adeò vt fateatur: *Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium perculi pro Chriſti nomine*. quin potiùs nullo alio nomine glorietur, quàm quòd ſit vinctus Chriſti, vinctus in Domino, &c. Vnde *Ananias* inſtinctu Spiritus ſancti miſſus ad illum, teſtatum fecit, quòd Chriſtus victor eſſet fortiſſimi viri. *Domine*, inquit, *audiui multa de viro hoc*, &c. Nota, *de viro hoc*.

Gal. 1, 16.

2. Cor. 11, 25.

Epheſ. 3, 1. & 4. 1.

Act. 9, 13.

161. Hoc nomine Iobum honorandum cenſuit idem Spiritus ſanctus in principio ſuæ Hiſtoriæ, cuius conſtantiam præuidebat, vt pote qui cùm in manu Dei captiuus teneretur, victori reſignatiſſimam ſui diſpoſitionem relinquens, nullas ſuæ captiuitatis moleſtias timuit, ſed potiùs oblato libello ſupplice pro illis ſollicitauit. *Hæc mihi ſit conſolatio*, inquit, *vt affligens me dolore, non parcat, nec contradicam ſermonibus ſancti*. Solent Principes, dum arcem aut ciuitatem oppugnant, ex obſtinata reſiſtentia militum præſidiariorum grauiùs offendi, quos proinde iniquioribus conditionibus in gratiam recipiunt, ſi deditionem differunt, donec in extremas anguſtias redacti fuerint. Pacantur autem, & tamquam fortes & animoſos illos ſuſpiciunt, ſi poſteà deprehendunt, quòd ſicut conſtantes fuerunt in reſiſtendo, ita etiam inconcuſſi manent ad quælibet ſubeunda, quæ victor de illis triumphans decreuerit.

Iob 6, 10.

162. Habemus huius rei domeſticum exemplum. Cùm enim anno 1622. Princeps Henricus Auriacus ab Hollandiæ Ordinibus mandato accepto, coacto exercitu prorupiſſet in Brabantiam, quam nouerat equeſtri milite deſtitutam, incendio & vaſtationi patere, virilem oppoſitionem ſenſit ex fortalitio Rooſtano, quo illi tranſitus præcludebatur inter Mechlinienſem & Arſchotanam ciuitatem ſito. Tandem potitus eſt victoria, ſed cæde multorum, imò & ſuæ conſanguinitatis (interfectus enim fuit vnus ex cognatis eius) cruenta. Exacerbatus igitur deditione facta, vnum, quem fortè minùs flexibilem, & in defenſione caſtri ac offenſione hoſtis fortiorem ſuſpicabatur, ſic eſt allocutus: Quid tanta pertinacia tam vile fortalitium tot meorum ſanguine honoraſti, cùm non ignorares finalem defenſionem deſperatam eſſe? Reſpondit: Quia Regi meo fidelitatem iuratam perſoluendam eſſe iudicabam. Ad quem iterùm Comes: Quid ſi iuberem vt ſuſpendio pœnas dares tuæ temeritatis? Reſpondit miles ex comminatione animoſior factus. Si laqueum collo inieceris, in ſpatio mediæ horulæ illi itaero aſſuetus, vt in opprobrium omnium militum tuorum inſenſibilis illam iniuriam contra inita pacta feram. Quibus auditis Comes, viri conſtantiam admiratus, laudans fortitudinem illius, dixit: Dignus es Regio ſtipendio, quod ego augebo, & te honoribus cumulabo, ſi militiæ meæ nomen dare volueris. Verùm fruſtrà tentatus eſt fauoribus vir fortis, qui minis non ceſſit, ſed fidelis Regi maluit vt gregarius miles ei iuratam fidem ſeruare, quàm defe-

Exemplum fortitudinis.

Digitized by Google

defectitius & deſertor in alienis caſtris honorati.

Simile. 163. Meritò Chriſtus ad indignationem prouocatur, qui multis modis & ſpiritualibus machinis ſubinde diu fruſtrà oppugnat refractarium & pertinax cor alicuius peccatoris: verùm ſi tandem victor euadens illum ſibi ſubiecerit, & is in captiuitatem redactus ſe conſtantem & fortem præbuerit ad ferenda, non quæ fors tulerit, ſed potiùs quæ diuina prouidentia decreuit, ſtatim pacatus, quem diu paſſus eſt refractarium, imò temerarium, illũ amat & ſuſpicit vt fortem & conſtantem. Talis fuit Saulus, circa cuius conuerſionem & ſui deditionem fruſtrà laborauerunt multi militiæ Chriſti adſcripti. Quo etiam conſentiente, imò cooperãte, occubuit Stephanus, afflicti ſunt diſcipuli & nouelli Chriſtiani, quos ipſe non alio titulo quàm Chriſtianæ profeſſionis, vinctos perducebat in Ieruſalem: de quo Ananias, *Audiui*, inquit, *multa de viro hoc*; qui poſteà à Deo ſuperatus, miram in patiendo oſtendit animoſitatem & fortitudinem, atque adeò ipſi victori charus & pretioſus factus eſt, qui eum ſelectioris militis nomine honorans, ait: *Vas*

Act. 9, 15. *electionis eſt mihi iſte.*

164. Dedignatur Chriſtus tepidos & effeminatos, qui ſe captiuos quidem eius profitentur, ſed abſque cruce & tribulatione benè vellent ſalutem æternam conſequi, dicentes cum Prophe-

Pſalm. 118, 94. ta: *Tuus ſum ego, ſaluum me fac.* verùm eius captiui non recluduntur ne pereant, ſed ad pugnandum fortiter patiendo armantur vt vincant. Mollis autem eſt miles, qui illæſa cute ambit gloriam victoriæ & pugnæ. Quod dixit Paulus de robuſtis veteris Teſta-

Hebr. 11, 35. 36. menti, intelligi poteſt de nobilibus Chriſti captiuis, *Fortes facti ſunt in bello. Alij ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.*

165. Errant igitur, qui de Sodoma huius mundi liberati, cum Lot, quem tergiuerſantem rapuerunt Angeli, & eduxerunt, & poſuerunt in ſaluo extra ciuitatem igne & ſulphure ſubuertendam, anxiè nimis deprecantur auſteritates, rigores & cruces, dicentes: *Quæſo, Domine mi, non poſſum in monte ſaluari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar.* Gen. 19, 19.

166. Similes inconſtantes captiuos Chriſtus à ſe relegaſſe legitur, tanquam cuſtodia ſua indignos. Timido & tepido adoleſcenti occaſionem diſcedendi dedit, qui videbatur ſe velle collegio illius addicere, quãdo aiebat: *Vade & vende quæ habes, & da pauperibus*. nam, audito hoc verbo, *abijt triſtis*. Matth. 19, 21. Nec admiſit alterum, qui maioris conſtantiæ argumentum præbens dicebat: *Sequar te quocumque ieris. Dixit illi Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Luc 9, 57. 58. Videbat namque delicatè eſſe enutritum illum, ſolitum eſſe domi ſuæ omnia habere ad libitum & commoditatem ſuam, aſſuetum dormire in calido lecto & requieſcere in molli culcitra; ac proinde præuidens eum facilè exorta aliqua aduerſitate titubaturum, ac tempore hiemis & frigoris ob eorum incommoditatem & moleſtiam, impatienter victurum, eumdem dimiſit.

167. Receſſurus ex hoc mundo prædixit diſcipulis ſuis, quos ſibi ſubiecerat, omnia quæ pro illo eſſent paſſuri: *Abſque ſynagogis* (inquit) *facient vos; ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Ioan. 16, 2. vnde nullus eſt Apoſtolorum,

qui multis tribulationibus fortiter toleratis non reddiderit claram victoriam Chriſti, qui notum fecit toti mundo, quàm animoſos & conſtantes viros in bello ſuperauerit, & ſibi tam ſtrictè ſubiugauerit. Vt igitur noſtræ ſaluti conſulamus, & gloriam Dei amplificemus, in tribulationibus patientes, & in cruce ferenda conſtantes nos eſſe conuenit, &c. Amen.

DISCVRSVS XIII.

Iuſtus leoni ſimilis, regno cælorum adaptatur per conſtantiam, quam etſi infideles colunt, ſoli tamen Chriſtiani qui perſeuerant vſque in finem, per eam fortiter moriuntur.

168. INCONSTANTES terret Scriptura, imò ipſius Chriſti ſententia, dicentis: *Nemo mittens* Lucæ 9,62. *manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Qui bonum opus inceptum intermittit, non eſt aptus capeſſendo regno Dei, id eſt cæleſtibus ac ſpiritualibus bonis adipiſcendis. *Simile.* Vt enim arator, qui laboris pertæſus ſuperſedet à ſulcatione & proſciſſione agri, fruſtrà ſperat meſſem ex eo; ita qui incipit bonum opus, ſed ante illius conſummationem deſiſtit, ineptus eſt regno, ad quod nullus admittitur, niſi qui cœptum opus continuauit, continuatum feliciter conſummauit. Deficit autem ſimilitudo inconſtantis aratoris ab eo qui cœpit, ſed non perfecit bonum: quòd ille ſaltem fructum ſperare poſſit incompletum, *Diſſimile.* ſecundùm proportionem partis agri per aratrum ſulcati. Iac. 2, 10. *Quicumque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* Exponit Auguſtinus de Vera & falſa pœnitentia c. 14. Auguſt. *Offendens in vnum, fit omnium reus, quia omnis virtus patitur detrimentum ab vno vitio. Nam qui cadit in auaritiam, largitatem deſtruit.* In præcipuo offendit, qui ante finem deſiſtit, peccat enim contra fortitudinem & conſtantiam.

169. Leo, qui eſt terreſtrium animalium Rex, optimè repræſentat virum conſtantem, qui aptus eſt regno Dei, *& cum Regibus ſtabit, nec erit inter ignobiles.* Prou. 30, 30. *Leo fortiſſimus beſtiarum* (dicit Salomon) *ad nullius pauebit occurſum.* de quo etiam dicit Ariſtoteles Ariſtot. lib. 9. cap. 44. Hiſt. animal. *Dum cernitur, numquam fugit.* imò ſæpè ſubſiſtit, & impauidus expectat venatores. Eodem modo verus conſtans non dicit ſicut piger, *Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.* Prou. 22, 13. Sed quamuis verum ſit quod idem Sapiens ait, *Fugit impius, nemine perſequente*: Prou. 28, 1. tamen ſicut idem ſubiungit, *Iuſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit.* In eo autem vir conſtans aptus regno Dei leoni aſſimilatur, *Simile.* quòd ſicut ille non flectit collum, vt aſpiciat retrò, ſed cœptum perficit iter, etſi exercitus militum ei fuerit obuius; ita conſtans à cœpto bono non deficit, dicens cum Dauide: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.* Pſalm. 26, 3.

170. Quemadmodum tardi & tepidi in bonis operibus, ita & inſtabiles, *Simile.* limaci ſimiles ſunt; qui ſicut lentiſſimè procedit, ita facillimè à cœpto itinere detinetur; nam ad minimum contactum ſubſiſtens, ſe retrahit in concham. Sunt multi, qui videntur velle facere maximum ſanctimoniæ & virtutum progreſſum, quorum propoſitum leue verbum fortè aut minima aduerſitas eneruauit. *Currebatis benè* Gal. 5, 7. (dixit Paulus quibuſdam inſtabilibus)

bus) *quis vos impedivit veritati non obedire?* Hi limaces ſunt ſordido & viſcoſo damnatorum loco deſtinati, non leones, qui regno apti reſoluti, mori potiùs quàm in minimo ſuæ conſtantiæ notam inurere.

171. Sicut filij huius ſæculi prudentiores ſunt in generationibus ſuis; ita fortiores ſe præbent ſæpenumerò, quàm qui ſe iactant filios lucis. Refert Bruſchius lib. 2. cap. 1. ex hiſtoria Roman. miram Mæuij Auguſti Centurionis fortitudinem, qui captus, & ad Antonium perductus, & interrogatus quid de ſe ſtatui vellet, reſpondit:
Bruſc. *Iugulari me iube, quia non ſalutis beneficio, non mortis ſupplicio adduci poſſum, vt aut Cæſaris miles eſſe deſinam, aut tuus eſſe incipiam.* Rari ſunt qui ſimilem fidelitatem Deo conſtanter ſeruant. vnde Paulus quibuſdam ait:
Hebr. 12,4. *Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis aduerſus peccatum repugnantes.* Deſinit autem Chriſtianus per quodlibet peccatum miles eſſe Chriſti, & incipit eſſe non quidem miles, ſed vile mancipium diaboli.
2. Pet. 2,19. *A quo enim quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt.* Hinc mancipium dicitur quaſi manu captum, vt
Auguſt. dicit Auguſtinus lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 1.5.9.

172. Dolendum eſt, quòd tam multi ſint qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, quos cæca gentilitas condemnabit, in qua tot fuerunt viri fortes, qui fidelitati terreno Regi debitæ
Lucæ 8,13. vitam poſtpoſuerunt; ipſi verò *ad tempus credunt, & in tẽpore tentationis recedunt.* Quomodo ſtabunt, ſi mortem tyrannus intentaret, cùm tentationi leuiſſimæ ſuccumbant? Nota, quòd ex defectu firmitatis inconſtantia ſequatur. Porrò firmitas differt
S. Tho. à conſtantia, vt docet S. Thomas in 3. diſt. 33. q. 3. art. 13. quòd illa ſit in opere, hæc autem in propoſito. Facilè propoſitum boni deponit, qui ob leuem cauſam à cœpto bono opere deſiſtit. Sabellius lib. 9. cap. 1. quem citat Sabel. Nanus in Polyanthea, v. Conſtantia, laudat firmitatem Horatij Puluilli, qui cùm Iouis templum dedicaret, ab æmulis triſti ſed falſo nuntio interpellatus eſt, filium ſcilicet in prœlio perijſſe. *Tunc ille: Ego luctum non accipio, vos cadauer vbi vultis afferte.* Non ſolùm templi dedicationem non omiſit, ſed nec per momentum intermiſit quidem.

173. Deo noſtro templum dedicamus, cùm ieiunijs, orationibus & alijs pijs exercitijs inſtamus: ſed heu! quàm facilè admittimus friuolas cauſas, ob quas nobiſcum diſpenſamus, vt putemus nobis boni operis interruptionem licitam eſſe! Superuenit nuntius à dæmone deſtinatus, qui ſuggerit ſuſpicionem paruæ debilitatis, & ſtatim gulæ fræna laxamus. Quid dicam de indeuotis beneficiatis, qui cùm teneantur ad diuini officij penſum perſoluendum, quàm ſæpè illud ab ijs ſine cauſa interrumpitur, quod feruore & deuotione fuerat inchoatum? Sed quia abeſt debita firmitas in opere, non rarò fit vt propoſitum etiam deficiat ſatisfaciendi, & Deus deliberatè offendatur voluntaria omiſſione.

174. Nota, ſicut deficere à bono, ita proficere in malo, magnæ eſt inconſtantiæ, qua dæmon animatur. Vnde fit, vt dum quis vni tentationi cedit, mereatur à multis impugnari; & qui dæmonem non profligat, illum inuitet. Refertur de quodam Petro Marino, quem canis momorderat: qui cùm Hiſtoria. peteret conſilium & remedium paſſim à notis & cognatis, tandem vnus ei ſuaſit vt bolum panis in ſanguine vulneris

Digitized by Google

neris intinctum, eidem cani proijceret manducandum. qui conſilium illud minimè probans, tamquam impertinens, reſpondit: Si hoc factitarem, dignus eſſem quem omnes huius Prouinciæ canes non latratibus modò, ſed & morſibus impeterent. Quidquid ſit de hoc facto ſuperſtitioſo, certum eſt, quòd is qui per inſtabilitatem ſe morſibus illius expoſuit, quem Dauid canis nomine recenſet, dicens, *Libera me de ore leonis, & de manu canis vnicam meam*; item, *Circumdederunt me canes multi, & tauri pingues obſederunt me*; & poſteà repetitis actibus & iteratis peccatis eumdem paſcit, meretur vt à multis impetatur & moleſtetur.

Pſalm. 21, 17. 21.

175. Notanda ſunt verba Sapientis, quæ huic propoſito accommodari poſſe videntur. *Hoſpitabitur, & paſcet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet.* Ad litteram loquitur de inſtabili & vagabundo, qui hoſpitio ſuſceptus in domo aliena, præter hoſpitij ſui mercedem ex proprijs paſcit & potat dominum domus, & reliquos familiares, qui tamen amarè & duriter illum tractant. In hunc modum peccator, cùm deſinat eſſe ciuis ſanctorum & domeſticus Dei, incipit vagari incertis ſedibus, hoſpes diaboli factus, cui inprimis animam tamquam tabernæ meritoriæ pretium reſignauit, eumdem poſteà peccatis ſuis paſcens, qui inde nihilo mitior, tantò impudentiorem ſe exhibet exactorem inſtar canis voracis, quantò plura recepit.

Eccli. 29, 32.

Simile.

Simile.

176. Ceterùm vt non omnino pereat qui abiectus eſt peccator, debet reſumere animum, & conſurgens induere fortitudinem, vt fortiter reſiſtat ſollicitanti, & in profundum peccatorum protrahere volenti. Æneas Syluius l. 9. Comment. in res geſtas Alphonſi, refert, quòd cùm Albertus Marchio Brandenburgenſis Ludouicum ducem Bauariæ Stephani filium captiuum haberet, & inhumaniter nimis ac rigidè multa pro lytro poſtularet, ille conſtanter negans ſe daturum, dixerit: *Quæ potes ex me libero impetrare, eadem modò ex captiuo petito. Si quid amplius vales, corpus meum in tua poteſtate, animum mihi non tibi obnoxium inuenies.* Sententia heroica, & digna Principe, quem ſi peccator reſipiſcere volens imitari voluerit, titulo fortitudinis & conſtantiæ non erit indignus. Vt enim qui poſt lapſum citò reſurgit, nomine iuſti cenſetur, ſecundùm illud: *Septies enim cadet iuſtus, & reſurget*; ita qui, vt reſurgere poſſit, fortiter reſiſtit tentatori, & conſtanter proponit in nullo deinceps ei acquieſcere, non aliter ac ſi priſtina libertate gauderet, conſtantiam, quam peccando labefactauit, hoc firmo propoſito reparaſſe cenſendus eſt.

Aeneas Syluius.

Prou. 24. 16.

177. Porrò quæ hactenus dicta ſunt de conſtantia, intelligi debent de virtute quam definit S. Thomas 2. 2. q. 137. a. 3. quæ facit hominem firmiter perſiſtere in bono contra difficultatem, quæ prouenit ex impedimentis exterioribus, & ſolùm in hoc differt à perſeuerantia, quòd hæc faciat hominem ſuperare difficultatem in bono, quæ prouenit ex duratione & diuturnitate rei difficilis. Tam vna quàm altera facit hominem non ſimpliciter ſubſiſtere, ſed in bono. vnde fit, vt qui conſtantiæ nomen deſiderat, virtutis amator ſit neceſſe eſt. Refert Plutarchus in Laconicis, quòd Ageſilaus, cùm audiſſet ſceleratum quemdam hominem ſumma conſtantia tormentis ſe oppoſuiſſe, & forti animo exquiſitiſſimos cruciatus pertuliſſe, dixerit: *Quàm miſer homo eſt, qui conſtantiam*

S. Tho.

Plutar.

Digitized by Google

ſtantiam in res tam flagitioſas ac turpes collocat. Abuſiuè vocat conſtantiam, quæ in malefico potiùs obſtinatio dicenda erat, à quo fortè ſcelerum ſuorum confeſſionem in carnificina extorquere non poterat iudex. Ita non conſtantes, ſed obſtinati & indurati potiùs dicendi ſunt peccatores, qui mediante fide torquentur ex apprehenſione æternæ damnationis, cui ſe obnoxios eſſe ſciunt, & tamen in peccatis perſeuerant. Vix enim fieri poteſt, vt non crucientur, quibus nihil eſt mundum, vt loquitur Paulus: *ſed inquinata ſunt eorum mens & conſcientia*. (Tit. 1, 15.) *Cùm ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæua, perturbata conſcientia.* (Sap. 17, 10.)

178. Cùm igitur conſtantia & perſeuerantia bonum reſpiciant, nihil indurato Pharaoni & pertinacibus turris Babylonicæ fabricatoribus & ſimilibus, qui corde lapideo in malo perdurant, de laude harum virtutum debetur. De Pharaonis pertinace obſtinatione loquens Deus, *Ego ſcio*, inquit, *quòd non dimittet vos Rex Ægypti vt eatis, niſi per manum validam* (Exod. 3, 19.) quæ violenter cogat rebellem animum, non quæ ſuauiter emolliat voluntatem. De ridiculis autem turris Babylonicæ architectis ait: *Cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant*. (Gen. 11, 6.) Reipſa impoſſibilis erat creatæ potentiæ turris illius, quæ attingere poſſet cælum, affectata celſitudo, tamen, niſi impediti fuiſſent, ſemper cum perficiendi operis conatu affectum retinuiſſent. Imitatores erant illius, qui dicebat in corde ſuo: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*; (Iſaiæ 14, 14.) qui etſi proiectus ſit in infernum, non ideò deponit celſitudinis affectum: nam, vt ait Dauid, *ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*. (Pſalm. 73, 23.)

179. Nihil obſtinatis & pertinacibus cum viris ſanctis & conſtantibus: nam illi in malo perdurant, hi autem perſeuerant in bono, non obſtantibus quibuſlibet difficultatibus. Rebus arduis aſſueti, minis pœnarum vix poſſunt terreri. Vnde Cicero lib. 1. Tuſculan. quæſt. refert, quòd Theodorus quidam reſponderit Lyſimacho Macedoni, crudeliſſimam mortem minitanti: *Minitare hæc purpuratis tuis, Theodori quidem nihil intereſt, humine an ſublime in cruce putreſcat*. (Cicero.) Eadem conſtantia (vt auctor eſt Plutarchus) Etheocles Ephorus, vir fortiſſimus, inſultauit Antipatro, qui illi atrocia tormenta intentabat, niſi quos à Lacedæmonijs obſides expoſtulauerat reciperet, dicens: *Non curamus minas. nam ſi grauiora morte nobis imperas, faciliùs moriemur*. (Plutar.) Quantò durior cruciatus qui mortem parat, tantò illa ſuauior quæ ab omni pœna liberat.

180. Hinc fit, quòd Martyres & alij viri fortes maximè ſuam conſtantiam in morte prodant, & quantò illi propinquant, tantò fortiori animo mala tolerent. Quid mirum, cùm etiam illi in tribulatione fuerint fortes & patientes, qui fide Chriſtiana deſtituti, ſpe æternæ gloriæ non poterant eſſe gaudentes. Refert Laërtius lib. 6. quòd Diogenes cuidam monenti, vt iam ſenex aliquid de priſtino labore dimitteret, *Quid*, dixerit, *ſi in ſtadio currerem, oporteret iam meta vicinum curſum remittere, an magis intendere?* (Laërt.) Fuit fortè vana huius animoſitas, ſed verè Chri-

Hiſto-ria. ſtiana dicenda eſt conſtantia Ioannis Fiſcherij Epiſcopi Roffenſis, qui, quòd Henrico VIII. primatum Eccleſiaſticum nollet ſua confeſſione adſcribere, glorioſa morte volens auitam fidem & debitam fidelitatem Chriſti Vicario Summo Pontifici Romano illæſam ſeruare, libenter in ſe admiſit carnificum manus. Cùm igitur ſupplicij locum, ad quem deductus eſt, intueretur, abiecto cui vir grandæuus & ſenio confectus innitebatur baculo, *Eia*, inquit, *pedes officium facite, parum itineris iam reſtat.* Sic Sanderus de Schiſmat. Anglic. lib. 1. *Sanderus.* Claudam cum hoc exemplo conſtantiæ hunc totius Opuſculi vltimum Tractatum, rogans Deum, quatenus ita nos efficiat veræ fortitudinis & conſtantiæ participes dum hîc viuimus, vt poſt hanc vitam æternæ ſalutis ſimus conſortes, quæ non niſi perſeuerantibus vſque in finem promiſſa eſt. Amen.

LAVS DEO
BEATÆ MARIÆ
ET SANCTO FRANCISCO.

ELEN-

ELENCHVS
AD
FORMANDAS CONCIONES
SVPER
EVANGELIA DOMINICARVM
ET
FESTIVITATVM TOTIVS ANNI.

In quo, præter aſſignatum Diſcurſum Euangelio accommodabilem, nonnulla quæ de nouo occurrerunt poſita ſunt, vnde Concionatori (mediante gratia eius qui dat verbum euangelizantibus) materia ſuppetat, quæ non ſolùm vni conſuetæ & horariæ declamationi, ſed diuerſis ſufficiat. Ceterùm ne Lector ſæpiùs in eamdem materiam prædicabilem incurrat, & coram eodem auditorio idem reiteret, Diſcurſus qui ſemel alibi aſſignatus eſt, licet diuerſis Euangelijs adaptari poſſet, in reliquis deinceps ſupprimitur, ita vt Præconi verbi Dei nouum ſemper aſſignetur dicendi argumentum.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Lucæ 21,25. 1. ERVNT *ſigna in ſole & luna*, &c. Qui neglecta meditatione iudiciorum Dei, immemor nouiſſimorum ſuorum, vitam agit, ſe exponit manifeſto diſcrimini æternæ damnationis: peccator enim, qui inſtar
Ierem. 48,11. Moab requieſcit *in fæcibus ſuis*, intrepidus prouocat Deum ad maturandam punitionem. Nam ſecuritas impia, & impietas ſecura Deo ſummè odioſa eſt. *Propter quid irritauit impius Deum?* inquit Propheta, *dixit enim in corde ſuo: Non requiret.* Irritauit, non credens Deum punitorem, Pſalm. 9,23.
dicit Gloſſa interlinearis. Verè ad magnum Dei contemptum ſpectat, quòd peccator vindictam ſibi ab eo paratam non apprehendat. vnde Origenes ait: Gloſſa. Simile.
Si cuius cauſa periclitatur, conſulit Orig.

Iura, *legiſperitos*, ne ſcilicet mulctetur ab homine: *ſi quis infirmatur, conſulit Medicos, ne moriatur, ſed non conſulit ſacram Scripturam, ne puniatur.*

2. Peccando Deum offendimus, verùm timorem eius abijciendo, eumdem irritamus.
Ierem. 2,19. *Scito, & vide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus exercituum.* Meritò amarum iudicari debet, abſque timore à Deo recedere per peccatum. Nam qui peccando relinquit Dominum, eumdem ſibi tandem infenſum copioſo quodam exercitu omnium creaturarum, quas
Sap. 5, 18. *armabit in vltionem inimicorum*, ſtipatum experietur.

Lucæ 21,25. 3. *Erunt ſigna in ſole*, &c. Hæc omnia erunt præambula aduêtus Domini exercituum, qui ſtatim poſteà ſe-
ỽ.17. quetur, vnde ſubdit: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum maieſtate magna & poteſtate.* Beati, qui ex præcedentibus ſignis, ſalutari concepto timore, per veram pœnitentiam fugerint à facie arcus. Quàm terribilis autem futurus ſit obſtinatis, qui in vita ſua abſque timore fecerunt mala,
ỽ.26. inde patet, quòd *Virtutes cælorum mouebuntur.* Qui in hac vita cum Propheta noluit timore Domini configere carnes ſuas, tunc deſperata contritione confringetur.

4. Salubris eſt illa Sapientis omni-
Eccli. 7,40. bus nota monitio, *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua*, &c. Vatablus legit, *Memorare extremorum*, hoc eſt rerum quæ extremæ nobis ac-
Tuſo. cident, inquit Tuſo. Perit totus exercitus procedens ad caſtrametandum, ſi turma præcedens ex prima acie, vulgò de *auantgarde*, nulla cura tangatur ſubſequentis, nec ſatagat vt latentes inſidias hoſtilis incurſus aperiat & prodat, quatenus extrema pars exercitus ſibi caueat, & contra illas ſe muniat. Si enim miles ad recognoſcen- Simile.
dum hoſtem præmiſſus vagatur, & per hortos & prata ſpatiatur, & ſe periculo, & totum exercitum prædæ & hoſtium vaſtationi exponit. Eodem modo homo, qui priorem ætatem relinquit concupiſcentijs inordinatis, animam & omnia merita bonorum operum illius crudelitati reſeruat, cui dictum eſt: *Et tu inſidiaberis calcaneo eius.* O Gen. 3,
miſeriam hominum illorum, qui di- 15.
cunt: *Fruamur bonis quæ ſunt, & vta-* Sap. 2,6
mur creatura tamquam in iuuentute celeriter. & infrà: *Nullum ſit pratum,* Sap 2,8
quod non pertranſeat luxuria noſtra. Ecce iuuentus, quæ debet ſeruire prouiſioni ſenectutis, & recognitioni hoſtilis incurſus, qui tempore mortis, quæ eſt extrema pars vitæ, ſolet eſſe infeſtus, laxatis habenis vagatur & luxuriatur per prata & campos: hine fit quòd homo improuiſa & ſubitanea morte percuſſus, æternaliter pereat.
Gens abſque conſilio, &c. Sanctes Pa- Deut.
gninus legit, *Gens periens conſilijs ſunt.* 32,28.
quibus verbis ſignificari poteſt, quòd multi circa plurima vana & ſtulta occupati, & de plurimis, quæ animarum ſaluti nihil conferunt, ſapientiſſimè (vt ipſi putant) conſultantes pereant, quia vnum quod eſt neceſſarium negligentes, in conſideratione ſuorum nouiſſimorum cæcutiunt. Vide hac de re *Tract.* 1. *Diſcurſ.* XXVII.

5. *His autem fieri incipientibus*, &c. Pſalm.
Verum iniuſtum mala capient in interi- 139,12.
tu, vt patet ex ijs quæ dicta ſunt de obſtinatis & intrepidis, qui abſque timore faciunt mala. Iuſtos verò & timoratos miſericordia circumdabit. *In ti-* Prou.
more Domini eſto tota die, dicit Sapiens, 23,17.
quia habebis ſpem in nouiſſimo, & præ- 18.

ſtolatio

ſtolatio tua non auferetur. vnde Paulus
Tit. 2, 12.13. ait: *Piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Per hanc beatam ſpem
Lyran. intelligit Lyranus æternam gloriam, ſperatam ab ijs qui ſobriè, piè & iuſtè viuunt in hoc ſæculo, abnegantes omnem impietatem. *Sicut impietas,* inquit
Hieron. S. Hieronymus, *magnum Dei formidat aduentum, ita ſecura de opere ſuo pietas illum præſtolatur.* Patet hoc ex ijs quæ habentur Rom. 8. Phil. 3. & 1. Ioan. 3. maximè ex verbis Chriſti
Lucæ 21,28. dicentis, *His autem,* &c. *Leuate capita,* &c.

6 Leuat caput in iudicio, qui præ timore in vita inclinatò capite incede-
Eccli. 2,21. re ſolebat. *Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius,* inquit Sapiens, *& patientiam habebunt vſque ad inſpectionẽ illius.* Relinquũtur Sancti ſubinde, quaſi Deus nec ad illos nec ad opera eorum reſpiceret, ideò clamant cum
Pſalm. 34,17. Propheta: *Domine, quando reſpicies?*
Pſalm. 85,16. item: *Reſpice in me, & miſerere mei.*

Lucæ 21,28. 7. *Leuate capita,* &c. Indicat tempus redemptionis appropinquaſſe, & Solem iuſtitiæ illis oriri ad gloriam, qui promiſſus fuit ſedentibus in tenebris & vmbra mortis ad redemptionem.
Malac. 4,2. vnde ait Propheta; *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ.* Nota: ſicut Chriſtus mors eſt malis, vita bonis, ita tempore aduentus illius iucundè orietur iuſtis & timoratis, malis verò & impijs terribiliter occumbet. vnde illi erunt filij lucis & diei, hi verò noctis & tenebrarum.
Simile. Sicut de die omnes obuios homo reſpicit & agnoſcit, de nocte verò nullius notitiam profitetur; ita tunc Chriſtus notum & affabilem ſe præbebit iuſtis, qui nunc in timore incolatus ſui Deo ſeruiunt, quos vt miſericorditer reſpiciat, monet: *Leuate capita,* &c. Fatuis autem, qui nunc intrepidi abſque timore faciunt mala, tamquam de nocte ſibi obuiàm venientibus, dicet:
Neſcio vos. Matth. 25,12.

8. Refert Plinius lib. 2. cap. 103. rem miram de quodam fonte in Troglodytis, qui appellatur *fons Solis,* qui Plin.
de die omnes bibentes miro modo reficit, de nocte autem ſupra modum exæſtuat, adeò vt nemo ſine magno dolore extremum digiti ei intingere poſſit. Idem fatetur de hoc fonte Solinus cap. 32. Auguſtinus lib. 21. de Ciuitate Dei, S. Iſidorus lib. 13. cap. 13. Solin. Auguſt. Iſid.
& alij quos citat Tuſo in cap. 2. Eccle. Per hunc fontem optimè ſignificari poteſt, quòd idem Chriſtus Filius Dei in iudicio non eodem modo ſe exhibebit filijs lucis timentibus nomen eius, & peccatoribus qui in hac vita quaſi in obſcura nocte ambulantes vbique impingunt; quibus proinde in die iudicij Sol occumbet. Boni & ſancti tunc miro modo reficientur, & in *Simile.*
illo fonte omnem ſitim rerum temporalium extinguent, quibus dicitur,
Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: mali verò & impij terrenis Iſaiæ 12,3.
deſtituentur, cæleſtibus autem indigni iudicabuntur. Vnde fiet, quòd non ſolùm *famem patientur vt canes,* Pſalm. 58,7.
ſed & linguas mordebunt præ dolore & ſiti. quæ quàm ſit futura intolerabilis, probat nuda illius expectatio & apprehenſio, qua fiet quod dicitur:
Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Lucæ 21,26.

9. Velint nolint cogentur fontem illum ſalutarem bonis, pœnalem verò malis, viſu & apprehenſione attingere, vt inde crucientur. Nam *tunc parebit ſignum Filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ.* Optarent Matth. 24,30.
quidem ſub pondere montium conteri,

teri, vt ſic à facie illius abſcondi poſſent, ne ex fonte illo radios & viſiuas ſpecies haurire cogantur, verùm vt boni ſolatium, ita illi cruciatum ſuum ex
Apoc. 1,7. illo fonte haurient. *Videbit illum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Laboremus, vt per ſanctum timorem ſimus filij lucis, vt in iudicio ex illo fonte refrigerium promere poſſimus,
Pſalm. 118,74 qui ait: *Qui timent te videbunt me, & latabuntur. In praſenti timor eſt*, inquit
Auguſt. Auguſtinus, *quamdiu tentatio eſt vita hominis ſuper terram; iucunditas*
Matth. 13,43. *autem tunc erit, quando fulgebunt iuſti in regno Patris illorum ſicut Sol*, ſi ex aſpectu cuiuſlibet iuſti electi haurient lætitiam, iucundum valdè illis erit, videre Filium Dei in maieſtate ſua, &c. Amen.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Matth. 11,2. 10. *Cùm audiſſet Ioannes in vinculis.* Hîc datur occaſio taxandi vitium carnis, quod quia Ioannes in Herode
Simile. arguit, coniectus eſt in carcerem. Porrò ſicut ignis non ſolùm vrit, ſed etiam comburit, ita per luxuriam libidinoſus conſumens ſeipſum, malo
Simile. igne inficit proximum. Quemadmodum igitur

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet;

ita caſtus periclitatur, qui luxurioſi ſocietate & conuerſatione gaudet. Feli-
Diſſimile. cior eſt, cuius domus in diſcrimẽ venit ex incendio vicinæ domus, & proximi parietis, quàm anima continentis, quæ aſſociatur ei qui eſt in maligno concupiſcentiæ carnalis; quòd ille ordinariè, ſalua ſaltem ſupellectili, effugere poſſit, relicta domo flammis & igni; hæc verò in corpore, quod corrumpitur, manere cogitur, & ſubinde ſentire ignem concupiſcentiæ: cui niſi ſe opponat diſſentiendo (cùm ſolùm poſſit refugere, non effugere) & ſe & omnia ſua abſumet ignis.

11. Verùm in alio eſt melior conditio eius, qui adeſt illi quem fœtidus *Diſſimile.* luxuriæ ignis inuaſit, quàm inhabitator domus, cuius parietes proximi ardent; quòd hic quidem diſcedere poſſit, ſed domum ſecum transferre non item; illé verò cum omnibus animæ bonis ante conceptam flammam abire valeat, in nullo paſſus detrimentum, imò ſubinde ditior effectus ab eo qui toties decernet coronam, quoties fidelis anima conſilio Apoſtoli acquieſcit, dicentis, *Fugite fornicationem*: qui 1.Cor. proinde, ſecundùm eumdem Apoſto- 10,13. lum, *faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſtare.*

12. Conſulit Sapiens: *Noli facere* Eccli. *mala, & non te apprehendent. Diſcede* 7,1. *ab iniquo, & deficient mala abs te.* Certè illæſa maneret domus patrisfa- *Simile.* milias, conſtituta inter parietes proximos qui ardent, ſi non niſi ipſo conſentiente poſſet comburi, etſi illo nolente fortè calefieret, aut ad combuſtionem diſponeretur. Cur igitur homo, qui caſu occurrente aut neceſſitate cogente, ad tempus adeſſe cogitur maligno, conſumetur, cùm mala apprehendere non poſſint nolentem? Noli facere mala, ſi conſentis, facis. diſcede igitur, & deficient. diſcedis, ſi diſſentis, etſi corporaliter ad breue tempus libidinoſo adſis.

13. Mira res: citiùs inficitur ſanus *Diſſimile.* ab eo qui peſte laborat, ſi, cùm corpore adeſt, animo morbum nimis apprehendat & horreat: hîc enim locum habet illud vulgare dictum, *Apprehenſio facit caſum.* Verùm optimum antidorum luxuriæ eſt horror illius. Nam qui malum illud magis formidat, ſecuriùs ſe ab illo præſeruat. Quod aqua eſt *Simile.* igni à qua extinguitur, hoc timor libidini

dini eſt quæ ab illo ſuperatur. Multum aquæ requiritur vt ingens incendium extinguatur: eodem modo luxuriæ ignis vehementer debet timeri, vt poſſit expugnari. Vlteriori huius materiæ deductioni ſeruit *Tract.* 11. *Diſc.* VIII. *per totum.*

Matth. 11,2. 14. *Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti.* Præbent hæc verba materiam diſcurrendi de iuſtorum tribulationibus, & quòd, qui præ ceteris à Deo dilecti ſunt, etiam eodem permittente & immittente cruces, magis affliguntur, qui calicem à Chriſto ſibi propinatum bibunt, ac crucem portant non pro ſua electione, ſed ex illius ordinatione.
Ioan. 21,18. *Cùm eſſes iunior, cingebas te,* inquit Chriſtus Petro, *& ambulabas vbi volebas; cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Iuniorum eſt, ſibi eligere & iniicere crucem; prouectiorum autem, ab alio factam forti animo ſuſcipere. *Cùm autem ſenueris*, &c. Vide quæ habentur ad hoc propoſitum *Tract.* x. *Diſc.* IX.

Matth. 11,8. 15. *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Aptus eſt hîc locus agendi de illecebroſo & vano mulierum ornatu: nam quamuis non ſint procul à nobis iuuenes vt femina compti, tamen ſexus muliebris, quia alijs ſapientiæ & altioris ordinis talentis, quibus viri ditantur, deſtitui ſolet, in immoderatum corporis cultum & veſtimentorum luxum ordinariè propendet. Hoc tamen certum eſt, quòd mulier, quæ inuerecundè ſe ornat, ſe & ſuam pulchritudinem proſtituat. Sanctus Petrus commendat mulieribus interioris hominis pulchram compoſitionem 1. Pet. 3. ℣. 5. cuius incuriæ nota eſt, exterioris nimia ſollicitudo. Definit eſſe famula Chriſti, deſtituta animæ virtutibus, quæ nimio ſtudio placendi hominibus ſe deturpat ſuperfluitate ornatus. *Quantò autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis* (verba ſunt S. Auguſtini Serm. 18. de Verbis Apoſtoli) *tantò magis pulchris moribus homo interior adornatur.* S. Auguſtin.

16. Hoc autem notandum eſt, quòd mulier quantò ſe magis ſpectabilem reddere conatur per vanitatem ornatus, tantò clariùs ſe probet vacuam dotibus hominis interioris; & dū vanam famam venatur, honeſti nominis iacturam patitur. Quæ enim negligit gloriam filiæ Regis ab intus, internè Hecubam refert, dum externè Helenam oſtentat, vt teſtis eſt Nazianzenus Nazian. in Carminibus contra fucatas mulieres. Nam quæ fragili & vanæ corporis pulchritudini ſuperaddit immoderatam mollitiem veſtimenti, notam meretricij affectus incurrit: etſi fuerit caſta, tamen leuis iudicabitur, nec ab impudicitiæ ſuſpicione immunis erit. Hanc veritatem probat Ouidius 4. Faſt. Cùm enim Claudia Veſtalis de hoc vano exceſſu notaretur, ait:

Caſta quidem, ſed non ſic credita: rumor iniquus Ouid.
Læſerat, & falſi criminis acta rea eſt, &c.

17. Maximè autem timoratæ mulieres horrent nimiam veſtimentorum pompam, quòd non ignorent, hæc eſſe non ſolùm indicia, ſed etiam lenocinia meretricum. Vnde Tertullianus Tertul. lib. de Habitu mulierum cap. 4. affirmat, quòd luxus ſignum ſit vel ambitionis, vel proſtitutionis. Si nondum de facto ſe proſtituit mulier ornatu meretricio incedens, ſaltem clarum præbet argumentum, quòd virum turpiter ambiat, etſi fortè caſta ſit, quia nemo rogauit. Virgo igitur quæ ſollicita eſt vt ſit ſancta corpore & ſpiritu,

ritu, non ſolùm regnum mundi & omnem ornatum ſæculi contemnit, vt liberiùs cogitet quę Domini ſunt, quomodo placeat Deo, verùm etiam naturali pulchritudini libenter detrahit, & ne fiat muſcipula pedibus inſipientium, ſe oculis hominum omnino ſubducit, aut ſaltem per contemptibilem habitum, fallaci gratiæ & vanæ pulchritudini libenter renunciat. Quæ huic materiæ adaptari poſſunt, inuenies *Tract.* II. *Diſcurſu* VI.

DOM. III. ADVENTVS.

Ioan. 1,19. 18. *Miſerunt Iudæi*, &c. *Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus*, &c. Locus taxandi eorum vanitatem, qui nomina ſua nimis ſollicitè ſcribi & ſculpi curant in terris. Ioannes non ſolùm Meſſiæ & Chriſti opinionem horret, ſed etiam Eliam ſe negat, imò qui Chriſto teſte plus quàm Propheta erat, Prophetæ nomine ſe indignum

℣. 21. iudicat. *Interrogantibus enim, Propheta es tu, reſpondit: Non.* Quo ſenſu Ioannes negauerit ſe Prophetam fuiſſe, de quo, præter teſtimonium Chri-

Lucæ 1,76. ſti, pater ipſius Zacharias dixit, *Et tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim*, &c. non eſt huius loci latè exponere. Tractanr autem hanc quæſtionem Cyrillus lib. I. in Ioannem cap. 24. Chryſoſtomus Hom. 15. Auguſtinus Tract. 4. in Ioannem.

19. Ad præſens propoſitum ſufficit, quòd Ioannes tam diligenter omnem clari nominis ſuſpicionem à ſe remouens, arguat multorum ſtultitiam, qui affectant glorioſis titulis celebrari in terris, quibus ad magis ſuperbiendum vrgentur. Deus autem, ſi quid magnificentiæ ſonet nomen eorum quos exaltare proponit, & quorum memoriam liber prædeſtinationis conſignatam tenet, hoc in fauorem humilitatis expungi curat. Et dum adimit ex nomine eorum fortè litteras, nouas illis in cælo parat prærogatiuas. Non ſine cauſa is qui olim Rex *Simile.* & Princeps erat, & antonomaſticè Dominus appellari poterat, ſi poſteà Deo vocante Monachiſmo aut Clero nomen dederit ex inſtitutione Eccleſiæ, *Domnus* publicè in choro proclamatur. quam nominis diminutionem nec Epiſcopi, imò nec altioris ordinis Prælati dedignantur, dum toties, quoties ſecundùm ordinem Breuiarij Romani pro benedictione in Prima, & Completorio, & alijs interpellati, humiliter impendunt eam his verbis emendicanti, *Iube domne benedicere.* Profitetur Eccleſia per hanc cærimoniam, ſtultorum eſſe gaudere magnificis titulis, & celebrari famoſis nominibus in hoc mundo, in quo quilibet manet incertus, an nomen ſuum ſcriptum ſit in libro vitæ, de quo ſolo permiſſu Chriſti Apoſtolis gaudere conceſſum eſt. De hac materia agitur *Tract.* III. *Diſcurſu* IX.

20. *Ego vox clamantis.* Mira & Ioan. 1,23. notanda S. Ioannis humilitas, fugientis hominum applauſum. *Bonum eſt* Thren. 3, 27, 28. *viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua* (inquit Ieremias) *ſedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſuper ſe.* Rupertus, S. Bernardus, Hugo Rupert. Cardinalis, & Lyranus legunt, *leuauit ſe ſuper ſe.* quo autem ſenſu, explicat Bernardus Serm. I. de S. Petro & Bernar. Hugo Cardin. Paulo, *quia non reſpicit ad ſe, ſed ad illum qui eſt ſuper ſe*, ad Deum ſcilicet. Sedebit in ſolitudine eremi cordis, dicit Hugo Cardinalis, vt vacet ſeruitio Dei, id eſt contemplationi, quæ omnia videntur Ioanni conuenire, qui antra deſerti teneris ab annis petijt.

21. Inquiri autem poſſet, quomodo leuarit ſe ſuper ſe, qui potiùs ſe infra

ſra ſe deieciſſe videtur. Non enim ambulauit in magnis, neque in mirabilibus ſuper ſe, qui dixit, Non ſum ego Chriſtus, neque Elias, neque Propheta, ſed, *Ego vox clamantis*. Reſpondeo, quòd ſe leuet ſuper ſe in contemplationem Dei, & ideò facilè deſcendat in contemptum ſui. *Quis es tu, & quis ſum ego*, dicebat Sanctus, ex Dei contemplatione ad ſe reuerſus. *Te ignoro propter infinitam celſitudinem, me autem neſcio, quia inde apparet mea vilitas, quæ ſuperat intellectus creati capacitatem. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Quantò magis appropinquat vt videat, tantò clariùs agnoſcit excelſam & inacceſſibilem eſſe eius lucem. *Accedite ad eum, & illuminamini*, dicit Propheta. item: *In lumine tuo videbimus lumen.* Idem Sol cæcutienti obſcurior, acutè videnti clarior apparet. In hunc modum cùm impij *ambulant vt cæci, quia Domino peccauerunt*, ideò Deum quaſi obſcurum contemnunt, & ſe in ſuperbiam erigunt.

Ioan. 1,23. — Pſalm. 63,8. — Pſalm. 33,6. — Pſalm. 35,10. — *Simile.* — Soph. 1,17.

Pſalm. 36,4. 22. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*, dicit Dauid. Sancti feruenter & frequenter petunt obtinere à Deo odium & cõtemptũ ſui, in his verſantur petitiones cordis eorum. Tantò autem magis ſibi ipſi quis diſplicet, quantò iucundiùs ſe in Deo delectat. Viſo miraculo de multiplicatione piſcium, *Simon Petrus procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum Domine.* Ecce quàm humiliter ſeipſum vt viliſſimum abominatur, dum in Chriſto Dei magnitudinem admiratur.

Lucæ 5,8.

23. Quia Paulus præ ceteris clariùs contemplatus eſt Deum, & ſe altiùs ac frequentiùs leuauit ſuper ſe, vt qui ait, *Noſtra conuerſatio eſt in cælis*; ideò ſeipſum profundiùs deijciens, dixit: *Sum minimus Apoſtolorum.* item: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus.* item: *Venit peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Qui enim per contemplationem ad Deum aſcendit in cælum, ſeipſum abnegans reliquit in terra. Vnde non debet mirum videri, quòd ſe ex tanta celſitudine conſiderans, tamquam paruum agnoſcat, & in profundiſſimo loco horreat. Eodem modo Ioannes, quia ſedens ſolitarius in deſerto leuauit ſe ſuper ſe, rogatus quis eſſet, dixit: *Ego vox clamantis*, &c.

Phil. 3, 20. — 1. Cor. 15,9. — 1. Tim. 1,15.

24. Docet, quòd vix poſſit euitari ſuperbiæ periculum, niſi quis ſe reputet omnium minimum. Solus nouiſſimus locus immunis eſt à periculo confuſionis. Ideò Dominus non modò obſcuris & humilibus, ſed ſine differentia quibuſcumque etiam præclaris & magnatibus conſultum volens, ait: *Cùm vocatus fueris* (ad nuptias ſcilicet) *vade recumbe in nouiſſimo loco*, &c. Sic ſuadet in cautelam, ne fortè te ignorante honoratior ſit inuitatus, cui cum rubore ex ordinatione inuitantis cedere cogaris. Nota, non excuſabit error exiſtimantis ſe ceteris digniorem, & ex ignorantia ſibi primum locum arrogantis, ſed cogetur cedere qui putabat ſe ceteris præſtare. Apud Deum qui humilia reſpicit in cælo & in terra, nouiſſimus exiſtimatur, qui in corde ex faſtu aſpernatur minimum, & vult haberi primus, contemnitur autem, etſi prætextu gratitudinis dicat: *Gratias ago, quia non ſum ſicut ceteri hominum.* Nam *qui exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.*

Lucæ 14,10. — Lucæ 18,11. — Gal. 6,3.

25. In multis errorem & ignorantiam bona fides ſæpè excuſat. Minatur Deus in ſomnis mortem Abimelech Regi Geraræ, quia vxorem Abrahæ, quam exiſtimabat ſororem eius fuiſſe, ſibi tulerat. qui ſe excuſans ait: *Domi-* Gen. 20,4.

ne, num gentem ignorantem & iuſtam interficies? Sic in multis alijs bona fides aut omnino tollit, aut magna ex parte minuit culpam. Verùm qui per erroneam opinionem alteri vt minori & indigniori ſe præponit, delinquet in conſpectu eius, qui indifferenter omni exaltanti ſe decreuit humiliationem. Confirmatur hæc veritas *Tractatu* III. *Diſcurſu* XXIV.

Ioan. 1,23. 26. *Ego vox clamantis in deſerto.* Exemplum Euangelicæ paupertatis nobis Ioannes exhibuit, qui teneris ab annis ciuium turmas fugiens, antra deſerti petijt, relinquens domum, poſſeſſiones, patrem & matrem, &c. Quod enim vixerit in mirabili rerum terrenarum contemptu, probant verba, quæ ex auctoritate Eccleſiæ de illo cantantur:

In Officio ſā. ctiIoan. Baptiſt.

Præbuit durum tegumen camelus
Artubus ſacris ſtrophium bidentes;
Cui latex hauſtum, ſociata paſtum
Mella locuſtis.

Verus præcurſor Domini opere & ſermone potens notum fecit, quòd diuitiæ in nouo Teſtamento viluerint, quæ in tanta æſtimatione fuerant in veteri, vt Deus non ſolùm reſpiceret Abelem quis eſſet, ſed etiam ad munera quæ offerret. Tunc vacuo & nihil habenti non patebat ad illum acceſſus, nunc verò niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe diſcipulus Filij eius. De hac re conſule *Tract.* VII. *Diſc.* XXI.

Ioan. 1,27. 27. *Non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Quibus verbis apparet, ſtupendæ excellentiæ Ioannis incredibilem humilitatem aſſociatam fuiſſe, quæ ſicut in ſublimitate rara eſſe ſolet, ita Deo & Angelis grata, ipſos humiles ad ſummos honores promouet, vt latè patet ex ijs quæ habentur *Tract.* III. *Diſc.* XIV.

DOM. IV. ADVENTVS.

28. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.* Lucæ 3,2. Maluit Ioannes adeſſe beſtijs in deſerto, quàm domeſticis in paterna domo. Declinauit conuictum dilectæ matris, ne caſtitati ſuæ detrimentum adferret conſortium extraneæ mulieris. Sæpè enim ancilla quæ domeſticis famulatur, filijs inſidiatur. Ioannes igitur tutius eſſe iudicans non poſſe perire, quàm iuxta periculum non perijſſe, ne ſæpè cogatur illecebras carnis fugere, elegit ſemel effugere; ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſet. Hîc poterunt eſſe viſui quæ de vitando conſortio perſonarum alterius ſexus habentur *Tract.* II. *Diſc.* XI.

29. *Erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.* Lucæ 3,5. Magna eſt obedientiæ dignitas quæ hominem perficit. Quærunt curioſi, cur Deus, qui in principio mundi poſt ceterarum rerum creationẽ vidit quòd cuncta quæ fecerat eſſent valdè bona, ad ſolum hominem poſt creationem illius ſe non conuerterit, nec de illius bonitate vllum teſtimonium reliquerit. Non eodem modo ab omnibus ad hanc quæſtionem reſpondetur, quam Auguſtinus lib. de Dono perſeuerantiæ ſoluit, dicens, bonitatem hominis ab illius obedientia erga Deum pendere, cuius adhuc nullum dederat argumentum. (Auguſt.) Obediendo autem homo bonus non ſolùm efficitur, ſed & Deum ſibi benignum reddit, qui aſperis in vias planas mutatis, mitigat auſteritatis ſenſum in arduis quæ præcipit, vt qui per obedientiam ſibi vim faciunt, glorioſè rapiant cælum. Filijs Iſraël in terram promiſſionis tendentibus, Deus auferri curauit offendicula: *Expandit nubem in protectionem eorum,* Pſalm. 104, 39.

tum, & ignem vt luceret eis per noctem. Arca Domini præcedebat ne ſatan aut occurſus malus obeſſet: & nubes protegebat à nimio Solis æſtu. Duo præſtat Dominus viam mandatorum eius per obedientiam ambulantibus, quærit illis requiem, & mitigat laborem, vt notauit noſter Didacus Stella in cap. 3. Lucæ. Blandum igitur ſe exhibet, & aſpera, quæ occurrunt, miro modo complanat. Lege quæ habentur *Tract.* IV. *Diſc.* VI.

Num. 10.

Didacus Stella.

IN FESTO NATIVITATIS.

Lucæ 2, 7. Vitruuius.

30. *Reclinauit illum in præſepio.* Refert Vitruuius ſubtile medium, quo Archimedes aurum verum ab adulterino, aut ab eo quod aliquid alterius metalli admiſtum habebat, diſcernere conſueuit. Præſuppoſuit quòd aurum omnibus metallis ponderoſius ſit, vnde neceſſariò ſequitur, vt in æquali pondere appareat minor quantitas eius, & arctiorem locum occupet quàm cetera metalla. quo ſuppoſito, maſſam, quæ examini ſubijciebatur, redegit ad æquale pondus illius maſſæ, de cuius ſinceritate erat irrefragabile iudicium. Vt autem haberet notitiam certam de locali quantitate, implebat duo vaſcula eiuſdem magnitudinis aqua vſque ad ſummum, in vnum proijciebat auri purgati & examinati maſſam, in alterum illius de quo inſtituebatur ſcrutinium, quæ ſi ſui iniectione maiorem aquæ ſupereffluentiam cauſabat adulterinæ qualitatis, & peregrinæ admiſtionis, rea iudicabatur, quia inæquali pondere maiorem locum requirebat & occupabat.

Notanda videtur hæc examinandi norma, quam ſuo modo imitari poterit diſquiſitor veri amoris. Filius Dei arcto continetur præſepio, & in vili naſcitur tuguriolo. Qui ergo immoderatam amplitudinem in hoc mundo occupat, aut occupare deſiderat, manifeſtat defectum ſuæ charitatis, quæ ſine dubio, ceteris paribus, tantò eſt ſincerior, quantò, ne ex illius aduentu migrent & tumultuentur multi, eſt anxior. Vnde meritò concutientur terrore, qui extenſione limitum ſuorum non ponunt finem aut modum; contra quos tonat Propheta: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci: numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? In medio terræ* idem eſt (inquit Religioſus Pater Cornelius à Lapide) *quod in tota terra; vt tota terra ſit quaſi vna domus veſtra, in cuius medio vos reſideatis, ſicut Rex reſidet in medio regni, circumquaque imperans & dominans.* Iſa. 5, 8.

Cornelius à Lapide.

31. Contra huiuſmodi inuaſores, qui multos domicilijs parentum & proauorum antiquitate charis pellunt, ita vt viginti aut plures familiæ nouellæ vnius erectioni cedere cogantur, nulla habita ratione publici boni, & contemptis puſillorũ gemitibus. Ambroſius lib. de Naboth & Achab cap. 1. duriùs inuehit, dicens: *Cur eycitis conſortem naturæ, & vendicatis poſſeſſionem?* & cap. 3. *Auis auibus ſe aſſociat, pecus pecori adiungitur,* &c. *ſolus tu homo conſortem excludis. Includis feras, ſtruis habitacula beſtiarum, deſtruis hominum.* Quibus vltimis verbis ſatis clarè indicat, quòd hanc inuectiuam texuerit hominibus vanis & ſæculo deditis. Ambr.

32. Fortè maleuolus quiſquam, vitia huius ſæculi nequam diſſimulans, retorquebit dictum Ambroſij in Religioſos, qui neglectis angulis, in meditullio ciuitatis loca habitationis ſibi erigi omni conatu ſollicitant, qui ar-

ctioris vitæ profeſſioni non parum detrahunt per liberaliorem domorum & locorum connexionem. Pro quo in primis notandum eſt quòd ait Dauid: *Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Notat Hugo Cardinalis, hæc verba de Chriſto intellecta, quatuor hæreſes elidere. *Deus* contra Neſtorium, qui dixit eum puram creaturam: *Rex noſter*, contra Iudæos, qui dixerunt, *Non habemus Regem, niſi Cæſarem: ante ſæcula*, contra Arium: *operatus eſt*, contra Manichæum. Operatus eſt autem ſalutem in medio terræ, id eſt Ieruſalem, vel in medio terræ, id eſt in communi omnibus, vt exponit Haymon. Prior expoſitio eſt magis litteralis, quia Ieruſalem eſt in medio climate terræ habitabilis, vt dicit Lyranus. Notauit prætereà Venerabilis Beda, quòd mons Caluariæ ſitus ſit directè in medio terræ habitabilis, in quo Chriſtus pati voluit, vt paſſionem ſuam omnibus æqualiter offerret.

Pſalm. 73, 12. Hugo Cardin. Ioan. 19, 16. Haym. Lyran. Vener. Beda.

33. Quemadmodum igitur Chriſtus in medio terræ voluit pro omnibus pati, ita Religioſi fugiunt angulos ciuitatum, vt ſacrificium incruentum ad publicam & communem ciuium vtilitatem commodiùs poſſit offerri. Ad alteram verò obiectionis partem de locorum dilatione, religioſa prudentia reſpondet ſanctus Bonauentura quæſt. 9. ſuper Regulam Fratrum Minorum, dicens: *Oportet nos areas carius emere quantum ſufficiant pro clauſtro, oratorio & officinis congruis, hoſpitibus & infirmis.* Et infrà: *Opus eſt officinarum diſtinctione, vt Fratres ſciāt vbi tacere debeant; vbi loqui liceat, vbi orare, vbi legere, vbi ſcribere vel comedere, vbi ſit requies infirmantiū, vbi refocillatio de labore itineris venietium, & aliorum quæ in collegijs ſunt neceſſaria.*

S.Bon.

34. Hæc autem benigna S. Bonauenturæ interpretatio non ſuffragatur præſumptioni illorum, qui prætextu religioſæ neceſſitatis, ſuperfluitati & & curioſitati ſtudent; quin potiùs illos quintuplicis peccati reos pronuntiat. Primò propter tranſgreſſionem profeſſionis, quia pompis renuntiantes ſæculi, in humilitate promiſerunt Domino famulari. Vnde in eos quadrat illud Pauli: *Si enim quæ deſtruxi, iterùm hæc ædifico, præuaricatorem me conſtituo.* Deinde, ob malum exemplum; offenditur enim populus propter huiuſmodi exceſſus. Tertiò, propter inquietudinem; quia ſumptuoſa non poſſunt ſine magna ſollicitudine ædificari, & vix erecta conſeruari ſine iactura deuotionis & diſciplinæ. hinc Iſaias ait: *Venerunt ſtructores tui: deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt.* Sæpè viſum fuit, quòd diſtracti procuratores talium rerum, tandem fiunt Ordinis deſertores, aut vltrò diſcedentes & ſpontanei, aut etiam contra voluntatem expulſi.

Gal. 2, 18. Iſa. 49, 17.

35. Quartò denique accuſat Bonauentura eos peccati, propter ſpoliationem aliorum pauperum, quibus ſæpè quod his pompoſis & amplis fabricis impenditur, iniuſtè præripitur. Quintò perit deuotio Chriſti fidelium ex nimia importunitate vrgentium ad dandum. vnde exempla & prædicationes non mouent eos vt Ordini benè afficiantur, ſed potiùs excitantur vt ſiniſtrè ſentiant, & eidem detrahant.

36. Multum verò augebit culpam, qui ex multarum domorum ruina & deiectione vnius erectionem immoderatè amplificat. *Cuius propoſitum eſt* (verbis vtar Ambroſij lib. Hexaëmeron cap. 10.) *mutare exilio domos, incolarum faſtidio teneri, aduenarum* Ambr.

captare

captare gratiam, transferre terminos perpetuos, quos poſuere patres noſtri. Tandem indicat qua cenſura dignus ſit huiuſmodi exceſſus. *Cognoſcit hac* (inquit) *Dominus, & vindictã reſeruat.*

Baſilius. 37. Comparat Baſilius Homil. 7. ex varijs, eos qui hac vanitate tumeſcunt, fluminibus, *quæ ex paruo primo principio progredientia, deinde incrementis paulatim contingentibus, intolerabile accipientia augmentum, per violentiam impetuoſæ lationis, quidquid obſtiterit ſecum trahunt, ſic etiam hi ad* Chryſoſtom. *magnam potentiam progreſſi.* Chryſoſtomus Homil. 63. in Ioannem tom. 3. attendens illorum periculum, monet vt eos lugeamus. *Sed nobis lugentibus,* inquit, *ipſi fortè rident, etiam & hoc lugendum, cùm rident quod flendum eſſet.* Chriſtus, qui pannis inuolutus reclinatur à matre in arctum præſepium, poſitus eſt huiuſmodi hominibus in ſignum, cui ab ipſis acerbè contradicitur.

Lucæ 2,7. 38. *Non erat ei locus in diuerſorio.* Omnium rerum iure & dominio diues cum matre ſua, paupertatis amore renuntiauit ijs quibus opus habebat, relinquens exemplum Religioſis ex ſpontanea inopia mendicãtibus. quam rem explicatam inuenies *Tract.* VII. *Diſcurſu* II.

IN FESTO S. STEPHANI.

Act.7,55. 39. *Ecce video cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* Saluator noſter, quem Pater ſua dextera honorauit, patienti Stephano in ſignum honoris aſſurgit. Patientes enim dæmoni & ſatellitibus eius terribiles, Deo & Sanctis venerabiles ſunt. Quod latiùs probat *Tract.* VIII. *Diſc.* XIII.

Act.7,59. 40. *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* S. Stephanus offenſus & læſus, efficaciter ſupplicans pro lapidantibus & reis, Saulo impetrauit à Deo reſipiſcentiam. Ioab pro reditu Abſalonis prolixioris exilij pertæſi valdè ſollicitus, *miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem,* 2. Reg. 14,2. quam aſtutè inſtruxit, vt aſſumpta parabola ab illo conficta, Regem eò adduceret, vt filio propitius & placatior, reditum de exilio indulgeret. quod mulier ſapienter & per parabolam à Ioab illi ſuggeſtam feliciter conſecuta eſt.

41. Non præſumpſit Ioab leuiter aut temerariè attentare hanc Dauidis cum filio ſuo reconciliationem, ſed multis medijs ſcrutatus eſt, vt poſſit expiſcari animum Regis. Cùm ergo probabilibus coniecturis didiciſſet, Dauidem minùs quàm ante animatum in filium, & remiſſam ex parte eius triſtitiam de interfecti morte, vt patet ex fine capitis ſequentis, quod his verbis clauditur, *Ceſſauitque Rex* 2. Reg. 13,39. *Dauid perſequi Abſalom, eò quod conſolatus eſſet ſuper Amnon interitu;* conſilium iniji, quò patri filium, regno verò & patriæ exulem Principem reſtitueret. Qui poſtquam ſummo conatu rem deſideratam obtinuiſſet, de felici negotij ſucceſſu lætus, magnum gratulationis & lætitiæ indicium exhibuit. *Cadenſque Ioab* (ait Scriptura) 2. Reg. 14,22. *ſuper faciem ſuam in terram, adorauit & benedixit Regi. & dixit Ioab: Hodie intellexit ſeruus tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, Domine mi Rex: feciſti enim ſermonem ſerui tui.*

42. Porrò ad præſens propoſitum notandum, quòd Ioab poſteà eumdem Regem minori difficultate inclinauerit ad maiorem gratiam & fauorem eidem Abſaloni concedendum. Nam quem priùs Rex donatum ciuitate ſolùm ab exilij moleſtijs reuocauit,

Digitized by Google

uit, illum, intellecto deſiderio eius videndi faciem Regis, benignè ſuſcipiens, oſculo & amplexu dignatus eſt ad primam ipſius Ioab petitionem, nullo alio interpoſito medio.

43. Inquirendum eſt quid fuerit, quod difficile hoc negotium faciliùs maturauit. Pro quo ſciendum, quòd Ioab inſignem iniuriam immediatè antè paſſus fuerat ab ipſo Abſalone,
2.Reg. 14,30. qui *dixit ſeruis ſuis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem meſſem hordei: ite igitur, & ſuccendite eum igni.* Hac verò accepta iniuria, acceſſit ſupplex ad Regem.
℣. 33. *Ingreſſus igitur Ioab ad Regem, nuntiauit ei omnia,* &c. Non ſolùm ei expoſuit vehemens deſiderium Abſalonis videndi faciem Regis, ſed etiam damnum combuſtæ ſegetis, quod ab illo paſſus erat. Et quamuis videri poſſet, hoc modo Regem de nouo fore animandum contra Abſalonem, tamen potiùs inde pacatus eſt, attendens illam agri vaſtationem ipſo mandante factam fuiſſe non ob aliud, niſi vt tergiuerſantem Ioab cogeret moram veniendi præſcindere, quem ipſe moræ impatiens ſupplicem intēdebat ad patrem legatum mittere.

44. Verùm ſi me non fallit opinio, puto viſcera pietatis manſuetiſſimi Regis in hac ſecunda ſupplicatione, qua petebat Ioab omnimodam abolitionem grauiſſimæ offenſæ, ab Abſalone contra domum patris commiſſæ, tam facilè mota fuiſſe per exemplum patientię & longanimitatis ipſius Ioab, qui recenti hac iniuria non obſtante, nihilominùs pro Abſalone ſupplicabat. Cogitabat fortè Dauid, Numquid pater filio reſeruabit iram, cùm extraneus inſigniter læſus iniuriam facienti præſtet miſericordiam?

45 Non ſunt efficaciores ſupplicationes, quàm quæ pro inimicis calumniantibus & perſequentibus offeruntur. Verùm eſt, in infinitum excedit miſericordia Dei omnem humanam pietatem, tamen qui pro inimico, cui remiſit iniuriam illatam, Deum orat, vt efficaciter exoret, dicere poteſt: Eſto ei miſericors, ſicut ego miſer vermiculus per gratiam tuam miſericors ſum. Hac praxi fortè vſus eſt etiam Dauid, dum pro inimicis offerret preces; ideò dixit: *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Hinc factum Pſalm. 131,1.
videtur, quòd Filius Dei tam ſtrictè nobis dilectionem proximi, imò inimici commendarit, dicens: *Ego autem* Matth.
dico vobis: Diligite inimicos veſtros, & 5,44.
orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Per huius præcepti obſeruantiam viſcera pietatis diuinæ meritò commouentur. Si enim homo homini in ſe peccanti benignus eſt, numquid Deus, qui diues eſt in miſericordia, eam in ira ſua continebit? *Qui planta-* Pſalm.
uit aurem, non audiet? aut qui finxit 93,9.
oculum, non conſiderat? Deus perfecit Stephano autem, quam inclinauit pręcipienti, *Orate pro perſequentibus &* Matth.
calumniantibus vos. Qui hanc autem 5,44.
plantauit, non audiet poſitis genibus clamantem, *Domine Ieſu, ne ſtatuas* Act.7,
illis hoc peccatum? 59.

46. A quo habent Sancti, quòd orent pro inimicis? Numquid ab eo qui dixit: *Ego autem dico vobis: Diligite ini-* Matth.
micos veſtros? Lex per Moyſen data 5,44.
eſt, qui dicit, *Diliges proximum tuum;* Ioan. 1,17.
gratia autem per Ieſum Chriſtum facta Leuit.
eſt. Sic facti ſumus à facie tua Domi- 19,18.
ne (inquit Propheta) *concepimus, &* Iſa.26,
quaſi parturiuimus, & peperimus ſpi- 17,18.
ritum. Pugnat cum corrupta & vitiata natura hoc præceptum, & ideò vix aliquis illud mandat executioni & parit, qui præuio conatu & labore non priùs enititur & parturit. Verùm non deſunt

deſunt Sancti in Eccleſia, à quibus
Iob 26, 13. *obſtetricante manu eius, eductus eſt coluber tortuoſus*; nimirum quo auctore
Matt. 5. dictum eſt antiquis, *Odio habebis inimicum tuum*: qui proinde ad exemplum S. Stephani hunc ſpiritum pariunt. Vnde fiet, quòd charitas creata increatam, humana diuinam, modo quodam loquendi vrgebit, vt audiat implorantem veniam pro eo à quo patitur iniuriam. Si iuſtitia ſe oppoſuerit,
Iſa. 66, 9. audiat quid Propheta ait: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem ceteris tribuo, ſterilis ero?* Cùm talem dilectionem & ſpiritum precum mei ex me obtinuerint, qua ratione ego ipſe ſterilis apparebo? In hoc fundatur efficacia orationũ, quas Maria & alij Sancti offerunt pro peccatoribus, qui acerbè affliguntur ex eo quòd Deus offendatur, & nihilominùs miſericorditer ſolliciti illis orant veniam, à quibus ſuſcipiunt pœnam. Vide hac de re *Tract.* IX. *Diſc.* XIV.

Matth. 23, 37. 47. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos*, &c. De vera obedientia, qua homo meretur Deum habere defenſorem ſub alis ſuæ protectionis, qui obedientes, quamuis à multis periculis immunes, tamen ne vel in minimo lædantur, plurium cuſtodiæ commendat. De qua re conſule *Tractatum* IV. *Diſc.* XIII.

Matth. 23, 38. 48. *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta.* De fidei externa profeſſione, quæ tempore & loco neceſſaria eſt ad ſalutem, in qua qui deficiunt, merentur vt ab auctore fidei relinquantur. Nam rebus ſacris indignus eſt, qui eis debitam reuerentiam exhibere negligit. Vide quæ de hac re habentur *Tract.* V. *Diſc.* V.

IN FESTO S. IOANNIS.

49. *Conuerſus Petrus vidit diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem.* Ioan. 21, 20. Ponderari hîc poteſt, gratiſſimum eſſe Deo, cùm quis ſpontaneè Filium eius ſequitur, quod virginum eſt, quibus ſufficit conſilium & Dei beneplacitum, dicente Paulo: *De Virginibus præceptum Domini non habeo.* 1. Cor. 7, 25. Ioannes non vocatus, & nullo præcepto coactus, ſecutus eſt Ieſum: paratum ſe exhibens ad nutum eius quem ſequebatur, non quia mandatum cogebat, ſed quia charitas vrgebat. *Placebit Domino ſuper vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas.* Pſalm. 68, 32. Hieron. Hieronymus legit *proferentem*, id eſt collum extendentem & adaptantem ſecuri, ac pedes funibus, &c. Omnia ſacrificia Deo accepta ſunt, verùm quę illi ex motu proprio offerimus, præ ceteris placent.

50. Exaggerauit manſuetudinem Chriſti Propheta, quando dicebat: *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os eius: ſicut ouis ad occiſionem ducetur.* Iſa. 53, 7. Verùm non ſatis eius charitatem hæc verba manifeſtant. Nam non expectauit vt duceretur aut traheretur, quin potiùs *exultauit vt gigas ad currendam viam.* Pſalm. 18, 6. Vnde factum eſt, cùm motu proprio aſcendit Ieroſolymam, vt conſummarentur omnia quæ ſcripta erant de Filio hominis, *præcedebat illos Ieſus* (Apoſtolos ſcilicet) *& ſtupebant, & ſequentes timebant.* Marc. 10, 32. Stupebant quòd *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Ioan. 1, 29. tam hilariter properabat ad carnificinam, vt quodammodò moræ impatiens præter conſuetudinem præcederet.

51. Hunc motu proprio ſequitur hodie Ioannes non vocatus. Idem

poſteà

poſteà intellexit dum eſſet exul in Patmos, feſtinandum eſſe ad crucem, quando nimirum inter alias reuelationes Angelus ex Dei mandato
Apoc. 1,1. *ſignificauit illi quæ oportet fieri citò.* His verbis ſignificatur, quòd ei reuelatæ ſint perſecutiones Chriſtianorum, & tribulationes volentium piè viuere in Chriſto Ieſu. Sed dubitant Expoſitores, quomodo hæc duo ſimul conueniant, cùm ſit iniuſtum, Sanctos & bonos opprimi & pati. Quomodo hoc oportet fieri iudicio eius qui iudicat in æquitate? Re-
Lyran. ſpondet noſter Lyranus: Oportet hoc fieri, quia procedit ex ordinatione Dei, quæ non poteſt fruſtrari. Sed hoc eſt petere principium. id enim quæritur, quo iure oportet aliquid fieri ex Dei ordinatione, quod videtur iniuſtum.

52. Reſponderi ergo poteſt, quòd Deus permittendo tribulationes & interfectiones Sanctorum, vtatur iure ſuo: quia ſic promouet Eccleſiam ſuam, quæ fecundatur ſanguine Martyrum,
Simile. ſicut hortus germinat per aquam qua rigatur. *Sicut enim planta rigata magis creſcunt*, inquit Chryſoſtomus,
Chryſoſt. quem citat Angelus Manriquez lib. 3. Diſcurſu 2. § 7. *ita & fides noſtra oppugnata magis floret, neque horti aquis irrigati ita germinant, vt Eccleſia ſi*
Simile. *Martyrum ſanguine irrigentur.* Sicut igitur Dominus ſine iniuria terræ eam perfodi curat, vt meatum procuret, quo aquæ fluminis aut fontis in hor-
Pſalm. 23,1. tum dilabantur: ita cùm *Domini eſt terra, & plenitudo eius*, permittit Petrum crucifigi, Paulum decollari, S. Sebaſtianum telis perfodi, Criſpinum & Criſpinianum crebrioribus ſubulis transfigi, vt eliquet ſanguinem, qui eſt ſemen Chriſtianorum. Etſi ad hunc effectum omnis ſanguis pro fide effuſus profit; tamen quantò quis illum magis voluntariè fundendum offert, tantò Chriſto gratior & ad fertilitatem Eccleſiæ efficacior eſt.

53. Ioannes Chriſtum ſequens non vocatus offert & profert humeros cruci, & collum iugulo. *Placebit igitur Deo ſuper vitulum nouellum.* Alia Pſalm. 68,32. eſt lectio Santis Pagnini, *Pulchrior erit Domino quàm bos.* Petrus vt ſenior boui, Ioannes verò vitulo nouello comparari poteſt. Hic pulchrior illo, quia aliquid ſenilis tarditatis notatur in Petro, non ſolùm quòd ſpontaneè non ſit ſecutus, ſed in eo maximè, quòd à Chriſto illi prædicatur naturalis tergiuerſatio in patiendo. *Alius* (inquit) *te cinget, & ducet quò tu non vis.* Ioannes igitur motu proprio ſe- Ioan. 21,18. quens, & ſe offerens vt vitulus nouellus proferens cornua, *pulchrior eſt quàm bos.*

54. *Vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem.* Ioannes et- Ioan. 21,20. iam præ ceteris dilectus fuit ob inſignem caſtitatem, propter quam virgines Deo chariores, carne ſteriles, Eccleſiæ tamen vtiles ſunt. Vide hac de re *Tract.* II. *Diſc.* XXVII.

55. *Qui recubuit in cœna ſuper pectus eius.* Ibidem. Qui terrena faſtidit & refutat in hac vita, vehementer ſitiens cæleſtia, vberiùs poſt mortem & citiùs guſtabit diuina. Nec perdunt miſericordiæ meritum voluntarij pauperes, nihil habentes quod tribuant; quandoquidem cum affectu compaſſionis multos locupletantes, omnibus ſubueniant. Vide hac de re *Tract.* VII. *Diſcurſum* III.

IN FESTO INNOCENTVM.

56. *Noluit conſolari.* Locus agendi de diſſolutione & immoderato riſu, Matth. 2,18. à quo

à quo ſe temperant humiles, cum metu & tremore ſalutem ſuam operantes. Qua de re datur occaſio dicendi *Tractatu* III. *Diſc.* XXVIII.

DOM. INFRA NATIVIT.

Lucæ 2,33. 57. *Erat pater eius & mater mirantes.* Iuſſus eſt olim Abraham Deo ſacrificium offerre de beſtijs terræ & auibus cæli. Gen. 15,9. *Sume mihi vaccam triennem* (inquit Deus) *& capram trimam, & arietem, turturem quoque & columbam*. Notat autem Auguſtinus Sermone 54. de Tempore, quòd ỷ. 10. Auguſt. *diuiſit ea per medium, & vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit; aues autem non diuiſit.* Rationem dat huius differentiæ, quia (inquit) *in Eccleſia Catholica carnales diuiduntur, ſpiritales omnino non diuiduntur.* Ambr. Ambroſius lib. 2. de Abraham ait: *Non ſunt diuiſi iuſti, quibus dicitur vt ſint ſimplices ſicut columba.*

58. Nota, quòd ſicut Deus concordes amat, maximè autem ſibi complacet, dum coniuges ſibi benè ſunt conſentientes, qui tunc optimè conueniunt inter ſe, quando perfectè ſubijciuntur vni Deo; ita omnes quidem diſcordes tamquam carnales odio habet, præ ceteris autem, ſi quos per iura connubij coniunxit, inter ſe diſſentiunt, illius amicitia priuantur. Summa fuit animorum conſenſio in benedicto & caſto illo matrimonio, quod inter Mariam & Ioſeph interceſſit. Lucæ 2,33. *Erat pater eius & mater mirantes*. ſimul orant, ſimul myſteria diuina meditantur, ſimul introducunt puerum ſecundùm conſuetudinem in templum, vt faciant pro eo ſecundùm legem Moyſi. Sic ferè in omnibus ſimul conueniunt. Rara eſt inter coniuges concordia: ſæpè enim magna inter eos, qui ſimul eſſe coguntur, conditionum & complexionum diſparitas inuenitur. vnde tribulationem carnis experiri eos neceſſe eſt. Si licita eſſet poſt experientiam moleſtæ diſſenſionis ſeparatio, foret tolerabile malum, ſed prohibetur ab eo qui ait: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Matth. 19,6. Qui ſegregant ſe, animales, ſpiritum non habentes, non ſunt à ſe inuicem diuiſi, quin coguntur manere oppoſiti. Vnde Abraham qui aues non diuiſit, vtraſque partes animalium *contra ſe altrinſecus poſuit.* Gen. 15,10. Vitam ducunt morte amariorem, qui animo diuiſi, per matrimonium in carne vna ſibi inuicem ſunt ſtudijs & voluntate contrarij. Propter hanc cauſam & alias matrimonij ærumnas de virginibus benè dixit Paulus virginum pronubus: *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium.* 1.Cor. 7,40. Nam virginitas liberat non ſolùm à tribulationibus carnis, ſed etiam ab importabili moleſtia, quam diſparitas conditionum inter coniuges cauſare ſolet. Conſule hac de re *Tractat.* II. *Diſcurſum* XXI.

59. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Lucæ 2,35. Magna eſt coniugum moleſtia, quæ oritur ex prole non ſolùm malæ, ſed etiam bonæ indolis. Non poteſt non grauiter ſentire parens, ſi quid illi ob probitatē ſingulariter amatæ ſiniſtri acciderit. Refert Ælianus Spartianus, Aelian. quòd cùm Seuerus hoſtilem iuuentutem parta victoria penitus interficiendam decreuiſſet, filius illius Geta rogauerit patrem, num adoleſcentes occidendi haberent parentes & propinquos. cùm verò illi reſponderetur, habere, & quidem quàm plurimos; *Plures ergo*, inquit, *in ciuitate triſtes futuri ſunt quam læti, quòd vicimus.* erat enim magnus iuuenum numerus. Valdè cordatum erat pueri dictum,

ctum, notantis & compatientis interemptorum filiorum deſolatis parentibus. Acerbus fuit gladius doloris qui pertranſiuit animam Virginis, intelligens dilectum Filium, cuius bonitatem apprehendebat, ſed non comprehendebat, poſitum vt ſignum cui contradiceretur à multis.

60. Maior eſt autem triſtitiæ ratio quam filiorum improbitas cauſat, qui non patiuntur ad meritum, ſed perpetrant mala ad ſuum interitum. *Filius ſapiens lætificat patrem, filius verò ſtultus mœſtitia eſt matris ſua.* Quid mirum, cùm etiam fortiſſimorum virorum corda diſſolutio prolium affligat. Ita ſenſit Cæſar Auguſtus Iuliæ filiæ ſuæ petulantias, vt mulierculaꝛum more dolorem lamento teſtaretur, inquit Eraſmus lib. 4. Apoph. verſu Homerico: Prou. 10, 1.

Eraſm. *O vtinam cælebs vixiſſem, orbuſque periſſem!*

Sciebat & ſentiebat, nuptis magnam educandæ prolis ſollicitudinem incumbere, à qua virgines & cælibes liberantur vt tranquilliùs viuant. Vide *Tract.* 11. *Diſcurſum* xx.

Lucæ. 2, 36. 61. *Quæ vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua.* Hîc datur occaſio refutandi eorum figmenta, qui perperàm probare conantur virginitatis impoſſibilitatem aut continentiæ difficultatem. qua de re latiùs agitur *Tract.* 11. *Diſcurſu* xxiv.

IN FESTO CIRCVMCISIONIS.

Lucæ 2, 21. 62. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Eodem die Filius Dei circumciditur, & Ieſus nominatur. Tunc verè ordinatione diuina coniuncta ſunt ima ſummis. Nam Ieſus eſt nomen Saluatoris, circumciſio verò teſſera peccatoris. Non potuit Chriſtus altiùs eleuari, quàm cùm appellatur Ieſus; nec profundiùs deiji, quàm dum circumciditur. Dixit per Prophetam: *Exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus.* Verè exaltatus per gloriam illius nominis, quod eſt ſuper omne nomen, in quo omne genu flectitur; humiliatus autem & conturbatus, id eſt confuſus, vt dicit Gloſſa ordinaria, propter circumciſionem, quæ non eſt aliud quàm ſignaculum peccatoris. Pſalm. 87, 16. Gloſſa ordin.

63. Nemo veriùs Filio Dei compleuit illud Sapientis, qui monet vt homo ſemper reſpiciat ad aliquid quod deprimit & ſuam vilitatem teſtatur, ne per gloriam & honorem ſibi exhibitum euaneſcat, dicens: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Magna gloria Chriſto exhibita fuit in vita ſua, ſed illam obfuſcauit ſemper hæc nota peccatoris. Eligitur quis & honoratur à Rege præfecturâ alicuius prouinciæ, ſed ipſo electionis ſuæ die, vrgente eiuſdem Regis imperio, in cataſta collocatur, & palo numellario alligatus, omnibus proponitur deridendus, tamquam conuictus de furto aut alio ſcelere quod perpetuam inurit infamiam. Meritò is poſteà inter Principes illius prouinciæ conuerſando, in omnibus modeſtè & ſubmiſsè ſe habebit, ne ſi inſolentiùs contra aliquem ſe erexerit, obiectione præteriti criminis retundatur. Eccli. 3, 20. Simile.

64. Chriſtus Filius Dei hodie præficitur cæleſtium, terreſtrium & infernorum prouincijs, cuius nomini omne genu flecti debet: ſed, Patre iubente, & quidem ipſo die inditi nominis glorioſi, illi inuritur infamia peccati. Verum eſt, abſque culpa fuit, non tamen ideò liber à pœna, quam acerbiſſimè ſenſit propter *ſimilitudinem carnis peccati.* Vnde eiuſdem recordatio venerabilem illius faciem rubore perfudit. Rom. 8, 3.

Pſalm. 43,16. fudit. *Et verecundia mea* (inquit) *contra me eſt ſemper.* Nam *quæ non rapui, tunc exoluebam.* Pſalm. 68,5. *Non peccaui, & pœnas dedi*, dicit Gloſſa interlin. Actus in cataſtam, & palo numellario alligatus, pro raptoribus ſatisfeci. *Parentes* Auguſt. *noſtri*, inquit Auguſtinus, *rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt felicitatem*. Illi igitur rapuerunt, ſed Chriſtus perſoluit.

65. Hac infamia maculatus Chriſtus Dominus, coram Principibus, qui glorioſo nomini Ieſu genuflectebant, humiliatum & confuſum ſe exhibuit. Et quidem inter homines conuerſari, qui criminis rei erant, cuius ille falſa opinione ſolùm grauabatur, moleſtiam quidem cauſabat, quam tamen ſuperauit, nec ſe illis ſubduxit, quin potiùs, ſecundùm Prophetam, Baruch 3,38. *poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Maiorem pœnam intuliſſet immaculatæ ſuæ Matris puritas, niſi eam temperaſſet eiuſdem humilitas, qua & ipſa inſtar peccatricis ſe ſubiecit legi purificationis. Summam verò confuſionem paſſus eſt, cùm cæleſtibus Principibus adeſſe cogebatur: qui nec reatu nec ſuſpicione alicuius commiſſi criminis notantur, quamuis eum honorabant, imò & miniſtrabant in terris, quem verum Deum etiam adorabant in cælis.

Simile. 66. Si honeſta virgo cruciatur, eò quòd fama non ſit verita de ipſa mentiri; multò magis verecundabitur, ſi per indicia iuridica, in publico tribunali incontinentiæ & defloratæ virginitatis conuicta ſit. Chriſtus Dominus per ſuſceptionem circumciſionis, iure, & quidem diuino, quo inſtituta erat in remedium, conuinci potuit, ſi non commiſſi peccati actualis, ſaltem admiſſi originalis. Hinc fit, quòd etſi illius notam delere conatus ſit cùm diceret, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8,46. huius tamen immunitatem ſuſceptione remedij eius humiliter diſſimulauerit.

67. Non erant rei obiecti criminis filij Iacob, tamen ſcyphus Ioſeph in ſacco Beniamini repertus, & apparentia iniquitatis, quæ inde ſequebatur, ita omnium ora oppilauit, vt Iudas diceret: *Quid reſpondebimus domino meo?* Gen. 44,16. *vel quid loquemur, aut iuſtè poterimus obtendere? Deus inuenit iniquitatem ſeruorum tuorum; en omnes ſerui ſumus domini mei, & nos, & apud quem inuentus eſt ſcyphus.*

68. Eodem modo Chriſtus Dominus *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe* Phil. 2,6. *æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Non ſufficit ei forma ſerui, quin per circumciſionem aſſumeret ſimilitudinem rei vt eum abſolueret. Vnde Paulus ait: *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem* Rom. 8,3. *carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne,* &c. Propter hanc peccati formam, coram Principibus humiliatus & confuſus fuit. vnde verè ait Dauid: *Minuiſti* Pſalm. 8,6. *eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Non tantùm quia paſſibilis & mortalis fuit, minor Angelis appellatur, ſed præcipuè quòd cauterium circumciſionis illi innocenti quidem & impolluto inuſtum, peccato infectis annumerauit. *Simile.* Secundùm exteriorem opinionem, cauterium non ſolùm eſt ſignum præcedentis infirmitatis, ſed etiã ſi ſano corpori impreſſum fuerit, cauſa erit alicuius irreparabilis deformitatis. *Simile.* Si pannus pretioſus, purpura aut byſſus, mordaci lixiuio intincta lauetur, aliquid ſplendoris deperdet, etſi nulla macula abluenda præceſſerat.

Digitized by Google

Chriſtus minutus eſt ſaltem ſecundùm ſpeciem, quia circumciſus & quaſi immundus totus fuit; Angeli autem nihil horum paſſi ſunt.

69. Erubuit igitur Filius Dei coram Angelis, qui omnes ſunt integri nominis, conſiderans ſuo honori non parum fore detractum per circumciſionem, quæ eſt læſæ famæ ſignaculum. Etſi non potuit eſſe, voluit tamen peccator apparere, non eo modo quo homines, quibus facta eſt frons meretricis, & nolunt de ſumma infamia erubeſcere; ſed tamquam humilitatis exemplar, qua ſe demiſit vſque ad maximam peccati ignominiam, vt eos redimeret, qui propter illud exules cæ-
Ioan. 12,32. li facti ſunt. *Cùm exaltatus fuero à terra* (inquit Saluator) *omnia traham ad meipſum.* Sed meritò omnes trahimur ad infantulum circumciſum, qui ſicut ſummum dolorem paſſus eſt, quando in cruce vir dolorum ſciens
Thren. 1,12. infirmitatem, ad omnes clamauit: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* ita ſub acuto lapide puer octo dierum maiorem verecundiam ſenſit, propter faciem peccatoris quam tunc aſſumebat.

70. In cruce non erat Chriſto ſpecies neque decor, in circumciſione ſpecioſus forma præ filijs hominum apparuit. In cruce erubuit propter verecundam nuditatem, quam maximè paſſus eſt in circumciſione, quando, & quidem præcipuè, verecundabatur propter carnis peccati ſimilitudinem.
Litofrond. *Nulla pulchra facies* (inquit Litofrondius) *in qua verecundia & honeſtas non*
Marius Echico. *reſplendeat.* Hinc etiam Echicola teſtatur de natura amoris, quòd *pulchritudo vel eſt ipſa verecundia vel quidpiam miſtum ex ipſa & alijs venuſtatibus.* Errant igitur leuiculæ noſtræ, quæ violento conatu ſe opponunt honeſtæ indoli, quæ pulchras illarum facies virgineo pudore magis gratioſas reddere conantur.

71. Saluator noſter, dum propter nos homines circumciſus verecundatur, deuotis animabus vbique formoſus pulchrior videtur. *Oleum effuſum nomen tuum* (dicit ſponſa) *ideò* Cant. 1,2.
adoleſcentulæ dilexerunt te. Tunc effuſum eſt nomen eius ſicut oleum, quando ex circumciſione Ieſus nominatur, & per verecundiam ſe magis amabilem exhibuit & pulchrum. Mirum autem, quòd adoleſcentulæ non vereantur excellentiam nominis illius, cùm ſcriptum ſit, *Sanctum & terribile no-* Pſalm.
men eius. Sed notandum eſt, quòd 110,9.
exaltatus humiliatus ſit. Ad cuius imitationem etiam Sancti ſubinde laudem admittunt ad gloriam Dei & aliorum profectum; non tamen ideò humilitatem amittunt ad proprium defectum. qua de re agitur *Tract.* III. *Diſcurſu* XI.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

72. *Ecce Magi venerunt Ieroſoly-* Matth.
mam. Viſa ſtella mouentur, vt Deo 2,1.
interiùs inſpiranti cedant. Multi autem ſunt qui Spiritui ſancto reſiſtunt.
A ſæculo confregiſti iugum meum Ierem.
(dicitur quibuſdam obſtinatis) *rupiſti* 2,20.
vincula mea, & dixiſti, Non ſeruiam. Impia fortitudo reſiſtendi Deo prouenit ex defectu amoris; amor enim fortes debilitat, ne amato ſe opponant.
Quo modo tu dicis quòd amas me, &c. Iudic.
dicebat Dalila ad Samſonem, videns 16,15.
qua facilitate rumperet vincula quibus illum ligauerat. Ac ſi dicat: Clarum eſt, ſi me amares, fortitudinem mihi reſiſtendi & funes ac neruos rumpendi, quibus te vinciui, non retineres.

tineres. Magi igitur, qui tam facilè acquieſcunt vocanti & inuitanti, certum eſt quòd coniecerunt pedes ſuos in compedes amoris Dei.

Matth. 2, 2. 73. *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Sicut ſtella mouit Magos ad inquirendum Ieſum, ita Maria maris ſtella, & alij Sancti, qui *fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*, (Dan. 12, 3.) non ſolùm debent à nobis videri, ſed neceſſe eſt vt eos antecedentes ſequamur, proficiendo de virtute in virtutem, vſque dum intrantes inueniamus Ieſum cum Maria matre eius, & procidentes adoremus, & miſericordias Domini in æternum cantemus. Lege quæ tibi hac de re ſuppeditat *Tract.* III. *Diſc.* I.

Matth. 2, 11. 74. *Procidentes adorauerunt eum.* Occaſione Magorum qui Chriſtum adorantes ſe in terram deijciunt, agi poterit de peccatore ad Deum conuerſo, qui coram eo humiliter procidens in confeſſione, eidem reddit gloriam ſuam, quam præ omnibus zelat, qui vt ſuos conſeruet à tumore ſuperbiæ, permittit eos tentationibus impugnari & vileſcere. qua de re vide *Tract.* III. *Diſc.* VII.

DOM. I. POST EPIPHAN.

Lucæ 2, 42. 75. *Aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti*, &c. Feſtum illud celebratum fuit in memoriam & gratiarum actionem, quòd Deus in manu forti & brachio extento Iſraëlitas à tyrannide Pharaonis & dura ſeruitute Ægyptiaca exemerat. Cuius occaſione poteris diſſerere de gratitudine, quam Deo debemus, per cuius miſericordiam liberati ſumus de periculis & malis præteritis, vnde nobis aperuit ſpem quòd eamdem continuabit, ne ſuccumbamus imminentibus & futuris. de qua re vide *Tract.* VI. *Diſc.* VI.

Lucæ 2, 44. 76. *Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu.* Hìc notandum occurrit, quòd modeſta mulierum à conſortio virorum ſegregatio occaſionem præbuit Chriſto remanendi in Ieruſalem, inſcijs parentibus ſuis. Hìc igitur agi poteſt de cautela ad illibatam caſtimoniam neceſſaria declinandi inutilem neceſſitudinem & familiaritatem perſonarum alterius ſexus. Hac de re materiam adminiſtrat *Tract.* II. *Diſcurſus* X.

Ibid. 77. *Requirebant eum inter cognatos & notos.* Maria fruſtrà Filium quæſiuit inter notos & cognatos. Non concluditur cæleſtis ſponſus priuatis priuatorum parentum vel conſanguineorum domibus. Errabat ſponſa cùm diceret: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ.* (Cant. 3, 4.) Non erat memor verborum ſui dilecti, quibus quæ loca ſibi grata ſunt, & vbi velit cum ſponſa conuerſari, manifeſtauerat, dicens: *Ego flos campi.* (Cant. 2, 1. *Simile.*) Non creſcit, ſed flacceſcit flos inter homines. Ad ſeparatum locum pergat à domo patris, & è cognatione ſua recedat, quæ delectari vult in Domino. Non ex tumultu populari reuertebatur anima, cuius familiaritatem cum cæleſti ſponſo notabant & ſtupebant Angeli dicentes: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* (Cant. 8, 5.) Nota, *quæ aſcendit de deſerto.*

78. Sponſus terret dilectam à noxia cum creaturis conuerſatione, & inutili euagatione, exemplo Euæ. *Sub arbore malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* (Ibid.) Chriſtus in cruce pendens, dilectam peccato mortuam, & tenebris ignorantiæ ſepultam ſuſcitauit, quæ per originale

peccatum particeps fuit corruptionis, quam communis humani generis mater Eua ſub arbore otioſè euagando & pernicioſè cum ſerpente conuerſando, in omnes transfudit. Corrupta fuit Eua dum pomo vetito veſcitur, inquit
DelRio Del Rio, & quidem ſub *arbore malo*; mali autem nomine omne lignum fructiferum ſignificatur.

79. Perit ſponſa dilectum ſuum ab omnibus ſeparatum foris extra domum paternam. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat?* Sed quare non pergis ad domum eius, ſi amore illius capta es? Reſponderet, quia amore capta ſum, ideò niſi ſola eum ſolo conuerſer, amoris blandimenta non libenter oſtenderem. Vt ordinaria commercia alijs præſentibus fiant, conſuetudines ferunt, ſed quomodo virgo dilecto adblandiri præſumet inter parentes & conſanguineos conſtituto? Cant. 8, 1. Simile.

80. Lyranus noſter hæc verba percommodo commentario elucidans, ſecundùm antiquam lectionem, quæ etiam fuit Vatabli, legit, *vt inueniam te ſolum* foris. Per hanc dictionem *ſolum* non excluditur Pater & Spiritus ſanctus, quia tres perſonæ adorantur vna adoratione, quarum vna eſt diuinitas. Significat igitur ſponſa Chriſti, quòd illum optet ſeparatum. Vnde etiam fit, vt ſi deuota anima alibi in conſortio hominum conſtituta, præſenſerit internam ſponſi motionem, & præambula alicuius ſpiritualis guſtus, vt blandienti blandimentis reſpondere liberè poſſit, ſurgit, & eum S. Franciſco quærit ſolitaria loca, apta mœroribus & deuotis aſpirationibus. Quod cùm ita ſit, non debet mirari, ſi etiam ſponſus illam ſolam deſideret, quem mater illius fruſtrà quæſiuit inter notos & cognatos.

81. *Inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem eos.* Occaſione horum verborum, ex quibus patet, Chriſtum humiliter audiuiſſe, & inſtar erudiendi interrogaſſe, agere poteris de humilium & ſapientum taciturnitate, & prudenti loquendi circumſpectione, qui malunt interrogando ignari, quàm docendo verboſi apparere. Cùm autem in præſenti Euangelio quædam habeantur vnde Maria videri poſſet laboraſſe culpabili ignorantia, probatur quidem in illa fuiſſe quarumdam rerum neſcientiam, verùm illius prudentiæ nullam ignorantiam (quam vocant prauæ diſpoſitionis) fuiſſe admiſtam. Qua de re agitur *Tract.* 1. *Diſc.* x. Lucæ 2, 46.

82. *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Locus diſſerendi de acerbo dolore, quem ſenſit Virgo triduo illo quo remanſit puer benedictus in Ieruſalem. quæ cùm illo amiſſo nihil omnino ſe retinuiſſe arbitrata eſt, qui ſe inſcijs parentibus ſubduxit, ſingularis patientiæ materiam eis præbuit. Vide *Tract.* VIII. *Diſc.* 1. Luc. 2, 48.

83. *Quid eſt quòd me quærebàtis?* Etſi tenerrimus fuit amor, nihilominùs ſermo Chriſti ad matrem vbique apparet maturior. Vnde docemur, quòd etiam blandimenta verborum declinare debeant, qui cum perſonis alterius ſexus prætextu neceſſitatis aut ſpiritualis profectus agunt. de quo habetur *Tract.* II. *Diſc.* XII. Luc. 2, 49.

DOM. II. POST EPIPHAN.

84. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Hìc datur occaſio diſſerendi de nuptijs ſpiritualibus, quas ſtultè diſfert Ioan. 2, 1.

fert peccator, qui conuerſionem ſuam procraſtinans, eam futuro & incerto tempori reſeruat. Eodem modo virgo ad Religionem vocata, imprudenter inſpiratas nuptias negligit, quas tandem, amiſſo ætatis flore, fruſtrà emendicabit. Agitur de hac materia *Tractatu* 1. *Diſc.* xxv.

Ioan. 2,2. 85. *Erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius, ad nuptias.* Cùm Deo non ſit grata virginitas, ſi abſit humilitas, ne virgines propter ſtatus ſui excellentiam inſoleſcant, & eos qui non ſunt per ſuperbiam contemnant, Regina virginum nuptias ſua præſentia, & Chriſtus earumdem ſponſus miraculo, ac tandem diſcipuli illius ſuo conſortio honorant.
Prou. 17,16. *Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam: & qui euitat diſcere, incidet in mala.* Ne hoc contingat virginibus, quæ ex vi ſtatus ſui præferuntur nuptis, numquam excidat memoria monitio erudientis ſponſi, qui omnibus, præſertim autem virginibus, humilitatis lectionem dictauit, dicens:
Matth. 11,29. *Diſcite à me quia mitis,* &c.

86. Omnis ſuperbia Deo inuiſa eſt, maximè autem ea quæ ex continentia aut virginitate pullulat, vtpote quæ præ ceteris virtutibus ex ſingulari gratia eius, à quo eſt omne datum optimum, homini ex cælo deſcendat: atque adeò omnes fateri cogantur cum illo qui aiebat:
Sap. 8, 21. *Sciui, quia aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum.* Qui igitur propter hanc virtutem ambulat in magnis,
1. Cor. 4,7. meritò ſibi dici exiſtimet, *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Ceterùm qui dedit, etiam conſeruat. vnde
Bernar. Bernardus Serm. de Ablutione pedum ait: *Si quis veſtrûm non tam ſæpè modò, nec tam acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidia, luxuriæ,* &c. *gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.*
Simile. Certè intolerabilis eſſet illius ingratitudo & ſuperbia, qui inordinata & nimia erectione murorum & parietum domus ſuæ, benigno vicino aëris ſerenitatem & lucem Solis præcluderet, qui, cùm domus ſua flagraret, nihil non fecit vt incendium extingueret. cui cum aqua præſtò non eſſet ex mora vicini, domicilium periclitari cognoſcens, non pepercit pretioſo vino penuarij ſui, imò, illo deficiente, ſectis ſibi multis venis ſanguine hauſto & exhauſto proprij corporis, incendium extinxit. Quis feret ſuperbiam tuam, qua Chriſti gloriam & charitatem ex dono illius ſuperbiens obfuſcas, cuius ſanguine in te ſedatur
Zach. 9,17. libidinis ardor, qui tibi propinat *vinum germinans virgines?* Caueant igitur, ne ſe alijs præferant, & ne in alio quàm in Domino glorientur. Conſule hac de re *Tract.* 11. *Diſc.* xxxiii.

Ioan. 2,3. 87. *Deficiente vino, dicit mater eius, Vinum non habent.* Locus commendandi moderatum vini vſum: qui enim in abdicatione minoris voluptatis Deo infidelis eſt, vſurpando maiorem, impium ſe exhibebit. vnde fiet, vt qui vino inebriatur, facilè per luxuriam carnis mancipium euadat. Vide *Tract.* 11. *Diſc.* xiii.

Ibid. 88. *Vinum non habent.* Hîc datur occaſio amplificandi pietatem Mariæ Virginis, quæ ad imitationem Dei ſollicita eſt, non ſolùm vt ſui deuoti liberentur à malis, ſed etiam anteuertit & auertit ea in quæ impegiſſent. vnde in his nuptijs ſic deficiente vino interceſſit, vt defectum eius actualem præueniret. Qua de re materiam inuenies *Tract.* ix. *Diſc.* 1.

89. *Vi-*

Ioan. 2,9. 89. *Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factum.* Notandum hîc occurrit, quòd Maria nihil petens efficaciter impetrauerit. Deus enim conſueuit illis, qui collata beneficia ad illius gloriam per gratiarum actionem referunt, noua & non poſtulata conferre, vt patet ex ijs quæ habes *Tractatu* VI. *Diſc.* II.

Ioan. 2,4. 90. *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Vt Chriſtus modeſtiæ matris ſuæ morem gerat, nec publico præconio aut notorio miraculo ab illa in hac vita perpetrato eamdem illuſtrari voluit, quin potiùs obſcuriori titulo & vulgari nomine mulieris humiliaſſe viſus eſt. Vt enim reprobi, dum viuunt, affectant celebrari, ita ſancti & electi Dei amant neſciri. Vide quæ hac de re tibi ſubminiſtrat *Tract.* III. *Diſc.* IV.

DOM. III. POST EPIPHAN.

Matth. 8,7. 91. *Ego veniam & curabo eum.* Locus probans ex mente Chriſti, pauperes diuitibus eſſe præferendos: à quo Regulus pro filio morituro ſupplicans aliquoties repulſam paſſus, Centurio autem pro ſeruo ſollicitus, eiuſdem prompta futuræ curationis promiſſione conſolatus eſt. Radiolus aliquis huius Euangelicæ & Chriſtianæ veritatis Senecæ intellectum illuſtraſſe videtur, dum terrena contemnenda eſſe docet. *Qua non ſunt laudanda* (inquit) *quia concupiſcuntur, ſed quia laudata ſunt, appetuntur.* Qui alicubi ſcripſit ſententiam Chriſtiano dignam, nimirum: *Neminem illo digniorem eſſe Deo, qui opes contempſit.* Idem iudicium nobis reliquit, qui non modò Chriſtiano nomine felix, ſed etiam Apoſtolico clarus fuit. *Audite fratres dilectiſſimi, nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo?* Hoc de pauperibus intellige, qui diuitias non amant ſi poſſident, aut non appetunt ſi carent: in quorum numero fuiſſe videntur Centurio ſupplicans, & ſeruus eius decumbens. Nam ſi ille inordinatè amaſſet, non tam liberaliter eas fuiſſet elargitus, vt eo nomine dignus habitus ſit à Iudæis, cui Chriſtus præſtaret quod petebat. *Dignus eſt* (inquiunt) *vt hoc illi præſtes. diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis.* vnde apparet, quod diuitias, quas poſſidebat, inordinatè non amabat.

(Seneca. — Iacob. 2,5. — Luc. 7,4. & 5.)

92. Quòd autem ſeruus, qui carebat, nimio deſiderio in eas non ferebatur, ex affectu Centurionis quo illum ſanũ optabat, videtur probabile, cui totius domus adminiſtrationem & bonorum ſuorum diſtributionem fortè concredidit, ex quorum fideli contrectatione magni illum faciebat. Vnde Euangeliſta teſtatur, quòd ſeruus eius malè habens *erat moriturus, qui illi erat pretioſus.* Lucæ 7,2.

93. Sicut apud homines iniuſtè pauperes rebus hoc ipſo quòd tales ſunt, nulla habita ratione internæ bonitatis aut probitatis, contemnuntur, ita indigni cenſentur honore apud Deum, niſi adſit aliquis paupertatis affectus. Ceterùm grauiùs errant & Deum offendunt, qui ob ſolas diuitias externas aliquem pauperi præponendum eſſe putant. Vnde Iacobus taxat illos iniquitatis, qui diuitem purpura fortè & ſtola candida indutum honorifico accubitu dignatur, paupere interim ſtante aut humi ſedente, dicens: *Facti eſtis iudices cogitationum iniquarum.* Certè iniqua eſt cogitatio, & Iacob. 2,4. perniciofum iudicium eorum, qui tacitè ſecum ratiocinantur, *quòd diues tantò paupere ſit melior* (inquit Hieronymus in c. 5. Iſaiæ) *quantò eſt ditior.* Hieron. *Incongruus eſt ſermo* (ait Epictetus) Epict.

Ego

Simile. *Ego ſum ditior te, ergo te melior.* Vt enim imbecillis & ignauus miles non fit animoſus & fortior, quia fortè cum gladio plura alia armorum genera ei appenſa ſunt, quàm vnus Dauid v. g. qui cum baculo & quinque lapidibus Goliath, aut Samſon aliquis, qui mandibula aſinæ multos proſtrauit. Nec ille doctus cenſeri debet, qui etſi prima alphabeti elementa ignoret, ſaccum doctiſſimis ſcriptis turgidū vbique circumferat, quem proinde iniuſtè quis præferret S. Antonio de Padua, qui Pontificio præconio arca vtriuſque Teſtamenti (quòd totam Scripturam ſacram memoria teneret) appellatus eſt. Ita perperàm mundani propter diuitias quæ circumſtant & adiunt, & non potiùs ob virtutes quæ informant & inſunt, honores decernere ſolent.

94. Meritò iniquæ vocantur talium cogitationes: longè enim abſunt à cogitationibus Dei, quæ ſunt regula omnium æquitatis & iuſtitiæ, apud quem cupidi diuites vileſcunt, quos pauperibus poſtponit, vt patet ex ijs quæ habentur *Tract.* VII. *Diſc.* XXII.

Matth. 8,9. 95. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit*, &c. De vera obedientia, qua ſubditus in Prælato Deum reſpiciens, meretur ab eo & creaturis eius iuuari, vt ardua quæ imponuntur, hilariter perficiat. Conſule hac de re *Tract.* IV. *Diſcurſum* VII.

DOM. IV. POST EPIPHAN.

Matth. 8,24. 96. *Ecce motus magnus factus eſt in mari*, &c. *ipſe verò dormiebat*. Pacifici Deo locum parant, dicente Propheta: *Factus eſt in pace locus eius*; cui
Pſalm. 75,3. tribulati, & qui fortes facti ſunt in bello, dormitorium & lectum ſternunt, & ſecurè dormienti excubias agunt: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael.* Cant. 3,7. Fortiſſimi ſunt in Eccleſia Dei, qui ſatagunt, vt per bona opera certam ſuam vocationem & electionem faciant, & nihilominùs magnas tribulationes æquo animo ferunt. Minùs periclitantur de ſalute ſua tribulati, quàm conſolati. Hinc Chriſtus, qui ſæpè pernoctauit in oratione Dei, pro ijs qui ex nimia ſecuritate periclitabantur, quietè dormiebat, dum Apoſtoli magna tempeſtate iactati valdè timebant. Qua de re agitur *Tract.* x. *Diſcurſu* III.

97. *Acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum dicentes: Domine, ſalua nos, perimus.* Matth. 8,25. Vult Deus non ſolùm à ſuis amari, ſed etiam fidelitatis & amoris indicia ac blandimenta ſibi ab ipſis exhiberi, ideò mala permittit, aut etiam ſubinde immittit, quorum terrore concuſſi ad illum confugiant. Vide quæ habentur *Tract.* II. *Diſc.* XXXIV.

98. *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Matth. 8,26. Benè dixit Dauid: *Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in Principibus.* Pſ. 117, 8.9. Electiua coniunctio eſt, inquit Haymon, & illud, Haym. cui coniungitur, proſus innuit eſſe auferendum. Indicat igitur, in homine nullo modo eſſe confidendum, imò nec in Principibus ſpem ſalutis collocari debere. Per Principes intelligit Auguſtinus Angelos, qui principes vocantur in Scriptura. vnde dicitur: *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore eleuans pauperem; vt collocet eum cum Principibus, cum Principibus*, &c. Pſalm. 112,7. *Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus: & ecce Michaël vnus de Principibus primis venit* Dan. 10,13. in

Digitized by Google

Pſalm. 67,26. *in adiutorium meum.* item: *Praeuenerunt Principes coniuncti pſallentibus.* Hoc titulo honoratur etiam viri Apoſtolici, de quibus dictum eſt: Pſalm. 44,17. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Pſalm. 46,10. item: *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham.* In his non eſt ſpes ſalutis vltimatè ponenda: nam, vt ait Gloſſa ordinaria, Gloſſa ordin. *cùm videntur iuuare homo vel Angelus, ille per eos hoc facit, qui eos pro modo eorum bonos facit.*

99. Nota, non tantùm inanis, ſed aliquando eſt fallax & deceptoria ſpes quam quis in homine ponit. Vnde Dauid per experientiam edoctus, ſupradictam monitionem nobis reliquit propter infidelitatem Ceilitarum, ad quos confugiebat, in eorum patrocinio confidens, eò quòd ciuitatem ipſorum ab hoſtibus liberauerat; qui omnibus his non obſtantibus, eumdem Sauli tradidiſſent, niſi ex praemonitione Dei fugam iniiſſet, vt clarè 1. Reg. 23. conſtat ex ijs quae habentur 1. Reg. 23. Idem etiam accepit malum pro bono à Principibus duodecim tribuum Iſraël, qui relicto Dauide adhaeſerunt perduelli Abſaloni, vt notauit Lyranus noſter in Pſalm. 117. Vnde idem Pſalm. 145,2. & 3. Dauid alibi meritò monet: *Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* N[illegible], vt ait Greg. Gregorius lib. 22 Moral. cap. 1. *ſpem in creatura ponere, eſt de Deo deſperare.*

100. Deus, qui diues eſt in miſericordia, aegerrimè fert, ſi quis diſſidens defectus aut inopiae illum arguat, dicens cum Cain: Gen. 4,13. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Tanta eſt hominum ſuperbia, vt aegrè ferant, ſi quis eos vt pauperes contemnat, à quibus etiam pauperrimus vix obulum extorquere poteſt. Simile. Iuſtiori titulo Deus iraſcitur, ſi quaſi pauper contemnatur, qui nullum ſperantem in ſe dimiſit vmquam inanem. *In te ſperauerunt patres noſtri* (inquit Dauid) *ſperauerunt, & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.* Pſ. 21,5. & 6.

101. Si aliquod eſſet peccatum, quod ita clauderet viſcera miſericordiae Dei noſtri, qui viſitauit nos oriens ex alto, vt reſipiſcentia peccatoris ea aperire non poſſet, videtur quòd diffidentia de miſericordia eius prae ceteris rem hanc alioquin impoſſibilem praeſumeret attentare. Multa mala commiſerant Iſraëlitae, quibus tamen ſpecialiter minatur opprobrium ſuae diffidentiae. *Iudicabit Dominus populum ſuum,* dicit Moyſes, &c. *& dicet: Vbi ſunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam,* &c. *ſurgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant.* Deut. 32,36. 37.38. Quibus verbis inducuntur, ac ſi ad illum clamarent, quos tam duriter repellit, quia in alio quàm in ipſo ſpem ſuam collocarunt. Sordidus pauper qui oſtiatim mendicat, communiter menſa Spiritus ſancti & diſtributione, quae fit occultis egenis domi honeſtiùs latitantibus, indignus iudicatur. O homo ne ponas in alio ſpem tuam, ſi non vis à Deo pati repulſam. Simile. Non ignorant Sancti per defectum fiduciae Deum ab hominibus maximè prouocari ad iracundiam, ideò, ceteris peccatis omiſſis, hanc maximè in damnatis notabunt, dicentes: *Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum.* Pſalm. 51,9. Non dicunt, Ecce homo qui Deum nō amauit, coluit, credidit, &c. aut qui Deum blaſphemauit, negauit, &c. ſed, Ecce homo qui in alio ſperauit, & per conſequens de Deo deſperauit. Patientia in tribulatione in nobis ſpem operatur, ad quam reſpicit

cit Deus, vt ſecundùm eius proportionem minorem vel maiorem tribuat miſericordiam, qui Apoſtolos tempeſtate iactos nimij timoris & modicæ fidei arguit. De hac materia inuenies *Tract.* VIII. *Diſc.* XVII.

DOM. V.ª POST EPIPHAN.

Matth. 13,25. 102. *Superſeminauit zizania in medio tritici.* Serui Dei comparantur tritico, non quidem conſeruato in horreo, ſed ſeminato in terra, in qua multiplicari debet, vt poſt hanc vitam dicatur meſſoribus: *Triticum autem congregate in horreum meum.* Nunc igitur *ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* Poſtquam hoc granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum adferet. Homo enim per ſuam humiliationem cadens in terram, & ſeipſum in omnibus mortificans, non manebit ſolus, ſed producet fructus bonorum operum, ex quibus lætabitur in futura vita, ſicut qui lætantur in meſſe, quia *beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos.* Siquidem qui ſeipſos mortificando ſeminarunt in lacrymis, lætabuntur ſicut qui lætantur in meſſe. *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*, inquit Propheta.

Matth. 13,30. 1. Cor. 15.42. 43. & 44. Ioan. 12,25. Apoc. 14,13. Pſalm. 125,6.

103. Beati igitur, qui inſtar grani frumenti in terram lapſi & mortificati, pro fructibus bonorum operum ſolliciti ſunt, vnde tandem ad vitam pertingant æternam. Stulti proinde ſunt, qui ſtudioſè ſeipſos conſeruant à pluuia & niue, à frigore & tempeſtate, à calore & æſtu, nec volunt humiliter cadere in terram, ſed per ſuperbiam cunctis præeminere. Nam inde fit quòd non fructificent, Chriſto teſte qui ait: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.* dicit autem Sapiens: *Væ ſoli; quia cùm ceciderit, non habet ſubleuantem ſe.* Quod etſi ad litteram intelligi debeat de eo qui in hac vita humano ſubſidio & conſortio deſtitutus eſt, tamen etiam accommodari poteſt ei, qui non præmiſit fructus bonorum operum, à quibus in reſurrectione honoretur, & glorioſè erigatur.

Ioan. 12,24. & 25. Eccle. 4,10.

104. Solent militum præfecti arma defenſiua telis & bombardarum glandibus impenetrabilia geſtare, quorum pondere preſſi ſi in terram lapſi fuerint, ſe ſolo ſurgere nequeunt. Hinc fit quòd ſemper ſtipati incedant aliquot militibus, quibus hoc ſpecialiter incumbit, vt ſi per hoſtilem impetum fortè in terram prolabantur, ſtatim adhibito omni conatu eos erigant. Hoc modo factum fuiſſe La-Borlotio, in re militari quondam famoſiſſimo, memoria tenemus, qui vt militem animaret, & aciem meliùs dirigeret, non ſolùm adeſſe, ſed & intereſſe voluit perplexis & bellicis machinationibus; & vt diutiùs militiæ ſeruaretur (qui ſolus, ſi non vt olim Dauid, pro decem millibus, ſaltem pro multis erat) impenetrabile ferrum vſque ad talos indutus, ſine præiudicio animoſæ fortitudinis contra ignauorum eminus iaculantium ictus pondere eius grauatus eſſe ſolebat. In noſtra militia Chriſtiana qui præ ceteris ignaui ſunt, ſe contra omnia incommoda huius vitæ muniunt. Contra frigus induti duplicibus, contra mundi contemptum, ſi fieri poſſet, ſingulis ſeptimanis mutatorijs circumamicti apparent, ſollicitè Simile.

curantes, ne ieiunium eos extenuet, in cuius fraudem (ſi fortè contemptum eius apertè profiteri verentur) in prandio ita ſe ingurgitant, vt in cœna non ſit pœnalis, ſed potiùs medicinalis abſtinentia. Porrò hi ita armati, tandem ex generali hoſtis impetu in terram proſternentur per mortem : *Stimulus enim peccati mors*. Sed quia in hac vita, vt verum granum frumenti nec humiliari nec mortificari voluerunt, tunc ſoli relicti non inuenient ſubleuantem ſe. ***Quoniam non reſurgent impij in iudicio, neque peccatores in conſilio iuſtorum.*** O miſeros! qui tam ſtultè ſe ſubtrahunt mortificationi, cui multiplicatio promiſſa eſt, eligentes ſe reſeruari curculioni, id eſt vermi conſcientiæ qui non morietur, & igni qui non extinguetur.

1.Cor. 15,56. Pſalm. 1,5.

105. In triplici genere eſt granum frumenti. Quod enim nimis ſollicitè contabulatur in ſolario, tandem relinquitur corroſioni curculionis; quod autem piſtrinę deſtinatur, ſine ſui multiplicatione cedit in cibum; quod verò ſeruatur, ad ſementem terræ committitur, vt cum fœnore in horreum congregetur. Senſuales homines qui in carne ſecundùm carnem ambulant, nec ſpiritu facta carnis mortificant, propter nimiam ſui cuſtodiam à moleſtijs de carne metent corruptionem: paruuli autem, qui etſi poſt Baptiſmum ſine bonorum operum actualium fructu moriantur, tamen tamquam grana, quæ torcular paſſionis Chriſti comminuit mediante igne charitatis, & aqua gratiæ Baptiſmalis cum reliquis iuſtis in vnum panem coaleſcent ei, qui dixit : *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Spirituales autem, qui cadentes in terram mortificant membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, multum fructum adferent, ex quibus ſuſtentabuntur, ſecundùm illud : ***Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es***, &c.

Simile. Ioan. 4,34. 1.Tim. 2,4. Pſalm. 128,2.

106. Suo modo quilibet debet eſſe granum frumenti, ad imitationem Chriſti mortificatum in paſſione, & multiplicatum in reſurrectione. Stultè enim quis inſtituet profectionem in terram ignotam & longinquam, niſi commeatum procuret, quo tutò tranſeat pericula, præſertim ſi eſt perſona alicuius notæ, cuius interceptioni hoſtiles inſidiæ diligentem operam daturæ ſunt. Libet ad hoc propoſitum referre cuiuſdam fatui ſapiens dictum (etſi ſecundùm Sapientem ***indecens eſt in ore ſtultorum parabola***) cuius dominus lecto decumbens, & paulatim tendens ad mortem, dixit illi, qui in omni profectione ſua conſueuerat lateri eius adeſſe: Hem longum iter mihi conficiendum imminet, verùm non eris iſta vice comes; ſed cùm mihi adeſſe non poteris, en ſcipioni meo, quem tibi in memoriam mei reſigno, eris indiuiduus ſocius, quem vide vt diligenter ſerues, donec te ſtultiorem aliquem deprehenderis, cui volo eum tradi. Inſanus verò omnia vt verba ſonabant intelligens, attentè obſeruauit, an nullus pręparetur (vt ſolet fieri) commeatus futuræ profectioni opportunus. Cuius dum nulla eſſet apparentia, dixit domino ſuo (Deo fortè in ore ſtulti ponente verba ſapientiæ, vt moribundus ſaperet & intelligeret, ac nouiſſima prouideret) En refero ſcipionem, eumque tibi me ſtultiori, prout mandaſti, reddo, quia cùm proponis longam profectionem, tamen nullam commeatus præparandi mentionem fieri curas.

Prou. 26,7.

107. Verè

Digitized by Google

107. Verè hic ſuo deliro domeſtico ſtultior, multos habet aſſeclas, & ſtultorum infinitus eſt numerus, ad quos cum lamento clamat Moyſes: Deut. 32,28. *Gens abſque conſilio, & ſine prudentia*, &c. Maior enim hominum pars præſentibus intenta, parum tangitur ſollicitudine futurorum, & nouiſſimorum prouiſione ac rerum in futura vita conducibilium præparatione. Et ideò quamuis ſint granum frumenti, quia tamen nec humiliter cadunt in terram, nec feruenter ſe mortificant, omnium ſolatio deſtituti erunt ſoli. Eccle. 4,10. *Væ* autem *ſoli* (vt dictum eſt) *quia cùm ceciderit* (per mortem ſcilicet) *non habet ſubleuantem ſe*. Hæc dicta ſunt occaſione eius, quòd iuſti nomine tritici ab impijs, qui zizanijs comparantur in Euangelio, ſecernuntur.

Matth. 13,27. 108. *Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo, vnde ergo habet zizania?* Locus diſſerendi de iuſtorum obedientium, qui per bonum ſemen ſignificantur, & rebellium, quos diabolus Prælatis dormientibus intermiſcet, diſpari conditione & exitu. qua de re conſule *Tract.* IV. *Diſc.* XV.

Matth. 13,30. 109. *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem*. De patientia & illius efficacia ad emendandum eos qui ſunt corrigendi, vide *Tract.* VIII. *Diſcurſum* VII.

DOM. VI. POST EPIPHAN.

Matth. 13,31. 110. *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis*. Hîc tibi datur opportunitas diſſerendi de fortitudine & efficacia fidei. qua de re conſule *Tract.* V. *Diſcurſum* III.

℣.33. 111. *Simile eſt regnum cælorum fermento*. Meritò monuit Chriſtus Luc. 12. cauendum eſſe à fermento Phariſæorum & Saducæorum. Nam, vt dicit Paulus, 1.Cor. 5,6. *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. quibus verbis ſignificat, vnius malitiam multis obeſſe. Primò, quia, vt exponit Ambroſius & Ambr. Anſelmus, propter vnum ſceleratum, Anſel. quem Eccleſia impunitum relinquit, ira Dei in omnes ſæuire poſſet. Vnde verum eſt, non ſolùm quòd *nocet bonis, qui parcit malis*, ſed etiam qui cum vno diſſimulat, etiam omnibus incommodat, quia *omnes contaminant* (dicit Gloſſa interlinearis) *qui cùm* Gloſſa. *poſſint redarguere, diſſimulant*. Secundò, eò quòd, vt notauit S. Thomas S.Tho. lect. 2. vnius malum exemplum, ſi inultum manet, alij ſequantur. *Sicut per modicum fermentum tota maſſa paſta corrumpitur*, inquit, *ita per vnum peccatorem tota ſocietas inquinatur*. *Nam, vt dicit Sapiens, ab vna ſcintil-* Eccli. *la augetur ignis, & ab vno doloſo auge-* 11,34. *tur ſanguis*.

112. Fermentum in bonam & malam partem conſtat aliquando accipi in Scriptura; ſed quia citiùs ad mala inuitamur quàm ad bona validiſſimis medijs trahamur, occaſione noſtri fermenti Euangelici exaggeremus pericula improbæ ſocietatis. Inter mala fugienda principem locum tenent malorum conſortia, quæ boni & ſancti vt peſtem abominari ſolent. Fuit hac de re à Spiritu ſancto commendatus Tobias, quem poſtquàm laudaſſet ob charitatem & miſericordiam in pauperes, *ita, vt omnia, quæ habere poterat,* Tob. 1, *concaptiuis fratribus impertiret*; item 3. ob prudentiam, *Cùmque eſſet iunior* ℣. 4. *omnibus, nihil tamen puerile geſſit in opere*; & magnam deuotionem, *Per-* ℣. 6. *gebat in Ieruſalem in templum Domini, & ibi adorabat Dominum:* præ omnibus alijs ponderat Spiritus ſanctus, quòd diligenter ſe ſubduxerit malorum ſocietati, dicens: *Denique cùm* ℣. 5. *irent omnes ad vitulos aureos, hic ſolus*

fugiebat conſortia omnium. Notauit Angelus Manriquez lib. 2. Diſc. 1. §. 3. hoc ſatis antea fuiſſe dictum alijs quidem verbis, *in captiuitate poſitus, viam* ỷ. 2. *veritatis non deſeruit*: clarè enim inde conſtat, quòd omnium conſortia euntium ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Iſraël, fugiebat. 1 Reg. 12, 28. Quæſtio igitur manet, cur eiuſdem commendationis tam ſollicita fiat repetitio.

113. Reſpondetur, quòd multò mirabilius ſit inter malos non corrumpi, eiſque contrario agendi modo ſe opponere, quàm diſtribuere in cibos pauperum ſubſtantiam ſuam, & in omnibus actionibus debitam grauitatem & maturitatem tenere, ac denique multa alia facere quæ ibidem ad Tobiæ commendationem commemorantur. Vt igitur Spiritus ſanctus rem quaſi incredibilem perſuadeat, idem Tob. 1, 5. iteratò repetit: *Hic ſolus fugiebat conſortia omnium*.

114. Præterea Spiritus tam diligenti recenſione texit ſeriem virtutum & perfectionum S. Tobiæ, vt nobis omnibus perſuadeat fugam malæ ſocietatis. Si enim ille tam ſolidè fundatus, tandem metuit, vt ſibi fugam neceſſariam eſſe exiſtimaret; quis noſtrûm ſine apprehenſione periculi malorum ſocietati ſe præſumet ingerere? Agg. 2, 13. In veteri Teſtamento omnes immundi præſumebantur qui mortuum tetigerant. Vt corpus ſerues, fugis eum qui ex domo peſte infecta ad te accedit. Iudicas non fore ab infectione Simile. immunem, qui cum infectis tenuit ſocietatem. Tremit agniculus lupi veſtigium, & tu colludes peſtilenti & lupo, & illæſum te euaſurum præſumes? Miraculo tribuendum eſt, quod tempore Meſſiæ futurum erat ex vaticinio Iſa. 11, 6. Prophetæ, *Tunc habitabit lupus cum agno*. Non eſt quòd tentes Deum, petens ſignum ab eo, dum ſalua probitate vis improbis adeſſe. Æs & ferrum terræ infoſſum molleſcit & diſſoluatur, piè & ſanctè timebis miſceri terrenis, ſi, habita humanæ fragilitatis ratione, dixeris cum Iobo, *Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea* Iob 6, 12. *anea eſt*. Faciliùs ſordidatur quàm Simile. emaculetur veſtis. Tu conſidera quantæ molis ſit, vt emunderis ab iſtis, & & fias vas in honorē: nam *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*. Recede igi- Heb 9, 22. tur à malo ne inficiaris, à nullo eluendus quàm ab eo cui Iob dixit: *Quis* Iob 14, 4. *poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* Ex impiorum igitur cōſuetudine ſummum periculum imminet integritati innocentis: quòd vt nobis Eliſeus innueret, noluit ſermonem miſcere cum Naaman Syro, niſi poſtquam à lepra 4. Reg. 5. eſſet mundatus. Ægrè ferat leproſus moribus, quòd illius colloquium & conſortium dedignaris, interim tu ora vt lauetur, & tunc ſine periculo infectionis tecum conuerſetur.

115. Lot qui ſanitati ſuæ timēbat in monte in quo ſaluandus erat, caſſata priori obedientia, impetrat licentiam eundi in Segor. *Eſt ciuitas hæc iuxtà*, Gen. 19, 20. inquit, *ad quam poſſim confugere*. Condeſcendit Dei benignitas ſupplicantis infirmitati, non aliter quàm ſolent Simile. Prælati ſubinde infirmi & imperfecti Fratris alicuius, cui non eſt perindè vbi locetur, precibus inclinari. *Ecce* ỷ. 21. *etiam in hoc*, ait, *ſuſcepi preces tuas, vt non ſubuertam vrbem pro qua locutus es*. Mira res, vix ingreſſus eſt locum ſuæ licentiæ (nolo eam obedientiæ titulo honorare quam indulſit Deus petenti, ſed non iniunxit obedienti) & ecce melancholia illum inuadit, adeò vt ſine conſenſu Dei & propoſitum & locum

Digitized by Google

ṽ. 30. locum mutet. *Aſcenditque Lot de Segor, & manſit in monte*, &c. *timuerat enim manere in Segor.*

116. Non deſunt, qui hîc grauiter Bonfre. reprehendunt Lot. Bonfrerius arguit illum diffidentiæ: quia ſicut priùs Angelis monentibus vt fugeret ad montem, diffiſus eſt ſe in monte ſaluari poſſe; ita poſteà licet Angeli ex commiſſione Dei & illi & vrbi propter ipſum ſalutem promiſiſſent, non ſatis ſibi in ciuitate fidendum eſſe putauit. quam diffidentiam & incredulitatem Hieron. notat & taxat grauiter Hieronymus, exiſtimans eam futuri inceſtus, quem cum filiabus poſteà commiſit, principium dediſſe. Veriſimile autem putat ex Hebræorum traditione, Lot timuiſſe Segor euerſionem, quòd non ignoraret, eam vrbem ſæpè anteà terræmotu fuiſſe concuſſam, cuius proinde probabilem euerſionem in communi clade apprehendebat.

117. Mitiùs cenſurat factum Lot Cornel. Cornelius, qui ait, quòd Angelus tantum vetuerat ne in via reſpiceret retrò. Reſpiciens ergo ex Segor, & conſiderans horribilem illam ignis & ſulphuris pluuiam, & flammam omnia vaſtantem, totus conſternatus, immemor ſui, & promiſſi Angelici oblitus, cum impetu profugit ex Segor ad montana, quorum incommoda & aëris intemperiem priùs nimis apprehenderat, Iob 6,7. adeò vt cum Iobo dicere poſſet: *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia, cibi mei ſunt.*

Simile. 118. Videtur mihi Lot ſimilis homini quem Deus diu & multùm crebrioribus inſpirationibus vrſit, vt egreſſus de Sodoma huius mundi confugiat ad vitam altioris ordinis: ſed neſcio quæ incommoda illius vitæ apprehendens nectit moras, illis annumerandus, de quibus dixit Dauid: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Pſalm. 13,5. Tandem turbato cerebro ex inopinato fortè caſu, aut infortunio conſternatus, inconſulto Deo ſine præuia deliberatione, antequam ſedens computet ſumptus qui neceſſarij ſunt ad erectionem turris altioris vitæ, ad eam conuolat, ita vt deſperatio potiùs quàm ſancti Spiritus inſpiratio faciat Monachum: & qui cùm Lot conſilio Angeli nolebat aſcendere montem, modò ſenſu proprio aſcendit & cadit in peccatum, ſicut Lot, qui cum filiabus commiſit inceſtum: *Aliquando* Bernar. *enim pudica videtur cogitatio, virtutis prætendens imaginem* (inquit Bernardus) *ſed neceſſe eſt quòd pacifica ſit, quod eſt, ſi ſpirituali & ſpiritualium virorum conſilio regitur.* Porrò oportet bonum benè aggredi. Melius enim eſſet in humili gradu fidelis populi ſaluari, quàm in ſublimitate deteriùs viuere & damnari. Deteriùs autem viuunt, qui quod cum vero ſpiritu non cœperunt, in carne conſummant. Ceterùm ſi non pro toto, ſaltem pro tanto excuſandus videtur Lot, ex eo quòd ſecundùm hanc ſententiam, horror decidentis ignis ita turbauit eum, vt vix ſui compos memor eſſet ſecuritatis ſibi ab Angelo promiſſæ, ac proinde non ex diffidentia, ſed ex nimia animi perturbatione confugit ad montana.

119. Verùm ſi attentè conſideremus modum loquendi Scripturæ, non videtur quòd Lot fuerit ex ſubitaneo & inopinato timore commotus, nec timuiſſe in Segor eſſe, ſed ibidem moram trahere aut habitare. ſic enim habet Textus: *Timuerat enim manere in* Gen. 19. *Segor.* Dicendum ergo videtur, quòd non timuerat ignem aut ſubuerſionem, qua de re plus erat aſſecuratus, quàm vt in continua illius apprehenſione viueret; videbat enim ceteras vr-

bes

bes ſubuerti, & hanc ſtare, ſeque diuino auxilio erutum: ſed præcipuè timuerat conſortium malorum hominum, apprehendens quòd multi boni ab vno malo corrumpi poſſent; ſicut modicum fermentum totam maſſam inficit. Vnde meritò vnus bonus à multis malis ſibi timere deberet. Et nota, quòd maiorem iam habebat rationem apprehendendi periculum, quod non ſatis ſe meminit ponderaſſe in Sodomis, cuius metum incutientes
Gen. 19,15. Angeli dixerunt: *Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis.* Ponderandum eſt illud verbum *pariter:* hoc enim innuere videtur, timendum eſſe, ne pereat ex pari cauſa ex peccato, ſcilicet ſicut alij homines. Cùm ergo Sancti præ omnibus malis horreant peccatum, periculum illius declinare cupiés quod imminere poſſet Lot, ex Segor ad montana feſtinat.

120. Verum eſt, deſeruit præſenti propoſito (cuius ſcopus eſt ſuadere receſſum à malo conſortio) hîc interpretandi modus: ſed quia aliorum iudicio recedit à rigore litteræ, minùs liberè illum huc attuliſſem, niſi deprehendiſſem poſt diligentem inquiſitionem munitum eſſe auctoritate Lyrani, qui moraliter ſaltem prædicta verba explicans ait: *Timuerat enim manere in Se-*
Lyran. *gor. timendum eſt enim viro iuſto* (inquiens) *ne cadat à iuſtitia ex malorum conſortio.* Hæc de fermento bonos mores corrumpente paululum protraxi, vt defectum aſſignandi Diſcurſus, qui ſuper his verbis non occurrit, ad commoditatem Lectoris ſupplerem, &c.

DOMIN. SEPTVAGES.

Matth. 20,8. 121. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Magna eſt otioſi peccatoris ſalutem animæ negligentis miſeria, cui opera bona per ſubſequens peccatum mortificata non proſunt. Maior autem eſt Dei miſericordia, qui eumdem gratioſè ad laborandum in vinea ſua conuentione facta admittit, in qua per laborem pœnitentiæ, eadem opera meritoriè reuiuiſcunt. vnde Dominus, qui ex denario diurno cum operarijs tranſegit, mercedem non dari, ſed reddi iuſſit: *Redde illis mercedem,* Ibid.
inquit. In rigore autem non redditur, niſi quod priùs poſſidebatur. Conſule hac de re *Tract.* IX. *Diſc.* XX.

122. *Redde illis mercedem, incipiens* Matth.
à nouiſſimis. Nemo niſi præuia tribu- 20,8.
latione & exantlato fortiter labore ſperare poteſt denarium futuræ gloriæ, quo illi citiùs & præ alijs honorantur, quorum afflictioni à Deo immiſſæ aut permiſſæ ſubinde nulla conſolatio miſcetur. Hinc factum eſt, quòd etſi ſinguli ſingulos denarios receperint, illis tamen priùs ſolutum eſt, qui poſt omnes ſeriùs venerunt. quia etſi vna tantùm hora fecerunt, tamen illorum labor nulla quiete aut refectione interruptus fuit. Quære hac de re in *Tractatu* VIII. *Diſc.* V.

123. *Amice, non facio tibi iniu-* ℣.13.
riam. Sicut Deus ſubinde à ſuis deuotis guſtum internæ dulcedinis aufert, abſque vllo eorum demerito; ita qui ſeriùs ad vineam ſpiritualis exercitij & ad hortum orationis venerunt, non rarò in perceptione denarij præferuntur ijs, qui portarunt pondus diei & æſtus, & fiunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Eſau, qui ad mortem vſque fatigatus fuit in venatione, à Iacob, qui nec paſſum pedis extra domum poſuerat, præuentus eſt; qui etiam benedictionem patris fratri præripuit. Ab æterno diſpoſuerat Deus, Gen.
Iacob primogenituræ priuilegijs ho- 27.
noran-

notandum fore, quæ ſecundùm honorariam legem primogenitis debe-
Gen.27 batur: & potuiſſet efficere, vt idem quem præ Eſau diligebat, naſceretur primus, ſed noluit, ne naturæ ita honor primogenituræ debitus putaretur, vt non eſſet penes eum id quod vellet facere.

Ioan.5. 124. Multos præuenerat ad piſcinam homo, qui triginta octo annos habebat in infirmitate, qui tamen poſt illos manſit infirmus. Et filius prodigus breui ſpatio patrem commouit, vt
Luc.15. in gratiam eius vitulus ſaginatus mactaretur, fruſtrà fratre murmurante, qui multis annis patris mandatum in omnibus compleuerat. Omnium nouiſſimus latro cum Chriſto crucifixus promiſſione paradiſi gauiſus eſt pri-
Lucæ 23,43. mus. nulli enim alteri dixit: *Hodie mecum eris*, &c. Breuiſſimæ & tardæ
℣.42. orationi, *Memento mei*, &c. feſtina & magnifica gratia reſpondit. Cucurrit Ioannes citiùs Petro, & venit primus ad monumentum, venit tamen Simon Petrus ſequens eum, & introiuit ante
Simile. illum. Sæpè qui nouiſſimus venit, primus admittitur & intromittitur ad præſentiam & colloquium Regis, multis
Simile. alijs foris expectantibus. In monaſterijs Religioſorum proceſſionaliter è domo capitulari, perſolutis defunctorum ſuffragijs, ad refectorium procedentium, illi recumbunt primi qui intrarunt vltimi. Eodem modo Deus in fauorum & gratiarum ſuarum diſtributione non ſeruat ordinem prioritatis, ſed ſuæ ſanctiſſimæ voluntatis. Obmurmuranti, & fortè ſubuerſionem iuſtitiæ diſtributiuæ obijcienti di-
Matth. 20,13. 15. cet: *Amice, non facio tibi iniuriam*, &c. *non licet mihi quod volo, facere?*

125. Ne quis igitur glorietur in conſpectu Dei, quaſi ſuis meritis tribuendum ſit, ſi aliquando prælibatione denarij gaudens, guſtet in terra quàm ſuauis ſit Dominus, ſubinde ſe ſubducit piorum mentibus: & vt clarè conſtet quòd *non eſt volentis neque* Rom. 9,16.
currentis, ſed Dei miſerentis, relicto eo qui multum laborando profecit, priùs ſe præbet illi qui vix per horam in vineâ laborauit, qui cum Propheta dicere poteſt: *Nunc cœpi, hæc mutatio* Pſalm. 76,11.
dextera excelſi. & cum Sapiente: *Modicum laboraui, & inueni multam requiem*. Eccli. 51,35. Huius rei plures rationes aſſignantur *Tract.* VIII. *Diſc.* IV.

DOM. SEXAGESIMÆ.

126. *Aliud cecidit inter ſpinas*, &c. Lucæ 8,7.
Hîc datur occaſio agendi de ſollicitudinibus, quibus miſerè lacerantur diuites huius ſæculi, & de oppoſita pace, qua fruuntur pauperes Euangelici. Qua de re quære *Tract.* VII. *Diſc.* VIII.

127. *Aliud cecidit in terram bonam; & ortum fecit fructum centuplum*. Lucæ 8,8. Quemadmodum ſtulteſcere cēſendus eſt, qui petroſo, ſpinoſo & aliàs inculto agro bonam committit ſementem, quam dum ſpargit, perdit. vnde Sapiens ait: *Per agrum pigri hominis* Prou. 24,30.
tranſiui, & per vineam viri ſtulti; & ecce totum repleuerant vrticæ; ita prudentis eſt & induſtrij, excolere terram, & expurgare eam, vt ita diſponatur ad fructuoſam ſementis ſuſceptionem. Iuſti vera prudentia præditi corde bono & optimo ſuſcipiunt verbum, & ex illo proficiunt. Sicut autem bo- *Simile.*
num ſemen etiam ab optimo & digniſſimo ſatore in malè diſpoſitam terram proiectum infructuoſum redditur; ita faciet fructum centuplum, etiamſi viliſſimus illud ſparſerit, modò in terram bonam ceciderit. Non enim ex ſatoris, ſed ſeminis & agri qualitate bonitas & vbertas fructus pendet. Chriſtus Dominus, cùm ſit Sanctus ſan-

ſanctorum & ſapientia Patris, malè diſpoſitis ſua prædicatione nihil profuit. Maria verò etiam conſeruabat omnia verba, conferens in corde ſuo quæ à paſtoribus & alijs ſe inferioribus dicebantur qui hanc Virginis prudentiam ſequuntur, eis auditio verbi valdè magnam adfert vtilitatem. De cuius efficacia & fructu conſule *Tract.* I. *Diſcurſ.* II. *In corde*
Lucæ 8,15. *bono & optimo audientes verbum retinent.* Locus diſſerendi de iuſtorum in cœpto bono perſeuerantia vſque in finem vitæ, cui ſalus promiſſa eſt; qua de re vide *Tract.* x. *Diſcurſ.* XIII.

Ibid. 128. *Fructum afferunt in patientia.* Martyrio æquatur illorum patientia, qui etſi cum moleſtia ſentiunt, carnis tamen tentationibus non acquieſcunt, nec illicitis medijs eas extinguunt. vnde hæc patientia eis fructuoſa eſſe poteſt, quia per Dei gratiam virtus etiam in hac infirmitate perficitur. Qua de re conſule *Tract.* VIII. *Diſcurſ.* VI.

Ibid. 129. *Fructum afferunt in patientia.* Hîc differere potes de patientia in omni tribulatione conſeruanda, qua homo dæmoni terribilis, Deo autem charus efficitur, quam hauriet ex fontibus Saluatoris & meditatione crucis & paſſionis Chriſti. Vide *Tract.* x. *Diſcurſ.* VIII.

DOM. QVINQVAGESIMÆ.

Lucæ 130. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam,*
18,31. *& conſummabuntur omnia*, &c. Notabile eſt, quod Iacobus Apoſtolus nobis de patientiæ dignitate & vtilita-
Iac. 1,4. te ſcriptum reliquit: *Patientia autem opus perfectum habet*, inquit. Non eadem eſt omnium horum verborum interpretatio, cùm etiam diuerſa ſit eorumdem lectio. Communis enim noſtra & Vulgata in indicatiuo legit *opus perfectum habet*, quod ſpectat ad ſingulare præconium ipſius patientiæ. quod enim primò occurrit in perſecutionibus & iniuſtis oppreſſionibus, eſt triſtitia, ex qua inſurgit ira, & vindictæ appetitus contra perſecutorem. virtus autem patientiæ, auferens triſtitiam, conſequenter eliminat iram, quæ, eodem Apoſtolo teſte, *iuſtitiam Dei non* ℣. 20.
operatur, qui cum miſericordia iudicat, & ſine paſſione malefactorem flagellat.

131. Alij loco indicatiui legunt in imperatiuo *opus perfectum habeat.* Ita legit B. Arias Montanus, cuius tranſlationem in Varijs ſuis refert Beyerlinck, & Didymus, Oecumenius, & Beda, quos citat Cornelius; & hoc ſenſu præſcribitur oppreſſis & tribulatis modus patientiæ. *Opus perfectum habeat.* quaſi dicat, Sit conſtans, continua & plena, nullis ærumnis vel doloribus cedens, adeò vt *fatigetur aliena* Tertull.
improbitas patientia tua. verba ſunt Tertulliani de Patientia cap. 8. Non grauat illud præceptum, ſed ſubleuat patientem: nam impatiens non ſolùm pœnâ ab alio inflictâ, ſed etiam ex propria impatientia cruciatur.

132. Vt patientia opus perfectum habeat, plura requiruntur. Primò, vt quis patiatur ex amore Dei, pro fide Chriſti, aut pro iuſtitia & virtute. Secundò, vt patientia comitem habeat innocentiam, & patiens ſit in ſtatu gratiæ, & purus à peccato. Si enim peccator nil operari poteſt quod illi cedat ad meritum, multò minùs pati. Tertiò requiritur, vt ſit perfecta in ſe per fortitudinem & tolerantiæ continuationem. *Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Hanc Matth. 24,13.
conditionem requirit Iacobus, quando ait: *Vt ſitis perfecti & integri, in nullo* Iac. 1,4.
deficientes. Sarcina quæ gemmas & Simile.
res pretioſiſſimas continet, forti operculo.

culo ex corio ſolidiſſimo contegitur, quod pluuiæ niui impenetrabile ſit. Ita homo qui inuicta patientia præditus eſt, intus egregias virtutum merces incluſas habet, quæ, etſi ipſe patiens inſtar ſarcinæ voluatur ſurſum deorſum, proijciatur in lutum & ſordes, illæſæ & intactæ conſeruantur.

Luto ſaxis impetitur
S. Franciſcus,
Sed patiens vir nititur
Vt ſurdus pertranſire.

Canitur de Martyribus, quòd *mens benè conſcia conſeruat patientiam*, ſed reciprocè dici poteſt, quòd patientia mentem benè conſciam multis virtutibus ornatam & dotatam etiam conſeruat. Nam ſine patientia ipſe homo à debita hominis dignitate corruit
Simile. non aliter quàm domus cui fundamentum ſubtrahitur, aut columna
Luc. 21, 19. quæ baſe ſua deſtituitur. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, dicit Chriſtus. Ergo qui illam amiſit, homo eſſe deſijt, vtpote anima, qua in eſſe hominis tamquam forma eſſentiali
Simile. conſtituitur, priuatus. Ad impatientiam maximè tentamur à diabolo. Vt enim qui arborem cum folijs, floribus, fructibus proſternere cupit, quatenus lignum igni, flores & fructus cedant porco, ſecuri inuadit truncum qui arborem cum reliquis portabat; ita multi ſunt proſtrati à diabolo, & habitant cum ardoribus ſempiternis, qui fuerunt caſti quidem, ſobrij & illæſi in multis, eò quòd baſe patientiæ fuerint deſtituti. Vt igitur per impatientiam contemptus, homo decidens ab humilitate labitur in ſuperbiam, & per intolerantiam inopiæ, paupertatem ſpiritus amittit, & ſic de ceteris; ita per patientiam homo in ſua rectitudine conſeruatur, & in virtutibus conſummatur.

133. Quid mirum, cùm oportebat pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, & quidem ex ordinatione Patris (*decebat enim eum, propter quem* Hebr.
omnia, &c. inquit Paulus, *per paſſionem* 2, 10.
conſummare, id eſt perfici ac gloria & honore coronari) quòd nos, quibus multa ad perfectionem deſunt, per patientiam ad veram integritatem diſponamur? Sequamur igitur eum qui ait:
Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & con- Lucæ
ſummabuntur omnia, &c. Chriſtus 18, 31.
præbuit humeros cruci, & labia amaro calici, vt conſummarentur omnia quæ ſcripta erant de eo, & quæ manus Dei Patris & *conſilium eius decre-* Act. 4,
uerant fieri. Eodem modo, eadem 28.
animi promptitudine crucem à Deo nobis paratam accipere, & calicem nobis à Chriſto prælibatum tenemur bibere. De qua re vide quæ habentur *Tract*. x. *Diſcurſ*. xi.

134. *Tradetur enim Gentibus, & il-* Lucæ
ludetur, & flagellabitur, &c. Texuit 18, 32.
Chriſtus his verbis catalogum paſſionis, diſtinctè enarrans exceſſum, quẽ completurus erat in Ieruſalem: qui verè viſus eſt excedere in patiendo. Sicut Pater qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum in amando; & Spiritus ſanctus omnium ſalutem procurando, Mariam virginem & reliquos Sanctos monens, vt pro omnium ſalute ſolliciti, omnes omnino homines velint ſaluari, & ad veritatis agnitionem venire. Ad hanc materiam latiùs deducendam vſui erunt quæ habentur *Tract*. ix. *Diſcurſ*. xiii.

135. *Quid tibi vis faciam?* Occa- Marc.
ſione horum verborum de vera obe- 10, 51.
dientia diſſerere poteris, quæ multùm differt à licentia, quam ſæpè obtinent ad ſuam deſolationem, qui non didicerunt cum Paulo verè ad Deum con-

uerſo ſe eiuſdem beneplacito perfectè
Act.9,6 reſignare, dicentes: *Domine, quid me*
August. *vis facere?* Cuius verba Auguſtinus perpendens Serm. 14. de Sanctis ait: *Iam parat ſe ad obediendum, qui priùs ſauiebat ad perſequendum, ex lupo ouis, ex hoſte miles. Onus vt audiat quid*
Gregor. *facere debeat*. Colligit Gregorius lib. 11. Moral. cap. 6. quem in hunc locum citat Cornelius, ex his verbis Pauli tam perfectam contritionem, vt exiſtimet illum non ſolùm iuſtificatū,
Luc. 7. ſed etiam inſtar Magdalenæ ſingulariter ſanctificatū eſſe. Veri obedientis eſt dicere, ſi vocatus fuerit, cum Abrahamo, Iacob & Moyſe, *Adſum*. Verus obediens aurem adaptat impe-
1. Reg. 3,10. ranti, dicens cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus*. item
Pſalm. 84.9. cum Dauide, qui aiebat: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Obediens enim aurem erigit vt audiat, licentiatus verò audiri vult & linguam diſponit vt petat, & non poteſt dicere illud veri reſignati Prophe-
Pſalm. 107, 2. tæ: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*.

136. Vt Iacob obtineret benedictionem à Patre, intulit cibum palato parentis accommodatum. Audierat enim
Gen. 27,3.4. mater eius dicentem ad Eſau: *Sume arma*, &c. *cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, ſicut velle me noſti, & affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea*. Optimum medium aſſequendi benedictionem eſt, diligenter ſcrutari quæ ſit voluntas Dei beneplacens & perfecta, & ſecundùm illam operari, ac di-
Pſ.142, 10. cere cum Propheta: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*. Multi ſunt ſubditi, quibus Prælati venari debent, ſollicitè ſcrutantes ad quid faciendum proni ſint, & quid ſibi præcipi velint. Intolerabilis deordinatio eſt, vbi mater familias & domina domus ancillæ palato coquit, & non potiùs ipſa ſollicita cibum parat quo domina libenter veſcitur. Verus obediens *velox ad audiendum*, dicit eum Simile.
B. Paulo: *Domine, quid me vis facere?* Act.9, 6.
Tardus autem ad loquendum non facilè reſpondet Prælato roganti: *Quid* Marc. 10,51.
vis vt faciam tibi? Vide quæ hac de re habentur *Tract.* IV. *Diſcurſ.* XI.

DOM. I. QVADRAGESIMÆ.

137. *Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo.* Matth. 4,1.
Quandoquidē Spiritus ſanctus Chriſtum poſt ſuſceptionem Baptiſmi in deſertum ducit, cui ſicut nil eluendum, ita ab huius ſæculi ſordibus nihil timendum erat, in quibus lux lucere quidem, verùm ſordeſcere non poteſt, efficaciter omnes inſtruit, quòd homo lotus & emaculatus mundum fugere debet. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hac eſt* Iac.1, 27.
(dicit Iacobus Apoſtolus) *viſitare pupillos*, &c. *& immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*. Vix à ſordibus ſæculi cuſtoditur, qui in illis verſatur, adeò vt D. Leo Serm. 4. de Quadrageſ. dicat, quòd *neceſſe eſt de mundano puluere etiam religioſa corda ſordeſcere*. D. Leo.
Nolite diligere mundum (inquit Ioannes) 1. Ioan. 2,15.
neque ea qua in mundo ſunt. Nam *qui mundum diligit* (ait Gloſſa interlin.) Gloſſa.
immaculatum ſe à ſæculo non cuſtodit. Diligit autem qui non odit & fugit. Dici ſolet, *Aut amat aut odit mulier, nihil eſt medium*. quod conſtat vniuerſaliter non eſſe verum. Multæ enim ſunt, quæ indifferenter ſe habent erga virum, præſertim quæ non ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, aut calcitrant, aut nuptias affectant, ſed ſecundùm dictamen rationis non ex impetu ſenſualitatis aut paſſionis in negotio

Digitized by Google

negotio matrimonij procedendum eſſe exiſtimant. Obtinet tamen dictum illud irrefragabilem veritatem in hominibus, quibus Scriptura diſſuadet mūdi amicitiam ſub pœna inimicitiæ Dei incurrendæ. vnde idem Iacobus: *Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſaculi huius, inimicus Dei conſtituitur.* Vnde ſequitur, quòd aut odit aut amat homo, nihil eſt tertium. Aut odit & fugit mundum, & amat Deum, aut (quod horribile eſt dictu) odit Deum & amat mundum. *Iac. 4,4.*

Simile. 138. Solent inter Principes ſubinde tolerari neutralitates. Conſentit v. g. Rex Hiſpaniæ, vt quidam Principes Germaniæ, imò & ipſe Cæſar ita cum eo confœderati ſint, vt tamen Hollandis ſint neutrales: qui proinde cum illis conſpirauit ad Bohemos, Palatinum, & alios Cæſareæ Maieſtati ſubiugandum, etſi illi viciſſim non ferant Regi ſuppetias, nec cum illo conſpirent contra ſuos rebelles Hollandos. vnde reſpectu illorum vnio Principum Germaniæ non quidem odiſſe, ſed nec Regem efficaciter amaſſe dicenda eſt. Non fert Dei militia huiuſmodi indifferentiā & neutralitatem. vnde Chriſtus dixit: *Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit.* (Lucæ 11,23.) Nullum vult habere commercium cum ijs, qui etſi inimicis ſuis non faueant quidem, ſi non etiam bellum indicant. Item docet, non ſolùm illos homines eſſe inimicos Chriſti, qui palàm ipſi ſe opponunt vt obſint, verùm etiam qui ſe ei non apponunt vt iuuent & proſint. *At ſi quis non cooperatur, aduerſarius eſt* (inquit Chryſoſtomus Hom. 42. in Matth.) *multò magis qui obſtat.* (Chryſoſt.) *Simile.* An non contra Ducem exercitus eſt miles, qui armis quidem eum non oppugnat, ſi dum confligendi tempus adeſt, cum eo contra hoſtem ijs non vtitur, ſed fugiens hoſtili direptioni & crudelitati legitimum Ducem cum aliquibus nobilibus relinquit? Decem annis milites ex ſtipendio otioſi vixerunt, vt tempore neceſſitatis militarem operam Regi præſtent; quis non vt aduerſarios eius puniendos exiſtimabit, ſi illam tunc negent? Nos Chriſtiani militiæ Dei adſcripti, frangamus omnem tepiditatem & neutralitatem cum hoſtibus eius, mundo, carne & diabolo: memores ſimus, quòd militari & cæleſti ſtipendio nos ſuſtentat. Non ſufficiat quòd contra illum non ſimus, ſed cum eo & pro eo pugnemus. *Tamquam leones igitur ignem ſpirantes* (verba ſunt Chryſoſtomi Hom. 61. ad populum) *ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles.* (Chryſoſt.)

139. Terribilis eſt diabolo, qui ſe opponit omni peccato, quandocumque & vbicumque committatur. qui tacet alio peccante, etiamſi non arrideat, contra Deum eſſe conuincitur, quia cum illo conſpirare non probatur. Non agnoſcit Deus neutrales, ſed omnes cognoſcit & diligit vt ſuos, aut odit vt alienos. *Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt* (inquit per Prophetam) *& claudicauerunt à ſemitis ſuis.* (Pſalm. 17,46.) Dei militia erat, cui Ioſue præerat, qui videns *virum ſtantem contra ſe euaginatum tenentem gladium, perrexit ad eum, & ait: Noſter es, an aduerſariorum?* (Ioſue 5,13.) Oſtendit ſe non eſſe neutralem qui gladium euaginatum tenet, quo ſignificatur, quòd decreuerit aduerſarios lædendo partes ſuas defendere quibus fauet, cum nullo autem indifferentiam aut neutralitatem ſeruare. Neutrales tenent gladios vaginis incluſos, etiam dum cauſa Dei periclitatur, quos ipſe vt aduerſarios execratur, dicente Propheta:

Ierem. 48, 10. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter; & maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Is prohibet à ſanguine, qui non tantùm in vagina eum circumfert, ſed etiam propter neutralitatem, dum occurrit, manum ad eximendum non apponit.

140 Non ſunt tales ex fortibus illis, quibus cuſtodia Salomonis Regis pacifici credi debet, de quibus dicitur: Cant. 3. 7. 8. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael; omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vnuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Etſi prima fronte videri poſſet, non eſt tamen contradictio in verbis iſtis. Pro quo nota, quòd aliqui portent ſuper femur enſem, & tamen eumdem etiam teneant, dum nimirum ingruenti periculo obuiare parati ſunt, & in illum finem ad minimam illius ſuſpicionem pro defenſione eius, cui militant, manum manubrio enſis apponunt.

141. Pauci ſunt tam fortes & animoſi, qui ad omnes occurrentes caſus ita ſtant pro defenſione Dei, vt mundum, præcipuum eius hoſtem, qui in Hebr. 12, 4. maligno poſitus eſt, non ſolùm fugiant, ſed etiam perſequantur & fugent, nec ſolùm odio habeant, verùm etiam proclamata hoſtilitate continuè oppugnent. Rari, inquam, ſunt, qui vſque ad ſanguinem reſiſtendo aduerſus peccatum repugnantes laborant ſicut boni milites Chriſti. Manet tamen illæſa veritas ſententiæ eius, Matth. 12, 3. *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Prudentes igitur, quibus ſua fragilitas ſuſpecta eſt, ne in mundo conuerſando contrahant cum illo neutralitatem, & incurrant Dei indignationem & inimicitiam, fugiunt ad deſertum, & eminus ieiunijs, vigilijs, orationibus malunt ſuperare, quàm cominus ſuperari. Satius eſt autem ab eo odio haberi, quàm ex meretriciis blandimentis illius abduci à gratia & amicitia Dei. De qua re quære *Tract.* 1. *Diſcurſ.* XVII.

142. *Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Matth. 4. 8. Magna eſt dæmonis præſumptio, qui oſtenſione gloriæ huius mundi tetendit retia pedibus Chriſti. Verè *habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius.* Iob 40, 18. Quomodo non omnes baptizatos ſperaret ſibi fore ſubijciendos, qui de auctore Baptiſmi non deſperauit victoriam? Sed *fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum.* Prou. 1, 17. Euadunt oculati per ſcientiam, ſi ſint pennati per virtutem. Non ſemper quidem capiuntur pennati, etſi non ſint oculati. *Surgunt indocti* (inquit Auguſtinus) *& rapiunt cælum.* Auguſt. Sed ad nihil ſeruiunt oculi ijs qui pennis ſunt deſtituti, qui ſignificantur per Balaam, de quo dicit Scriptura: *Cadens in terram apertos habebat oculos.* Num. 24, 16. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.* Iac. 4, 17. Rectè ex hac ſententia intelligit S. Ephræm Ephr. Serm. 4. de Pœnitentia: Si ſcienti bonum & non facienti peccatum eſt illi, multò magis malum ſcienti & illud facienti peccatum erit. *Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem?* Pſalm. 4. 3.

143. Nota, quòd dæmon magnos & præcipuos conetur venari oſtenſione gloriæ huius mundi, ſed *paruulum occidit inuidia.* Iob 5, 2. Viles & abiecti ſunt carnales, iracundi, &c. magni verò ſibi ab hoc reti cauere debent. Nouit dæmon appetitu gloriæ & ſe captum, & primos parentes fuiſſe inéſcatos. Vnde in magno pretio habet hoc rete, adeò vt ſenſu accommodatitio illi adaptari poſſit quod apud Habacuc legimus: *Propterea immolabit ſagena* Habac. 1, 16.

Digitized by Google

ſagena ſua, & ſacrificabit reti ſuo: quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus. Vanæ oſtenſioni gloriæ huius mundi dæmon victorias, quas de magnis obtinuit, acceptas fert. Hæc eſt qua procurat ſibi delicatiores eſcas: per hanc prætendit Chriſtum ſibi ſubijcere, quam etiam viliori pretio promittere noluit quàm adoratione ſui. Gloriam igitur mundi oſtendit, ſed ſollicitudines, quibus incautos irretitos tenet, occultat vt eos auocet à Deo, & ad ſe alliciat. Agitur hac de re *Tract.* 1. *Diſcurſ.* VI.

Mat. 4, 9. 144. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Qui citò credit dæmoni vt decipiat, plura promittenti, leuis eſt corde; prudens verò cenſendus eſt, qui omnia maturè dijudicans, non niſi caſtis conſilijs melioris vitæ facilè acquieſcit. Qua de re conſule *Tract.* 1. *Diſcurſ.* XIII.

DOM. II. QVADRAGESIMÆ.

Matth. 17, 1. 145. *Ducit illos in montem excelſum ſeorſum.* Hîc agi poterit de ſolitudinis vtilitate, in qua homo diſcit moderari linguam, & conuerſari cũ Deo per mundi contemptum, cuius crudelitatem amatores illius ſentiunt, quam illæſi euadunt, qui fugiendo vilipendunt. Poterit prudens Lector de hac re Concionem texere, redigendo in ordinem quæ ſparſim poſita reperit *Tract.* 1. *Diſcurſ.* IX.

Matth. 17, 2. 146. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Solent mulieres, quæ negligunt Apoſtolicum modeſtiæ monitum & documentum, procedentes in publicum, etiam marito abſente, ornatui meretricio præparatæ ad capiendas animas vanitatem ſuam & veſtimentorum ſuorum luxum palliare, ementito titulo placendi illi, cui ſe obſtrinxerunt, vt cogitent quæ mundi ſunt. Sed ſi ſolum eius captarent affectum, retia vanitatis domi, cùm ſoli adſunt, conuoluta & neglecta, foris tam immoderato ſtudio non laxarent, nec inſipientium pedibus muſcipulam tanta ſollicitudine adaptarent. Quis credet venatori prædam tunc intendere cùm laqueos tollit, tunc autem omnino negligere quando ponit? Viro placere ſtudes, ô vana; cur igitur domi, ſepoſito cultu honeſto, focariâ, imò ſtercorariâ illi appares ſordidior? in plateis verò immoderato reſumpto, fulges auro & argento, & laſciuis in purpura & byſſo? Quod in corporalibus reprehenſibile eſt, idem in ſpiritualibus fieri multò magis eſt dolendum. Multi enim ſunt, qui vt hominibus placeant, externa compoſitione internam modeſtiam mentiuntur potiùs quàm teſtantur. *Omnia verò opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Matth. 23, 5. Chriſtus ſolius Patris cæleſtis oculis ſe ornauit & eidem placere ſtuduit. Anima eius vbique & ſemper Deo gratiſſima fuit, eamdem tamen comptiorem habitum induiſſe videtur, dum orans, & ſeorſim ſoli Patri ſe præſentans, in corpore glorioſum ſplendorem admiſit. Potuit tunc vſurpare verba Dauidis: *Tibi dixit cor meum; exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Pſalm. 26, 8. Nota, duplex eſt hominis facies, interior & exterior. Iob 11, 14. 15. De priori illud Iobi intelligi poteſt: *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia; tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula.* Nam omnimoda interior emaculatio compatitur exterioris faciei ſquallorem, vt patet in Filio Dei, cuius facies fœdè conſputa fuit in paſſione, quando non erat ei ſpecies, neque decor. De ſecunda & exte-

Simile. (margin, beside "Quis credet venatori…")

exteriore facie intelligi debet Sapiens,
Eccli. 7,26. quando ait: *Filiæ tibi ſunt, conſerua corpus earum, non oſtendas eis faciem hilarem.* Vtramque faciem miro modo compoſitam Chriſtus non omnibus paſſim occurrentibus in plateis, ſed Patri ſeorſum in oratione exhibuit. Non ſe oſtentauit hominibus, ſed quamuis admiſit Petrum, Iacobum & Ioannem, tamen intentionem placendi ad ſolum Patrem direxit, à quo voce delapſa è cælo, à magnifica gloria ſuſcepit teſtimonium ſuæ complacentiæ. Pulchritudinem Chriſti præuidens & admirans Dauid, quam oſtenſurus eſſet in glorioſa ſua transfiguratione,
Pſalm. 44,3. dixit inter alia: *Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.* Quòd autem de Chriſto hæc verba intelligi debeant, nemo eſt qui contradicat, nam omnem diſputationem ſoluit eiuſdem Pſalmi titulus,
Matth. 3,17. qui ſic habet, *Canticum pro dilecto*, id eſt pro Chriſto, quem cæleſtis Pater hoc nomine honorans ait: *Hic eſt Filius meus dilectus.* In eodem autem Pſalmo refertur fundamentum tam ſingularis dilectionis, quia Chriſtus faciem ſuam internam & externam & omnia alia ad Patris beneplacitum
Pſalm. 44,2. ordinauit; vnde ait, *Dico ego opera mea Regi.* Porrò quàm fuerit alienus ab hominum applauſu, prohibitio
Matth. 17,9. facta Apoſtolis probat. *Nemini*, inquit, *dixeritis viſionem, donec Fi-*
Matth. 17,5. *lius hominis à mortuis reſurgat. Ipſum audite.*

147. Hîc datur occaſio agendi de obedientia cæca; quia Apoſtoli, audito hoc præcepto, ceciderunt in faciem, non reſpicientes quis imperaret. Præterea cùm dicat, *Ipſum audite*, docet aures Prælato adaptandas eſſe, quas tunc vtiliter ad obediendum ſubditi erigunt, quando oculos à nimio ſcrutinio eius quod præcipitur, rationíne conſonum an verò diſſonum ſit, claudunt. Maximè autem laudanda eſt cæcitas ſubditi, qui in Prælatis non attendit defectus qui videri & ſciri poſſunt, ſed auctoritatem inuiſibilis Dei, cuius in terris vices gerunt. Talium cæcorum perfectam eſſe obedientiam, natura docet, quæ in cæcis defectum viſus ſolet compenſare per acumen auditus. In omnibus errabat Iſaac dum Simile.
tangeret, & fragrantiam veſtimentorum, quibus Iacob filius eius ad ſtropham ex matris conſilio perſonatus erat, hauriret, ac ciborum condimenta guſtaret; ſed non fefellit eum auditus. *Vox quidem, vox Iacob eſt*, in- Gen. 27,22.
quit, *ſed manus, manus ſunt Eſau.* Ne erraret S. Pater Franciſcus circa Sacerdotes Dei, qui aliquando manſuetudinem & bonitatem Iacob, externa apparentia hirſuti, Eſau contectam circumferunt, auertendos iudicabat oculos à peccatis illorum. *Nolo*, in- In Teſtamento.
quit, *in ipſis conſiderare peccatum, quia Filium Dei diſcerno in ipſis, & Domini mei ſunt.* Et poſita hac ſancta cæcitate, diſponit ſe ad audiendum. vnde ſubdit infrà: *Et omnes Theologos, & qui miniſtrant nobis ſanctiſſima verba diuina, debemus venerari, ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum & vitam.* Tantò autem magis quis prodit Chriſtum intus docentem, quantò abiectior eſt cui præſtat cæcam obedientiam. qua de re vide *Tract.* IV. *Diſcurſ.* VII.

DOM. III. QVADRAGESIMÆ.

148. *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Dixit olim Luc. 11,15.
quidam ex priſcis illis ſapientibus: *Agere & pati fortia, Romanum eſt.* Potiori iure affirmandum videtur id Chri-

1.Pet. 4,15.16 Chriſtianum dici debere. *Nemo veſtrûm patiatur vt homicida*,&c.inquit Petrus, *ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine.* Chriſtianorum enim eſt, magna & heroica opera agere, & graues moleſtias pati. Relinquentibus omnia propter Chriſtum, centies tantum promittitur, quia pro ſupplemento & ſpeciali dono annumerantur perſecutiones. Marc. 10,30. *In tempore hoc*, inquit, recipiet, ſcilicet *domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cũ perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternã. Hoc maius eſt, quia cum perſecutionibus hac omnia poſſidebũt ſancti*, dicit Theophylactus. Theophyl. Pro quo nota, non fore adeò mirum, ſi tempore proſperitatis, quando Apoſtolos omnes fauore & amicitia proſequuntur, eis fieret tam opulenta omnium rerum retributio; ſed hoc admiratione dignum videtur, quòd ſuſcipient pro vna domo, quam amore eius reliquerunt, centum, quæ illis vbique terrarum patebunt, quando à fidelibus benignè ſuſcipientur hoſpitio, non obſtantibus perſecutionibus aduerſariorum.

149. Mira eſt prouidentia Dei, præſertim circa Euangelicos pauperes, quam aliquando Fratres noſtri, iniuſtas oppreſſiones paſſi, experti ſunt. Temporibus noſtris in quadam ciuitate ſub ditione Regis Catholici, cuius nomini parco, ſub graui mulcta publico edicto ciuibus inhibitum erat, ne religiosè pro ſui ſtatus ratione mendicantibus panem præberent. Decreuerat autem imprudens Magiſtratus innocentibus tam grauem & exitialem pœnam, quia profugum intra ſepta monaſterij patiebantur, vt ſecundùm Iuris diſpoſitionem gaudere poſſet immunitate loci ſacri. Sed hac iniuſta perſecutione non obſtante, patebant illis cum plurium benefactorum affectu multò plures domus, quàm ſolebant, qui cum riſu eludebant inhumanum decretum. Non enim erogabant manibus neceſſaria (quod ſolùm edicto cautum erat) ſed inuitantes, En, inquiebant, vbi panes, &c. tu accipe, non enim tibi inhibitum eſt, vt me conſentiente tollas neceſſaria ſuſtentationi tuæ, etſi mihi ſit prohibitum ne tibi manum adiutricem extendam, &c. Dum verò particularis quidam ordinariam eleëmoſynam ſe ſubtracturum aſſerebat, quædam deuota perſona id caſu audiens dixit: Gaudeo me tui propoſiti conſciam, nam ne deſit pauperibus Chriſti, ego ordinariam diſtributionem non duplicabo modò, ſed caſu quo alij eiuſdem eſſent decreti, vt tecum conſpirarent in interitum Fratrum, decuplam reddam. Non habet ergo locum in pauperibus Chriſti illud vulgare dictum:

Dum fueris felix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris,

quin potiùs cum perſecutionibus ex prouidentia Dei illis accreſcant beneuoli fautores. Fruſtrà ergo hoſtis Religioſorum familiam obſidet, vt eamdem fame frangat, ſi commeatum aliunde inuehendum excludere non poteſt.

150. Ex his patet, quòd perſecutiones tamquam beneficia à Chriſto promitti poſſunt diſcipulis ſuis, quorum occaſione parentes benefactores, &c. eis augentur intenſiuè & extenſiuè, affectu ſcilicet & numero. Nam multi qui beneuoli erant, animum intendunt, & magis feruent; qui verò negatiuè ſe habebant, poſitiuè pro iniuſtè oppreſſis, perſecutoribus ſe opponere incipiunt. Et dato quòd aliter eueniat, tamen perſecutiones

beneficij loco habendæ ſunt. Notum
Phil. 1, eſt enim illud Pauli : *Vobis donatum*
29. *eſt*, &c. *vt etiam pro illo patiamini.* Si
enim Romani iudicabant, egregia ope-
ra perpetrantibus mala grauia eſſe to-
leranda ; multò magis Chriſtiani ita
ſentire debent, reſpicientes in Chri-
ſtum ducem ſuum, qui poſtquam eie-
cit dæmonium, reportauit impium op-
Lucæ probrium ab ijs qui dicebant, *In Beel-*
11, 15. *zebub*, &c.

151. Vt beneficia reſpiciebat Pe-
trus hominum maledicta, quibus be-
1. Pet. nedictiones debentur. *Non reddentes*
3, 9. *malum*, inquit. *pro malo, nec maledi-*
ctum pro maledicto, ſed è contrario be-
nedicentes ; quia in hoc vocati eſtis, vt
benedictionem hereditate poſſideatis.
quaſi dicat, Ad hoc vocati eſtis, vt per
iniuriarum tolerantiam, nimirum be-
nedicendo maledicentibus, in patien-
tia animas veſtras, & tandem Dei be-
nedictionem paſſiuam (inquit S. Tho-
mas) poſſideatis. Creaturæ benedi-
ctiones audiuntur, ſed eius, cuius be-
nedicere benefacere eſt, poſſidentur.
Simile. Sicut corporaliter obſeſſis à diabolo
benè fit, cùm per exorciſmos liberan-
tur, etſi in corpore, quàm diu durat
adiuratio, moleſtias patiantur : vnde
fit quòd illi qui liberari volunt, etiam
Exorciſtis gratias agant. Eodem modo
cùm per maledicta pellitur à nobis
dæmon, aut pulſo præcluditur regreſ-
1. Cor. ſus, meritò cum S. Paulo, dum *male-*
4, 12. *dicimur, benedicimus, perſecutionem*
patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur,
& obſecramus, &c. quia per patientiam
in hac vita animam, & prætereà in vita
futura Dei benedictionem poſſidebi-
mus, quin etiam gratias agimus ei qui
per auctoritatem dæmonem pellit, di-
Luc. 11, centes cum muliere de turba : *Beatus*
27. *venter qui te portauit.* Iuſtum eſt enim,
Pſalm. vt cum Propheta dicamus : *Benedi-*
33, 2.

cam Dominum in omni tempore, & nul-
li malum pro malo, nec maledictum
pro maledicto reddamus. Nam fruſtrà
impatientes & maledicti ſperant à
Deo in futura vita benedici. *Quod* Gloſſa.
quis in futuro inuenire deſiderat (dicit
Gloſſa) *hoc in præſenti meditari & age-*
re ſatagat. De vtilitate perſecutionum
& opprobriorum vſui ſunt quæ ha-
bentur *Tract.* VIII. *Diſcurſ.* XIV.

152. *Omne regnum in ſeipſum di-* Lucæ
uiſum deſolabitur. Locus tractandi de 11, 17.
obedientia, qua Sancti pretioſa iuſto-
rum morte damnationem euadunt,
quæ eſt mors peccatorum peſſima,
quam inobedientia (quantum eſt in ſe
regnum Dei euertens) poſt mortem
corporis inuexit. Conſule hac de re
Tract. IV. *Diſcurſ.* XVI.

153. *Cùm fortis armatus cuſtodit* Luc. 11,
atrium ſuum, in pace ſunt quæ poſſidet. 21.
Infelix eſt pax impiorum, quos dæ-
mon, quia ſui ſunt, vexare ceſſat. *Ze-* Pſalm.
laui ſuper iniquos (dicit Propheta) *pa-* 72, 3.
cem peccatorum videns. Prælati, quibus
cura animarum commiſſa eſt, per te-
piditatem fauent partibus diaboli. Re-
miſſio enim Prælatorum cauſat negli-
gentiam ſubditorum. Humectatio la-
ctis circa aures & tempora capitis fa-
cta, inducit ſomnum, vt notat Holcot
in c. 14. Sap. lect. 167. Igitur *ſi te lacta-* Prou.
uerint peccatores, ne acquieſcas eis. Eſt 1, 10.
videre damnabilem pacem inter hæ-
reticos, qui in fide ſua ſpeciali obdor-
miunt. Niſi dæmon cuſtodiret atria eo-
rum qui rident Catholicorum ſollici-
tudinem, & niſi illos vt ſuos poſſide-
ret, non eſſet apud eos ſtulta iſta ſe-
curitas. Verba verorum Prophetarum
antiquitus onera vocabantur. *Onus* Malac.
verbi Dei ad Iſraël, dicit Malachias. 1, 1.
& Iſaias : *Onus Damaſci. Onus Ægy-* Iſa. 17,
pti. Onus Tyri, &c. Sic verba Catho- 1.
licorum doctorum auditores anxios 19, 1.
& 23, 1.

& quodammodò oneratos reddunt: nam funguntur ſuo munere eodem ſpiritu quo Chriſtus qui in Synagoga
Luc. 4, 18. ſedit, *& vt reuoluit librum, inuenit locum vbi ſcriptum erat* (vtique de ipſo) *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde*, &c. Ille autem non lactauit auditores blanditijs, ſed potiùs conatus eſt rumpere damnabilem pacem, qua peccatores poſſidentur à diabolo, quamdiu cu-
Matth. 10, 34. ſtodit atrium ſuum. Ideò ait, *Non veni pacem mittere, ſed gladium.*

154. Mirum eſt videre, quàm tepidè agant qui animam ſuam perditam conantur recuperare; & quàm anxiè, qui illam recuperatam efficaciter vo-
Simile. lunt cuſtodire. Ad nihil aliud tendunt Sanctorum ieiunia, orationes, diſciplinæ, mortificationes, aſſiduæ Sacramentorum frequentationes, quàm vt animam ſuam cuſtodiant. Res terrenæ etſi difficulter conſeruantur, tamen difficiliùs acquiruntur. Videtur contrarium in negotijs ſalutis & animæ. Dauid tribus ſyllabis animam perditam & peccatorum remiſſionem con-
2. Reg. 12, 13. ſecutus eſt. dicenti enim, *Peccaui*, replicat Propheta, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Vt autem recuperatum non iterùm perdat, quos gemitus, quas non fudit lacrymas die ac
Pſalm. 85, 2. nocte? *Cuſtodi animam meam*, inquit, *quoniam ſanctus ſum. Saluum fac ſeruum tuum, Deus meus ſperantem in te.* Ciuitates parum aut nihil conferunt ad bellum offenſiuum, ſed multùm laborãt in defenſiuo. In cõuerſione peccatoris mouetur diabolo bellũ offenſiuũ, præcipuè Deo foris cor hominis oppugnante, & deditionem eius ab ipſis animæ potentijs tamquam à ciuibus
Prou. 23, 26. exigẽte. *Præbe fili cor tuum mihi*, inquit. Verum quidem eſt, aliquid laboris ex parte hominis requiritur ad eneruandum militem præſidiarium, diabolum ſcilicet: ſed præſtò ſunt ei media quibus exturbari poſſet. Sola pœnitentia & dolor de infidelitate erga legitimum Regem commiſſa ad hoc ſufficit. vnde dicitur: *Contribulaſti capita* Pſalm. 73, 13.
draconum in aquis. Non fert dæmon vel minimam lacrymam, quam vera pœnitentia extorſit.

155. Ceterùm maiori ſollicitudine ciuitas Dei iam recuperata cuſtoditur. Nam, vt patet ex præſenti Euangelio, ſi per pœnitentiam vnus malignus ſpiritus ex anima eijcitur, à ſeptem alijs qui ſunt nequiores ſe ſtatim impugnatur. Itaque maiori difficultate ſe ab hoſte ſubinde defendit, quàm eumdem, dum pœnitebat, offendit & deuicit. Adde, quòd anima, quæ ad breue tempus per pœnitentiam debebat contra hoſtem pugnare, vſque ad finem vitæ poſteà cogatur illius inſultibus reſiſtere. Nam *qui* Matth. 10, 22.
perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Pro iuſtitia agonizare pro ani- Eccli. 4, 33.
ma tua, dicit Sapiens, *& vſque ad mortem certa pro iuſtitia.*

156. Fidelitatem oſtendunt Principi Præfecti ciuitatum, ſi eam in obſidione ſeruant vſque ad mortem excluſiuè. non enim eſt omnium, fortiter proponere, vita comite nolle conſentire in deditionem eius. Sed hæc fide- *Simile.*
litas neceſſaria eſt pro conſeruatione animæ, quam innumeri Martyres Deo illæſam ſeruarunt. Refert Hieronymus Epiſt. 49. de muliere quadam Vercellenſi, quæ ne mentiretur, grauia tormenta paſſa eſt, inclamans ad Dominum: *Teſtis es Domine Ieſu, cui ni-* Hieron.
hil occultum, non ideò me negare velle ne peream, ſed ideò mentiri nolle ne peccem. Mouet dæmon bellum per ſe & per ſuos illis qui ab eo defecerunt; qui in

pace poſſidet quibus præeſt. Hinc eſt
quòd Dauid tam ſollicitè clamet ad
Pſalm, Deum, dicens: *Cuſtodi animam meam,*
24,20. *quoniam ſanctus ſum. Non eſt hoc dice-*
Gloſſa. *re ſuperbia elati*, dicit Gloſſa, *ſed con-*
feſſio non ingrati. Adde, ſupplicatio-
nem eſſe pro conſeruanda ſanctitate
ſolliciti. Præuidit enim tunc pius Pro-
pheta, certò futurum, quod volens
piè viuere, tribulationes paſſurus eſ-
Pſalm. ſet. Hinc alibi dixit: *Captabunt in ani-*
93,21. *mam iuſti, & ſanguinem innocentem*
condemnabunt. Captare, eſt ſpeciali co-
natu continuè quærere ad capiendum,
cùm ſit frequentatiuum à verbo ca-
pio, capis. Itaque dæmon, qui pecca-
torem ſuæ poteſtati ſubiectum relin-
quebat in pace, nocte & die bella &
inſidias mouebit iuſtificato. Vnde me-
ritò quilibet poſt confeſſionem eiecto
iam dæmonio ſollicitè clamat ad
Pſalm. Deum: *Cuſtodi animam meam, quo-*
24,20. *niam ſanctus ſum.* Nam ſi impius eſ-
ſem, vnus cuſtodiret me in damnabili
pace, iam autem ſanctum ſeptem ne-
quiores oppugnabunt.

DOMINICA LÆTARE.

Ioan. 157. *Cùm ſubleuaſſet ergo oculos Ie-*
6,5. *ſus.* Ex his verbis patet, quòd Chri-
ſtus ordinariè inclinatis oculis incede-
bat, quos non legitur ſubleuaſſe, niſi
dum aut pietas aut neceſſitas ad reſpi-
ciendum vrgeret: cuius occaſione diſ-
ſerere potens de cõtagioſa carnalium
conuerſatione, quibus facilè caſti, ſed
adhuc infirmi, cum magno ſui dam-
no ſuccumbunt; qui verò in propoſito
caſtimoniæ roborati ſunt honeſtis
moribus, præcipuè autem oculorum
modeſtia, eos quibus aſſociantur ædi-
ficant, vt amorem caſtitatis in illis ac-
cendant. Require hac de re *Tract.* II.
Diſc. X.

Ioan.6, 158. *Cùm gratias egiſſet, diſtribuit*
11. *diſcumbentibus.* Locus tractandi de
gratiarum actione Deo debita: cuius
occaſione taxandi ſunt impij, qui ſicut
plura beneficia ab illo receperunt, ita
ipſum Luciferum ingratitudinis vitio
ſuperant. Quod ne iuſtos inficiat, om-
nium quæ à Deo creata ſunt ſe debito-
res agnoſcunt. Vt autem tantæ illius
munificentiæ ſe impares profiteantur,
laudabili pietate, paucioribus conten-
ti, à plurimis abſtinent, & ad Chriſti
imitationem, qui pro ijs qui ſaturati
erant, Patri gratias egit, gratitudinis
defectum, quem abundantes in ſæcu-
lo non rarò committunt, Deum nocte
& die laudantes, & in omnibus gratias
agentes, deuotè ſupplent. De his om-
nibus conſule *Tract.* VI. *Diſc.* VIII.

159. *Collegerunt ergo, & implene-* Ioan.
runt duodecim cophinos fragmentorũ ex 6,13.
quinq; panibus hordeaceis. Magna, quæ
à paruis benè fiunt, aut ſenſatè dicun-
tur, in oculis ſuperborum vileſcunt;
quos verò ſuſpiciunt, eorum facta aut
dicta etiã ignominioſa extollunt. Deus
autem qui ab initio alta, vt ſuo aſpectu
indigna, à longè cognouit, & exalta-
uit humiles, minima, quæ illorum de-
uotio ſuppeditat, ſemper magnificit;
atque adeò quinque panes hordeaceos
de puelli manibus ſuſcipiens, tam ſtu-
penda multiplicatione honorauit, vt
non ſolùm ſaturitati quinque millium
ſufficerent, ſed etiam ſuperabunda-
rent. Latè hæc notata repeties *Tract.*
III. *Diſcurſ.* XXI.

160. *Cùm vidiſſent quod Ieſus fece-* Ioan.6,
rat ſignum, dicebant, quia hic eſt verè 14.
Propheta qui venturus eſt in mundum.
Verum dicunt, erat enim Propheta, de
quo Ioannes Baptiſta, *Cuius ego non* Ioan.1,
ſum dignus, inquit, *vt ſoluam eius cor-* 27.
rigiam calceamenti. Pro quo nota, Iu-
dæis inſignem Prophetam promiſſum
eſſe Deut. 18. quem errantes exiſtima-
bant.

Digitized by Google

bant diſtinctum aliquem eſſe ab ipſo Meſſia, quamuis in hoc deficiebant à debita opinione quam de Chriſto Filio Dei meritò concipere debuiſſent. Saltem in ipſo honorabant & imaginabantur quamdam virtutem quacumque creata potentia maiorem, viſo hoc ſigno. Non tantùm propter quinque panum multiplicationem, ſed maximè propter reliquiarum abundantiam, quæ omnibus ad ſaturitatem refectis remanebant, mirati ſunt.

161. Clarum erat, quòd hæc refectio non proueniebat de manu hominis, ſed ex virtute Dei: ſiquidem magna differentia eſt inter bona ſoli & cæli: illa enim ſui distributione minuuntur, & quantò pluribus dantur, tantò minus à ſingulis accipitur. quod etiam verum eſt in beneuolentia hominis, & alijs operationibus animæ. vnde benè & verè dicitur:

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Hinc fit, quòd coniunx, cui ſoli debetur totus coniugis amor, tam ægrè ferat riualem. Verùm bona cæli ſunt non ſolùm alterius, ſed altioris etiam conditionis, quæ diſtributa non minuuntur. Ecce maior fuit panum quantitas facta diſtributione quàm fuerat ante.

162. Iſaac recuſat Eſau benedicere, quia Iacob fraude benedictionem ſubripuerat: verùm non recuſauit Iacob vtrique ſimul, Ephraim ſcilicet & Manaſſe, ſuàm benedictionem impendere. Sed quæ eſt cauſa huius differentiæ? Reſponſiones plures dari poſſent, ſufficit & ſeruit propoſito noſtro illa, quam dedit Manriquez l. 1. Diſc. 5. §. 1. Iſaac nomine ſuo dabat benedictionem. *Benedicat tibi anima mea*, inquit; & ideò agnoſcens conditionem creatæ benedictionis, cogita- Gen. 27, 25.

bat, niſi defraudem Iacob, non poſſum Eſau benedictionem impendere. Nam homo duobus beneuolus, non integram, ſed diuiſam ſolùm & mediam beneuolentiam ſingulis exhibere poteſt. verùm Iacob benedixit in nomine Dei, dicens: *Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea*, &c. *benedicat pueris iſtis.* Gen. 48, 15. 16.

163. Dices: Si Iſaac opinabatur benedictionem Iacob impenſam fore minuendam per ſubſequentem benedictionem ab Eſau fletibus & eiulatu extortam, & iuſtè dedit illam Iacob ſoli integram, cur iniuſtè ſinit ſe poſteà lacrymis Eſau flecti? Nam conſtat, quòd tandem benedixerit illum. Nota, quòd vtriuſque benedictionis ab Iſaac datæ non fuerit vna & eadem forma. Nam præter bona cæli, etiam bona terræ diſtribuit; hæc autem, quia minuuntur, ſi pluribus dentur, Eſau non eſt largitus, & ideò in illius benedictione nudè reſpexit ad bona cæli ac ſi dicat: Bona terræ iam dedi fratri tuo, *frumento & vino ſtabiliui eum*, quæ niſi minuantur, diuidi non poſſunt. vnde id quod tibi ex illis accederet, fratri tuo deberet recedere. ergo debes habere patientiam. *Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies.* Gen. 27, 37. ✝. 40.

Loquitur ad modum parentis, qui, relictis bonis feudalibus maiori natu filio, alijs permittit vt gladio & bello quærant ſuam fortunam. Verùm quod attinet ad bona cæli, quæ ſine ſui diminutione admittunt alios comparticipes, etiam tibi benedictionem adprecor, inquit: *In pinguedine terræ deſuper erit benedictio tua.* Dices, Fit hîc expreſſa mentio terræ in forma benedictionis, ergo non minùs illam participat Eſau quàm Iacob. Reſpondeo, in benedictione notandum eſt & vrgendum verbum *deſuper*, quod in Simile. ✝. 39.

Digitized by Google

benedictione Iacob non fuit poſitum. Quòd attinet ad cæli influentias, inquit, ex quibus terra tua, quam fortè obtinebis in gladio & bello, pingueſcere poteſt, tibi tantum opto quantum fratri tuo. Non enim minuitur Sol, ſi, dum tuo agro oritur, etiam terræ centum prouinciarum diffuderit

V. 37. radios ſuos. verùm *frumento & vino ſtabiliui eum.* Terras, villas, vnde fimum & ſtercora boum, quibus impinguari poſſit, ſuppeditabunt, & quidquid deſuper ex cælo non cadit, iam dedi fratri tuo tamquam ſibi iure primogenituræ debita, ex quibus tibi nil dari poteſt ſine eius iniuria.

Simile. 164. Ex his patet, quòd bona ſequantur largitoris naturam & conditionem. Creatura non poteſt ſe totam impendere multis, ſicut vni. vnde

Matth. 6,24. Chriſtus ait: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* & Apoſtolus: *Qui au-*

1. Cor. 7,33. *tem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Eodem modo, quod de manibus creaturæ recipitur, ſui diſtributione minui neceſſe eſt. Creaturam & donum eius reſpiciens Philippus, di-

Ioan. 6,9. xit: *Eſt puer vnus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces; ſed hæc quid inter tantos?* Verùm Creator ſe totum omnibus & ſingulis dat, vnde etiam donum, quod ab illo præcedet, ſic totum omnibus, quod totum ſingulis eius fatemur manibus dari.

Iacob. 1,17. *Omne datum optimum deſurſum eſt* (inquit Apoſtolus) *deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmigratio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Bona terræ ob multas rationes imperfecta vocari poſſunt. Nam non ſolùm non ſunt illius conditionis, vt proſint multis æquè ac paucis, & ideò ad inuidiam concupiſcuntur à ſingulis; cæleſtia verò tantò gratiora ſunt, quantò à pluribus poſſidentur. ſed prætereà bona terræ vſu teruntur & conſumuntur; dona verò quæ deſurſum deſcendunt, quando eis vtimur, proſunt & creſcunt. *Omni enim habenti* Matth. 25,29.

dabitur, & abundabit. Vide, quinque panes hordeaceos poſt illorum vſum in tantum increuiſſe, vt implerent duodecim cophinos.

165. *Cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum Regem.* Ioan. 6,15.

Hoc miraculo clarè oſtendit Chriſtus, ſe Dominum eſſe vniuerſorum. Non igitur mirum videri debet, quòd turba eum ſibi in Regem adoptet, & attendens in illo ſtupendam hanc poteſtatem, inferat, eum non neceſſitate ſed electione pauperem eſſe, ac proinde regio honore dignum. Verè ſpontanea paupertas, ſenſu S. Franciſci, heredes & Reges regni cælorum conſtituit, quam Religioſi in Chriſto attentè conſiderantes, ſuam ſibi gratam & ſapidam ad illius imitationem reddere debent. Qua de re vide *Tract.* VII. *Diſc.* XV.

DOMIN. PASSIONIS.

166. *Nónne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Ioan. 8,48.

Nihil potuit peius dici, quàm quod mali homines hoc benè à ſe dictum eſſe affirment: Chriſtum enim enim Filium Dei dæmonium habere, horrent honeſtæ aures audire, quod tamen aiunt benè à ſe dici. Inter alias etiam hanc acerbam blaſphemiam fortè diu anteà taxans Propheta dixit: *Væ qui dicitis malum bo-* Iſa. 5, 20.

num, & bonum malum. Hieronymus, Hieron.

quem hîc citat noſter Adamus, accipit hæc in maſculino genere. vnde alij vertunt: *Væ qui dicunt malo, Bonus es; & bono, Malus es.* Grauiter peccant, qui ſcurram vocant gratioſum, iracundum

dum ſtrenuum, auarum prouidum, prodigum liberalem; grauiùs tamen qui virtuoſos tamquam contrarijs vitijs maculatos inſimulant. Primi enim ſoli virtuti iniuriam faciunt quam tribuunt vitioſo, ſecundi etiam ipſis virtuoſis; in quibus dum virtutem debito honore priuant poſſidentes, illas contrarij vitij accuſant.

Prou. 17,15. 167. Verum eſt, *Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt apud Deum*; tamen ſicut magis offendit detractor quàm adulator, ceteris paribus, ita qui iuſto nocet, grauiùs peccat quàm qui fauet impio.

168. Peccarunt grauiter Iudæi hoc ipſo quòd cauſam Barabbæ extenuabant, & dignam iudicabant indulgentia, quæ in die feſto ad populi petitionem fieri ſolebat, cùm præ ceteris vinctis minùs venia dignus eſſet, quem proinde data opera Pilatus nominauit. Matth. 27,16. *Habebat autem tunc vinctum inſignem* (inquit Euangeliſta) *qui dicebatur Barabbas*. Inſignem, id eſt diffamatum in malitia, inquit Chryſoſtomus; vulgatum, ait Gloſſa. vnde erat bonis omnibus exoſus, ex ſententia noſtri Titelmanni. (Chryſoſtom. Gloſſa. Titelman.) Verè inſignis & famoſus toti orbi, quia ingemiſcentibus omnibus pijs & deuotis, Chriſto Filio Dei non ſolùm collatus, ſed & prælatus fuit. Qui grauiùs peccarunt condemnando iuſtum, impollutum & innocentem, quàm petendo virum homicidam ſibi donari. Igitur væ impijs Iudæis, qui & dixerunt malum bonum, & bonum malum. Quæ verba etſi Propheta in communi adferat, putat tamen Hector Pintus, quòd præcipuè inuehatur in Phariſæos, qui Barabbam elegerunt, Chriſtum verò voluerunt crucifigi. (Hector Pintus.)

169. Alij autem in neutro genere accipiunt prædicta verba, & referunt ad ipſas res bonas vel malas. vnde Gregorius Homil. 8. in Pſalm. 100. Greg. *Hoſtis noſter tanta ſe arte palliat, vt culpas noſtras virtute tingat, vt inde quiſque quaſi expectet præmia, vnde dignus eſt æterna ſubire tormenta.* An non dixerunt malum bonum, quorum peruerſum iudicium Chriſtus referens, ait: *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo?* Ioan. 16,2. Eiuſdem farinæ ſunt qui hodie execrabilem illam blaſphemiam in Chriſtum eijciunt, dicentes: *Nónne benè dicimus nos*, &c. Ioan. 8,48.

170. Miſerrimus eſt hominis ſtatus, cui peccata tamquam benefacta placent: quæ non diſplicent ex corde, nec malè olent, niſi poſt remiſſionem & curationem illorum. *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ*, dicit Dauid. Pſalm. 37,6. Simile. Cicatrices ſunt notulæ & veſtigia vulneris ſanati & ſolidati, & benè ſignificant peccatorum remiſſorum reliquias, quę Dauidi & cuilibet peccatori verè ad Deum conuerſo tam malè olent, ac ſi ex putrefacto vulnere pus continuè defluens, naribus alicuius intolerabili fœtore inferret moleſtiam. Nō remiſſa autem peccata placent. Porcis ſimiles ſunt obſtinati malefactores. *Ne mittatis margaritas veſtras* (inquit Chriſtus) *ante porcos*. Matth. 7,6. Simile. Sunt porci quidam ſilueſtres, quos vno verbo *apros* nominamus, qui acutiſſimi ſunt odoratus, adeò vt venatores ſtudioſè in illorum venatione obſeruare debeant ventum, vt contrario ſpirante, ad illos tutò accedant, quos de longè aduentantes perciperent, ſi minimus aër à venatoribus ad ipſos apros miniſterio venti fuerit delatus: quin cùm tam viuaciter olfaciant acceſſum eius à quo ſibi aliquid damni poſſet inferri,

tamen

tamen lutum & cœnum, in quo continuè volutant, non eis malè olet. Eodem modo ſi peccatori oritur minima ſuſpicio alicuius damni corporalis de longè, ſumma velocitate optimo olfactu hoc percipiens euitat: interim ex ſterquilinio & fimo ſuorum peccatorum, multù abeſt vt nauſea moueatur, quin potiùs in ijs de latere in latus ſe voluens, dormit cum eo de quo dicit
Ierem. 48,11. Propheta: *Requieuit in fæcibus ſuis.*

171. Fit autem aliquando ex ſingulari miſericordia Dei, quòd peccatores cum fæcibus, in quibus ſibi complacent, moueantur timore fortè mortis iudicij, aut inferni. vnde fit, quòd ſtercora mota fœteant, qui tamen ad magnam ſuam damnationem peccata aliquo prætextu excuſent, aut etiam in ijs, pallio nimirum alicuius boni, ſibi complaceant, aut ſaltem fœtorem illorum à ſe repellant. Hi autem diabolico artificio fiunt Deo ſummè execrabiles, quibus proinde Propheta terrorem incutere volens, ait:
Iſa. 5, 20. *Væ qui dicitis malum bonum*, &c.

172. Horum impietatem referens
Ezech. 8,17. Ezechiel, ait: *Replentes terram iniquitate, conuerſi ſunt ad irritandum me; & ecce applicant ramum ad nares ſuas.*
Simile. Solent, qui fœtorem alicuius rei percipere nolunt, faſciculo florum naribus applicato, aëris infectionem emendare. In hunc modum quidam peccatores conantur impedire, ne fœtor malorum operum moleſtiam eis adferat, erronea conſcientia aut paſſione excæcati, dicentes *malum bonum*. Hoc modo ſeipſos & alios decipiebant Phariſæi, contra quos inuehens Chriſtus obijcit eis, quòd irritum fecerint mandatum Dei propter impias ſuas traditiones, quibus docebant, neglectis parentibus, templo & Deo munera offerenda eſſe. Parenti autem ingemiſcenti fortè propter hanc ſimulatam pietatem, & veram crudelitatem, dicebat impius filius: *Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit*: Matth. 15,5. particeps eris meriti pro munere Deo & templo à me oblato. Ecce quomodo fœtorem, quem excitabat præcepti naturalis tranſgreſſio, floſculo apparentis & falſi cultus diuini abigebant. Sic etiam hodie multi ſordes mundanas excuſant & purgant, allegantes huius temporis conſuetudinem & traditionem.

173. In hunc modum Saul applicabat ramum ad nares, qui contra Dei mandatum pinguioribus pepercerat in cæde Amalec, excuſans inobedientiam ſuam, quam ei Samuel exprobrabat zelo cultus Dei. *Tulit autem* 1.Reg. 15,21. *de præda populus*, inquit, *oues & boues, & primitias eorum quæ cæſa ſunt, vt immolet domino Deo ſuo in Galgalis.* Ecce quomodo floſculo prætenſæ pietatis graueolentiam auaritiæ tegere conatur. Eſt ſanè impiorum hominum, quouis quæſito prætextu dicere malum bonum, aut tegere & negare delictum. *Quando reprobi arguuntur*, Greg. inquit Gregorius, *culpas aliquando negando tegunt, aliquando in alios transferunt.* Hæc occaſione eius, quòd impij Iudæi benè ſe dicere affirment, quando Chriſtum tamquam dæmoniacum blaſphemant.

174 *Ego dæmonium non habeo.* Vt Ioan. 8,49. Dauid Deum flecteret ad miſericordiam, notam fecit ei ſuam manſuetudinem, qua excipiebat eos qui in illum peccabant. *Memento Domine Dauid*, inquit, *& omnis manſuetudinis* Pſalm. 131,1. *eius.* Putabat autem clariſſimam patientiæ & manſuetudinis notam exhiberi, cùm quis ad contumelias & opprobria obmuteſcit. vnde ait: *Ego autem tamquam ſurdus, & ſicut mutus* Pſalm. 31,14.

non

Digitized by Google

non aperiens os ſuum. Verùm hæc ſolùm negatiua longanimitatis & manſuetudinis probatio eſt, cui niſi manſuetè ad opprobria reſpondendo poſitiua ſubinde accedat, ſuſpecta eſſe poſſet. Fit enim non raro, quòd

—manet alta mente repoſtum
Iudicium Paridis.——

1.Reg. 13,22. & notum eſt, quòd *non eſt locutus Abſalom ad Amnon nec malum nec bonum:* verùm inde non probatur, quòd manſuetè ferebat fœdam rem in ſororem commiſſam, quin potiùs hoc erat odij argumentum in homine paſſionato; vnde additur tam alti ſilentij cauſa: *Oderat enim Abſalom Amnon, eò quòd violaſſet Thamar ſororem ſuam.* Putat autem Lyranus, quòd rancor odij ſilentio concluſus magis auctus fuerit, quàm ſi per aliqua ſigna foris erupiſſet: fortificatur enim virtus vnita. Quidquid ſit de incremento odij & rancoris per ſilentium cauſato, quæ potiùs inde remitti deberent, ſaltem hoc certum eſt, ſilentium non eſſe irrefragabile argumentum ſedatioris animi & extinctæ iræ. Si ex vaſe liquore pleno tibi nihil vnquam propinatum ſit, ignoras mélne an fel contineat; ſi verò fel ex illo hauriri ſolet, non facilè tibi ſpem mellis ſuggeret, cùm ſtudioſè clauſum deprehendis, & contrà non apprehendes felle amaritudinis eſſe plenum, ex quo ordinariè mel conſueuiſti promere. Eodem modo non eſt certum manſuetudinis argumentum, ſi homo ad opprobria ſilet, cuius indoles ignota eſt: quam ſi ſæpè aliàs prodidit, ex præcedentibus indicari poterit affectus ſilentis. Nam qui ad minimam iniuriam ſolet ſæuire inſtar leonis, de eo, dum ſilet, vix ſperari poteſt intus inſtar ouiculæ pacatum & manſuetum eſſe, & contrà.

(Margin: ✝. 22. — Lyran. — Simile.)

175. Mirabatur Pilatus Chriſti ſilentium tempore Paſſionis. Nam ex verbis præcedentibus colligebat, illam eius taciturnitatem ſummæ manſuetudinis eſſe. Quod de ſponſa dicitur, hoc verè de illo affirmari potuit: *Fauus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua.* de qua ait Propheta: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* Chriſtus igitur quando ſilebat ad opprobria, internam ſuam manſuetudinem probatam relinquebat per verba plena manſuetudinis, quæ ſubinde, dum tempus & ratio exigeret, conſueuerat proferre. Quid manſuetius ad ſummam calumniam repellendam dici poſſet, quàm, *Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum?* Ex hoc manſueto reſponſo colligere poterant receſſum, quo ſtatim abſcondens ſe exibat de templo, ſeque lapidantium furori ſubducebat, non fuiſſe moroſitatis aut impatientiæ, ſed dantis locum iræ. Poteris hîc diſſerere de ignauia illorum qui calumnias & opprobria, viro forti contemnenda, impatienter ferunt, & inordinatè timent. Qua de re tibi materiam adminiſtrat *Tract.* VIII. *Diſc.* XII.

(Margin: Cant. 4.11. — Pſalm. 44.3. — Ioan. 8,49.)

DOMIN. PALMARVM.

176. *Soluite, & adducite mihi.* De cæca obedientia, qua ſubditus meritoriè obtemperare poteſt Prælato, dummodò præcipiat quod manifeſtè aut intrinſecè malum non eſt. In dubijs enim ob imperantis auctoritatem apud iuſtum iudicem defendetur, qui hodie iure ſupremi dominij aſinam ſolui & ſibi adduci mandauit. Conſule *Tract.* IV. *Diſc.* IV. Matth. 21,2.

177. *Strauerunt veſtimenta ſua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus.* Chriſtus læto multorum applauſu ipſe lætus præuenire vult amariſſi- Matth. 21,8.

riſſimam mortem, vt oſtendat charitatem ſuam, qua ad illam ferebatur. Quæ etſi ei valdè pœnalis, quia tamen bonis & pijs vtilis futura erat, voluit vt ſic compaterentur patienti, quatenus etiam congratularentur triumphanti. Patet hoc ex verbis Zachariæ præuidentis & prædicentis, quod iſto
Zachar. 9, 9. die factum eſt. *Exulta ſatis filia Sion, & iubila filia Ieruſalem*, inquit, *Ecce Rex tuus venit tibi*, &c. Volebat Paulus, ſi contingeret eum martyrio affici, cuius ſummo tenebatur deſiderio, vt Philippenſes compaſſionem & triſtitiam hinc orituram, gaudio propter vtilitatem, inde tam ipſi Paulo quàm Eccleſiæ Dei prouenturam, tempera-
Phil. 2, 17. rent. *Si immolor*, inquit, *ſuper ſacrificium & obſequium fidei veſtræ, gaudeo & congratulor vobis.*

178. Quia nimirum hoc non ſolùm erit ad gloriam meam, ſed etiam
℣. 18. redundabit in bonum veſtrum. *Idipſum & vos gaudete, & congratulamini.* Mutuum debet eſſe, gaudere &
Caiet. congaudere (dicit Caietanus) quia communis eſt materia, commune ſacrificium. Ex his patet, quòd ita charitas vrſerit Paulum, vt non ſolùm mortem gaudens ſubire paratus fuerit, ſed etiam alios ad congaudendum excitarit: nam offerebat ſe ad mortem pro zelo animarum. Maior fuit Chriſti Domini charitas, & ideò ipſo hilariter procedente ad mortem, concitat multos qui eidem congratularentur.

Matth. 21, 9. 179. *Turba autem quæ præcedebant & ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna filio Dauid*, &c. Multi ex his qui iam feſtiuè acclamant, infrà paucos dies vrgebunt Pilatum vt ſententiam mortis ferat; & qui ſunt præ-
Simile. cones, erunt tortores. Miræ mutationi ſubiecta eſt hominum vita. Theatrum eſt præſens mundus, in quo ſæpè vnus diuerſas repræſentat perſonas. qui iam tamquam Rex imperat, dum ſpectatoribus actio exhibetur, ſtatim in ſubſequenti tragœdiæ parte ab ijs quibus præerat in furcam agitur. Sed ſicut ficta erat prior acclamatio & applauſus, ita perſonatum ſolum odium illi ſuccedit, quod ore & geſtibus ſimulatur, ſed ex corde non oritur. Eodem modo fortè non deerant inter hos acclamatores qui odium erga Chriſtum non depoſuerant, ſed tegebant. Nam *populus* (inquit Nazianzenus contra Iulianum) Nazianzenus. Simile.
etiamſi ad præſens iram cohibeat tamquam ignis in ligno deliteſcens, ſeu fluuius vi coercitus, vbi tempus eſt oblatum, reaccendere & erumpere ſolet. Tantò autem flamma vehementiùs Simile.
erumpit, quantò ſolidiùs in ligno obnubilata latebat. Eodem modo odium, quod impij diu diſſimularunt, acerbiſſimè tempore Paſſionis in Chriſtum effuderunt. Violenta & diſſimulata pietas impiorum, *qui ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant*, Pſalm. 61, 5.
auxit inimicitiam internam. Calor per Diſſimile.
verum adiacens vel circumſtans frigus augetur; ſimulatas enim qualitates natura abhorret: ſed iracundia interna per benignitatem verbo vel ſigno (reluctante quidem natura, ſed recta ratione imperante, & facta carnis mortificante) manifeſtata tepeſcit. *Sermo mollis frangit iram* non ſolùm Prou. 15, 1.
audientis, ſed etiam ipſius loquentis. Sancta quidem eſt hæc Sanctorum antiperiſtaſis, qua pij & timorati, dum necdum ceſſat indignatio & ita in ſenſu, blandè & amicè tractant inimicum, non eo fine vt malignè cælent, ſed vt ſignis beneuolentiæ paſſionem adhuc intus fumigantem penitus extinguant. Verùm ſimulata & malitioſa impiorum lenitas, fomes iracundiæ

cundlæ & vindictæ inſtigatrix eſt, quæ tantò crudeliùs ſuo tempore exeritur, quantò ſtudioſiùs occultatur.

180. Videbat Chriſtus in corde quorumdam ex ijs qui ore acclamabant illi triumphum inueteratum odium, & ſuſtinebat. vnde nec in hac die lætitiæ gaudium eius erat plenum; vt ſignificet nobis, verum eſſe illud Sapientis, nimirum quòd in hoc mundo *riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat*: quod ſtatim in hoc ſuo feſtiuo ingreſſu lacrymæ eius, dum videns ciuitatem fleuit ſuper illam, probarunt. Plenum igitur gaudium non permittit præſentis vitæ miſera conditio, quod reſeruatur felicitati futuræ. Dices, Cognoſcent Beati machinationes & iniurias, quas, dum hîc viuerent, aut fecerunt aut ab alijs paſſi ſunt. Chriſto aderit latro, qui illum, ſecundùm opinionem probabilem, in cruce pendentem blaſphemauit, cui poſteà conuerſo promiſſio paradiſi, cuius iam gaudet æterna poſſeſſione, facta eſt. Adeſt Stephano Paulus, qui eum omnium manibus lapidauit, veſtes lapidantium cuſtodiens. An per horum memoriam riſus ille cæleſtis nullo dolore miſcebitur? Nullo modo. Dixi, mundum eſſe theatrum, in quo inſtar tragœdiæ præterit figura eius. Si quis te opprobrijs & iniurijs laceſſeret, dum tecum in repræſentatione alicuius comœdiæ perſonam ſibi demandatam agit, an finito luſu ex illius occurſu toties quoties re affligeres? vel ſi ipſe tyrannum aut conuitiatorem egiſſes, an illius recordatio tibi cum dolore pœnitudines ingereret?

Prou. 14, 13.

Simile.

181. Si quid tibi acciderit apparentis mali aut falſi boni, nec huius nec illius erit in futura vita memoria cauſans dolorem. Si fortè ſtultè rurſus baris, dum durante tragœdia huius vitæ blaſphemaris, aut cum Stephano lapidaris, ſaltem ea finita pacificè & iucundè *habitabit lupus cum agno; & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur.* Ambulabunt ſimul in pulchritudine pacis, & in requie opulenta martyr occiſus & tortor poſt illius occiſionem ipſo fortè orante conuerſus. Non triſtabitur Stephanus videns Paulum, cuius crudelitatem expertus eſt dum adhuc dicebatur Saulus, nec hic affligetur ex memoria eius, quòd acceptis epiſtolis ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Chriſti, perſecutus eſt Eccleſiam Dei. Cogitabit, quòd per Dei miſericordiam ei dimiſſa ſunt peccata, ac proinde ſicut actores qui in theatro pro ſui perſonæ exigentia duros & inhumanos ſe exhibuerunt alijs, finito luſu de theatro auocati ſimul epulantur & iucundantur; ita *exultabunt Sancti in gloria, & lætabuntur in cubilibus ſuis.* Si ergo rogas, Quomodo poſſibile erit vt non triſtetur mater v. g. videns in cælo proprium infantem, quem ſuſcepto Baptiſmo interfecit; quod ſcelus ipſa per pœnitentiam eluens, finaliter ſalutem etiam conſecuta eſt; & tyrannus aſpiciens Martyrem, quem exquiſitis tormentis affici curauit? Reſpondebit Paulus dicens: *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Æſtimauerunt luſum eſſe vitam noſtram.* Certè luſus fuit, ô Paule, quandoquidem nunc S. Stephano ſumma dulcedine & amicitia coniunctus es, epularis cum eo, cuius ſanguinem, dum eſſes in theatro huius mundi, inſtar lupi rapacis ſitiebas.

Iſa. 11, 6.

Simile.

Pſalm. 149, 5.

1. Cor. 4, 9.

Sap. 15, 12.

182. *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Filia Sion, quam Zacharias etiam nomine filiæ

Matth. 21, 5.

Ieruſalem honorat, myſticè virgines ſignificare poteſt. Ieruſalem enim idem eſt quod *viſio pacis*, qua illæ gaudent præ nuptis tribulationem carnis habituris. Occaſione huius poterit hîc agi de virginitate, quam non ſolùm Sancti extollunt, ſed etiam beſtiæ & inſenſibiles creaturæ ſuſpiciunt, ac proinde irreparabilis iactura virginalis caſtimoniæ lamento honoranda eſt. Per illam enim homo non modò adæquatur, ſed etiam Angelis præfertur. Cùm verò Apoſtolus de virginibus præceptum Domini non habeat, ſecundùm indulgentiam permittendum eſt cuilibet, vt qui non ſe continent nubant. Nam per legitimum matrimonium virginitas quidem defloratur, ſed ex vnius corruptione licitè poterit multarum generatio ſperari. Habentur hæc ordine ſuo *Tract.* 11. *Diſc.* XXXII.

DOM. RESVRRECTIONIS.

Marc. 16, 1. 183. *Maria Magdalene, Maria Iacobi & Salome emerunt aromata*, &c. Datur hîc occaſio differendi de mulierum pietate & miſericordia, quam ſicut in vita, ita etiam poſt mortem Chriſto præ viris exhibent. Hanc virtutem femineo ſexui quodammodò connaturalem notauit & commendauit modernus quidam ſcriptor Angelus Manriquez lib. I. Diſcur. IX. §. 4. (Angel. Manriquez.) Inuentis ab eo quæ occurrent hîc addemus, occaſione animoſæ pietatis, quam hæ tres mulieres, viris præ timore latitantibus, parando aromata corpori Chriſti vngendo oſtenderunt; quas nec militum ſepulchrum cuſtodientium timor, nec horror, quem mortuorum ſepulturæ præſertim nocturno tempore naturaliter incutere ſolent, retardare potuit ab hoc deuoto officio. Ex multis patet, quòd mulieres quæ præ viris erga Chriſtum hoſpitales fuerunt in vita, pietatem illam etiam continuauerint poſt mortem.

184. Quod ad vitam Chriſti attinet, ad Zachæi domum non inuitatus diuertit. Rogauerunt eum aliquando Phariſæi, ſed vt obſeruarent potiùs quàm vt pane paſcerent. verum quidem eſt, quòd *fecit ei conuiuium magnum Leui in domo ſua*; probabile tamen eſt, quòd ille feciſſe dicatur, quod ab alijs ipſo ordinante factum eſt. Quòd enim vnius viri charitatiua induſtria non ſufficiat magno conuiuio in gratiam alicuius parando, probat ſocrus Simonis, quæ *tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et ſtans ſuper illam imperauit febri: & dimiſit illam, & continuò ſurgens miniſtrabat eis.* Ecce ſurgens ſtatim miniſtrat, quia ideò rogauerunt pro ea, quia (vt putat Origenes) miniſterio menſæ non ſufficiebant. (Luc. 5, 29.) (Luc. 4, 38. 39.)

185. Non defuerunt fortè viri, qui in gratiam Chriſti eleëmoſynas elargiti ſunt, nullus tamen virorum ſecutus illum eſt, vt omnibus & ſingulis neceſſitatibus occurrentibus obuiaret. Reſeruatus fuit hic pietatis affectus deuoto & femineo ſexui. vnde dicitur: *Erant ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei.* Expoſuit Lucas, in quo *miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*, inquit, mulieres, quæ pro ſeruitio ſpirituali illis exhibito viris fuerunt gratiores. *Miniſtrabant autem Domino* (dicit Hieronymus) *de ſubſtantia ſua, vt meteret earum carnalia, cuius ipſæ metebant ſpiritualia.* (Matth. 27, 55.) (Luc. 8, 3.) (Hier.)

186. Porrò tempore paſſionis vix in viro aliquo notatur compaſſio erga Chriſtum, ſed tunc vxor Pilati pro illo ſcribens, rogat ne ſe iuſti illius ne-

gotijs.

gotijs miſceat. Item filiæ Ieruſalem
Lucæ 23,27. *plangebant & lamentabantur.* Legitur
quòd fuerit vnus Simon Cyrenæus,
qui ipſum in cruce portanda iuuit, ſed
Matth. 27,32. inuitus: nam *hunc angariauerunt vt*
tolleret crucem eius. Fortè etiam conductus pretio tandem tulit crucem poſt Chriſtum. Non defuit tamen ſtatim vna Veronica, quæ motu proprio ſine ſpe lucri, cum apparenti periculo opprobrij ſanguineum ſudorem abſterſit, & pro mercede cum ſanguine & ſudore effigiem Chriſti linteo impreſſam retulit.

187. Niſi ordinariè maior eſſet pietas mulierum quàm virorum, Deus miſericordiam ſuam probans non diceret: *Numquid poteſt mulier obliuiſci* (Iſa. 49,15.)
infantem ſuum? Conſenſerunt omnes viri Ægyptiaci crudeli Pharaonis decreto, de interimendis maſculis Iſraëlitarum; ſed mulieres obſtetrices crudelitatem illam improbarunt, *nec fecerunt iuxta præceptum Regis, ſed ſeruauerunt mares.* (Exod. 1,17.) Multi viri ex littore Nili viderāt fiſcellam ſcirpeam pice & bitumine litam, in qua erat Moyſes aquis expoſitus, ſed ſola filia Pharaonis, ſuſpicata quod res erat, miſit vnam de famulabus pro illius eductione: *&* (Exod. 2,9.)
aperiens, cernenſque in ea paruulum vagientem, miſerta eius, ait: De infantibus Hebræorum eſt hic.

188. Non deerant viri ditiſſimi in Sarephta Sidoniorum, tamē dum Deus vult prouidere Eliæ eſurienti, miſit eum ad domum viduæ pauperrimæ, quæ nihil habebat niſi parum farinæ quantum pugillus capere poteſt, & paulum olei. Confortans autem Deus famulum ſuum ait: *Surge, &* (3. Reg. 17,9.)
vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te. Verè mulier pauit illum, ſe & filio ſuo neglectis, vt dicit ibidem Scriptura, referens quàm quæſtuoſa ei & familiæ illius fuit hæc miſericordia. Rogare poſſet quis horum occaſione, ſi Deus Prophetam mittit ad mulierem, cur ad viduam & quidem iuuenem? Iuuenem fuiſſe, probat paruulus filius, quem poſteà mortuum fouit in ſinu. An non malè ædificabit, virum ſolum ſine ſocio, ſine teſte, hoſpitio ſuſcipi à vidua adoleſcentula? Paulus monens diſcipulum ſuum, multum abeſt vt talium ſocietatem ei procuraret, quin potiùs prohibens dixit: *Adoleſcentiores autem viduas* 1. Tim.
deuita. Reſponderi poſſet, à parte rei 5,11.
non fuiſſe periculum & ſcandalum, dum Elias ſolus à iuuencula hoſpitio ſuſcipitur, quia erat tempus famis: nam venter vacuus non ſpumat libidinem, ſed caſtas nutrit cogitationes. Adde, quòd, ſicut ex verbis viduæ conſtat, inſtanti morti ſe cum filio parat. Mors autem eſt fortiſſimum luxuriæ antidotum.

189. Sed inſtabis, cùm mulieribus omnibus connaturalis videatur miſericordia, cur non miſit ad diuitem; aut ſi ad pauperē mittere voluit, cur non potiùs ad nuptam quàm ad viduam? Ad primum, ideò ad pauperem in extrema ferè neceſſitate conſtitutam mittitur vir Dei, vt clariùs manifeſtetur miſericordia illius, quæ ſibi & proprio filio ſubtrahere parata erat, vt neceſſitati eius ſuccurreret. Parua enim eſt illorum miſericordia, qui de eo duntaxat quod ſupereſt dant eleëmoſynam. Ad ſecundum, ideò ad nuptam non mittitur, quia eius poteſtas in erogando eleëmoſynas à viro nimis coarctaretur. Viri enim mulieribus in hac virtute cedere debent, vt patet ex dictis, & confirmabitur ex eo quod ſubijciam. Non erat pauper Habacuc, à quo tamen ipſe Angelus pro Daniele

mendicans, eleëmoſynam vi non potuit extorquere, etſi is in carcere fame
Dan. 14, 33. fetè moreretur; ſed dicenti, *Fer prandium quod habes in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum*, friuolis excuſationibus conatus eſt ſatisfacere, di-
℣. 34. cens: *Domine, Babylonem non vidi, & lacum neſcio*. Nihil habuiſſet miſer Daniel, niſi ab Angelo vi ſublatus
℣. 35. fuiſſet Habacuc: *Et apprehendit eum Angelus Domini* (dicit Scriptura) *in vertice eius, & portauit eum in capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylone ſupra lacum in impetu ſpiritus ſui*. Ecce quàm fuit prompta mulier pro Elia, quàm tardus Habacuc, muliere ditior & fortè ſanctior, pro neceſſitate Danielis incarcerati. Hæc occaſione deuotarum mulierum, quæ emerunt aromata vt venientes vngerent Ieſum, dicta ſufficiant.

Marc. vltim. *Simile.* 190. *Quis reuoluet nobis lapidē?* &c. Quemadmodum fluminibus violentum eſt ſtagnari & impediri ne naturalis gratitudinis ergô, ad mare, vnde exierunt, reuertantur, ita grato homini valdè moleſtum eſt, ſi illi præcluditur ad benefactorem acceſſus, vt eidem gratias pro beneficijs acceptis reddat. Nam gratum hominem ſemper collata gratia onerat, ingratum verò ſemel dumtaxat, quando exhibetur, delectat. Non fuit vmquam mendicus, qui tam anxiè petierit ſibi aliquid dari, ſicut Abigail, memor humanitatis Dauidis & militū illius (de quibus aiunt
1. Reg. 25, 15. 16. famuli ad eam: *Homines iſti boni ſatis fuerunt nobis*, &c. *Pro muro erant nobis tam nocte quam die; omnibus diebus quibus paſcimus apud eos greges.*) Sollicitè rogauit ſua dona ab illo acceptari, occurrens eidem irato, & propter ingratitudinem Nabal mariti ſui pro-
℣. 21. peranti ad ſanguinem, & dicenti: *Verè fruſtrà ſeruaui omnia quæ huius erant*, &c. *Et reddidit mihi malum pro bono. Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus quæ ad ipſum pertinent vſque manè, mingentem ad parietem*, &c. ℣. 22.

191. Notandum eſt autem, quòd Abigail non ſolùm familiam à vaſtatione, ſed etiam ab ingratitudinis ſuſpicione, & quidem præcipuè, immunem ſeruare voluerit. Vnde *procidens coram Dauid ſuper faciem ſuam, adorauit ſuper terram, & cecidit ad pedes eius, & dixit inter alia: Ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, Domine mi, quos miſiſti*, &c. Sicut mendicus humiliter ſupplicat eleëmoſynario, ſperans ab eo aliquid recipere; ita illa precibus, lacrymis, adoratione ſtudet manus Dauid aperire, quibus collata beneficia in ſignum gratitudinis poſſet porrigere dicens: *Quapropter ſuſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo; & da pueris qui ſequuntur te.* Qui dimiſit illam in pace, & ait: *Ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam*, quia nimirum ea quæ gratitudinis ergô obtulit, is benignè ſuſcepit. ℣. 23. ℣. 25. ℣. 27. ℣. 35.

192. Solent ſupplices in ſacra Scriptura rogare benefactorem & dicere: *Ne confundas faciem meam*, qui exiſtimant eam tunc confundi quando poſtulata negantur, vt patet 3. Regum 2. ℣. 16. & Pſalm. 30. ℣. 2. & 33. ℣. 6. Grati autem homines beneficij accepti memores, rubore faciem perfundunt, quando generoſi beneficij (quorum eſt obliuiſci dati fauoris) reddendæ gratiæ illis obſtaculum ponunt. Hæ ſanctæ mulieres pro nulla re magis ſunt ſollicitæ, quàm de modo quo ad ſepultum benefactorem admittantur. Ideò rogant: *Quis reuoluet*, &c. quas Angelus conſolatur dicens: *Nolite expaueſcere. Ieſum quæritis*, &c. quaſi dicat, 3. Reg. 16, 20. Marc. 16, 3. Marc. 16, 6.

dicat, Euaſiſtis ingratitudinis notam. Nam ſufficit voluntas, quando poſſibilitas retribuendi benefactori abeſt. Hîc datur occaſio agendi de gratitudine, quæ etſi beneficia à Deo accepta numquam adæquare, multò minùs ſuperare poſſit, quod ad ſtrictam gratitudinis rationem requiri videtur, nemo tamen ingratus cenſeri debet, cuius efficax gratificādi affectus ſupplet, quod poſſibilitati deeſt. Sicut non eſt leuis ingratitudo illius, qui obliuiſcitur accepti beneficij, ita maxima & grauis eſt eius qui meminit, & negligit. Conſule hac de re *Tract.* VI. *Diſc.* IV.

FERIA II. PASCHÆ.

Lucæ 24,17. 193. *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes*, &c. Duo diſcipuli corpore abibant à Ieruſalem, ſed verſabantur ibidem mutua collatione. Quod quàm fuerit acceptum Chriſto, probat eiuſdem aſſociata præſentiâ: qui expoſitione Scripturæ illuminauit intellectum, quorum inflammabat affectum. Vnde hîc datur occaſio diſſerendi de attenta paſſionis Chriſti meditatione, ex qua talis oriatur dolor in mente, vt per ſui redundantiam in corpore compatientis ſentiatur, & ſignis manifeſtetur. Porrò ſicut impij futura quæ diſtant, putant eſſe contemnenda, vt probat Ezechiel, referens quorumdam illuſorum ſcommata, dicentium: *Viſio, quam hic videt, in dies multos; & in tempora longa iſte prophetat*; ita indeuoti quidam Chriſtiani exiſtimant ſe excuſari à compaſſione Chriſti crucifixi, quod illius paſſio iam diu præterijt: cuius memoria ne cum tempore tepeſcat, Sacramentum inſtituit, ſub quo non ſolùm eiuſdem commemoratio renouetur, ſed etiam is realiter contineatur. Ad quem ſi per viuam fidem accederemus, non minùs nunc coram altari, quàm illi qui olim aderant in monte Caluariæ, ſentiremus in nobis quod & in Chriſto Ieſu. qua de re vide *Tract.* X. *Diſc.* II.

(Ezech. 12,27.)

194. *Coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit.* Lucæ 24, 29. Quemadmodum illa ciuitas, ceteris paribus, diuitijs accumulandis aptior, Simile. commodiori hominum commercio ac populi confluxu gaudet, ad quam mare vndique alluit, & quæ intus tot ferè fluminibus ſcinditur, quot diuiditur plateis, vt clarè patet in Republica Veneta, & ſimilibus locis; ita qui piè viuunt, ac proinde ciuitatis nomen merentur propter ciuium vnitatem, id eſt, concordiam qua caro ſpiritui ſubiecta, & ſenſus corporis cum animæ potentijs in vnum conſpirant, cogitando quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, & deinde aquis tribulationum agitatur, *erit verè tamquam lignum,* Pſalm. 1,3. *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo; & folium eius non deſluet: & omnia quacumque faciet ſemper proſperabuntur.*

195. Præcipua vtilitas inde prouenienseſt, quòd *iuxtà eſt Dominus ijs* Pſalm. 33,19. *qui tribulato ſunt corde.* Ad alios ſuo tempore ſe venturum promittit Deus *Si morā fecerit, expecta illum: quia* Habac. 2,3. *veniens veniet, & nō tardabit*, dicitur per Prophetam ad eos qui aliqua re indigēt, quam Deus ſubinde differt. Quid mirum? cùm etiam ad diligentes ſe aduētum differre parumper videatur. *Si quis diligit me*, inquit Chriſtus, *ſer-* Ioan. *monem meum ſeruabit, & Pater meus* 14,23. *diliget eum, & ad eum veniemus*, &c. Nota, *diliget*, exhibitione operis ſcilicet. item, *veniemus*, &c. Non ſic cum Sanctis in tribulatione conſtitutis agit, ſed præſcindens omnem moram.

ſtatim

Pſalm. 90, 15. ſtatim adeſt. vnde ait, *Cum ipſo ſum in tribulatione*. quibus verbis ſignificat, quòd ad adiuuandum tribulatos feſtinat.

Simile. 196. Tardiùs venit qui pedeſter adeſt, quàm qui nauigio ventis ſecundis properat. Ad reliquos Deus peditando accedit, ad Sanctos in tribulatione conſtitutos volat *ſuper pennas ventorum*, miniſterio aquarum & tribulationum. (Pſalm. 17, 11.) Sancti benè conſolati paradiſi nomine appellantur. *Sicut aquæductus exiui de paradiſo*. (Eccli. 24, 41.) Hugo Cardinalis (Hugo Card.) per paradiſum intelligit Eccleſiam militantem, propter Sanctos, de qua exiuit Chriſtus per mortem ſuam, qui primò exiuerat de increato paradiſo, ſcilicet à Patre in quo eſt omne bonum. vnde ait: *Exiui à Patre, & veni in mundum, iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem*, (Ioan. 16, 28.) vt notauit Lyranus noſter. (Lyran.) Item cæli nomine honorantur iuſti qui ſunt in pace. *Cæli enarrant gloriam Dei.* (Pſalm. 18, 2.) Sancti autem & tribulati aquarum nomine deſignantur, dicente Propheta, *Sicut aqua effuſus ſum*: (Pſalm. 21, 15.) qui tamen conſolatis præferuntur. Hi enim ſunt aquæ, de quibus ſenſu accommodatitio intelligi poteſt illud Dauidis: *Aquæ, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini.* (Pſalm. 148, 4.) Nota, *ſuper cælos ſunt*.

197. Iam conſidera, quomodo in adiutorium tribulatorum intendat, & feſtinet vt adiuuet eos, & quàm lentè agat circa cælos & paradiſos, id eſt conſolatos & pacatos. In Scriptura nō legitur B. Virgini adfuiſſe vel apparuiſſe poſt reſurrectionem ſuam: an quia matrem minùs amauit, ideò pro alijs magis ſollicitus fuit? Abſit, ſed quia illa in fide de reſurrectione tota pacata & conſolata erat, alij autem triſtes & deſolati. Eadem ferè hora adfuit diuerſis multùm à ſe inuicem diſſitis. Nunc agens cum duobus diſcipulis euntibus in Emaus, nunc cum illis qui ſimul congregati erant propter metum Iudæorum, oſtendens illis manus & latus. (Ioan. 20.) *Circa cardines cæli perambulat*, (Iob 22, 14.) lentè incedit & agit in paradiſo, *deambulabat in paradiſo ad auram*, (Gen. 3, 8.) ſed *ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. (Gen. 1, 2.) Impetuosè agitabatur, vt adeſſet citò tribulatis & triſtibus. Importat enim verbum illud (*ferebatur*) impetum quemdam & magnam propenſionem alicuius ad aliquid.

198. Hi diſcipuli Dominum non coëgerunt verbis, aut illata aliqua violentia, dicentes: *Mane nobiſcum Domine*, &c. (Lucæ 24, 29.) ſed quia orabant, & ſimul præ triſtitia & compaſſione de Chriſti morte flebant & ingemiſcebant. Nam *oratio Deum lenit, ſed lacryma cogit*. Videbis matrem occupatiſſimā in arduo aliquo negotio, quæ mouetur quidem ad infantuli petitiones humiliter factas, ſed ad amaras eiuſdem lacrymas ita permouetur, vt cogi videatur ad proijciendum omnia ſeria quæ præ manibus habebat. (*Simile.*) Occupatiſſimus erat Chriſtus, quando baiulans ſibi crucem exibat in eum qui dicitur Caluariæ locus; tamen ſepoſitis omnibus, ſola cruce in humeris retenta, cogebatur ab eis quæ plangebant & lamentabantur eum. *Conuerſus autem ad illas Ieſus, dixit: Filiæ Ieruſalem, nolite flere*, &c. (Lucæ 23, 28.)

199. Notandum ad hoc propoſitum illud Iſaiæ, *Cælum ſedes mea*, &c. (Iſaiæ 66, 1. 2.) *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu?* Videtur quòd Deus ita ſe habeat ad hominem iuſtum & tribulatum, ſicut Beatus in cælo ſe habet ad Deum qui eſt obiectum beatitudinis humanæ, *in quem deſiderant Angeli proſpicere*, (1. Pet. 1, 12.) & quem *videbimus ſicuti eſt*. Ponunt Theologi diffe-

differentiam inter bonum in communi (quidquid illud ſit) & bonum particulare: quia etſi vtrumque ſit obiectum noſtræ voluntatis, quod eam immutat & mouet, tamen bona particularia & creata relinquunt voluntati omnimodam libertatem, non tantùm quoad ſpecificationem actus (propoſito enim voluntati humanæ bono aliquo creato, libera eſt vt illud amet aut odio habeat) ſed etiam ad exercitium actus, vt ſi velit, poſſit amare aut non amare; ſed omnino indifferenter & otioſè ſe habere ad illud. Verùm circa bonum commune eſt voluntas magis limitata. Nam etſi libera ſit quoad exercitium actus, & poſſit beatitudinem v.g. amare, aut etiam nihil de illa cogitare, & per conſequens non amare, tamen quoad ſpecificationem actus non eſt libera; quia ſi aliquem voluntatis actum circa illud exercet, neceſſariò erit ille actus amoris. vnde fit, quòd

Simile. ſicut homo poteſt videre aut non videre album ei propoſitum, ſed poſito quòd videat, non eſt ſui arbitrij vt non diſgreget aut ita afficiat viſum ac ſi eſſet nigrum: eodem modo poteſt manum inijcere in ignem, & in aquam intingere, aut non; ſed non poteſt efficere vt ab igne humectetur aut non comburatur, ab aqua verò incaleſcat & non madeſcat. Eodem modo non eſt homo tam malus, qui poſſet odio habere cæleſtem gloriam, ſi illam concipiat vt verum & completum hominis bonum. Tota hæc doctrina haberi poterit ex iis quæ

S. Tho. ſcripſit S. Thomas 1.2.q.10.a.2. Huc

S. Bonaueu. ſpectat etiam quod ſcribit S. Bonauentura in 4. diſtinct. 49. p. 1. art. 1. qui ait, quòd omnes beatitudinem naturaliter appetant & ament, adeò vt ſi actum aliquem voluntatis exerceant circa beatitudinem, impoſſibile ſit eos actum odij exercere.

200. Verùm quamdiu homo viuit in hoc mundo, manet liber quoad exercitium actus. Quando enim volumus, meditationem de æterna beatitudine inſtituimus (in qua aſpirando & iaculatorias oratiunculas ſanctorum deſideriorum ad illam dirigendo, dicimus: *Quàm dilecta tabernacula tua* Pſalm. 83,2.
Domine virtutum, concupiſcit, &c.
Quemadmodum deſiderat ceruus, &c. Pſalm. 41,2.
Heu mihi quia incolatus meus, &c.) Pſalm. 119,5.
& quando volumus, ab oratione ſurgentes, huiuſmodi deuotis exercitijs ſuperſedemus. In clara autem viſione Dei impoſſibile erit aliquando ab actu beatifico ceſſare. non ergo tantùm non poterimus beatitudinem odio habere, quod eſt non eſſe liberum quoad ſpecificationem actus, ſed nec poterimus actu non amare, atque adeò voluntas noſtra non erit libera quoad exercitium actus.

201. Si aliquid eſſet quod (per impoſſibile) Dei voluntatem ita raperet & determinaret, videtur quòd tribulationes ſeruorum eius húc triumphum præ omnibus alijs canere poſſent. Sicut enim beatifica viſio (in qua, ſaltem ſecundùm mentem S. Thomæ, conſiſtit eſſentialis beatitudo) ita abſorbet hominem, & ſua dulcedine ab omni alio quod diſtrahere poſſet auertit, adeò vt in ea iucundiſſima quadam neceſſitate detineatur; ita Deus videtur indicare, quòd in viſione hominis iuſti & tribulati ita velit occupari, ac ſi à nullo alio inde diſtrahi poſſet. Vt enim Beatus in cælo, ſi omnibus creatis bonis propoſitis inuitaretur ad aſpiciendum, diceret cum Dauide: *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui* Pſalm.
ſuper terram, Deus cordis mei? ita 72,25.
Deus quaſi ab Angelis auocatus, ne, relictis omnibus, tam attento intuitu reſpi-

reſpiceret v.g. Stephanum, cuius aſpiciendi gratiâ cælos modo quodam loquendi reſerari curauit (vnde martyr
Act. 7, 55. exclamans ait, *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei*) reſponderet, *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu?* fruſtrà ad alia inuitaretur. Isaiæ 66,2. Cogit dulciter Dei pulchritudo hominem beatum, cogit Filium Dei hominis tribulatio, vt auertat faciem ab aliis, & illam conuertat ad eum. Hinc dicitur de duobus diſcipulis, qui triſtes venerant vſque ad caſtellum, quòd
Lucæ 24,29. *coegerunt illum dicentes*, &c. Amen.

FERIA III. PASCHÆ.

Lucæ, 24, 37. 202. *Conturbati verò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre.* Mira res, quòd diſcipuli timeant quando pacem illis precatur Chriſtus, dicens: *Ego ſum, nolite timere.* Benè dixit Athanaſius: Athanaſius. *Timor enim non ſolùm ex mali imminentis conſideratione, ſed etiam ex magnarum rerum aſpectu incutitur humili*, præſertim qui ſe illius aſpectu & fruitione indignum iudicat. Vnde Petrus viſa mirabili piſcium captura,
Lucæ 5,8. *procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum Domine.* S. Bernardus, qui optimè nouit magnitudinem gloriæ quam Deus præparauit diligentibus, & quòd non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad promerendam illam, timuit moriturus: impij autem, qui
Pſ. 105, 24. *pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*, ſecurè ſine vllo timore eam ſibi promittentes, dicunt: *Den hemel en is voor de ganſen niet ghemaeckt. Hominibus* inquiunt,
Pſalm. 32,6. *non anſeribus, verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Malorum eſt timere magnitudinem pœnæ, qui nouerunt enormitatem ſuorum peccatorum; ſed ſanctorum eſt timere propter immenſitatem gloriæ, ad quam obtinendam diffidunt de meritis ſuis, præſertim quando recordantur verborum Prophetæ, quæ etiam S. Paulus notauit & retulit, dicens: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.* 1. Cor. 2,9.

203. Apoſtoli viſa glorioſa transfiguratione, & audita voce Patris, *ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè.* Matth. 17,6. Nihil hîc apparet quod incutiat terrorem, cur ergo timent Apoſtoli? An ex voce Patris? ſed illam audiuit turba cùm Chriſtus baptizaretur, &, vt notauit Chryſoſt. Hom. 57. in Matth. Chryſoſt. *nullus ex turba qui aderat tale aliquid paſſus eſt. Quomodo diſcipuli in monte ceciderunt?* Reſpondet idem, quòd in monte erat *transfiguratio ſtupore plena, & lumen purum*, &c. Sed illud lumen nõ erat aliud quàm radiolus gloriæ cæleſtis. Propter illam autem potiùs delectari debebant, vt videtur, quàm formidare, ſecundùm illud: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* Pſalm. 83,2. Reſpõdet noſter Lyranus Lyran. benè ad propoſitum noſtrum, dicens: *Hoc autem factum eſt ad declarationem humanæ fragilitatis, iuxta excellentiam diuinæ maieſtatis.* Pauciſſimis, & non niſi electiſſimis Deus præoſtendit gloriam cæli, vt Moyſi, Paulo, quia vix aliquis illius conſecutionem ſperare poſſet, ſi parua ſua merita eius magnitudini ſibi oſtenſæ compararet. Tanta eſt noſtra imperfectio, quòd Deus miſericorditer occultet futuram mercedem, ne fragilitatis noſtræ conſcij deſperemus. *In quantam miſeriam cecidimus* Gregor. (dicit Gregorius) *qui ipſum bonum ferre non poſſumus, ad quod creati ſumus!* Hæc eſt fortè cauſa, quòd Sancti, quibus Deus in hoc mundo, eos præueniens in benedictionibus dul-

dulcedinis, propinat ſubinde guttulam torrentis voluptatis & vbertatis domus ſuæ (quam abſcondit ordinariè timentibus illum) non aliter exclament, quàm ſi à chirurgo per ſectionem aut aduſtionem afficerentur dolore, dicentes: *Satis eſt Domine, ſatis eſt.* Non eſt illis exoſa illa prælibatio, ſed meritò timent quòd fiet ſcrupuloſa, propter rationem iam allatam.

204. Nota. Aliquibus plus, aliquibus minùs innoteſcit gloriæ magnitudo. Quibus magis nota eſt, eamdem emunt mercatorum more. De his in-
Matth. 13, 44. Simile. tellige illud Euangelij: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quē qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum.* Eodem modo pro inuenta pretioſa margarita negotiator Euangelicus vēdit omnia quæ habet, & emit eam. Alij obtinent gloriam eo modo, quo milites ſpolia & honorem victoriæ, quæ illi quidem ſperant, non tamen præuident, nec in particulari illius præhabent notitiam. In priorum numero ſunt Religioſi, qui, vt aſſecurent ſibi theſaurum & margaritam æternæ gloriæ ſibi ex parte notam, non ſunt contenti ſtatutum Euangelicum pretium offerre, quod eſt infimum, cui ſi vel obolus deſit, emptio nulla & irrita e-
Matth. 19, 17. rit venditoris iudicio, qui dixit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* ſed vendunt omnia quæ habent, vt non modò iuſto, ſed pretio ſupererogationis emant. Alij inſtar militum, cùm varius ſit euentus belli, pugnando potiùs quàm emendo gloriam contendunt aſſequi. Nam qui mandata Dei ſolùm ſeruare intendit, potiùs reſiſtit peccato (culpabilis eſt enim illorum tranſgreſſio) quàm aliquid per modum contractus tribuat. Qui huiuſmodi ſunt, illis gloria miſericorditer occultatur: vix enim ſperare poſſent, rem tam immenſam tam facilè obtineri poſſe. Vnde dicitur: *Vincenti dabo manna abſconditum.* Apoc. 2, 17. Ignotæ ſunt enim militi diuitiæ ciuitatis in cuius obſidione laborat, & quam vaſtationi militum deſignatam iri ſperat. Ementi autem theſaurum, etiam margaritam non omnino ignotam Euangelium promittit.

205. Qui aliquid prægustarunt de gloria cæleſti, ſemper territi fuerunt, & ad ſeruiendum Deo promptiores facti. Moyſes, Deo tranſeunte coram eo (petierat enim ſibi oſtendi faciē eius) ait: *Dominator Domine Deus,* &c. *fe-* Exod. 34, 6.8.
ſtinuſque curuatus eſt pronus in terram, &c. Elias etiam videns in ſibilo auræ tenuis Dominum, *operuit vul-* 3. Reg. 19, 13.
tum ſuum pallio. Daniel cecidit in terram ad conſpectum Angeli gloria & honore cæleſti fulgentem. Item Ioannes in Apocalypſi, *Cùm viderem,* in- Apoc. 1, 17.
quit, *cecidi quaſi mortuus.* Eodem modo ſancti Apoſtoli conturbati & conterriti ſunt quidem, quia exiſtimabant ſe ſpiritum videre, ſed meritò etiam conturbati erant, ſuæ fragilitatis & ſpiritualis inopiæ conſcij, qui videbant ad quàm excellentem gloriam meritis illorum dandam erant creati. Non enim videbant Chriſtum nō habentem ſpeciem neque decorem, ſed gloria reſurrectionis fulgentem. vnde etiam illum minimè nouerant, exiſtimantes ſe ſpiritum videre.

206. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me* Lucæ 24, 39.
videtis habere. De leuitate eorum qui facilè omni ſpiritui credentes, ſeque illicitis conſuetudinibus & dubijs conſcientiæ exponunt, ac de piorum religioſa ſollicitudine, qui in dubijs per infuſum à Deo lumen ab errori-

bus liberantur. Conſule hac de re *Tract.*1.*Diſcurſ.* xxix.

DOMIN. IN ALBIS.

Ioan. 20,19. 207. *Venit Ieſus, & ſtetit in medio.* Ad ſummum honorem aſſumptus, & glorioſa immortalitate donatus, nõ dedignatur Chriſtus abiectos ſuos diſcipulos, ſed viſitat eos ſimul cõgregatos, & propter metum Iudæorum latitantes. Numquam non docet humilitatem in vita, in morte, poſt mortem, imò in ſumma iudiciariæ poteſtatis maieſtate. Quòd hanc virtutem in vita docuerit & exhibuerit nobis imitandam, nemo eſt qui ignoret. Quòd autem hæc virtus maximè in illo ſplenduerit in morte, quando non erat illi ſpecies neque decor, probat Paulus, cùm ait: Phil. 2, 8. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem,* &c. vnde benè dicitur: Act. 8, 33. *In humilitate iudicium eius ſublatum eſt.* ſic legunt LXX. Vulgata lectio in Iſaia, de quo Lucas hæc verba deſumpſit, habet: Iſa. 53, 8. *De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt.* Nam propter Chriſti humilitatem, abiectionem & ſilentium, ſuperbi Põtifices, neglecto omni ordine Iuris & iudicij, illũ condemnarunt.

208. Lectionem ergo humilitatis vſque ad mortem continuauit, quam etiam poſt mortem non intermiſit: nam glorioſus effectus, abiectos ſuos diſcipulos non vilipendit. videtur quòd cum honore (ſi fieri poſſet) eius humilitas creuerit. Nam qui dixerat in vita, Matth. 23,10. *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus;* item, *Vocatis me magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum etenim:* Ioan. 13,13. ille poſt reſurrectionem mandat mulieribus, Matth. 28,10. *Ite nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Certè Apoſtoli in omnium oculis tunc vileſcebant, tamquam ſequaces magiſtri extremo ſupplicio affecti. Item multùm ſe abiecerant, dum relicto eo omnes fugerunt, & per ignauiam ſuam videbantur omni honore indigni, quandoquidem propter metum Iudæorum in vnum congregati, tam abiectè latitabant: tamen, quod miratur etiam Paulus, *non confunditur fratres eos vocare.* Hebr. 2,11. Quid mirum, qui etiam in ſede ſuæ maieſtatis dicturus eſt: Matth. 25,40. *Quàm diu feciſtis vni ex his fratribus meis,* &c. *Vocat fratres* (dicit Seuerianus) Seuerianus. *quos benignus heres ſibi præſtitit coheredes: vocat fratres, quos Patris ſui adoptauit filios.* Solet dici à Belgis de eo qui eiuſdem rei ſæpè iteratam mentionem facit: *Het eerſte is het leſte, ende het leſte is het eerſte.* Verè hoc de Chriſto dici Simile. poſſe videtur, qui doctrinam ſuam à lectione humilitatis inchoauit, reclinatus in præſepio, & eamdem eiuſdem virtutis declaratione conſummabit, ſedens in ſede maieſtatis ſuæ.

209. Nec mirum quòd in iudicio eos tam honorifico dignetur nomine, quando ab omni peccato liberi, iam iam æterna gloria donandi erunt. Nam *tum ſtabunt iuſti in magna conſtantia* Sap. 5,1 *aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt,* volantes nimirum gloriam & honorem iudicis ſedentis in ſede maieſtatis ſuæ; cùm etiam illos, qui præ nimia puſillanimitate relicto eo fugerant, & iam propter metum Iudæorum latitabant, cenſeat hoc nomine non ſolùm animandos, ſed etiam honorandos eſſe, dicens mulieribus: *Nuntiate fratribus.* Matth. 28, 10. In iudicio fratribus ſuis ſtantibus (nam *ſtabunt iuſti,* &c.) ipſe ſedebit, poſt reſurrectionem verò *ſtetit Ieſus* Ioan. 20,19. *in medio,* &c.

210. Docet igitur Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, & continuat lectionem humilitatis, qui non dedignatur abiectis ſuis & contemptibilibus diſcipulis ſe adiungere. In quo poſt

Ma-

Digitized by Google

Mariam, quæ Filio ſuo in cruce ſe matrem eius omnium oculis declarauit, illum imitari debemus. Item Chriſtus probat ſe verum amicum, qui omni tempore diligit, ac proinde diſcipulis in deſolatione & aduerſitate non defuit. De vtroque, nimirum de vera humilitate, quæ non dedignatur obſcuros, ac fideli amicitia quæ conſolatur oppreſſos, conſule *Tract*.x. *Diſcurſ*.v.

Ibid. 211. *Stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis*. Miſericordia pauperibus & afflictis neceſſaria, tunc nomen iuſtitiæ (quæ ab auditione mala liberat) meretur, quando omnibus communis nulla partialitate vitiatur. Nam etſi exiſtimetur liberalis fortè, non tamen fidelis cenſendus eſt eleëmoſynarius, qui quod in multos diſpergendum à Deo accepit, in vnum fortè minùs indigentem accumulat; qui verò cum Chriſto in medio ſe conſtituit, nō vni ſed multis conſolationem & pacem impertit. Habes hæc ordine *Tract*.ix. *Diſc*.xix.

Ioan. 20, 17. 212. *Infer digitum tuum huc*, &c. *& noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Hic agi poterit de bonis operibus, quæ etſi per ſubſequens peccatum mortificentur, non eſt tamen iniuſtus Deus vt eorum omnino obliuiſcatur, quin de cōgruo ſaltem proſint, vt lapſus ad reſurgendum efficaciùs à Deo iuuetur, ſicut patet in S. Thoma, cuius feruentis fidei, qua ceteros ad commoriendum Magiſtro ſuo inuitans dixerat, *Eamus* Ioan. 11, 16. *& nos, vt moriamur cum eo*, Chriſtus non immemor, eidem Vulnera videnda, imò & palpanda obtulit, & ita incredulitatis plagam eius curauit. Ex his patet, magnæ prudentiæ eſſe, facilè ad ſtatum perfectionis moueri, qui continuè benè operandi præbet opportunitatem (ad quem etiam à Deo vocati cenſentur, qui gratiam illam ſua culpa negligentes, in eo defecerunt) vt per bona opera in ſtatu gratiæ facta mereantur à Deo erigi, ſi contingat eos in peccatum per fragilitatem labi. Conſule hac de re *Tract*.i. *Diſc*.xiv.

DOM. II. POST PASCHA.

213. *Ego ſum paſtor bonus: & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ*. Ioan. 10, 14. Boni paſtoris eſt ſe videndum exhibere, vt ab ouibus fructuosè poſſit audiri. Paſtori dicitur: *Quaſi tuba exalta vocem tuam*. Isa. 58, 1 Superiores debent eſſe tibicines, manibus & verbis ſubditos excitantes. Simile. Subditis ſufficit ſi ſint citharœdi vel tympaniſtæ, & ſolis manibus, id eſt bonis exemplis dent voces, nihil loquendo. Eſt enim boni ſubditi officium, tacere & ſilere; obtemperare, non imperare: ſuperiores autem ad exemplum Chriſti, qui dicit, *Ego ſum paſtor bonus*, Ioan. 1, 11. ad vtrumque obligantur; nam *cœpit Ieſus facere & docere*. Act. 1, 1 Verùm Simile. aliqui in Eccleſia cantoribus ſimiles ſunt, qui optima & ſalubertima canunt in templis, interim nihil boni operantur, ſed hoc Phariſæorum, de quibus ait Chriſtus: *Dicunt enim, & non faciunt*. Matth. 23, 3.

214. Teſtatur Ioannes, in Patmos ſe vocem, quam audierat, videre voluiſſe. *Audiui*, inquit, *poſt me vocem magnam tamquam tubæ*. Apoc. 1, 10. Eodem modo bonus paſtor poſt oues ſuas dat vocem, *vt aures audiant verba poſt tergum monentis*. Iſa. 30, 21. Sæpè ſumus oues errantes, atque adeò clamare debemus cum Propheta: *Erraui ſicut ouis quæ periit: quære ſeruum tuum*, &c. Pſ. 118, 176. Boni igitur Paſtores mouent, ſed à tergo, fugitiuos nimirum peccatores, vt à terrenis ad Deum & cæleſtia conuertantur.

215. Vt autem bonus paſtor ſciat, parū eſſe ſi bonum dicat quod ab ouibus audiatur, niſi etiam agat quod videri poſſit, nota quod dicit Ioannes: *Conuerſus* Apoc. 1, 12.

Digitized by Google

uerſus ſum vt viderem vocē quæ loquebatur mecum. Videtur hîc incongruè loqui: nā voces audiuntur, ſed non videntur. Nota ergo, videre idē eſſe quod cognoſcere aut perſpicere. & ita exponit Lyranus verba Ioannis, allegans id quod ſcribit Moyſes de Iſraëlitis, dicens: *Cunctus autem populus videbat voces.* Quia enim viſus eſt certiſſimus (vnde *pluris eſt oculatus teſtis vnus quàm auriti decem*) pro quolibet ſenſu & cognitione ſumitur. Sed meliùs ad propoſitum noſtrum per vocem, quam Ioannes videre cupiebat, intelliges vocis prolatorem cum eodem Lyrano. Exod. 20, 18.

216. Quòd enim efficaciora ſint, & magis notatu digna, bona quæ in Prælato videntur, quàm quæ ab illo audiuntur, patet ex eo quòd is ad quem Ioannes ſe conuertebat, mandauerit, non vt audita ſcripto exciperet, ſed viſa. *Scribe ergo quæ vidiſti*, inquit, *& quæ oportet fieri poſt hæc.* Apoc. 1, 19. verum eſt, Orator, qui legatione fungitur apud Regem, magis eſt ſollicitus vt appoſitè dicat, quàm vt geſtus & actio dicendis concinnè reſpondeat: bonus tamen paſtor præcipuam vim ponere debet in actionibus quas ſubditi vident. Simile. Pauciſſima poſteritati relicta ſunt, quæ olim à Sanctis dicta fuerunt: ad amuſſim autem facta illorum memoriæ mandantur. Profeſſor in ſcholis, qui munere ſuo vt oportet fungitur, non percutit aërem verbis quę aures demulceant audientium, & ſi quæ talia profert, non vult vt ſcripto excipiātur, ſed examinat & caſta documenta, quæ non priùs ore profecta, quàm proprijs manibus in ſcribendo ab eodem elaborata ſunt, diſcipulis pro lectione dictat. Simile. Diſcipulus autem diligens, quæ ſemel ex ore dictantis excepit auribus, ea centies perleget, & oculis perſpiciet in ſuis ſcriptis. Eodem modo bonæ ouis eſt, boni paſtoris vocem quidem audire, ſed etiam quæ bona facit in anima per imitationem ſcribere.

217. *Vocem meam audient.* Hîc agi Ioan. 10, 16. poterit de veri obedientis conditione, qui iumento ſimilis ex agentis beneplacito ita pendet, vt illud nouiſſe ſufficiat: præcepti autem rationes non requirit, cùm ſit contra rationem & conditionem ſubditi, cuius eſt audire, diſcutiendo agendorum cauſas, oculi munere fungi velle. Qua de re vide quæ habentur *Tract.* IV. *Diſcurſ.* III.

DOM. III. POST PASCHA.

218. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos.* Ioan. 16, 20. Ne mala quæ premunt electos, deijciant eos illorum præuiſione, hinc eſt quòd conſolatione futuræ mercedis, quæ fortiter tolerantibus promittitur, armentur. Prædicit igitur hîc Christus Apoſtolis planctum & fletum, ſed promittit etiam ſubſequens gaudium, dicens: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* ℣. 20. Sic enim Deus diſpoſuit, inquit Bernardus: *Vt neque inopinata eueniant, neque omnino ſine conſolatione relinquant.* Bern. Multùm deijcit hominem inopinatus malorum incurſus, quorum præmeditatio prodeſt vt quis ſe competentibus armis ijs opponat. *Circumdederunt me dolores mortis*, inquit Dauid in perſona hominis non intelligentis aut præuidentis nouiſſima, *& pericula inferni inuenerunt me.* Pſalm. 114, 3. Occurrit quidem hoſtilis acies, non tamen facilè ab ea circumdari ſe permittit dux oppoſiti exercitus, qui arma parat contra illum, ſi de acceſſu illius certior factus eſt. Simile. Strenuus belli dux non parcit ſumptibus, vt ex continua exploratorum conductione recognoſcat quid hoſtis moliatur, vnde

veniat

veniat vel quorſum tendat. Non eſt minima Chriſtianæ militiæ pars, diligenter futura explorare, nam vituperio digna eſt vox ingemiſcentis propter impetum alicuius mali inopinati & dicentis: *Non putabam.*

219. Improuiſa mors affligit, præmeditata leuiùs fertur. Nil minus cogitabat Agag Rex Amalec quàm de morte, adductus ergo ad Samuelem interficiendus circumdatus doloribus
1.Reg. eius, dixit: *Siccine ſeparat amara mors?*
15,32. *Et in fruſta concidit eum Samuel coram*
33. *Domino in Galgalis.* Amara fuit illi mortis memoria, quia pinguiſſimus
℣.32. vocatur. *Oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus & tremens*, dicit Scriptura. Hoſtilis exercitus præuijs impreſſionibus & frequentioribus velitationibus paulatim defatigatur numero & animo, ita vt in præcipuo conflictu facilior ab eo victoria ſperari poſſit: maximè autem hoc verum eſt, quando iſtæ velitationes fiunt in commeatus interceptione. Agag dum viueret, morti nullam impreſſionem fecerat; non eſt igitur mirum, quòd illa iam inſtan-
Simile. te, ipſe pinguiſſimus tremat. Qui igitur ſuccumbere tunc non vult, mortem præuenire & lenire debet frequentibus excurſionibus, vt ieiunijs, vigilijs, à quibus nemo facilè ſe excuſet prętextu ſeruitij Dei, dicens cum
Pſalm. Dauide: *Fortitudinem meam ad te cu-*
58,10. *ſtodiam.* Hunc enim verſiculum non ſatis appoſitè quidam remiſſioris diſciplinæ amatores citare ſolent, in confirmationem ſuæ laxitatis, Dauidi autem talis ſententia, numquam venit in mentem, vt notauit Titelmannus noſter, explicans hunc verſiculum. Diſcamus igitur ex eodem, quomodo
Pſalm. fortitudo cuſtodiri debeat. *Ego autem*
34,13. *cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio* (inquit) *& humiliabam in ieiunio animam meam.* item: *Genua mea in-* Pſalm.
firmata ſunt à ieiunio, & caro mea im- 108,24.
mutata eſt propter oleum. Nemo dicat ergo cum Saule, qui ſe excuſabat quòd gladium ſuum prohibuiſſet à
ſanguine, *Pepercit populus pinguiori-* 1.Reg.
bus, &c. *vt immolet Domino Deo ſuo* 15,32.
in Galgalis: nemo, inquam, laxitatem ſuam palliet, dicens, Parco ego carni, vt ſit fortior ad ſeruiendum Deo, niſi moderamen eſſet diſcretionis, non ſenſualitatis.

220. Erat igitur mors amara pinguiſſimo Agag, at non fuit amara Iob, quem vitæ tædebat; neque Paulo, cui omnia terrena fœtebant vt ſtercora,
qui proinde clamabat: *Cupio diſſolui.* Philip.
item: *Infelix ego homo, quis me libera-* 1,23.
bit? &c. Ecce Agag vitam tenebat, & Rom.
ſeparationem illius timebat: Paulus 7,24.
autem à vita ſe compeditum conqueritur, & ſolutionem deſiderat. Alijs oculis reſpexit Ioſeph ingredientem virum honeſtum à Rege Pharaone in carcerem miſſum, vt ſoluat vincula eius, & indutum veſtem aulicam offerat Regi, alijs autem pincerna tortorem, qui ſoluit eum vt morti deuotum traheret ad locum ſupplicij.
Mors Sanctorum per præuias morti- *Simile.*
ficationum velitationes facta eſt generoſa famula Regis cæleſtis, quæ iuſſu illius ſoluit compeditos, ac proinde *pretioſa in conſpectu Domini mors* Pſalm.
Sanctorum eius. Honorificè educitur, 115,15.
qui innocens ſqualorem & ærumnas carceris paſſus comprobatur. Vnde Eccleſia canit in perſona Regis cæleſtis: *Sancti mei, qui in carne poſiti, certamen habuiſtis, mercedem laboris ego reddam vobis.* Et in perſona Angeli cuſtodis ad virgines morti propinquas: *Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit*
in æternum. Verùm *mors peccatorum* Pſalm.
peſſima, 33,22.

peſſima, quæ inſtar infamis carnificis eos trahit ad æterna ſupplicia.

Pſalm. 17,5. 221. Cùm ergo Dauid ait, *Circumdederunt me dolores mortis*, *& pericula*, &c. repræſentat nobis ſtatum & conditionem peccatoris, quem etiam dum viuit circumdant dolores futuræ mortis, & pericula inferni inueniunt, contra quæ ſpontanea præmeditatione ſe non munit. Violenter enim ſubinde memoria futurorum perrumpit vt affligat impium, dum carni & ſanguini ita operam dat, vt non niſi meſſem corruptionis inde exſpectare poſſit. Perfregit ſæpè fores domus, imò & oſtia ſordidi cubilis in quo Lutherus luxuriabatur, hæc violenta memoria, quæ extorquebat quidem verba quæ internam carnificinam conſcientiæ ſonabant, dum diceret: *Martine, omnia nunc iucunda ſunt, ſed quid erit poſteà?* Sed quia hæc memoria & manifeſta inferni pericula, illum contranitentem inuadebant, peruerſum hominem non emendabant; adeò vt verè potuerit cum Dauide fateri, *Pericula inferni inuenerunt me*. Opportunè importunè, magna diligentia viſa fuerunt me quærere, & ſumma animoſitate oſtia omnia perfringere, vt latitantem vbique aggrederentur. Si miniſtris iuſtitiæ pulſantibus reſiſtitur, fores malefactoris vi effringuntur, qui propter hanc rebellionem reatum ſuum non parum auget: vnde etiam reus deſperat.
(margin: ℣.5.)

222. Vide hoc in Dauide: qui quamdiu doloribus mortis circumdatum, & à periculis inferni ſe ingemiſcit inuentum, ne verbum quidem ex ore illius auditur, quo tam grauia mala deprecetur; verùm in alium mutatus, & iam per pœnitentiam iuſtificatus, ipſe incipit dolores quærere, & Deum inuocare. *Tribulationem & dolorem inueni*, inquit; *& nomen Domini inuocaui*. Super quæ verba benè ad præſens propoſitum ait Gloſſa: *Pericula inferni, quæ priùs ipſum inuenerant, poſtmodum ipſe inuenit; & inde ſtudioſe quæſiuit tribulationem & dolorem*. verba ſunt hominis iuſtificati, qui ne improuiſa mala nimis ſæuiant, præuia inquiſitione eadem temperat. De quolibet iuſto exponitur hoc, dicit Hugo Cardinalis, qui de tribulationis exterioris & doloris interioris inuentione gaudet, dicens cum Iob: *Hæc mihi ſit conſolatio*, &c. Videbis Sanctum ſumma attentione recogitare omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, & ſcrutinio conſcientiæ ſuæ exercitare ſpiritum ſuum. Quid facit? quærit pericula inferni, quando liber eſt ab illis, quæ illum quærebant ſe ab illorum conſideratione auertentem, dum peccatireus certò certiùs æternæ damnationi deuotus erat.
(margins: Pſalm. 114,3. — Hugo Cardin. — Iob 6, 10.)

223. Porrò à Deo illuſtratus, per hanc malorum conſiderationem prorſus ab illis liberatus, ſine conſolatione non relinquitur. Nam alloquens animam, propter peccata antiqua, etſi remiſſa, fortè nimis anxiam ait: *Conuertere anima mea in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi*. Benefecit configens timore ſuo carnes & corpus quod te aggrauat. Ex hoc & multis alijs beneficijs *ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi*. O anima mea, qui cœpit, ipſe perficiet. *Cuſtodiens paruulos Dominus: humiliatus ſum, & liberauit me*. Non deſiſtam nomen Domini inuocare, & ille glorificabit me, adeò vt non mediocri certitudine mihi promittam, quòd *placebo Domino in regione viuorum*.
(margins: Pſalm. 114,7. — Pſalm. 41,7. — Pſalm. 114,6. — ℣.9.)

224. Ex his patet, quòd ſicut Chriſtus

ſtus prædixit huius vitæ fletum Apoſtolis, vt præuiſione temperetur, quem etiam liniuit promiſſione futuræ lætitiæ, dum ait, *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*: ita etiam, ne fletus & ſtridor dentium vitæ futuræ ſuos electos tangat, eorum præuiſione illos conſeruat, & ſpe gloriæ cæleſtis animat. Eſt hic modus apud Deum valdè vſitatus, vt perterreat antequam percutiat, & promittat priuſquam mercedem promat. Et mirandum eſt, quòd etiam erga peccatores hanc exerceat miſericordiam, etſi ijs valdè iratus ſit. Omnia iram & indignationem ſonant, quæ Ioannes conſiderauit in illo quem deſcribit ſummo ſtudio Apocalypſis 1. vt tranſeam tunicam qua indutus erat (vidit eum *veſtitum podère*) quæ alicuius miſericordiæ ſpeciem præbet. vnde etiam fuit veſtis Pontificis, ex qua dependebant mala punica & tintinnabula, de qua dicitur: *In veſte podèris erat totus orbis terrarum*: quâ in ſumma ira indutus apparuit, vt ſciamus, quòd non iudicet abſque miſericordia. vnde Propheta ait: *Numquid obliuiſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* reliqua omnia ſolo auditu terrent.

Ioan. 16,20. — Apoc. 1,13. — Sap. 18, 24. — Pſalm. 76,10.

225. In primis vidit *præcinctum ad mamillas zona aurea*. Et quamuis non deſint, qui zonam hanc auream, dignitatem regiam, aut ſapientiam, alij verò caſtitatem interpretentur (vnde Gloſſa ordinaria notauit, quòd quem Daniel cinctum renibus vidit, hunc Ioannes ad mamillas cinctum aſſerat; quia tunc opera carnalia conſtringebantur; in nouo autem Teſtamento etiam cogitationes indicantur) imò non deſint qui putent, hanc zonam etiam ſignificare Dei miſericordiam tamen meliùs ad propoſitum noſtrum interpretatur Hugo Cardinalis, hanc zonam eſſe iuſtitiæ ſymbolum. vnde Iſaias ait: *Indutus eſt iuſtitia vt lorica*. item: *Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius*. item Sapiens: *Circumcinxit eum zona iuſtitia*, vt legit idem Hugo; communis autem lectio habet, *zona gloriæ*. Porrò benè ponderat Manriquez lib. 3. diſ. 4. §. 2. quòd non ſit præcinctus quocumque modo, ſed vſque ad mamillas. vnde magis eius indignatio ponderanda videtur, quæ excludet omnem blanditiem, quæ per vbera ſignificatur, ſecundùm illud: *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, &c. ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis*.

Apoc. 1, 13. — Gloſſa ordin. — Iſa. 59, 17. — Iſa. 11, 5. — Eccli. 45,9. — Manriquez. — Iſa. 66, 12.

226. *Caput autem eius & capilli erant candidi*. Quibus ſignificatur Iudicis omniſcientia, vt interpretatur Cornelius. vnde meritò terribilis eſt malefactoribus. Verùm *oculi eius ſicut flamma ignis*. Quamuis aliqui putent, his etiam perſpicacitatem eius ſignificari, & alij aliter interpretentur, eorum tamen opinio (inter quos eſt Ribera) meritò probanda eſt, qui dicunt, oculos flammantes, Chriſti iram & vindictam in perſecutores Chriſtianorum & alios impios repræſentare. Sunt autem etiam ſicut flamma ignis, quia non cognoſcit Deus per receptionem ſpecierum, ſed luce ſibi connaturali *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*.

Apoc. 1,14. — Ibid. — Ribera. — 1. Cor. 4,5.

227. Ne aliquid calore iracundiæ vacuum in illo eſſe putetur, à planta pedum vſque ad verticem ſigna indignationis manifeſtantur. Nam ſicut oculi vt flamma ignis; ita *pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ignis*. Reſtabat autem vt voce commotionem ſuam notam faceret. Subdit ergo Apoſtolus: *Et vox illius tamquam vox* Ibid.

♈. 15.

aquarum multarum. Per hanc vocem, quæ inſtar aquarum inundantium omnia ſubuertet, ſignificatur furor condemnantis impios in die iudicij. Omnia igitur quæ hîc relata ſunt, ſonant terrorem & indignationem.

228. Sed in ſumma hac ſua ira manent duo ſigna miſericordiæ, de quibus in præſentiarum eſt ſermo. Nam ſignificat, quod ſine prænotione non immittat mala, & quòd conſolationem non denegaturus ſit ijs qui ex horum præuiſione ſe conuerterint ad meliorem frugem. Additur enim:

✝. 16. *Et habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Gladium habet in ore, vt ſignificetur quàm ſit tardus ad percutiendum, & quòd diu & ſæpè minis & verbis terreat atque feriat: quod ne citò etiam fiat, dexteram, qua mercedem ſuis electis diſtribuit, habet ſeptem ſtellis occupatam. vnde etiam in die iudicij niſi priùs expedierit dexteram per diſtributionem regni cæleſtis quod paratum eſt iuſtis, dicendo, *Venite bene-*

Math. 25, 34. *dicti*, &c. non conuertet ſe ad hœdos.

✝. 41. *Tunc dicet his qui à ſiniſtris erunt*, dicit Euangeliſta; facta nimirum gloriæ cæleſtis diſtributione. *Tunc dicet*, &c. Si ergo malis & inimicis ſuis dat leniatis ſignificationem, quantò magis metuentibus ſe illam præſtabit? In hodierno igitur Euangelio prædicit. Apoſtolis futuram triſtitiam, & conſolatur promittens eis, quòd tandem iucundam & tranquillam vitam agent, &c.

Ioan. 16, 20. 229. *Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Hîc datur occaſio agendi de patientia, quæ tantò magis neceſſaria eſt, quantò plura in hoc mundo toleranda occurrunt, quibus impatiens non ſolùm in corpore, ſed etiam, & quidem præcipuè in animo læditur. Per patientiam verò fit, vt quod ferendum eſt, minorem moleſtiam & maiorem patienti cauſet mercedem. Vt enim frigus non tam Simile. pro ſui quàm pro patientis cuiuſque naturali conditione magis aut minùs vrit (vnde fit, quòd non omnes dicantur patientes frigoris) ita idem incommodum non eodem modo afficiat impatientem & fortem. Vide hac de re *Tract.* VIII. *Diſc.* X.

DOM. IV. POST PASCHA.

230. *Quia hac locutus ſum vobis*, Ioan. 16, 6. *triſtitia impleuit cor veſtrum.* Quamuis omnes flores ſuam venuſtatem ſortiantur ex cæli influentijs & radijs ſolis, non tamen omnis illam naturalem propenſionem oſtendunt erga ſolem & cælum, ſicut heliotropium, quod à Belgis noſtris flos ſolis, & propriè vocatur *Sonnen uvende*: hic enim flos non quieſcit niſi ſolem reſpiciat, & ideò quaquauerſum ſe torquet & retorquet, vt etſi radicibus ſolo hæreat, aſpectu tamen ſemper ad ſolem ſe conuertat, quo oriente reuiuiſcit, ſe explicat, & quaſi præ lætitia folia dilatat; quo occidente marceſcit, ſe reſtringit, & ac ſi mortem alicuius lugeret, decorem ſuum abſcondit. Non aliter ſe gerit, quàm ſi de abſen- Simile. tia triſtaretur, & de præſentia illius ſibi gratularetur. In hunc modum etſi omnes homines vniformiter dependeant à Deo; cui quidquid habent boni aut decoris acceptum ferre tenentur, non tamen eodem modo illi in ſignum recognitionis afficiuntur. Anima in peccato ſine Deo meritò luget, qui ait: *Væ cùm receſſero ab eis.* Ierem. 2, 19. item: *Scito, & vide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum*

Digitized by Google

Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum; ſed multùm abeſt, vt de receſſu eius omnes triſtentur, quin aliqui ſint
Prou. *qui lætantur cùm malè fecerint & ex-*
2,14. *ſultent in rebus peſſimis*: cùm tamen certum ſit, eos delectabili præſentia Dei deſtitutos eſſe. Vnde ait Dauid:
Pſ.5,6. *Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos*. Sicut igitur nonnulli ſunt tam mali, vt non curent, etſi receſſerit ab illis Sol iuſtitiæ; ita quidam etiam ſunt parum boni, & tam tepidi in amore eius, vt non ſint cum illo contenti, ſed ſi aliquid eis deeſt, gemunt & melancholizant. quos monet Dauid dicens:
Pſalm. *Delectare in Domino, & dabit tibi pe-*
36,4. *titiones cordis tui*.

231. Non defuerunt tamen vmquam, ſed nec modò deſunt in Eccleſia Dei, qui oſtendunt illi eamdem propenſionem, quam heliotropium
Simile. ſoli exhibet: quòd etſi ſerena nocte ſplendeat luna, & innumeræ ſtellæ mira claritatis venuſtate & varietate ſcintillent, tamen non ſemel vel vnum foliolum explicat, ſed irremediabili luctu abſentiam ſolis deplorat. Contrà verò ſi de die ſit tempeſtas, venti ſpirent, & ſolum, in quo radices fixit, terræmotu concutiatur, & euerti videatur, ad ſolius ſolis præſentiam exhilareſcit, & omnia incommoda contemnit. Audi Dauidem, quem tam amplum regnum tot rerum ſublunarium copiæ & ſtellarum fulgores
Pſalm. conſolari non potuerunt. *Heu mihi,*
119,5. inquit, *quia incolatus meus prolonga-*
Pſalm. *tus eſt*. item: *Quemadmodum deſide-*
41,2. *rat ceruus*, &c. item: *Fuerunt mihi*
Pſalm. 41,4. *lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus?* Videbis ergo Sanctos in proſperitate huius vitæ deſolatos, triſtes non minùs quàm illi quorum tribulationes & perſecutiones deſcribens Paulus, ait, quòd erunt *anguſtiati*, Hebr.
afflicti, quibus dignus non erat mundus. 11,37. & 38.

232. Exponit Gloſſa, ac ſi Paulus his verbis excellentiam Sanctorum prædicaret, *quibus*, id eſt quorum conuerſatione mundus non erat dignus. Hoc modo intelligit Chryſoſtomus, Chryſoſtom. qui ait, quòd tota huius mundi ſtructura, & omnes Reges & magnates, ſi cum vno Sancto conferantur, non poſſent illius pretio reſpondere. Nam *me-* Eccli.
lior eſt vnus timens Deum, quàm mille 16,3.
filij impij. Sic communiter exponitur locus iſte. Pro quo nota, in Scriptura aliquid dignum altero æſtimari, quod pretium illius adæquat, & tanti valet quanti illud cum quo comparatur. Hoc ſenſu intellige illud Pauli: *Non* Rom.
ſunt condignæ paſſiones, &c. item illud 8,18.
Prophetæ: *Quid dignum offeram Do-* Mich.
mino? Si totus mundus redigeretur 6,6. ſub pretio, vel vni ſoli Sancto comparari non poſſet. Quod enim vnus Sanctus ad ſolatium hominum facit, hoc omnes Reges mundi, adhibito omni creato conatu poſſibili, exhauſtis omnibus theſauris ſuis, efficere non poſſent. Vt ex pluribus, vnius vel alterius exemplo hanc veritatem confirmamus. Moyſes mare diuiſit, tandem aquas iterùm reduxit. *(Percuſſit petram,* Pſalm.
& fluxerunt aquæ) manna de cælo 77,20. pluere fecit, &c. Certum eſt, quòd omnes Reges ſimul non potuiſſent hæc omnia, imò nec horum minimum facere. Ioſue fecit ſolem ſtare: Elias clauſit & aperuit verbo cælum. Manet igitur verum, quòd vno Sancto mundus non ſit dignus.

233. Ceterùm aliter, & ad propoſitum noſtrum accommodatiùs, prædicta verba, *quibus dignus mundus non* Hebr.
erat, exponere videtur noſter Titel- 11,38. Titelm.

man-

mannus, vt ſignificent, quòd mundus
in oculis Sanctorum valdè vileſcit,
ita vt clament, *Quomodo mihi terra vi-
leſcit, dum cælum intueor?* Quidquid
ſit de mente Titelmanni, certum eſt,
Hugo Card. quòd Hugo Cardinalis poſt commu-
nem iam allatam interpretationem et-
iam hanc ponat, *Quibus dignus*, id eſt
qui mundanam proſperitatem non re-
putabant dignam (inquit) vt eam ama-
Phil. 3, 8. rent, & in ea ſiſterent. vnde Paulus ait:
Omnia arbitror vt ſtercora, &c. item:
Gal. 6, 14. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego
mundo.*

234. Si quæ mulier in tumultuan-
tium & epulantium conuentu lacry-
mis irremediabilibus deploraret ma-
riti ſui aut mortem aut abſentiam, &
noller ab aliquo conſolationem ad-
mittere, non eſt dubium quin ceteris,
qui ad collætandum conuenerant, eſſet
moleſta, imò ſua moroſitate ad indi-
gnationem inuitatos prouocaret. Ma-
gnus erat olim triumphus inter auli-
cos Regis Dauid, cùm parta victoria
2. Reg. 19, 1. reuerſi eſſent. *Nuntiatum eſt autem
Ioab, quòd Rex fleret & lugeret filium
ſuum: & verſa eſt victoria in luctum
in die illa omni populo.* Valdè indigna-
bundus Ioab ad Regem ingreſſus, ait
℣. 6. inter alia multa: *Verè cognoui modò,
quia ſi Abſalom viueret, & omnes nos
occubuiſſemus, tunc placeret tibi.* Hoc
idem eſt ſeminarium odij quo mun-
dani inardeſcunt contra Sanctos, qui
non deſinunt lamentari abſentiam Dei
Simile. ſui. Et verè in pace ſe fore oſtendunt,
Deum ſibi præſentem haberent, etſi
reliqua abeſſent. Nam, vt dixi, ſicut
heliotropium nocte luget ſolis abſen-
tiam, nihil curans lunæ & ſtellarum
ſplendorem; ita omnia creata iuſtum
ad Dei conſortium anhelantem refi-
cere non poſſunt, cui mundus vi-
leſcit.

235. Non deſunt etiam, qui natu-
ram illius ſolis alio modo repræſen-
tant: nam dum illis adeſt Deus, etſi
circumdent eos mala quorum non eſt
numerus, conſolati ſunt & hilares. *Po-* Iob 17,
ne me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet 3.
contra me, dixit vnus. Alius ait: *Etſi* Pſalm.
ambulauero in medio vmbræ mortis, non 22, 4.
timebo mala, quoniam tu mecum es.
Multa grauia paſſa eſt B. Virgo, tamen
de nullo, quàm de dolore quē ex Filij
ſui abſentia ſenſerat, conqueſta legi-
tur. *Fili, quid feciſti nobis ſic?* inquit, Lucæ
ecce pater tuus & ego dolentes quærеba- 2, 48.
mus te. Apoſtoli perſecutiones, tribu-
lationes, mortem & exilia, quæ Chri-
ſtus illis prædixit, apprehenderunt,
quæ affecerunt quidem corda illorum,
ſed ſola triſtitia impleuit illa quam de
eius receſſu conceperunt. vnde ait:
Quia hæc, &c. *triſtitia impleuit cor ve-* Ioan.
ſtrum. Hic dolor ingeſſit illis imagi- 16, 6.
nem illius, quem damnati patiuntur
ex ſubtractione viſionis beatificæ, vt
efficaciùs pro conuerſione peccatorum
orantes, illum apud Deum deprecen-
tur. Conſule de hac re pro ampliori
huius materiæ deductione *Tract.* VIII.
Diſcurſ. III.

236. *Expedit vobis vt ego vadam.* Ioan.
Mira res! qui propter nos homines & 16, 7.
propter noſtram ſalutem deſcendit de
cælo, quem olim Patres tot gemitibus
& lacrymis inclamarunt vt deſcende-
ret, ait quòd expediat ijs quibus ve-
nit, vt recedat. Si dixiſſet, Ratio officij
mei & iniuncti muneris requirit vt re-
uertar ad eum qui me miſit, benè qui-
dem: ſi allegaret ſuam vtilitatem, &
diceret ſibi melius fore vt abeat; om-
nes qui diligerent eum, hoc no-
mine de maiori bono dilecti ſui me-
ritò gauderent, ſecundùm illud: *Si* Ioan.
diligeretis me, gauderetis vtique, quia 14, 28.
vado ad Patrem, quia Pater maior
me

Digitized by Google

me eſt. Aut ſi diceret ſe à Patre reuocari, à quo miſſus fuit, forſitan maiori cum reſignatione reſpondiſſent, Fiat voluntas eius. Angelus Raphael, abſolutis negotijs pro vtilitate Tobię pertractandis, hac ratione ſibi recedendum eſſe inſinuauit, dicens: *Cùm eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram*, &c. *Tempus eſt ergo vt reuertar ad eum qui me miſit*. Eodem modo Christus allegare potuiſſet auctoritatem Patris, qui ſicut miſericorditer eum miſit, ita vſus eſt iure ſuo quando reuocauit.

Tob. 12, 18. 20.

237. Verùm nihil horum dixit Filius Dei, qui omnia ad noſtram vtilitatem ordinat. Vnde ſicut propter ſalutem noſtram deſcendit de cælis, vt eamdem efficaciùs promoueret, receſſit. Sed inquiri poſſet, quomodo nobis expedierit vt abiret. Primò voluit magis amari & deſiderari. Viri Iericho, qui vtcumq; Eliam ſuſpiciebant præſentem, & cum illis conuerſantem, ablatum ardentiùs deſiderarunt, & diligentiùs quæſierunt. Sponſa dilectū, quem pulſantem paruifecit, abſentem non parcendo ſanguini quæſiuit. *Anima mea deſiderauit te in nocte*, inquit Propheta; in nocte præſentis vitæ. Deſiderium, propriè loquendo, eſt rei non habitæ, dicit Lyranus; delectatio, rei præſentis. Apoſtoli minori quàm oporteret deſiderio eius tenebantur qui eſt totus deſiderabilis, quibus expediebat proinde vt recederet, quatenus ceſſante infirma delectatione, eorum deſiderium creſceret.

4 Reg. 2. Cant. 3. Iſa. 26, 9. Lyran.

238. Sed expediebat præcipuè, vt ſe ſenſibus ſubtraheret ſenſualiter nimis amantium. Nam *carnalis affectus gratiam expellit, naturalis impedit*, inquit Hugo Cardinalis. *Niſi carnis præſentia ſubtrahatur*, dicit Bernadus, *ſpiritualem plenitudinem mens occupata non admittit. Date, & dabitur vobis. date Chriſtum ſecundùm carnem, & dabitur vobis ſecundùm ſpiritum. Caro non prodeſt quidquam*, dixit alibi Chriſtus: quia etſi munda ſit & ſancta, niſi tamen ſimul apprehendatur diuinitas ei aſſociata, non ſolùm non prodeſt, ſed etiam obeſt. Igitur intelligendum hoc ſecundùm interpretationem Cyrilli lib. 4. cap. 23. & 24. de ſola nimirum carne ſine diuinitate. Hanc ſententiam ſequitur etiam Auguſtinus Tract. 27. in Ioannem, & explicari poteſt ſenſu illius quod dicit Paulus 1. Cor. 8. *Scientia inflat, charitas ædificat*. id eſt ſola ſcientia, quæ non eſt charitati vnita, inflat. Chriſtus, in cuius labijs diffuſa erat gratia, ſpecioſus præ filijs hominum, ita rapiebat affectum Apoſtolorum, vt de diuinitate eius parum cogitarent, ideò ei recedendum erat. Si expediebat ſanctum, innocentem, impollutum; cælis celſiorem, ſegregatum à peccatoribus abire; quis ſine timore audebit hominem in iniquitatibus conceptum amare? quis non timebit ſenſualitati ſuæ in ſocietate alterius ſenſualis, ſi expediebat vt recederet cæleſtis? Ex his patet, quòd pauci ſint qui ex creaturarū venuſtate aſſurgant ad contemplationem pulchritudinis diuinæ: qui autem non proficiunt, ex illarum aſpectu deficient, licet earum officium ſit, vt ſpectatores ad creatorem deducant. Conſule hac de re *Tract. II. Diſcurſ. XV.*

Hugo Cardin. Bernar. Lucæ 6, 38. Cyrill. Auguſt. 1. Cor. 8, 1.

DOM. V. POST PASCHA.

239. *Amen amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Commodè intelligi debet hæc tam ampla promiſſio, non enim ſemper iuſti v.g. à peccatoribus interpellati à Deo exaudiuntur. Cuius occaſione diſſeritur, quod meritò inefficax ſit illo-

Ioan. 16, 23.

illorum ſupplicatio, qui non allegant merita pro quibus ſollicitant, ſed dumtaxat ob illorum importuna vota, rogati rogant. Qua de re vide *Tract.* IX. *Diſcurſ.* II.

℣. 27. 240. *Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia ego à Deo exiui.* Melius eſt hominem ſpe bonitatis & miſericordiæ duci, quàm timore rigoris aut iuſtitiæ Dei cogi. Hinc Chriſtus, vt ſupplicibus, qui vt oportet orant, fiduciam ſuggerat benignæ exauditionis, Patris ſui amorem illis ſecurum reddit. Vnde benè dixit Paulus: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* (Rom. 8, 15.) Verum eſt, timentibus Deum etiam ſpes aliqua adeſt, ſed latet, niſi verè ſit filialis timor, & ideò ijs in occulto reſeruatur guſtus futuræ dulcedinis. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*, dicit Dauid, *quam abſcondiſti timentibus te!* (Pſalm. 30, 20.) ſed in maiori copia exhibetur eis, qui etſi ſine ſancto timore non viuant (nam *beatus vir qui timet Dominum*, &, *Timor Domini ſanctus*) (Pſalm. 111, 1. Pſalm. 18, 10.) tamen latitantem timorem manifeſta & triumphante quadam fiducia tegunt. vnde ſubditur: *Perfeciſti eis qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum.* (Pſalm. 30, 20.) Vberiorem dulcedinem illis præparaſti, qui coram omnibus publicè ſignificant ſe ſperare.

241. Nota: aliqui ſunt, qui exteriùs ita agunt, vt non videantur collocare ſpem in Deo. Tales erant de quibus ait Dauid: *Quia non crediderunt in Deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius.* (Pſalm. 77, 22.) item: *Videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & præualuit in vanitate ſua.* (Pſalm 51, 8. 9.) Verè ridebunt eos qui præualent in vanitate ſua; ſtultum enim eſt ſperare in incerto diuitiarū, vt loquitur Paulus 1. Tim. 6. ℣. 17. Videmus enim, quòd ex ingenti eas ambientium turba non niſi pauciſſimi potiantur optatis. Obſcura eſt diuitum huius ſæculi ſpes, & manifeſta formido. Alij ergo ſunt qui ſperant in conſpectu filiorum hominum, & ſpem ſuam omnibus publicant: qui nimirum habentes victum, & quibus tegantur, his contenti ſunt, ſecundùm eiuſdem Apoſtoli conſilium. Piſcatoris virga incuruatur & intorquetur, imò aliquando frangitur, cui grandis piſcis ab hamo pendet: qui autem paruo contentus eſt, ſalua rectitudine virgæ piſcatoriæ domum reuertitur. (Simile.) Virga qua piſcamur, eſt appetitus, & voluntas qua amamus & deſideramus. Si magna petimus, à rectitudine iuſtitiæ facilè deflectemus, cùm tamen ſpes in iuſtitia fundari debeat. Vnde dicit Dauid: *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* (Pſalm. 4, 6.) Eam igitur ſolus ille manifeſtat, qui paucis contentus eſt. Vnde dicit Sapiens: *Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies.* (Eccli. 29, 30.)

242. Solet aliquando fieri, vt pauper, relicta patria, in exteras regiones proficiſcatur, & in eiſdem aliquot annis commoretur, cui ſi fortè fortuna arriſerit, & tandem opulentus ſupra modum ditatus ad ſuos reuertatur, vix euadit notā iniuſtæ acquiſitionis ab ijs qui dicunt, Vnde huic hæc omnia? &c. Nullus eſt qui non debeat fateri ſe pauperem & nudum in principio ſuæ peregrinationis fuiſſe, & dicere cum Iobo, *Nudus egreſſus ſum de ventre matris meæ*, (Simile. Iob 1, 21.) ſi a patriotis ſuis, id eſt ab ijs qui ad ſtatum alterius vitæ hinc migrarunt, nolit opprobrium ſuæ pere-

Digitized by Google

peregrinationis audire, ſi quidem ad
Hebr. illos migrat (*Non enim habemus hîc*
13,14. *manentem ciuitatem*, &c.) proponere
debet cum eodem Iobo, & dicere:
Pſal. *Nudus reuertar*. Ille nudus non cen-
48,18. ſetur reuerti (*etſi homo, cùm interierit,*
non ſumet omnia) cuius affectus magis
fuit rerum terrenarum cupiditate ve-
ſtitus in vita, quàm erat in natiuitate,
vnde meritò audiet peregrinationis
ſuæ opprobrium, eò quòd non poſue-
rit Deum adiutorem ſuum, ſed quate-
nus ſperauit in multitudine diuitia-
rum, eatenus de ſufficientia prouiden-
tiæ eius deſperauerit. Vt autem fir-
mam ſpem noſtram in illo collocatam
habeamus, & non tantùm terrena, ſed
etiam cæleſtia cum fiducia à Deo po-
ſtulemus, Chriſtus aſſecurat nos de
Ioan. paterno eius amore. *Pater amat vos,*
16,27. inquit, *quia vos me amaſtis, & credidi-*
ſtis. Non ſolùm quòd à Deo exiui, ſed
præcipuè quia fidem adhibuiſtis con-
ſilijs meis de omnium rerum renun-
tiatione, cui poſt centuplum huius
vitæ tranſitoriæ, poſſeſſionem futuræ
& æternæ promiſi.

IN DIEBVS ROGATIONVM.

Lucæ 243. *Quis veſtrûm habebit ami-*
11,5. *cum, & ibit ad illum media nocte*, &c.
Verum eſt quod Maximus Serm. de
Amicitia ſcriptum reliquit, nimirum,
Non poſſe opitulari amicis, inopiæ; nolle
autem, malitiæ eſt ſignum. Omnipo-
tentiæ Dei infinita bonitas aſſociata
eſt, vel potiùs ipſe eſt omnipotentia &
bonitas infinita. Ex quo ſequitur, quòd
nemo importunè accedet pro adiuto-
rio & ſolatio ad illum, niſi amicitia
eius ſe indignum reddiderit. Non re-
ſpiciet Deus eum tamquam importu-
num, qui media nocte accedit, ſi poſt
Ioan. pulſum verè dicere poteſt: *Amice,*
11,5. *commoda*, &c. Non ſatis ergo videtur
Dauid benignitatem illius expreſſiſſe
quando dixit: *Oculi omnium in te ſpe-* Pſalm.
rant Domine, & tu das eſcam illorum 144,15
in tempore opportuno. Cùm enim *omni*
tempore diligit qui amicus eſt, nullum
importunum tempus eſſe cauſabit,
quo amicus acceſſerit poſtulaturus.

244. *Amice, commoda mihi tres pa-* Lucæ
nes. Mirum videri poſſet, cùm ſcopus 11,5.
Euangelicæ parabolæ ſit, ex Dei mu-
nificentia ad fiducialiter petendum
nos animare, quòd adducat amicum,
qui non petijt ſibi dari, ſed ſolùm com-
modari tres panes, cùm certum ſit,
maiorem eſſe liberalitatẽ dantis quàm
commodantis. Pro quo ſciendum,
quòd Deus eatenus ſua dona com-
modare videatur, quatenus ab amicis
ſuis gratiarum actionem pro illis per-
ſolui velit, quam Sancti (exiſtimantes
ſe debitores pro omnibus quæ collata
ſunt ſingulis) nunc tantò maiori cum
merito reddunt, quantò eam glorio-
ſiùs in cælo in omnem æternitatem
decantabunt, poſtquam in hac vita eo-
rum petitiones cum ipſa gratiarum
actione apud Deum efficaciùs inno-
tuerunt. Habes hac de re materiam
huic propoſito accommmodabilem
Tract. VI. *Diſcurſ.* III.

245. *Amicus meus venit de via ad* Lucæ
me, & non habeo quod ponam ante illum. 11,6.
Hîc agi poteſt de humilitate in oratio-
ne requiſita. Vult enim Deus, vt om-
nes ſui ſubditi fateantur, ſe multis
egere: vnde grauiter illum offendit
ſuperbus, qui corde, aut (quod maio-
rem ſtultitiam ſapit) ore dicere præ-
ſumit, *Nullius egeo*. Nam qui abun- Apoc.
dant rebus, ſæpè gratia carent illis be- 3,17.
nè vtendi. Vt enim aliquando viri di-
uitijs, ita non raro diuitiæ indigent vi-
ris. Porrò omnium conſultiſſimè agunt
qui eis renuntiant, vt per voluntariam
egeſtatem rerum terrenarum regnum
Dei

Dei (ad quod vt veri egeni anhelant) ſecuriùs aſſequantur, de cuius gratia excidunt, qui ſine moderamine terrenis diuitijs ſtudent, cùm vſque in finem non in illis, ſed in ſpiritualibus quilibet proficere teneatur. Inuenies hæc ordine *Tract.* VII. *Diſcurſ.* XIII.

IN FESTO ASCENSIONIS.

Marc. vltimo ✠. 19. 246. *Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet a dextris Dei.* Hîc datur occaſio diſſerendi de aſcenſione, quam quilibet noſtrûm in valle lacrymarum diſponere debet per humilem orationem, quæ non eſt aliud quàm mentis in Deum eleuatio. Ad aſcendendum verò & progrediendum in bono, non ſufficit quæcumque humilitas, ſed requiritur humilitas humilians, id eſt inclinans ad exercitia ex quibus quis in oculis hominum vileſcit, quibus meretur à Deo aſſumi, qui exaltat humiles, deponens potentes, id eſt ſuperbos, de ſede, quos præ ceteris odio habet tamquam criminis læſæ Maieſtatis diuinæ reos, quorum orationes tantum abeſt vt cælos penetrent, vt dimiſſa etiam per pœnitentiam culpa vix pœnam illi debitam deprecari præſumant. Vide hac de re *Tract.* III. *Diſcurſ.* XXII.

DOM. VI. POST PASCHA.

Ioan. 15,26. 247. *Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos,* &c. Conſonum fuit rationi, vt docet Toletus Annot. 26. in c. 15. Ioannis, Chriſtum à Spiritu ſancto teſtimonium accipere, ipſe enim fuit quodam modò cauſa incarnatio-
Ioan. 3, 16. nis. Nam *ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Amor igitur qui Spiritui ſancto appropiatur, fuit huius rei tam mirabilis cauſa. Præterea à Spiritu ſancto vnctus eſt ad miniſterium redemptionis noſtræ; quod Chriſtus apertè teſtatur dicens: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me.* Sicut igitur initiati Ordinibus ſacris, aut miniſter io verbi Dei legitimè deputati, ab Epiſcopo ſuæ conſecrationis & miſſionis authenticum teſtimonium recipiunt; ita Spiritus ſanctus Filium Dei à ſe inunctum, præ participibus ſuis omnibus manifeſtum fecit. Verum eſt nihilominùs etiam quod dicit Auguſtinus Tract. 93. in Ioannem, Spiritum ſanctum per ipſos Apoſtolos reddidiſſe teſtimonium de Chriſto. Nam qui formidoloſi erant, ſubitò fortes effecti; & qui in vna lingua enutriti, varijs linguis loquentes, virtute magna & ſingulari eruditione reddebant teſtimonium reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. vnde benè notauit Lyranus noſter, quòd fuerit maximũ ſignũ ad confirmandum fidem Chriſti, homines indoctos de profunditate Scripturarum clarè & ſubtiliter diſputare. Non tantũ fortiter, ſed etiam ſubtiliter probabant Petrus & Ioannes, quòd non ſit aliud nomen datum hominibus præter nomen Ieſu, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Hinc conuicti fuerunt Iudæi. vnde Iacobus ait: *Videntes autem Petri conſtantiam & Ioannis, comperto quòd homines eſſent ſine litteris & idiotæ, admirantes,* &c. *nihil poterant contradicere.* ✠. 14.

Luc. 4, 18. Simile.

Auguſt.

Lyran.

Act. 4, 13.

248. Certum eſt autem, quòd Spiritus ſanctus etiam teſtimonium reddat de Chriſto, per ſe diſtinctum ab illo, quod Apoſtoli dederunt. Inter alia clarum eſt illud, in quo partem non potuerunt habere, dum ſuper baptizatos deſcenderet in ſpecie ignis. Itaque duo teſtimonia diuerſi ordinis à Chriſto promiſſa eſſe his verbis, *Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos,* &c. Ioan. 15, 26.

ipſi

Act. 5, ipſi fatentur, quando dicunt: *Nos ſu-*
35. *mus teſtes horum verborum, & Spiritus*
ſanctus, quem dedit Deus omnibus obe-
dientibus ſibi. Hîc clarè diſtinguunt
duo hæc teſtimonia. Item Paulus ait:
Rom. *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiri-*
8,16. *tui noſtro, quòd ſumus filij Dei.*

249. Hoc teſtimonium accipit ho-
mo maximè per patientiam in perſe-
Rom. cutionibus. *Tribulatio patientiam ope-*
5,3. *ratur*, inquit Paulus, *patientia autem*
probationem. Per ſe & ex natura ſua
tribulatio contriſtat & affligit. Tribu-
latio igitur non eſt cauſa effectiua pa-
tientiæ, ſed eſt materia & occaſio eam
exercendi per concurſum Spiritus
ſancti, quo adiuuante infirmitatem
hominis, fit quod olim contigit
Iſraëlitis ſub ſeruitute Pharaonis ge-
Exod. mentibus, qui *quantò magis compri-*
1,12. *mebant eos, tantò magis multiplicaban-*
tur & creſcebant. vnde per ignem ſpi-
ritus inflammantur oppreſſi, ſecun-
Pſalm. dùm illud: *Dum ſuperbit impius, in-*
9,2. *cenditur pauper*. Fortitudo igitur in
patiendo oſtendit, Spiritum ſanctum
ibidem eſſe, qui teſtimonium dat
Sanctis quòd ſint filij Dei adoptiui, &
ſimul clarum reddit teſtimonium de
naturali Filio Dei, cuius meritis tri-
buendum eſt, quòd conſtanter fidem
profiteantur.

250. Probatur homo mortuus, &
corpus animâ deſtitutum eſſe, ſi dum
tangitur & inclamatur nullum exhibet
ſignum alicuius ſenſus. vnde clarè
probatum fuit, puerum non reuixiſſe
ſuper quem Giezi ex mandato ſui ma-
giſtri poſuit baculum ſuum, quia, vt
4. Reg. dicit Scriptura, *non erat vox neque ſen-*
4,31. *ſus.* Nam naturaliter impoſſibile eſt, vt
Simile. homo ſine vllo ſenſu viuat; econtrà
autem manifeſtiſſimum ſpiritualis vi-
tæ & inhabitantis Spiritus ſancti indi-
cium eſt, quando homo in tribulatione
Sanctorum inſenſibilitate gaudens,
triumphat is per patientiam tyrannis &
perſecutoribus, inconcuſſus perſeue-
rat. Vnde Paulus ait: *Quaſi mortui, &* 2. Cor.
ecce viuimus. Nam ſine conſolatione 6,9.
Spiritus ſancti, homo non patitur ma-
gnas tribulationes, vt patet ex ijs quæ
Dauid aliquando dixit, magnæ impa-
tientiæ ſigna dans, dum conſolatione
ſe videret deſtitutum. *Suſtinui* (inquit) Pſalm.
qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & 68,21.
conſolantem me quæſiui, & non inueni.
vnde ſtatim poſteà promit multa ho-
minis deſolati verba contra ſuos per-
ſecutores, dicens: *Fiat menſa eorum* Ibid.
coram ipſis in laqueum, & in retribu- 23.
tiones, & in ſcandalum. Videtur illis
optare vt cibi eorum veneno infecti
mortem manducantibus cauſent, ex
quibus vitæ ſuſtentationem ſibi pro-
mittebant. Pergit vlteriùs: *Obſcuren-* ℣. 24.
tur oculi eorum ne videant, & dorſum
eorum ſemper incurua. Effunde ſuper ℣. 25.
eos iram tuam. Vide quò deueniunt
Sancti, dum ſunt abſque conſolatione
Spiritus ſancti, quem promittens
Chriſtus Apoſtolis ſuis, dicit: *Ille te-* Ioan.
ſtimonium perhibebit de me, & vos te- 15,26.
ſtimonium perhibebitis. Clariſſimum
teſtimonium dederunt non loquendo,
ſed moriendo, quando factum eſt
quod de illis cantat Eccleſia:

Caduntur gladijs more bidentium,
Non murmur reſonat, non queri-
monia;
Sed corde impauido mens benè con-
ſcia
Conſeruat patientiam.

251. *Venit hora, vt omnis qui in-* Ioan.
terficit vos, arbitretur obſequium ſe 16,2.
præſtare Deo. Sancti ſe armant reco-
gitando paſſionem Chriſti, eique ſe per
ſpontaneam crucis ſuſceptionem &
vitæ auſteritatem conformando. Hinc
fit, quòd dum ſæuiunt in ſeipſos ex
pro-

proprio odio, fortiùs ferant, ſi quid Deo permittente tolerandum occurrat ex alieno. Vide hac de re *Tract.* x. *Diſcurſ.* xii.

IN FESTO PENTECOST.

Lucæ 12, 49. Caiet. 252. *Ignem veni mittere in terram*, &c. Per hunc ignem intelligit Caietanus Spiritum ſanctum, quem Chriſtus voluit in cordibus Apoſtolorum accendi, & deinde per totum mundum extendi. Nam, vt notauit Gloſſa interlinearis, feruor Spiritus ſancti corda illuminans ad ſuperiora prouocat. vnde ait Propheta: Ezech. 8, 3. *Eleuauit me ſpiritus inter cœlum & terram.* Omnes qui de ſpiritu Chriſti participant, licet in terra viuant, tamen Greg. in cælis conuerſantur. *Quilibet ſanctus in carne mortali poſitus*, inquit Gregorius lib. 31. Moral. cap. 7. *inter cœlum & terram eſt conſtitutus; quia plenè quidem adhuc ad ſuperna non peruenit, ſed iam tamen ima dereliquit.* Homo iuſtus nec terræ adhæret per amorem quem pedibus calcat, nec in cælo adhuc eſt per veram viſionem Dei, ad quam mente anhelat, ſed quodammodò in medio eſt. vnde cum Iobo dicere poteſt: Iob 7, 15. *Suſpendium elegit anima mea.* Et benè figuratur per Iſſachar, qui Gen. 49, 14. dicitur *aſinus fortis, accubans inter terminos.*

253. Nota, quòd ignis ille cæleſtis non ſolùm eleuet hominem à terra, ne inordinatè illi adhæreat, ſed etiam incliner & deijciat, ne per ſuperbiam ſe erigat. Nam per immiſſionem Spiritus ſancti euenire ſolet quod ait Propheta: Pſ. 103, 29. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* Ablato ſpiritu vanitatis, mittitur de cœlo Spiritus, *quem* (vt teſtatur Chriſtus) *mundus non poteſt accipere:* quo operante homo in puluerem ſuum reuertens, agnoſcit ſe mortalem, & omnia ſua morti obnoxia eſſe. Aliqui mouentur ex puluere alterius, ſed parum inde proficiunt. Luget puella in veſte propter mortem parentis, ſed parum emendatur in mente: citrò petit, ſi quam inde concepit vitæ meliorem normã; nam *perijt memoria eorum cum ſonitu*, Pſalm. 9, 8. vt dicit Propheta, adeò vt ſæpè tædio afficiatur ante finem anni, quam conſuetudo luctui addixit, & ad conſuetas pompas intermiſſas non dimiſſas anhelat, quo finito, vt priùs vanitatibus ſe mancipat.

254. Maior autem eſt quorũdam ſtupiditas, qui etiam cùm alium vident mori, & ſepulturæ tradi, non plus commouentur, ac ſi eſſent de numero illorum, qui olim iactabant ſe cum morte confœderatos eſſe, dicentes: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Iſa. 28, 15. Qui habet fœdus cum alio, non timet nec cauet ſibi ab eo, vt notauit Lyranus. Lyran. Eorum igitur ſunt hæc verba, qui per facta oſtendunt Simile. quòd non timeant mortem naturæ nec gehennæ, & qui ſi tentantur à diabolo, non clamant, ac ſi paſtor lupo adueniente taceret, quaſi ſub hoc pacto is mitiùs eſſet otticulas & ipſum paſtorem tractaturus. Gloſſa interlinearis non longè abeſſe videtur ad hac Gloſſa. interpretatione, quæ inducit eoſdem homines in hunc modum loquentes: *Percuſſimus fœdus, &c. immolantes dæmonijs, vt deſcenſuri ad inferos leniùs puniamur.* Errant miſeri: tantò enim crudeliùs leo rugiens ſæuiet, quantò quis ſe viliùs illi ſubiecit. Hugo Cardinalis Hugo Card. putat hoc fœdus in eo conſiſtere, quòd ſi plures ad infernum dirigerent, à pœnis eſſent immunes. Vt Simile. enim ſubinde in ciuili iuſtitia is liber euadit, qui complices malefactores traducit; ita videntur illi ſenſiſſe, quòd tantò

Digitized by Google

tantò indulgentiùs ſecum agendum ſit in inferno, quantò plures eorum malo exemplo damnationi obnoxios reddiderint. Sed etiam hi miſerè erunt decepti. Nam ſicut in cælo ſpeciali fulgore ornabuntur qui docti fuerint, & ad iuſtitiam erudierint alios; ita damnati in inferno ex alienis peccatis punientur, quorum fuerint quocumque modo inſtigatores. Qui igitur ſine vllo ſenſu aut horrore conſiderat ſententiam mortis circa aliquem excutioni mandari, etiam beſtiolis eſt inſenſibilior. Grunnit porcus dum alius iugulatur, auicula territa auolat ex ſolo ſtrepitu baliſtę: homo autem, qui, dum exequiæ fiunt, & iuſta perſoluuntur noto aut cognato illius, in templo ridet, & leuitates exercet, an non ſtupiditate & inſenſibilitate beſtias ſuperat? *Simile.*

255. Vnde non ſine cauſa dicuntur homines quodammodò de nouo creari, & faciem terræ renouari per Spiritum ſanctum. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*, &c. Nam cùm ſine hoc ſpiritu ſint beſtijs ſtupidiores, ex eo quòd nullus ſit reſpectus morti eorum, per Spiritum ſanctum reuertuntur in puluerem ſuum; & dum alijs mortuis iuſta perſoluuntur, ipſi viuaciſſimam propriæ mortis celebrant cõmemorationem, & vt veri homines vtùntur ratione, quæ ideò eis data eſt, vt ſibi de ijs omnibus, quæ ad vitam futuram ſpectant, prouideant. *Pſ. 103, 30.*

256. Meritò ſolliciti ſunt vniuerſi, vt ignē huncquem venit Chriſtus mittere (Spiritum ſanctum inquam) in ſe cuſtodiant. Ignis autē per cineres, quos confecit, cuſtoditur. Ita Spiritus ſanctus per proprios actus humilitatis, quos in homine operatur. Maximè autem cauendum eſt, ne per diſſenſiones extinguatur. vnde monet Paulus: *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*. Anima non informat membra à ſe inuicem diſſecta, nec ignis comburit ligna ab inuicem remota, ſed excitatur fumus in domo, ſi quæ ſimul coniuncta ardebant, ſeparentur. Eodem modo ſi homines per diſcordias diſſentiunt, excitabitur fumus quo omnia fœdentur & inficiantur. *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos*, dicit Iudas, *animales, ſpiritum non habentes*. Ex diſſenſione inferebat Paulus Spiritus ſancti abſentiam, cùm diceret: *Cùm enim ſit inter vos zelus & contentio, nónne carnales eſtis?* Idem eſt carnalem eſſe, inquit S. Thomas, quod ſpiritu Dei deſtitutum, qui dixit, *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt*. *Simile.* *Epheſ. 4, 3.* *Simile.* *Iudæ ŷ. 19.* *1 Cor. 3, 3.* *S. Tho.* *Gen. 6, 3.*

257. Notauit Iacobus de Voragine Serm. 2. in feſto Pentecoſtes, quòd Spiritus ſanctus requieſcat ſuper tria perſonarum genera, adducens ad hoc propoſitum verba Iſaiæ ſecundùm lectionem LXX. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos?* Sed meliùs dicemus, has tres conditiones in omnibus & ſingulis requiri, qui ſe ad recipiendum Spiritum ſanctum diſponunt. Requieſcit igitur primò ſuper humiles. vnde notandum eſt quod dicitur de Chriſto: *Aſcendens de aqua, vidit cælos apertos, & ſpiritum tamquam columbam deſcendentem, & manentem in ipſo.* Erat ille actus ſummæ humilitatis, quo Chriſtus quaſi abluendus in ſe admiſit aquam Baptiſmi. Sed etiam ipſa aqua aliquo modo nobis humilitatis naturam demonſtrat; vt quæ indifferenter omnibus rebus abluendis ſeruit, etiam vilibus & ſordidis. Non dedignatur ad minima aſſumi, etſi ex inſtitutione Chriſti ad functiones honorificentiſſimas ordinata ſit; eſt enim materia *Iſaiæ 66, 2.* *Marc. 1, 10.* *Simile.*

Sacramenti Baptiſmatis,quin etiam vino admiſcetur,ex quo Sanguis Chriſti conficitur.

258. Secundò ſuper quietum re-
Act 2, 2. quieſcit. vnde dicitur: *Et replenit totam domum vbi erant ſedentes.* Seſſio, quietis & recollectæ mentis indicium eſt. Non debet tamen hoc in rigore ſic intelligi, quaſi ſignificetur corporalis ſeſſio: probabilius enim eſt,quòd flexis genibus vel etiam corpore erecto, iuxta Iudæorum conſuetudinem, orabant, dum expectarent Spiritum ſanctum.Prætereà cùm dicitur,*Vbi erant ſedentes*, idem eſt ac ſi diceret, Vbi erant degentes, aut commorantes. Eodem modo intelligi poteſt quod dixit
Lucæ 24, 49. Chriſtus: *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. In ciuitate ſedet* (dicit Beda) *qui intra mentis clauſtra ſe conſtringit.* Significatur igitur his verbis, quòd qui ſe diſponere vult ad receptionem Spiritus ſancti, & pacificè illum manentem in ſe habere, poſtquam eum recepit,debet abſtinere ab inutili euagatione tam mentis quàm corporis. Maximè autem debet ſeruare illud
Iſa. 1, 16. 17. Prophetæ: *Quieſcite agere peruerſè,& diſcite benè facere.*

259. Tandem requirit Spiritus, vt is ſuper quem requieſcet,ſit ſollicitus.
Iſa. 66, 2. *Et trementē ſermones meos*, inquit. Videtur quòd hæc duo ſimul in vno non poſſint conſiſtere. Quomodo quietus erit quis, ſi tremit? vel quomodo Spiritus ſanctus ſuper trementē quieſcet? Neceſſe enim videtur cum ipſa naui
Simile. nauigantem agitari. Nota,quòd Sancti cum metu & tremore ſuam ſalutem operentur. Nam etſi dicant cum Pau-
1. Cor. 4. 4. lo,*Nihil mihi conſcius ſum*,ac proinde volentes & ſcientes non ſint mali; tamen cum eodem fateri debent, *Non in hoc iuſtificatus ſum. qui autem iudicat me, Dominus eſt.* Vnde fit,vt quamuis non vident in ſe quod diuinam maieſtatem offendat, ignorant tamen an is, cui omnia nuda & aperta ſunt, nil tale in fundo cordis eorum deprehendat. *Etiamſi ſimplex fuero* (dicit Iob 9, 21.
Iob) *hoc ipſum ignorabit anima mea, & tædebit me vita mea.* Hinc conſurgit tædium viuendi, dicit Lyranus, quòd Lyran.
homo non poſſit eſſe ſecurus in hac vita de ſtatu ſuo, & meritò tremit ſermones Chriſti dicentis: *Multi ſunt vocati*, &c. *Tædet iuſtum viuere* (dicit Greg.
Gregorius) *quia operando non ceſſat quærere vitam.* Si certò ſciret ſe illam inueniſſe,ſecurus eſſet & pacatus.

260. Cùm hoc ita ſit, quæres, quo ſenſu dicatur Spiritus ſanctus ſuper quietum requieſcere, cùm etiam requirat vt is ſuper quem requieſcit cōtremiſcat ad ſermones Dei. Nota, quòd ſicut malorum & impiorum pax eſt amaritudo amariſſima, ita metus & tremor ſollicitè operantium ſalutem ſuam eis quamdam pacem ingerat. Impijs negatur ſecuritas. *Non eſt pax* Iſa. 48, 22.
impijs, dicit Dominus. item: *Cor impij* Iſa. 57, 20.
quaſi mare feruens; quod quieſcere non poteſt. Nota, *non poteſt.* quaſi dicat, Nulla eſt iuſta ratio quæ illi pacem aut quietem permittit, innumeræ autem ſunt quæ turbatum & perplexum reddant. Econtrà pijs & timoratis canunt Angeli,*Gloria in excelſis Deo,& in ter-* Lucæ 2, 14.
ra pax hominibus bonæ voluntatis. Sciēdum ergo, quòd iuſti in omnibus ſuis tribulationibus & anguſtijs, & continuo timore, propter ſpem futuræ quietis, quam cum metu & tremore ſuam ſalutem operantes meritò concipere poſſent, quieti dicendi ſint, ſi cum impijs comparentur, de quibus ait Sapiens: *Semper metuit ſæua, per-* Sap. 17, 10.
turbata conſcientia. Iuſti habent tæ-

drum

dium vitæ, quia de amicitia & gratia Dei non ſunt omnino certi; ſed impij meritò ſunt perturbati, qui non ignorant extra ſtatum gratiæ ſe conſtitutos, ac proinde æternæ damnationi, niſi vitam mutent, reſeruatos eſſe.

261. Bonorum timor finaliter ſpe miſericordiæ Dei reſolui ſolet, ideò in Scriptura, quando de illis fit mentio, non rarò ſpes formidini poſtponitur.
Pſalm. 39, 4. *Videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino*, dicit Dauid, qui addit ad conſolationem illorum:
Pſalm. 39, 5. *Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius*. Malis autem conuenit ſola & continua turbatio (loquor de illis qui viuunt ſine propoſito emendationis.)
Pſalm. 75, 6. vnde idem Dauid alibi: *Turbati ſunt omnes inſipientes corde, dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt*, &c. Verùm boni & iuſti tandem quieſcunt
Ibid. 9. & acquieſcunt. Hinc ſubditur: *Terra tremuit & quieuit*. Ex his patet, quòd Spiritus ſanctus reſpiciens ad trementem ſermones Dei, nihilominùs requieſcat ſuper quietum: nam piorum ſollicitudo & tribulatio requies dicenda eſt, ſi comparetur cum impiorum perturbatione qua meritò concutiuntur.

262. Iuſtus labores manuum ſuarum manducans, dulcedinem futuræ beatitudinis prægustat in ſpe, ac proinde cum ſancta ſollicitudine illius requies per gratiam Spiritus ſancti ſuper illum requieſcentis optimè conſiſtit. vnde canit Eccleſia: *In labore requies, in æſtu temperies*. Nam ſicut
Gen. 49, 14. *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos*, quieſcit ſpem inter & metum, nec ſua ſpe fraudabitur poſt hanc
ꝟ. 15. vitam, præſertim quando *vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quòd eſſet optima; & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum*. Timere debent qui confregerunt iugum, ruperunt vincula; ſed qui ſuſtulerunt iugum Domini ſuper ſe cum timore Domini ſancto, inuenient requiem animabus ſuis.

263. *Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*. Ioan. 14, 30. Hîc agere potes de infelicitate hominum terrenorum, quos dæmon ſibi tamquam iure debitos arrogat, à cuius crudelitate liberi ſunt voluntarij pauperes, quorum calcaneo etſi non vereatur inſidiari, cogitur tamen confuſus ab illis recedere, in quibus nihil quod terram ſapit (quæ illi in eſcam fuit aſſignata) dum moriuntur inuenire poteſt. Conſule hac de re *Tract*. VII. *Diſcurſ*. XXIII.

DOM. I. POST PENTECOST.

264. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt*. Lucæ 6, 36. Quemadmodum ſancti miſericordias Domini in æternum cantabunt in cælis, ita in die iudicij præ alijs virtutibus fiet honorifica cõmemoratio eorumdem operũ miſericordiæ, per quæ immunes ab auditione mala (*nam benedictio Domini ſuper caput iuſti*) merebuntur perennem memoriam nominis ſui, ſecundùm illud: *Memoria iuſti cum laudibus*. Vide quæ tibi hac de re miniſtrat *Tract*. IX. *Diſc*. XVIII.
Prou. 10, 6.
ꝟ. 7.

IN SOLEMNITATE CORPORIS CHRISTI.

265. *Hic eſt panis qui de cælo deſcendit*. Ioan. 6, 59. Sollicitudinem Iſraëlis, inquirentis modum placandi Deum, quem offenderat peccando, olim notans Michæas, inducit eum ſic loquentem: *Quid dignum offeram Domino?* Mich. 6, 6. quaſi dicat, Quid offeram Deo, vt eius gratiam valeam promereri? *Curuabo genu Deo excelſo*. Vrget hîc

Cornelius, quòd in ſingulari dicat, *Curuabo genu*; qui hac occaſione ridiculum orandi modum taxat, quo aulici irreuerentiam produnt potiùs quàm cultum Deo exhibent, qui vnum genu dumtaxat curuant,& aliud erigunt, ac ſi ſe accingerent (ſi Deus negauerit quod petunt) ad euaginandum gladium, vi extorturi quod precibus obtinere non poſſunt. Similes mihi videntur eiuſmodi irriſores venatoribus qui ex inſidijs feram aggrediuntur, à qua ne deprehendantur, cane venatico à latere decumbente, poſito vno genu baliſtam parant, vt eiaculato ſpiculo illam perfodiant. Ad litteram autem ſignificatur promptitudo ſeriò humiliandi ſe, & flectendi Deum precibus: non enim Propheta facit vim, quòd ſolùm ſit mentio vnius genu.

Simile.

266. Nimis autem parum hoc iudicans, pergit ad alia offerenda dicens: *Numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?* Timens verò quòd reijceret holocauſta, & diceret, *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum?* offert quo nihil charius habere poterat. *Numquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo*, inquit, *fructum ventris mei pro peccato animæ?* Nemo Iſraëlitarum ignorare potuit, quàm gratum fuerit olim Deo, quòd Abraham tam promptè illi obedierit ad ſacrificandum filium ſuum; ideò pro peccato ſuo ad pacandum Deum filios, & quidem primogenitos, qui ceteris chariores eſſe ſolent, libenti animo ſe oblaturos ſignificant.

℣. 7. *Iſa. 1, 11.* *Mich. 6, 7.*

267. Non eſt mirum, quòd homo ſit anxius, & diligenter inquirat quibus donis pacare & placere poterit Deo, quem grauiter offendit: ſed mirum & ſtupendum eſt, quòd Deus, qui iniuriam paſſus, tamen nullam intulit, ſollicitè videatur hominem pacare, & ſibi reconciliare velle. Iacob vehementer timens ſibi ab occurſu fratris ſui Eſau, dixit: *Placabo illum muneribus.* Non ſine ratione miſit dona fratri, quem iure primogenituræ ſpoliauerat, cuique extremam benedictionem, aſtu quodam à matre inſtructus, præripuerat. Verùm præter conſuetudinem, Eſau qui læſus fuerat, miſit ad Iacob dona, quaſi iniuria affectum pacare voluiſſet. Hoc modo Dei bonitas cum hominibus agit, qui etſi propter peccatum primi parentis omnes illi grauiter ſint obnoxij, quem poſteà per actuales offenſas ſæpè ad iracundiam prouocant, tamen ille donis & muneribus eos pacare conatur; atque adeò ſecum ſollicitè pertractare videtur, & dicere: *Quid dignum offeram ei?*

Gen. 32, 20.

268. Taceo dona corporalia eius, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*, cuius munificentiam Dauid vno verbo complectens ait: *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*; ſed etiam cæleſtia liberaliter elargitur. nam præter Angelos cuſtodes, quos nobis aſſignauit, cùm nec ſic pacatos nos redderet, *proprio Filio ſuo non pepercit*, &c. Ipſo autem diſcedente & aſcendente in cælum, nobis pupillis pio parente orbatis prouidit tutorem, & miſit omnium donorum excellentiſſimum, Spiritum ſanctum ſcilicet, qui eſt & ſpecialiter vocatur donum Dei altiſſimi.

Matth. 5, 45. *Pſalm. 8, 8.* *Rom. 8, 32.*

269. Efficaciſſimum medium, quo mater infantem dolore aut moleſtia affectum pacat, eſt dum ei vbera detegit & ſugenda præbet. Fruſtrà enim aurum, argentum, & cetera quæ mundus

Simile.

Digitized by Google

dus ſuſpicit & miratur, obtruderet, ſed dum licet illi papillas vberum labijs intercludere, continuò acquieſcit. Cæleſtis Pater nos pacatos reddere ſtudens, poſt Filium ſuum miſit Spiritum ſanctum, quodammodò cor ſuum nobis detegens & aperiens, vt ſic contenti ſimus.

270. Non ſuffecit diuinæ benignitati, donum infiniti valoris, Filium ſcilicet, nobis ſemel offerre, ſed adinuenit infinita ſua ſapientia medium, quo illum (ſi fieri poſſet) etiam in infinitis locis vbique prętò haberemus. Hinc enim inſtitutum eſt Sacramentum Euchariſtiæ, quod vbique terrarum non ſolùm adoratur & colitur, ſed etiam à pijs mentibus ſumitur. Verè dixit: *Expedit vobis vt ego vadam.* Ioan. 16,7.
Non ſolum ideò expediuit vt abiret, quia niſi abijſſet, Paracletus ad nos non veniſſet, ſed etiam expediebat vt diſcedens ex vno loco, in Sacramento, circa ipſum tempus ſui diſceſſus inſtituto, nobiſcum per totam Eccleſiam, imò & in nobis maneret. Verum eſt, quòd manet nobiſcum in Eccleſia; nullus enim tyrannorum vmquam efficere poterit, vt ante finem mundi auferat iuge ſacrificium. Si enim alibi, ipſo permittente, qui ſacrificatur ad tempus ceſſauerit, numquam tamen tota Eccleſia eo deſtituta ingemiſcet. Expedit autem ſubinde, vt de regno aut particulari prouincia migret. Certè expediuit his noſtris prouincijs. Magnus erat illius Sacramenti olim neglectus, ſordeſcebant ab annis quinquaginta altaria & Eccleſiaſtica paramenta, & quidquid ad illud tremendum Euchariſtiæ Sacramentum pertinebat. Abijt: ſed poſteà nobis miſericorditer reſtitutum multò chariùs & digniùs tractatur. Non frequentabatur tunc ſacra Communio, vix inueniebantur qui ter in anno accedebant. Multi ſunt, qui nunc in Hollandia feruenter eum deſiderant ad ſalutem. Tunc plures ſemel in anno tepidè imò ſacrilegè (dum Eccleſiaſtica cenſura cogebat) terebant dentibus, ac iudicium ſibi manducabant & bibebant. Expediebat igitur vt diſcederet. Sed reuertamur vnde digreſſi ſumus.

271. Eſt hoc donum omnia in omnibus. *qui enim proprio Filio ſuo non pepercit, quomodo non etiam omnia nobis cum illo donauit?* Errauit quis à rectitudine itineris? per illum reducetur. errantibus enim ait, *Ego ſum via.* Rom. 8,7.
Aliquis eſt fallacijs huius mundi deceptus? facilè ad cognitionem veritatis perueniet. & ideò addidit: *Ego ſum via, & veritas.* Ioan. 14,6.
Fortaſſis quis aberrando à via recta, vel à veritate, incidit in latrones, qui ſpoliatis omnibus, non modò ſemiuiuo relicto, ſed omnino occiſo abierunt? qui errantibus via recta, & deceptis eſt veritas, etiam interfectis ex peccato per pœnitentiam ad reſurgendum laborantibus erit vita. & ideò dixit, *Ego ſum via, veritas & vita.* Ibid.
Inſurgit fortè leo rugiens quærens deuorare? ſi clamaueris, erit defenſor, ideò ait, *Ego ſum paſtor bonus.* Ioan. 10,14.
Si langues præ inopia, ipſe eſt *panis cor hominis confirmans*, Pſalm. 103,15.
qui ad manducandum inuitat dicens, *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Ioan. 6, 51.

272. Paruuli præter lac nihil ex vberibus matris trahunt, tamen his ita contenti ſunt, vt videantur omnium aliarum rerum obliti, nec vllo doloris ſenſu tangi ex earum ſubtractione. Multa patienda occurrunt ijs qui piè viuere volunt in hoc ſæculo. Sed quandoquidem admittimur ad vbera Patris cæleſtis, decet eos eſſe conten-

contentos, cùm nihil deſiderari poſ-
Ioan. 16,33. ſit, quod ex ijs non hauritur. *In mundo preſſuram habebitis* (inquit Chriſtus, qui ſeipſum ſub ſpecie panis & vini nobis exhibet) *in me autem pacem.* Non ſolùm his verbis prædicere quid futurum ſit, ſed etiam præcipere cenſendus eſt quid fieri debeat. Magna enim iniuria afficietur Deus, ſi cùm mater ſolo vberum lacte pacare poteſt infantem, ipſe verò, quem ad vbera ſua admiſerit, videt querulоſum.
Matth. 18,3. Hìc ſeruit illud Chriſti: *Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Offendit te aliquis? agitaris infirmitate? premeris rerum neceſſariarum inopia? Accede ad ſacram Communionem, & ſatisfaciat
Cant. 5,16. *tibi totus deſiderabilis*, aut certè nondum paruulorum more pacaris, ac proinde timendum eſt quòd non intrabis in regnum cælorum.

273. Ex defectu deſiderij huius panis cæleſtis contingit quòd parum ſapiat, & minùs quàm oportet ſatisfaciat: & quòd terrenarum rerum deſiderio diſtrahamur, murmurantes, ſi aliquid deſit nobis, aut obſit. Non omnes Iſraëlitæ murmurabant ſe ollis Ægypti deſtitutos, ſed illi ſolùm qui
Num. 21,5. dicebant: *Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Non ergo ſine
Auguſt. cauſa dixit Auguſtinus: *Deſidera, & manducaſti.*
Chryſoſtom. Chryſoſtomus Hom. 83. in Matth. paruulos etiam nobis proponit in exemplum, vt ab illis diſcamus magna auiditate in illum ferri,
1. Pet. 1,12. *in quem deſiderant Angeli proſpicere. Nónne videtis* (inquit) *quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus & nos cum tanta alacritate.* Et infrà: *Et vnus ſit nobis dolor, hac eſca priuari.* Contemplemur igitur viua fide munificum epulum, & ſtructiſſimam menſam quam in conſpectu noſtro parauit Filius Dei aduerſus omnes qui tribulant nos, vt feruenti deſiderio illius extinguamus cuiuſcumque alterius rei appetitum, & hebetemus ſenſum doloris, ſi quam fortè in mundo preſſuram habemus, illo ad plenum contenti, qui ſeipſum dedit, & pacem nobis pro teſtamento reliquit. Occaſione huius Sacramenti de fide agere poteris (vocatur enim myſterium fidei) de qua conſule *Tractatum* v. *Diſc.* IX.

DOM. II. POST PENTEC.

274. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.* Eſt natu- Lucæ 14,16.
ra bonorum cæleſtium, vt diſtributione non minuantur, ſed quantò plures participant, tantò ſinguli in illis magis delectant. Probat hanc veritatem præſens Euangelium, quod mentionem facit hominis qui inuitauit multos, certò ſciens ita abundanter prouiſum eſſe multis, ſicut paucis: qui etiam iratus eſt contra eos qui ſe excuſabant, & ne conuiuarum paucitas apparatum magnificæ cœnæ minueret, iteratis miſſionibus ſollicitè curauit domum ſuam impleri. In vſu & poſſeſſione bonorum terræ nemo petit conſortem, non ignorans quòd qui illa diuidit cum ſocijs, eorumdem pro rata ſeipſum reddet expertem. Verùm in guſtu cæleſtium tantò à ſingulis maior percipitur ſuauitas, quantò numeroſior eſt ſimul epulantium ſocietas.

275. Ob hanc cauſam fit, quòd ſenſualis amor odit riualem, ſpiritualis verò & diuinus vbique clamare videtur: *Magnificate* & amate *Dominum mecum.* amando enim guſtamus cœnam magnam, ad quam ad maiorem omnium voluptatem vocauit multos; mandans autem vnicuique de proximo

℣. 21. mo ſuo dicit, *Introduc huc.* item, *Com-*
℣. 23. *pelle intrare*, &c. vehementer amabat Ioannes Euangeliſta, qui idcircò in Epiſtolis ſuis & in Euangelio nihil niſi amorem ſpirat, & omnes ad amorem excitat. Sponſa præ amore languens, nihil æquè curauit, quàm vt dilectus
Cant. ſuus à pluribus agnitus amaretur. *Te-*
3,4. *nui eum, nec dimittam*, inquit, *donec introducam illum in domum matris meæ.* Ecce quem tot laboribus percurrens plateas ciuitatis, non ſine vulneribus & ſpoliatione veſtimentorum inuenit, non ſibi ſoli tenere voluit, ſed ad cubile matris, vt & ipſa eius fruatur amplexibus, introducere conatur; quin etiam ad domum inuitauit, vt illum omnibus fratribus & ſororibus, imò ceteris domeſticis à minimo vſque ad maximum communem redderet.

276. Quis magis Deum amat quàm Chriſtus Filius Dei? & quis plus laborauit vt ſimus diuinæ conſortes naturæ per amorem, quàm ille?
Lucæ *Ignem veni mittere in terram*, dicit, *&*
12,49. *quid volo niſi vt accendatur?* Verè di-
1. Cor. xit Paulus: *Charitas non æmulatur.*
13,4. Nam ipſo facto quo quis Deum amat, cupit vt omnes eius amatores ſint, & ab eo amentur. Non eſt ergo ſibi con-
2. Cor. trarius quando dixit: *Æmulor vos*
11,2. *Dei æmulatione.* Nam priori loco ſignificat, quòd charitas non reddat hominem inuidum, poſteriori verò feruorem ſuæ charitatis manifeſtat, qua ſicut Chriſtus Filius Dei omnes in fruitione Deitatis ſibi ſocios deſiderabat, ita ille pro omnium bono zelabat, qui optabat etiam anathema eſſe pro fratribus ſuis.

277. Præcipuè autem pium ſuum zelum oſtendit, dum virginibus, non habens præceptum Domini, efficaciter conſulendo probat ſuam erga Deum fidelitatem. *Deſpondi enim vos* Ibid.
vni viro, inquit, *virginem caſtam exhibere Chriſto.* quaſi dicat: Ego quaſi paranymphus laboraui, vt, repudiatis nuptijs carnalibus, vobis ſpirituales perſuaderem, quarum intuitu præ ceteris digniores & certiores ſitis, vt vocaremini ad magnam cœnam Agni. Magnam eſſe virginum cum Chriſto coniunctionem, probant multa egregia ſanctorum Patrum teſtimonia, inter quos Hieronymus Epiſtola 27. Hier.
Matrem virginis Deo conſecratæ, Dei ſocrum non veretur nominare. Non eſt mirum, quòd multæ Paulo conſulenti acquieſcant: nam ſicut nil eſt quòd mentem magis auocat à cæleſtibus quàm luxuria; vnde vnus inuitatorum nullam prætendens excuſationem, allegauit impoſſibilitatem veniendi dicens: *Vxorem duxi, & ideò* Lucæ
non poſſum venire; ita ad Dei viſionem 14,20.
caſtitas maximè promouet. Hinc eſt quòd ex probabili ſententia ab aliquibus defendatur, quòd Maria propter eximiam caſtitatem in hac vita clara viſione diuinæ eſſentiæ meruerit honorari. Vide hac de re *Tractatum* 11. *Diſc.* 11.

278. *Cœperunt ſimul omnes excu-* Lucæ
ſare. Non omnes ad illam impieta- 14,18.
tem prolabuntur, vt manifeſta peccata extenuent, aut etiam excuſent, dicentes bonum malum, & malum bonum, quam Dauid ſummoperè horruit. vnde etiam ſpeciali protectione Dei contra eam muniri deſiderans, di-
xit: *Pone* Deus *cuſtodiam ori meo, &* Pſalm.
oſtium circumſtantiæ labijs meis. Non 140,3.
declines cor meum in verba malitiæ, ad ℣. 4.
excuſandas excuſationes in peccatis. Adeò communis tamen eſt error quo homo ſe excuſat à pijs exercitijs, allegando friuola quædam impedimenta, & inutiles occupationes, vt ferè dici

Lucæ 14,18. dici poſſet, *Cæperunt ſimul omnes excuſare.*

279. Inuitat Deus hominem ad cœnam magnam militantis Eccleſiæ, vt ſit conuiua, quatenus conuerſando cum Filio ſuo mereatur in ſponſam munificentiùs à Patre dotatam reci-
Simile. pi. Cogita parentem eſſe, qui habens vnicum filium valdè dilectum, quærit eidem ſponſam gratioſam, quæ cùm ſit pauper, ditanda & dotanda eſt ab ipſo amatoris ſui parente: qui curat omnia notari quæ ipſa in gratiam filij ſui fecerit, dixerit, imò cogitauerit, vt pro ſingulis operibus, verbis, imò cogitationibus, illius dotem augeat: an non inſana iudicari deberet, ſi inuitata ad munificam cœnam, in qua honeſto prætextu cum dilecto conuerſando poſſet multum addere ad futuram dotem, occaſionem tam vtilem negligeret, excuſando ſe quòd ad villam aut ad bouile ſibi eundum eſſet?

280. Ad bonum noſtrum Deus relinquit nos longo tempore in hac vita Filio ſuo deſponſatos per fidem
Oſeæ 2, 20. (*Sponſabo te mihi in fide*, dicit per Prophetam) vt ante inſolubilem con-
Simile. tractum & conſummatum matrimonium, quod celebrabitur in cælis per claram viſionem diuinæ eſſentiæ, à qua numquam faciem aut intellectus & voluntatis operationem auertere poterimus, plura amoris ſigna ſponſo noſtro exhibeamus, & ſecundùm eorum multitudinem dotes, quibus in gloria ditandi ſumus, fiant illuſtriores. Notat cæleſtis Pater omnes deuotas aſpiratiunculas, quibus ſignificamus feruens deſiderium caſti illius matrimonij in cælo conſummandi, di-
Pſalm. 119,5. centes cum Dauide: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!* & cum
Rom. 7,24. Paulo: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* & alibi: *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Phil. 1 23. Si ſcires dotem tuam adiectione mille ducatorum fore augendam pro ſingulis honeſtis blandimentis ſponſo tuo à te exhibitis, an facilè alijs friuolis negotiolis permitteres te detineri & impediri ab illius conuerſatione & conuictu? an excuſares te dicens inuitanti ad cœnam, *Villam emi? iuga boum emi quinque, & eo probare illa?* Lucæ 14,18. 19.

281. Nota, minimum augmentum gratiæ, quæ confertur pijs in hac vita, cui reſpondet gloria in vita futura, pluris valet quàm ingens auri & argenti maſſa, imò quàm Regum opes & gloria totius mundi. Nihil autem eſt paruum aut magnum in gratiam tui dilecti à te factitatum, quo iuſtus non iuſtificeris adhuc, & gratiam tibi à Deo collatam non augeas. Clarè hoc Chriſtus ſignificauit, vt te ab omni inutili negotio abſtrahat. *Quicumque dederit vni ex minimis* Matth. 10,42. *iſtis calicem aquæ frigidæ.* ſanè exiguum donum in gratiam ſponſi oblatum, aſſerit tamen apud Patrem illud ſine remuneratione non fore relinquendum, cùm ſubdit: *Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Non debet mirum videri, ſi Pater cæleſtis habiturus ſit rationem operum, qui beatificauit Petrum pro ſola pronuntiatione paucorum verborum. *Beatus* Matth. 16,18. 19. *es Simon Bar iona*, inquit, *tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Quinimò dixit Dauid: *Cogitatio hominis confi-* Pſalm. 75,11. *tebitur tibi, & reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi.* Si nec mimus aut hiſtrio ſine mercede recedit, poſt- Simile. quam inconcinnis geſticulationibus ſpectatores recreauit; Deus non remunerabit ſanctas & caſtas cogitationes, quæ eidem diem feſtum egerint? Alienum hoc eſt ab infinita illa munificentia.

Digitized by Google

Matth. 10,30. centia. *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt*, inquit Chriſtus. O homo, vocatus igitur ad cœnam magnam non facilè te abſentes. Non te rapiant boues, non abripiant villæ & aliæ mundi vanitates. Adſis ſemper, & in ſingulis Miſſis, deſiderio, menſæ quam Chriſtus parauit nobis, & ſi rariùs ſacramentaliter accedis, ſaltem ſæpè ſpiritualiter fias magnæ cœnæ particeps.

Lucæ 14,20. 282. *Vxorem duxi, ideò non poſſum venire.* Non rogat iſte, ſed, vt notauit Caiet. Caietanus, impotentiam veniendi pro ratione affert. Vnde patet, quòd carnales effeminati nihil viro forti dignum præſtent; caſti verò dum tentationibus reſiſtunt, fortiores in bello fiant. Porrò ſicut caſtitatis amatores creſcunt viribus; ita per Dei prouidêtiam eorum occaſione *in multitudi-* Prou. 14,28. *ne populi dignitas Regis erit*, qui regnis ac prouincijs Catholicis imperat, in quibus multi hanc virtutem exercent. Non enim minuitur populus, cui monaſteria Religioſorum vitam cælibem ſtrictè obſeruantium accreſcunt, ſed ſicut pietate, ita multitudine augetur per illius prouidentiam, qui cùm fœnore reddere ſolet quòd illi gratuitò ſacrificatur, oſtendens quod potens ſit de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Vide hac de re *Tract.* 11. *Diſc.* XIX.

DOM. III. POST PENTEC.

Lucæ 15,2. 283. *Hic peccatores recipit, & manducat cum eis.* Verè dixit Dauid: *Mi-* Pſalm. 58,11. *ſericordia eius præueniet me.* vnde fit, quòd publicani & peccatores, de quibus dicit Euangelium quòd erant appropinquantes, numquam pedem mouiſſent, niſi Chriſtus intus priùs præueniens eos in benedictionibus dulcedinis, mentem illuminaſſet, & tepidam illorum voluntatem excitaſſet. Nec obſtat, quòd Iacobus Apoſtolus dicat, *Appropinquate Deo, &* Iacob. 4,8. *appropinquabit vobis:* non enim appropinquamus, niſi præuenti & excitati à Dei gratia, vti definit Tridentinum Seſſ. 6. cap. 5. *Nemo poteſt ve-* Ioan. 6, 44. *nire ad me*, inquit Chriſtus, *niſi Pater meus, qui miſit me, traxerit illum.* Homo viribus naturæ relictus, & gra- Simile. tia Dei deſtitutus, eſt inſtar nauis impoſitæ flumini, impetuosè decurrenti ad ſalſum mare, quæ non deſiſtet deflectere, niſi teneatur, multò minùs contra ictum fluminis aſcendet, niſi vel à valido vento impellatur, aut forti brachio alicuius in littore conſtituti trahatur. *Beatus vir, cuius eſt auxi-* Pſalm. 83,6.7. *lium abs te*, inquit Dauid, *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum.* Miſericordia igitur præuenit, ſed etiam ſubſequitur peccatorem, alioquin ſicut nauis contra ictum fluminis non aſcendit ſibi relicta, ita ſtatim deflueret, niſi chorda nautica littori alligata detineretur. Eodem modo homo à Deo excitari debet vt veniat, & teneri ne iterùm relabatur. *Et miſericordia tua ſubſequetur me* Pſalm. 22,6. *omnibus diebus vitæ meæ*, dicit idem Propheta.

284. Nota benè, quòd per peccata venialia aliquo modo etiam recedamus, ſecundùm illud, *Qui ſpernit mo-* Eccli. 19,1. *dica, paulatim decidet*. ſed tamen non relinquimur à Deo. Itaque miſericorditer ſequitur, ſaltem eatenus nos tenens ne omnino pereamus. Vnde notantèr ait Propheta, quòd Dei miſericordia illum ſequetur omnibus diebus vitæ ſuæ: non eſt enim homo viuens, qui non committat venialia peccata, quæ etiam quotidiana vocantur. Subſequitur autem miſericordia, ne amittat ſtatum gratiæ. nam, vt dicit

Digitized by Google

Gregor. Gregorius, *citò bonum perditur quod à largitore non cuſtoditur*.

285. Vtriuſque miſericordiæ, præuenientis ſcilicet & ſubſequentis, mentionem facere videtur Dauid, quando
Pſ.138, 9.10. ait: *Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Miſericorditer præuenit, quem eripit de aquis multis, & de manu filiorum alienorum, & deducit ad extrema maris, id eſt extra ſtatum damnabilis vitæ mundanæ. *In*
Auguſt. *extremis maris*, inquit Auguſtinus, *id eſt mente in fine ſæculi; vt non ſæculum amem, ſed eius finem.* Parum autem prodeſt, quòd homo per miſericordiam Dei ad tam felicem conditionem deductus ſit, niſi ſubſequens miſericordia illum in eadem conſeruet. vnde ait: *Et tenebit me dextera tua.* Qui per peccatum mortale gratiam & amicitiam Dei amiſerunt, non ita tenentur.
Pſalm. 80,13. vnde ait per Prophetam: *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* ſed qui dumtaxat peccando venialiter defluunt (cùm ſint naues plenæ) non ſtatim negliguntur aut relinquuntur ſuæ propenſioni, ſed tenentur vt ſubſiſtant, & non omnino pereant.

286. Præſens Euangelium præbet occaſionem diſcurrendi de miſericordia Dei præueniente. Nam etſi fortè ouicula per ſe poſſet curſitando redire, tamen ordinariè niſi à paſtore quæratur, quò diutiùs diſcurrit, magis ab illius protectione ſe elongat & perit. verùm quidquid ſit de ouicula errabunda, quæ ſaltem gemendo & balando indicat ſe deſiderium paſtoris retinere; certum eſt, quòd drachma nil omnino ex parte ſua tribuat vnde poſſet inueniri. Verum eſt, *qui ſignatur per paſtorem* (inquit Gregorius Homilia 34. in Euangelia) *ipſe per mulierem: ipſe enim Deus, ipſe Dei ſapientia* non ſolùm quærit peccatores qui inſtar ouium anhelant ad paſtoris præſentiam, ſed memor etiam illorum eſt, qui Dei & ſuiipſius obliti, inſtar drachmæ perditæ inueniuntur ab eo cuius abſentiam non indolebant, ſecundùm illud Prophetæ: *Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui eis qui me non interrogabant.* Tamen vt meliùs Rom. 10,20.
innoteſcat omnibus magnitudo ſuæ miſericordiæ, tam copioſam infudit viſceribus Mariæ, vt ipſa ſæpè non rogata pro peccatoribus roget & impetret. Ac proinde non ineptè nobis mulierem pro drachma perdita ſollicitam repræſentat. Conſule hac de re *Tract.* IX. *Diſcurſ.* II.

DOM. IV. POST PENTEC.

287. *Rogauit eum à terra reducere puſillum.* Dici ſolet, quòd preces Magnatum imperia ſint. Nobiles obedientes reſpiciunt Prælatum vt vicarium Dei, cuius proinde mandata non expectant, cùm eis de illius beneplacito conſtat. Honorauit Chriſtus Petrum vt generoſum, rogans eum vt à terra reduceret nauim. Petrus autem in verbo illius retia relaxans, promptæ ſuæ obedientiæ reportans mercedem, in captura piſcium agnouit ſummum dominium eius, qui cùm poſſet imperare, maluit humiliter rogare. Hìc agi poteſt de prompta eorum obedientia, qui non debent cogi præceptis, ſignificatione beneplaciti directoris contenti. Conſule hac de re *Tract.* IV. *Diſcurſ.* XVIII. Lucæ 5,3.

288. *Sedens docebat de nauicula turbas.* In præſenti Euangelio apparet eſſe completum, quod olim per Prophetam promiſſum eſt, *Mittam famem in terram, non famem panis, nec ſitim* Ibid. Amos 8,11.

ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbum Dei. Ad litteram loquitur de afflictione quam patiebantur Iudæi in obſidione Samariæ, quando inopes conſilij, Prophetas, quos contempſerant, toto conatu perquirebant, vt ex illis ſciſcitentur media euadendi. Iuſto enim Dei iudicio factum eſt, vt populus decem tribuum, qui Prophetas partim interfecerat, partim de ſuis locis & habitationibus deturbauerat, imminente tribulatione quam Aſſyrij excitarunt, magno illorum tenerentur deſiderio. Communiter autem allegatur ad ſignificandum pium ſanctorum votum audiendi verbum Dei: quod certè turbæ irruentes in Ieſum manifeſtabant, quando impetum populi declinans, coactus eſt nauim conſcendere, & ex ea docere.

289. Meritò omnes tenentur magno affectu audiendi verbum Dei, ad
Pſ.118, 127. exemplum illius qui dicebat: *Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.*
Simile. Nemo eſt qui parui faceret gemmam, quam Chriſtus ex corde ad os produxiſſet. Verba Euangelij ex corde ipſius nobis tamquam gemmæ quædam
Matth. 7,6. ſunt prolata. vnde ipſe ait: *Neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Dices fortè: Vtinam ex ipſo ore Chriſti verba excipere liceat, nunc autem ex ore hominum nobis ſimilium pro-
Simile. nuntiata vileſcunt! Gemmarius non metitur præſtantiam monilis ex qualitate ciſtellæ vnde ſumpta eſt, ſed attentè conſiderat intrinſecam conditionē & naturam eius. Si quis ingrediens officinam aurifabri vt emat vniones & pretioſa monilia ex auro & argento, diceret, Illa minoris eſſe valoris, quia adſunt carbonibus & rudibus ferreis inſtrumentis, ab omnibus riſui haberetur: ita verbum Dei eiuſdem debet eſſe pretij, ſiue illud tibi proueniat ex officina ſanctitatis, ex homine ſcilicet omni virtutum decore ornato, ſiue ex alio minoris virtutis, quia ſaltem originaliter ex ipſo ore Filij Dei nobis eſt depromptum. Non contempſit Antonius panem quem ei ex prouidentia Dei coruus adferebat, quia reſpiciebat manum illius de quo canit Dauid: *A-* Pſ.144,
peris tu manum tuam, & imples omne 16.
animal benedictione. Eodem modo auditor verbi Dei tota auiditate illud ſuſcipere debet, quaſi ex ore illius in os hominis tranſlatum.

Duc in altum. Hîc agi poterit de ſpi- Lucæ
rituali profectu eius qui ad chariſmata 5,4.
meliora & altiora tendit, non contemnit minima quæ ad ſalutem conducunt; mundani autem in nugis vanitatum oculati, in negotijs animæ cæcutiunt. Vide *Tract.* 1. *Diſc.* xx.

290. *Exi à me, quia homo peccator* Lucæ
ſum, Domine. Inquiri debet, quo ſenſu 5,8.
hæc verba dixerit Petrus. Vt enim ægrotus medicum, pauper diuitem, ita peccator Saluatorem meritò ad ſe inuitat. Aliqui dicunt, eum ex reuerentia erga Chriſtum fuiſſe perterritum, ad eum modum quo Centurio Chriſti introitum in domum eius deprecatus
eſt, dicens: *Domine non ſum dignus.* Matth.
Fauet huic ſententiæ Ambroſius lib. 5. 8,8.
de Virginibus. Negari non poteſt, quin Ambr.
ex quadam reuerentia & humilitate agnoſcentis Chriſti dignitatem, ſuamque indignitatem metientis, hæc verba dixerit: tamen nihilominùs videtur, quòd timor etiam fuerit cauſa proxima huius ſententiæ: vnde Saluator
volens illum pacare, dixit: *Noli ti-* Lucæ
mere, &c. 5,10.

291. Rogabit quis: Quid timuit? Reſpondetur, quòd timuerit Chriſti præſentiam, quem ex miraculo cognouit eſſe ſanctiſſimum, ne ex eo quòd indigniſſimus ſuſcepiſſet digniſſimum

hoſpitem, aliquid mali pateretur. Habuit ſe ad eum modum Petrus quo piæ mentes, timentes culpam vbi non eſt culpa. Verentur ad Euchariſtiam accedere, plus ponderantes Filij Dei quem ſuſcipiunt excellentiam, quàm eiuſdem bonitatem & clementiam. Facit pro hac interpretatione quod legitur de muliere Sarephtana, quæ Eliam ſuſcepit hoſpitio, ad quem mortuo filio ſuo conuerſa ait: *Ingreſſus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ.* Pia erat hæc mulier, quæ licet genere ac patria gentilis, tamen religione ac pietate Iſraëlitis erat. vnde nouit peccata punitionem mereri, quam exiſtimabat ad Eliæ ſingularis ſanctimoniæ viri aduentum fore infligendam.

3. Reg. 17, 18.

Simile. 292. Vt enim naturaliter deformis magis verecundatur, quando formoſiſſima adeſt; ita veretur timoratus, & magis ponderat ſuos defectus, dum adeſt Sancto. Hinc eſt quòd Hebræi etiam excuſent tergiuerſationem Lot (de quo alibi latiùs) dicentis: *Quæſo Domine mi, &c. nec poſſum in monte ſaluari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar.* Timebat enim, ne ſi Abrahamo, qui habitabat prope montem, fieret vicinus (cuius perfectio & ſanctitas ei perſpecta fuit) ſua imperfectio clariùs appareret, & à Deo puniretur: qui de Sodomis ſaluabatur, in quorum comparatione iuſtus aut ſaltem minoris imperfectionis erat. Sic quidem ex ſententia Hebræorum, quorum interpretationem licet non omnes admittant, tamen præſenti ſeruit propoſito. Petrus enim ſe videns iuxta Chriſtum, timuit ne tantò appareret deformior, quantò eximiæ pulchritudini Saluatoris erat propinquior. Sacrilegium æſtimabat proximitatem ad virum tam ſanctum, dicit Caietanus.

Gen. 19, 18. 19.

Caiet.

293. Verentur aliquando pij, in rebus ſpiritualibus minùs exercitati, in oratione ſe Deo ſancta quadam fiducia adiungere, reputantes ſe illius ſocietate indignos: quam deceptoriam humilitatem in ſe experta meritò reprehendit S. Thereſia, quæ fatetur & dolet ſe aliquando eadem laboraſſe. Itaque non debet S. Petri aut Centurionis deiectio, ſe indignum proteſtantis, nimis anxiè trahi in exemplum. Eſt ratio contra rationem, quam allegat Petrus, dicens: *Quia homo peccator ſum, Domine.* vnde Gregorius ait: *Imò ſi te peccatorem conſideras, oportet vt à te Dominũ non expellas.* Tribuit S. Auguſtinus hanc Petri puſillanimitatem ſtupiditati eius. *Vt piſcator loquitur Petrus,* inquit. *Deum & Dominum ſalutis ſecum habebat, & ei dicebat, Exi à me Domine, ac ſi infirmus Medico accedenti & eum curare volenti, diceret: Exi à me, quia ægroto.* Lucæ 5, 8. Gregor. S. Auguſtin.

294. Ceterùm ex verbis Petri patet, quòd peccator ſe indignum facie & vultu Dei iudicare debeat. vnde benè ait Propheta: *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, auerterunt faciem eius.* Manifeſtans Dauid qualitates requiſitas in ijs qui ad viſionem Dei admittendi ſunt, præ omnibus alijs ponit immunitatem à peccatis, dicens: *Quis aſcendet in montem Domini? &c. Innocens manibus, &c. Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.* Sola hæc innocentia prætendunt ius ad viſionem beatificam, vnde fiducialiter dicunt: *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales.* Videntur impatientes moræ, dum dicunt, *Attollite portas.* Si clauis non eſt ad manum vt aperiantur, attollite portas, euellantur ex cardinibus ſuis. Si deſunt qui illam vim por-

Iſa. 59, 2. Pſalm. 23, 3. 4. ℣. 6. ℣. 7. Simile.

portis cæli inferre velint aut poſſint, vos *eleuamini portæ æternales* ex vobiſmetipſis. Nec refert quod videri poſſet contra naturam portarum vt eleuentur ex ſe ſine alterius adminiculo. Nam eſt etiam contra naturam ignis vt deſcendat, & contra conditionem aquæ vt aſcendat, tamen vtrumque violenter fieri videmus, ad impediendum vacuum, quod eſt contra naturam vniuerſi: magis autem repugnat, vt innocens manibus exulet à facie Dei, qui ordinatus eſt ad impediendum vacuum in cælis. nam, vt di-
Pſalm. cit Dauid, *iudicabit in nationibus, &*
109,6. *implebit ruinas*. Ergo potiùs cælum diſrumpi, & portæ illius attolli debent, quàm vt tale quid contingat.

295. Quemadmodum igitur innocens ius habet ad viſionem beatificam, ita peccatori nulla eſt ſpes relicta illius viſionis. Loquens Dauid de patientia iuſtorum, & ſollicitudine qua à Deo
Pſalm. proteguntur, dicit: *Abſcondes eos in*
30,21. *abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Sed quomodo in facie, qua nil magis oculis hominũ patet, abſconduntur? In gremio aut ſinu aliquid abſcondi, non eſt nouum aut mirum; in facie autem collocari, quod ſtudioſè quis vult occultari, inauditum eſt. Vultis ſcire quàm ſecurè ſunt Sancti abſconditi in facie Dei, attende quorum oculis eos ſubtractos eſſe velit. *A conturbatione hominum*, inquit, oculis ſcilicet peccatorum, qui turbant ſe & alios. Ergo ibidem ſine vllo periculo iuſti latitabunt. Nam ſicut impoſſibile eſt vt impius videat faciem & gloriam Dei, ita iuſti & ſancti, qui in facie illius abſconditi ſunt, ab illo videri non poſſunt.

296. Hoc ita verum eſt, quòd etiam Sancti in hoc mundo (quorum conſcientia non reprehendit eos de vllo peccato) vehementi illius ſuſpicione torqueantur, dum Deus eos ſubinde ſolita ſpiritus dulcedine priuat, qua guſtant & vident quoniam ſuauis eſt Dominus. Sollicitè olim clamauit Iob:
Quantas habeo iniquitates & peccata, Iob 13,
ſcelera mea & delicta oſtende mihi. O 23.
Iob, cur tam certò præſupponis te peccatis obnoxium? Numquid tuæ innocentiæ teſtem & præconem habes
Deum? An non ille dixit, quòd ſis *vir* Iob 2,3
ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Quòd autem ſine peccato paſſus ſis quæ dæmon intulit, te percutiens vlcere peſſimo, nec motus fueris ex propriæ vxoris maledicentia,
teſtatur Spiritus ſanctus dicens: *In* ℣.10.
omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis.

297. Attende fundamentum tam
vehementis ſuſpicionis. *Cur faciem* Iob 13,
tuam abſcondis, inquit, *& arbitraris me* 24.
inimicum tuum? quaſi dicat, Niſi peccaſſem, niſi in aliquo te offendiſſem, præter conſuetudinem non abſcondere-
res faciem tuam. Habet quis familia- Simile.
rem amicum cum quo fiducialiter agere & conuerſari ſolet, qui fortè illi obuiàm factus, faciem auertit. Hinc incipit ſecum perpendere & recogitare, ſi in aliquo verbo vel facto illum offendit. Tandem occaſione data accedit, & rogat, Quid feci, aut in quo, quæ-
ſo, te offendi? Rogo ne diſſimules. *Cor-* Pſalm.
ripiet me iuſtus, & increpabit me, oleum 140,5.
autem peccatoris non impinguet caput meum. Si alter infenſum aut iniuria ſe affectum negat, pergit is qui reconciliationem offert, dicens: Non acquieſcam donec extorſero à te delicti mei manifeſtationem: certus ſum enim, aliquid inter me & te interceſſiſſe.
nam ſi nihil latet, *cur faciem tuam abſ-* Iob 13,
condis? &c. non eſt dubium, vultus 24.
tui inſolita auerſio indignationis irrefragabile indicium eſt. Eodem modo

hoc

hoc cum Iobo argumentantur Sancti. Cùm enim piarum ſit mentium, timere culpam vbi non eſt culpa, ſentientes ſe aridos, & quodammodò lumine vultus Dei priuatos, tribuunt ſuis peccatis auerſionem faciei ſuæ. Sed qui ſe in hac vita aliquando abſcondit ſine culpa ad maiorem electorum ſuorum profectum, faciem ſuam æternaliter auertet à damnatis, qui ex priuatione beatificæ viſionis ſubibunt acerbiorem pœnam damni. Ex humilitate S. Petri diſcant peccatores illam timere & fugere.

DOM. V. POST PENTEC.

Matth. 5,20. 298. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* In vtramque partem clandicabāt Scribæ & Phariſæi à vera & Chriſtiana iuſtitia: per rigorem ſcilicet & remiſſionem. Plus quàm ratio permittit, parua errata aliorum exaggerabant; & in magnis, quæ ab ipſis committebantur, tepidè diſſimulabant. Relinquentes *quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem*, (Matth. 23, 23.) vellentes ſpicas in ſabbato, & illotis manibus manducantes, (Matth. 12. 15.) tamquam immanis ſceleris reos accuſandos eſſe ſenſerunt. Benè dixit Chriſtus, quòd eſſent *duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes*, (Matth. 23,24.) id eſt minima cum diligentia perquirentes, & illa quæ ſunt maioris ponderis pro nihilo reputantes. Sicut non poteſt deglutiri (Simile.) camelus animal gibboſum & tortuoſum, niſi latiſſimo gutture, ita peccatum mortale non committitur facile à conſcientia anguſta; culex verò ſi calici fortè inciderit, imperceptibiliter ſubinde pertranſit, ita in anguſtiſſima conſcientia patet aliquando per ſurreptionem peccato veniali ingreſſus. Catapotia ſine maſticatione conijciuntur (Simile.) in ſtomachum, ne ex eorum faſtidio vomitus excitetur, quibus ſumptis nullam commotionem operantur in ijs qui obdormiunt. Eodem modo peccata mortalia, dum non teruntur conſideratione, nec illorum amaritudo aut damna attenduntur, facilè fiunt ab ijs qui negligunt ea quæ ſunt ſalutis, & requieſcunt in fæcibus ſuis.

299. In multis occaſionibus Iudæi indicarunt, quàm iuſtè Chriſtus eis obiecerit veræ iuſtitiæ adulterinam monetam. Nam in cærimonialibus plus, in legibus autem quæ ad veram pietatem & morum compoſitionem ſpectant, minùs quàm oportet curioſi fuerunt. *Non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha.* (Ioan. 18,28.) Ecce quàm ſollicitè ſibi cauent à culice, interim nihil non attentantes vt Chriſtum morti adiudicatum voluntati ſuæ tradi curent, dicentes: *Deglutiamus eum ſicut infernus viuentem.* (Prou. 1,12.)

300. Meritò vocauit eos cæcos, qui culicem colantes camelum glutiebāt. Nam qui paruos proximi defectus nimis acerba correptione perſtringunt, dum iuſtitiæ opinionem venari videntur, ſummam committunt iniuſtitiam, & corde ſtulteſcunt, ſimiles ſunt fatuo (Simile.) cuidam, cui commiſſum fuit vt flabello abigeret muſcas, quæ domino ſuo poſt prandium ex more parum ob dormienti importunæ erant: videns autem quamdam pertinaciùs aculeum faciei eius infixiſſe, nec circumagitatione flabelli remoueri poſſe, eleuato manubrio eius valido ictu, prætextu excutiendæ muſcæ, placidum ſomnum capientem non ſolùm excitauit, ſed etiam fœdè vulnerauit. Qui parua errata (ſine quibus vita præſens non ducitur) committunt, gaudent quiete ſuæ

ſuæ conſcientiæ,ac proinde dicere poſ-
Pſalm. 4,9. ſunt: *In pace in idipſum dormiam & re-
quieſcam.* Qui verò ex inordinato zelo
muſcam aliquam nimis acerba corre-
ptione,prætextu iuſtitiæ, ab illis excuſ-
ſerit,eos prouocans ad impatientiam,
potiùs vulnerat quàm ſanat.

301. Ceterùm cùm in multis Scri-
barum & Phariſæorum iuſtitia defle-
ctebat à recto, in hoc ſaltem non pau-
ci etiam Chriſtiani illos imitantur,
quòd magis timeant improbi appare-
re quàm eſſe. Electi autem pro pecca-
torum ſuorum remiſſione ſolliciti, dú
ſincerè pœnitent, etiam eorumdem
memoriam, Deo ita diſponente, apud
homines delent. Reprobi verò quibus
ſufficit vt neſciantur, cum reatu etiam
illorum opprobrium ſæpè portare co-
guntur. Conſule hac de re *Tract.* I.
Diſcurſ. VII.

Matth. 5,24. 302. *Tunc veniens offeres munus
tuum.* Soli Deo debetur munus alta-
ris, qui tamen ſibi illud ſolui recuſat,
niſi ſacrificulus primò proximo ſatiſ-
Rom. 13, 7. fecerit. *Vade*, inquit Chriſtus, *priùs
reconciliari fratri tuo. Reddite omnibus*
Simile. *debita*, dicit Paulus. Sed non meminit
ordinis qui in redditione debiti ſer-
uandus eſt. Et quidem inter homines
conſuetudo, imò lex obtinuit, vt ſi for-
tè debitor non ſit ſoluendo ſingulis,
Rex creditoribus ſit præferendus,
præſertim ſi ei debeatur ex admini-
ſtratione quæ debitori ex parte eius
commiſſa fuit. Ceteri creditores pro
rata recepturi conueniunt, dum quis
foro cedit, Rex autem in ſolidum ante
omnes ſolutionem prætendit. Videtur
quòd Filius Dei, qui eſt Rex Regum,
cedat iuri ſuo, qui non niſi plena ſa-
tisfactione proximo facta, vult ſibi ſa-
crificium iure naturæ debitum offerri,
Matth. 5,24. dicens: *Vade priùs*, &c. *tunc ve-
niens*, &c. Hunc ordinem (licet præ-
poſterus videatur) ſeruandum ſanci-
uit alibi apertis verbis, Cæſari Deum
poſtponens. *Reddite ergo quæ ſunt Ca-* Matth. 22,21.
ſaris Caſari, inquit, *& quæ ſunt Dei
Deo.*

303. Solent homines importuna
exactione debitorem vrgere, quem
nouerunt multo ære alieno graua-
tum, vt ſaltem ſibi ſatisfiat. Deus au- Simile.
tem reijcit omne id quod per manus
alteri aliquid debentis offertur, quin
etiam non vult ſatisfactionem admit-
tere ab eo qui ſeipſum negligit. Hinc
monet per Sapientem, dicens: *Miſerere* Eccli.
animæ tuæ placens Deo, & contine: con- 30,24.
*grega cor tuum in ſanctitate eius, & tri-
ſtitiam longè repelle à te.* Extorquent Simile.
Domini terrarum vectigalia etiam à
pauperibus, qui propriæ neceſſitati
detrahunt quod illis tribuant; verùm
Deus noſter nil ſibi acceptum & gra-
tum eſſe indicat, quidquid offeratur ab
eo qui ſibi ipſi non ſatisfacit. Vnde ali-
bi ait: *Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus* Eccli.
erit? Attendit Deus potiùs ad qualita- 14,5.
tem operis boni, quæ ex conditione
operantis ſequitur, quàm ad ſubſtan-
tiam eius, quinimò nec orationes, aut
gratiarum actiones eorum qui illi exo-
ſi ſunt, ei placent. Conſule hac de re
Tract. VI. *Diſcurſ.* X.

DOM. VI. POST PENT.

304. *Miſereor ſuper turbam.* Non Marc.
decrant in illa turba maleuoli aduer- 8,2.
ſus Chriſtum, qui potiùs vt illum ob-
ſeruarent, quàm vt honorarent, ſeque-
bantur; quibus tamen cum reliquis
miſericordiam ſuam impertitur. *Suſti-* Rom. 9,
nuit in multa patientia vaſa iræ, apta 22.23.
*in interitum, vt oſtenderet diuitias
gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ.* Vt bo-
ni magis confidant de eius benignita-
te, multa beneficia confert etiam ma-
lis. Miſericordiam miſeris opportu-

Iſaiæ 46, 13. nam vocat gloriam ſuam. *Dabo in Sion ſalutem, & in Iſraël gloriam meam.* Idem promittit Sion quòd Iſraëli: ſalus enim hominis eſt gloria Dei. Indiget Deus quodammodò miſeria noſtra, vt oſtendere poſſit magnitudinem
Iſa. 30, 18. gloriæ, id eſt miſericordiæ ſuæ. *Expectat Dominus vt miſereatur veſtri*, inquit Iſaias, *& ideò exaltabit parcens vobis.* vnde ferè peccator ad Deum conuerſus poſſet ab eo petere veniam iiſdem verbis quibus Ouidius 2. de Triſtibus cecinit:

Ouid. *Nam niſi peccaſſem, tu quid concedere poſſes?*
Materiam veniæ ſors tibi noſtra dedit.

Tacitis verbis videtur Dauid innuere, quòd apud Deum miſericordia lataret, niſi apud homines abundaret miſeria.
Pſalm. 15, 2. *Dixi Domino: Deus meus es tu*, inquit, *quoniam bonorum meorum non eges*. Non ait Deum nullius rei
Manriquez. egere, vt notauit Manriquez in ſua Laurea lib. 2. diſc. 9. §. 6. Sciebat enim, licet verebatur clarè fateri, quod miſeria noſtra ei neceſſaria erat ad oſtentationem miſericordiæ ſuæ. Cùm ergo dicit, *Bonorum meorum non eges*, idem eſt ac ſi omnibus opinionem ingereret, quòd noſtris indigeat malis, vt appareat quàm ſit bonus. Vis vt eum tamquam indigum imò mendicum oſtendam? Audi fores miſerorum miſericorditer pulſantem, & dicentem:
Cant. 5, 2. *Aperi mihi ſoror mea*, &c. item: *Ecce*
Apoc. 3, 20. *ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Cum miſeris portionem ſuam ponit Filius Dei, quorum accipit miſeriam, tribuens illis ſuam miſeri-
Simile. cordiam. Cogita quòd duo inopes conueniant, quorum vni ſuppetit panis, ſed deeſt potus, qui alteri quidem præſtò eſt, cui tamen nil quod comedat adeſt: dum autem vterque confert ſua, ſinguli gaudent refectione competenti. Simili conuentione ſeipſum, non inuitatus, inuitare videtur Filius Dei ad cœnam, miſero miſericordiam ſuam collaturus, & illius calamitatem aſſumpturus. nam *verè languores noſtros ipſe tulit.* Iſa. 53, 4.

305. Chriſtus Dominus nullius rei tam claris verbis profeſſus eſt indigentiam, quàm aſinæ alligatæ cum pullo, ad quam ſoluendam & ſibi adducendam mittens Apoſtolos, ait: *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite:* Math. 21, 3.
Quia Dominus his opus habet. Chryſoſtomus Hom. 37. Operis imperfecti, Chryſoſt.
per animalia Chriſti iuſſu ſibi adducta intelligit peccatores. *Propter quaſdam autem ſimilitudines animalibus aſſimilati ſunt homines*, inquit, *Dei Filium non cognoſcentes.* Origenes Tractat. 14. in Matth. alludens ad relaxa- Orig.
tionem animalium, quæ Apoſtolis demandata eſt, ait: *Aſcendens in cælum iuſſit diſcipulis ſuis vt ſoluerent peccatores, dans eis Spiritum ſanctum.* Et benè quidem, quia per peccata mutamur in beſtias, Dauide teſte: *Homo,* Pſalm. 48, 13.
cùm in honore eſſet, &c. Chriſtus igitur cùm eſſet diues, pro nobis egenus factus eſt; & vt ſua inopia nos diuites efficeremur, nullius rei indigentiam profeſſus eſt, niſi harum beſtiarum:
Dicite, inquit, *quia Dominus his opus habet.* Vt ſignificet, quòd Dominus Matth. 21, 3.
infinitæ gloriæ indigeret quodammodò hominum ſalute, nullum non mouit medium ad promotionem eius neceſſarium. vnde Dauid ait: *Homines & iumenta ſaluabis Domine ſecundùm* Pſalm. 35, 7.
miſericordiam tuam Deus. Confundantur igitur ſuperbi, qui negligunt animæ ſuæ beatitudinem, pro qua agonizat Filius Dei, & qui rebus terrenis im-

immerſi, factis ita ſe gerunt, vt eis obijci poſſet quod olim vni ex parte Dei
Apoc. 3,17. dictum eſt: *Dicis quia diues ſum, & nullius egeo.* Non fert hanc ſuperbiam
1. Tim. 2,4. miſericordia Dei, *qui vult omnes ſaluos fieri.* nemo enim verè præſumere po-
Rom. 3,23. teſt quòd diues ſit: *omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.*

306. Quàm fuerit impatiens huius indigentię, ſub cortice parabolæ Euangelicæ videtur ſubindicare: ſeipſum enim repræſentans per hominem illũ qui fecit cœnam magnam, & vocauit multos, mandat ſeruis, id eſt Apoſtolis, vt exeuntes in plateas & vicos ciuitatis, pauperes, debiles, cæcos & claudos adducant, imò compellant intrare. Nota, quòd non niſi miſerorum faciat mentionem, quibus indiget ad oſtentationẽ miſericordiæ ſuæ. Abundabat olim Dauid diuitijs, fulgebat gloria & honore, multis victoriis clarus, qui tamen vnius rei timebat defectum, miſeri ſcilicet alicuius de domo Saul derelicti, in quem exercere poſſet ſuam munificentiam. Audi ſollicitè inquirentem: *Numquid ſupereſt*
2. Reg. 9,3. *aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei?* Reſponſum autem eſt ad conſolationem eius, miſerum quemdam eſſe ſuperſtitem: *Dixitque Siba Regi: Supereſt filius Ionathæ debilis pedibus.* In hunc modum Chriſtus, qui non confunditur filius Dauid vocari, omnium Dominus, & plenus diuitijs, dixit quòd miſeris opus habeat. Si Chriſtus indigere videtur miſeria noſtra, magis indigemus nos illius miſericordia. Habet ſe miſer peccator ad miſericordem Deum, ſicut modò genitus infantulus, lactens, ad nutricem, cuius vbera diſtenta torquentur. Nam etſi hæc vt leuetur, lactente, magis tamen ille lacte indiget ad vitæ ſuſtentationem. Verum eſt, inſtar matris quam lactis abundantia premit, Chriſtus inuitauit pueros lactentes, dicens: *Venite ad me omnes qui onerati eſtis*, &c. Matth. 11,28.
Quinimò clamoribus ſubinde dolorem profiteri viſus eſt. *Stabat Ieſus*, Ioan. 7,37.
inquit Ioannes, *& clamabat dicens: Si quis ſitit veniat ad me, & bibat.* Verumtamẽ non tam ſuam copiam indolebat, quàm lugeret recuſantium inopiam. Præthereà deficit ſimilitudo, quòd infantulus quidem ſugat, ſed neminem lactet, Deus autem eos miſericordia indignos reputet qui alteri ſuam denegant. *Iudicium enim ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* Iac. 2,13.
Dolendum proinde eſt, quòd valdè exigua ſit ſæpè hominis erga ſuæ naturæ conſortem, id eſt erga alium hominem compaſſio, cuius duritiam meritò ægrè fert, qui non ignorans multos maleuolos & ſibi infenſos turbæ, quę eum ſequebatur, intermiſtos fuiſſe, tamen ſine exceptione omnium miſeretur, dicens: *Miſereor ſuper turbam.* Marc. 8,2.
Omnes etiã implet ſua benedictione: nam *manducauerunt, & ſaturati ſunt.* V. 8.
Sciendum autem, quòd faciliùs corrigatur peruerſus commiſeratione quàm acerba correptione. Patent hæc ex ijs quæ habentur *Tract.* IX. *Diſcurſ.* XXII.

DOMIN. VII. POST PENT.

307. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 7,19.
Verum eſt quod ait Dauid: *Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi.* Pſalm. 18,10.
vnde alibi monet: *Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum.* Pſalm. 33,10.
Mira autem videtur ratio, ob quam etiam timorem Domini nobis commendat, dicens: *Timeat eum omne ſemen Iſrael, quoniam non ſpreuit neque deſpexit deprecationem pauperis.* Pſalm. 21,25.
Ad litteram hîc monet omnes, vt filiali timore & reuerenIii 2

uerentia (qua in cælo coram Deo tremunt poteſtates) Deum ſuſpiciant, eique gratias agant, quia nimirum nō ſpreuit, ſed exaudiuit Filium ſuum Redemptorem noſtrum, qui *pro nobis egenus factus, in diebus carnis ſua preces offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Itaque ſecundùm hanc expoſitionem, dum ait, *Timeat eum*, &c. non tam præcipit quid in Eccleſia militante ab electis oporteat fieri ad meritum, quàm prædicit quid in triumphante præſtituri ſint ad præmium. Vt enim nunc gratias agere tenentur, ita tunc miſericordias Domini in æternum cantabunt. Timere enim Deum, ſubinde ſignificat in Scriptura eumdem honorare & reuereri. Magnificabunt autem Sancti eum in cælis, quia meritis Filij ſui tribuendum eſſe profitebuntur, quòd non ſunt conſumpti & proiecti in ignem tamquam arbores exciſæ. Omnes homines erant arbores infructuoſæ, nam *omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnū*, &c. ac proinde igni obnoxij, ſed venit Filius Dei, & exorauit eos, dicens Patri indignāti, *Domine dimitte illam* (arborē ficum ſcilicet) *vſq; dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora*, &c. Sancti igitur timore reuerentiali verebuntur Deum, qui non deſpexit nec ſpreuit deprecationem pauperis Filij ſui.

Hebr. 5,7.

Pſalm. 13,3.

Lucæ 13,8.

308. Hoc modo de ſancto timore expoſita Dauidis ſententia facilis eſt, verùm difficilior videtur interpretatio moderni Scriptoris, qui exiſtimat, Deum timore propriè dicto homines concutere, propter miſericordias quas fecit peccatoribus, audiens preces & ſupplicationes Filij ſui pro illis intercedentis. *Timeat eum omne ſemen Iſraël*, inquit, *quia non ſpreuit*, &c. Si diceret eum terribilem, quia iratus inflexibilis eſt, benè quidem; ſed depingit illum mitem & longanimem: ſub tali autem iudice potiùs audent & præſumunt malefactores, quàm metuunt. Nota tamen, quòd bono fundamento timeant, quia nihil eſt quod rigorem iuſtitiæ magis augeat, & calorem iracundiæ fortiùs intendat, quàm benignitas & miſericordia à miſeris neglecta & vilipenſa. Ex magna compaſſione petijt Chriſtus & impetrauit à Patre vt fodiat & mittat ſtercora ad arbores infructuoſas: quod quam anxiè præſtitit, tota Euangelica teſtatur hiſtoria. Timeant igitur rigorem iuſtitiæ, quotquot ex oleo tantæ miſericordiæ non impingueſcunt. Nam *quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Certè *de ſtercore boum lapidabitur piger*. Si fimus, qui ad impinguandum collatus eſt, terræ non prodeſt, cedet ad vermium generationem & enutritionē, qui inficiant eam. Si beneficia à Filio Dei hominibus impenſa negliguntur, acuent dentes vermi conſcientiæ, qui rodet, & vertentur in lapides, quibus obdurentur & puniantur. *Superexaltat autem miſericordia iudicium*. id eſt, miſericordia faciet altius grauiuſque iudicium eius, qui magnam à Deo eſt conſecutus, vt interpretatur hanc Scripturam (cuius variæ ſunt expoſitiones) Hugo Cardinalis. Tantò enim impetuoſiùs decidit lapis membratim confracturus hominem, quantò interpoſitione plurium rerum in aërem altiùs fuit erectus. Eodem modo pro beneficiorum & gratiarum multitudine quæ quis à Deo recepit, grauiori lapſu collidetur in iudicio. Fundum inferni petent Chriſtiani magis quàm Ethnici: deſcendet enim quilibet non ſolùm cum pondere peccatorum, ſed etiam beneficiorum; & tam pro illorum quàm

Pſalm. 21,25.

Hebr. 2,3.

Eccli. 22,2.

Simile.

Iac. 2, 13.

Hugo. Card.

Simile.

quàm pro horum ratione maius vel minus iudicium portabit.

309. Ceterùm cùm tanta ſit Dei benignitas, vt non modò preces & ſupplicationes Filij ſui pro eius reuerentia exaudiat, ſed nullius pauperis deprecationem deſpiciat, meritò timent omnes qui bonis operibus, quibus arbores bonæ efficiantur, fuerint deſtituti. Ipſis enim imputabitur defectus, quibus ad impetrandum à Deo ſemper patet acceſſus. Paratus enim eſt ad dandum, qui inuitat ad petendum. *Petite*, inquit, *& dabitur vobis.* Homo qui ſine veſte nuptiali comparuit, rogatus quomodo ſic intraſſet, non habebat quòd ad excuſandum ſe poſſet prætendere. *At ille obmutuit*, dicit Euangeliſta. ita *omnis iniquitas oppilabit os ſuum.* Si enim reſponderit, quid habere poſſum quod non accepi, dicetur: *Quoniam non ſpreuit neque deſpexit deprecationem pauperum.* O homines vacui pietate, *abominabiles, ad omne opus bonum reprobi, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ,* &c. *quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Quàm terribilis erit ex eo quòd viderit malè veſtitos, quos ad petendum, imò ad recipiendum vltrò inuitauit, dicens: *Aperi os tuum, & implebo illud.* Nouit quòd multi ſint pigri in negotijs ſalutis, de quibus dici poſſet illud Sapientis: *Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam,* quibus ait: *Aperi os tuum,* &c. Saltem pete, non deſpiciam deprecationem pauperis. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis,* &c. Caue tibi, quia ex illis lapidaberis. vnde ſequitur, *Theſaurizas tibi iram,* &c.

Matth. 7,7. Matth. 22,12. Pſalm. 106,42. Pſalm. 21,25. Tit. 1, 16. Iudæ ✝.12. Pſalm. 80,11. Prou. 19,24. Rom. 2,4. ✝.5.

310. Cùm tanta ſit bonorum operum neceſſitas, & non ſimus ſufficientes ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo ſit, qui non deſpexit deprecationem pauperis, niſi velimus eum ſentire terribilem, inſtanter petamus neceſſaria ſalutis. Placebit illi, ſi cum deuota impatientia clamemus cum Rachel, quæ *cernens quòd infecunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo: Da mihi liberos, alioquin moriar.* Timebat ſancta mulier ſe à Deo reiectam, ac indignam haberi quæ populum, vnde Chriſtus naſciturus erat, ædificaret, vt ibidem notat Eetus noſter. Idem dicat quilibet Chriſtianus, non ignorans quòd *fides ſine operibus mortua eſt*, & certò ſciens ſe moriturum æterna morte, ſi abſque illis comparuerit. Proinde meritò clamet: O Deus, da bonorum operum fecunditatem, alioquin video mihi mortem & ignem æternum paratum: audio ſententiam à Filio tuo pronuntiatam qui ait: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Gen. 30,1. Iacob. 2,26. Matth. 7,19.

311. Multa fortiter tulit Anna vxor Elcanæ; verùm triſtitia quam concepit ex eo quòd æmula illius ei obijceret ſuam ſterilitatem, eamdem ita abſorpſit, vt fleret, & non caperet cibum, cùm tamen ob ſterilitatem ſuam ſolatio viri ſui non deſtitueretur. *Dixit ergo ei Elcana vir ſuus: Anna, cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi ſum quam decem filij?* Mirum ergo & ſtupendum, quomodo homines impij *lætantur cùm malè fecerint, & exultent in rebus peſſimis.* qui quàm ſint ſponſo animarum noſtrarum exoſi, vel ob hoc ſolum quòd ſteriles ſint, non ignorant: qui ait, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum,* &c. Lia lippis oculis deſpectui fuit, quæ poſtquam concepit,

1. Reg. 1,7. 1. Reg. 1,8. Prou. 2,14. Matth. 7,19.

manens æquè deformis vt priùs, promiſit ſibi affectum ſui coniugis, dicens: *Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.* Gen. 29,32. Sine operibus bonis fœdè lippiunt oculi credentium, quorum fides mortua eſt: accedentibus autem bonorum operum fructibus, cum fecunditate acquirit anima etiam venuſtatem, & fidei claritatem. vnde confidenter dicere poterit: *Nunc amabit me vir meus.* Cùm igitur ſine fide, quæ per dilectionem operatur, impoſſibile ſit placere Deo, non ſufficiat nobis quòd occultam tenemus in corde, cùm tempore & loco eam ore & opere profiteri neceſſe ſit. de quo vide *Tract.* v. *Diſcurſ.* VII.

Matth. 7,21. 312. *Qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Hîc agi poteſt de recta actionum noſtrarum intentione in beneplacitum Dei dirigenda. Conſule *Tract.* I. *Diſc.* XII.

DOM. VIII. POST PENTEC.

Lucæ 16,4. 313. *Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione,* &c. Magnæ infelicitatis eſt, aſtutum eſſe ad faciendum mala. Prou. 26,12. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri, magis illo ſpem habet inſipiens.* Gauiſus fuit villicus iniquitatis quaſi de re benè geſta, qui iniuſta diſtributione bonorum domini ſui ſibi aliquos obſtrinxit, vt amotum à villicatione hoſpitio reciperent. *Simile.* Aquila ob prædam, quam rapuit, inter alias aues diſtributam, ſe quodammodò munificam ab omnibus ſuſcipiendam oſtentat; eodem modo rapiens non ſuum hic villicus gratiam hominum venatur, & gaudet quòd eos ſibi debitores teneat, non curans quòd à gratia Dei excidens miſer, per iniquitatem ſe æternæ morti obnoxium reddat: nam *prudentia carnis, mors eſt, prudentia autem ſpiritus, vita & pax.* Rom. 8,6.

314. Superbia eſt inuentrix damnabilis prudentiæ, vt patet ex verbis huius villici, qui dixit: *Fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam.* Lucæ 16,3. Simpliciùs quidem, ſed ſecuriùs ſe expediuit ab ære alieno ſeruus, qui debebat decem millia talenta domino ſuo. *Procidens autem ſeruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Matth. 18,26. qui liber dimiſſus manſiſſet, niſi per oppreſſionem conſerui dominum ſuum ad indignationem concitaſſet. Villicus mortis reus meritò cenſeri debet propter iniquitatem; hic verò ſeruus, quem humilitas ſecurum fecerat, tandem crudelitatis ſuæ pœnam incurrit. Datur hîc occaſio diſſerendi de prudentia, quæ in iuſtis ſemper vera, ordinariè etiam perfecta cenſeri debet; peccatorum autem ſemper quidem à perfectione, non rarò autem à veritate deficiens, facilè in aſtutiam degenerat, vt patet ex ijs quæ habet *Tractatus* I. *Diſc.* I.

315. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Lucæ 16,9. Pluris valent diuitiæ in vita præmiſſæ per diſtributionem pauperibus factam, quàm dimiſſæ per executionem teſtamenti poſt mortem teſtatoris faciendam. *Simile.* Digniores famili Nobilium huius ſæculi dominos ſuos ſequuntur, vnde *pueri honorarij* ſolent appellari; viliores verò circumpedes, qui à Belgis *Lackeyen* vocantur, præcedunt. Contrario modo res ſe habet in Nobilibus cæli, qui *coram Regibus ſtabunt.* Nam opera miſericordiæ, quæ ceteris omnibus præſtantiora ſunt, præcedunt, ea verò quæ inferioris ſunt exiſtimationis, ſequuntur. *Amodò iam dicit ſpiritus,* inquit Ioannes, *vt requieſcant à laboribus* Apoc. 14,13.

ribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos. Iniuriam faceret Princeps, ſi dum proficiſcitur, aut eum pompa publica procedit, nobiliores pueros vilibus pediſſequis intermiſtos circumduceret. Eodem modo, qui opera miſericordiæ non præmittit in vita, ſi non ſubeſt iuſta ratio dilationis, eiſdem minùs quàm oportet deferre cenſendus eſt, quia eum alijs ignobilioribus ſequuntur. *Simile.*

316. Expedit vt diues præmittat in vita ſua bona temporalia, quæ de manu Dei recepit, quàm vt ea fidat teſtamenti ſui executoribus: qui quàm tardi ſæpè ſint & infideles, vt decedentium pijs votis ſatisfiat, quotidiana experientia docet. Seruus qui dominum præcedit, ne paſſum quidem pedis extra viam à domino ſibi præſcriptam ponere præſumit; qui verò ſequuntur, ſi deſit diligens pædagogus qui eos comitetur, quas non faciunt hinc inde ineptias, iam ad dexteram, iam verò ad ſiniſtram deflectentes? O quàm ſæpè diuitiæ poſt mortem derelictæ, ab intentione teſtatoris & fundatoris ad alios vſus diſtrahuntur? quàm ineptè ſæpè retorquetur teſtatoris intentio in hanc vel illam partem? Eſt ergo magna diuitum fatuitas, qui differunt bonorum ſuorum diſpoſitionem vſque ad mortem: ſed non eſt minor illorum ingratitudo erga Deum, à quo omne bonum, cui pauperes pretioſi ſunt, quos ſæpè iure ſuo fraudant dum ſuperflua proprijs manibus non erogant, ſed alienis poſt mortem diſtribuenda relinquunt. Conſule hac de re *Tractatus* VI. *Diſcurſum* IX. *Simile.*

DOM. IX. POST PENTEC.

Lucæ 19,41. 317. *Videns ciuitatem, fleuit ſuper eam.* Ex mandato Eliæ olim ſeruus eius explorabat, an non appareret indicium nubis aut pluuię in aëre. *Septima autem vice, ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Chriſtus nubeculæ non abſimilis eſt, qui hodie diſpenſans in conſueta & ordinaria abiectionis ſuæ apparentia, paulùlum aſcendit de mari, ſedens ſuper aſinam, & cum multorum applauſu & acclamatione ingreditur ciuitatem. Nubes ex natura ſua blanda & mollis ordinata eſt vt paret terræ pluuiam. vnde ait Propheta: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum*; quæ nimio calore accenſa, cum aqua terram inebriat & humectat, eodem tempore ſubinde horrenda tonitrua & fulgura emittit, quibus alta palatiorum & turrium cacumina concutit & deijcit. Eſt hoc in Chriſto videre, qui *videns ciuitatem, fleuit ſuper eam.* Et quidem ſuis lacrymis benedixit terram, auertens captiuitatem Iacob. Nam etſi non profuerint ciuitati, cuius inſtantem vaſtitatem deplorabat, tamen per illas meruit humilibus & timoratis gratiã & gloriam. Vnde videntes hanc Filij Dei teneram compaſſionem erga hoſtes ſuos, in conſolatoriam ſpem erecti dicere poterant: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis.* Verùm ſtatim poſteà zelo domus Dei accenſus, ex oculis, à quibus vix lacrymas abſterſerat, ſcintillas emittens indignationis, quaſi quodam fulgure omnes timore concuſſit. *Ingreſſus in templum, cœpit eijcere vendentes in illo, dicens illis: Scriptum eſt,* &c. *vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* *3. Reg. 18,44.* *Iſa. 45, 6.* *Simile.* *Lucæ 19,41.* *Pſalm. 114,7. & 8.* *Lucæ 19,45.*

318. Hæ igitur lacrymæ Chriſti conſolantur timoratos & puſillanimes, ſed non confortant peccatores.

Ne

Eccli. *Ne dicas*, *Miſeratio Domini magna*
5,6. *eſt*, inquit Sapiens, *multitudinis peccatorum meorum miſerebitur*. Nota,
peccatorum meorum. Prohibet prçſumptionem. Ille præſumit, qui ſibi promittit remiſſionem peccatorum, quæ
quòd adhuc affectui inhæreant, ſua
ſunt. Pro quo attende modum loquendi, quo Propheta Dauidem conſolans
2.Reg. ſolans ſecurum reddidit: *Dominus*
12,13. *quoque tranſtulit peccatum tuum, non
morieris*. Illud *quoque* alluſionem facit ad tranſlationem quam Dauid fecerat, qui peccatum ex affectu & voluntate ſua cui inhærebat, tranſtulit
ad odium & dolorem. Atque adeò etſi
peccatum ſuum adhuc appelletur ra-
ꝟ.13. tione commiſſionis (vnde aiebat, *Peccaui Domino*) non tamen erat ſuum
ratione approbationis, quo ſenſu aliquid ſpeciali titulo alicuius vocari ſolet in Scriptura, vt patet ex verbis
Chriſti, qui, loquens de mundo &
Ioan. mundanis, ait: *Mundus quod ſuum*
15,19. *erat diligeret*. Nemo ergo ſperet miſericordiam peccatorum, cui hoc modo ſua ſunt. Transfer igitur peccata de voluntate & complacentia ad
odium, dolorem & deteſtationem, vt
ab illis libereris cum Dauide, cui dictum eſt: *Non morieris*.

Simile. 319. Loquitur Nathan ad modum
Medici aut chirurgi, qui conſiderans
quòd humor purulentus, qui priùs
afficiebat cum manifeſto mortis inſtantis periculo pulmonem, hepar aut
alias partes principaliores, ſe retraxerit per operationem medicinæ ad illos
corporis meatus, per quos facilè eijcietur, accedit lætus ad infirmum, &
dicit: Bono animo ſis, vita ſalua eſt.
Qui igitur cum fundamento ſperare
deſiderat peccatorum remiſſionem,
conari debet ne per voluntatem, complacentiam aut propoſitum continuandi ea, ſua cenſeri poſſint. Pro
quo notanda eſt ratio, ob quam prohibet Sapiens ne quis dicat, *Multitu-* Eccli.
dinis peccatorum meorum miſerebitur, 5,6.
dicens: *Miſericordia enim & ira ab* ꝟ.7.
illo citò proximant, *& in peccatores reſpicit ira illius*. Sic Chriſtus condolens plorat, ſed iratus verberat &
eijcit vendentes de templo.

320. Stobæus Serm. 44. refert, Stob.
quòd Bion Priennenſis fleuerit, cùm
mortis ſententiam in quemdam pronuntiaret. Interrogatus cur non ignoſceret, quandoquidem tam acerbæ iuſtitiæ executionem doleret; reſpondit:
*Neceſſarium eſt natura condolere, legi
autem ſuffragari*. In hoc ſignum, quòd
Deus iuſtitiam miſericordiæ aſſociatam habeat, Filius Dei in ſermone,
quem habuit de octo beatitudinibus,
hunc ſeruauit ordinem, vt iuſtitiam
& miſericordiam ſine alia intermedia
combinaret. *Beati*, inquit, *qui eſu-* Matth.
riunt & ſitiunt iuſtitiam, &c. imme- 5,6.
diatè pòſt: *Beati miſericordes*, &c. ꝟ.7.

321. Dubium oriri poſſet ex eo
quod Sapiens dicat, *Citò proximant*;
quandoquidem videmus aliquos in
peccatis vitam in multos annos protrahere. Reſpondetur, quòd licet ex
Dei miſericordia ſubinde pœna differatur, tamen opinione ipſius peccatoris ſæpè feſtinat, qui cùm nihil minùs putabat moriens, poſtquam duxit in bonis dies ſuos, in puncto ad inferna deſcendit. vnde dicit Sapiens:
Et mirabuntur in ſubitatione inſperata Sap.
ſalutis. Hinc fit quòd ex varijs & im- 5,2.
prouiſis euentibus homines ſæpè moriantur, quibus nec pœnitendi tempus
ſuppetit. Achab vt periculum mortis
declinaret, mutato habitu proceſſit
ad bellum, ſed Deus direxit ſagittam
quæ in incertum fuerat eiaculata, qua
occiſus interijt. *Vir quidam tetendit* 3.Reg.
arcum, 22,34.

Digitized by Google

arcum, in incertum ſagittam dirigens, dicit Scriptura, *& caſu percuſſit Regem.* Mittebat ſagittam contra multitudinem, nõn contra determinatam
Lyran. perſonam. Sed notauit Lyranus noſter, quòd licet iſta percuſſio caſualis fuerit ex parte ſagittantis, non tamen fuerit caſualis reſpectu Dei, eam ſecundùm ſuam præordinationem dirigentis. Nam etſi telum ne quidem contra multitudinem, ſed quaſi à ludibundo ſagittario in aërem eſſet proiectum, à Deo tamen, qui à ſcopo non poteſt aberrare, fuit directum ad illam partem corporis, in qua plaga altiùs adacta, non poteſt non eſſe mortifera. Hinc LXX. legunt, *Intendens vnus arcum benè collimans*, &c. Collimare non eſt aliud, quàm oculos in angulum retorquere, & eos penitus in rem aliquam defigere, quòd ſagittariorum eſt, qui diligentiſſimè deſiderant ſignum ferire. Vnde collimare & in incertum dirigere ſagittam, oppoſita ſunt. An igitur verſio LXX. controdicit Vulgari lectioni? Reſpondeo, vtrumque verum eſt reſpectu diuerſorum. Nam ſagittarius iaculum in incertum miſit, Deus autem collimando illud ad pectus Achab direxit, & inopinata morte perſonatum Regem, & alieno habitu indutum mortis declinandæ gratia, interfecit: ac proinde reſpiciens in peccatorem, miſericordiam, qua eum ad pœnitentiam expectauerat, & iuſtitiam citò proximare fecit.

Lucæ 19,14. 322. Ex miſericordia igitur Ieſus *videns ciuitatem; fleuit ſuper eam* ſine præiudicio iuſtitiæ, quam certò præuidebat futuram. Ex ſpeciali compaſſione plorat & deplorat miſerum ſtatum illorum qui in ciuitate ridebant. Erant enim de numero illorum, de
Prou. 2,14. quibus Sapiens ait: *Lætantur cùm malè fecerint.* Itaque non ſemper debet fieri quod monet Paulus, dicens: *Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus.* Rom. 12,15. Nam, vt benè notauit S. Thomas, *charitas non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.* 1. Cor. 13,6. Ridebant qui erant in ciuitate, & peccabant, meritò Chriſtus illis non congaudet, ſed potiùs plorat. Cognoſcens enim futuram vaſtationem ciuitatis, ciuium riſum reputauit errorem; & gaudio dixit: Quid fruſtrà deciperis? Eccle. 2,2.

323. Ceterùm in hoc apparet magnitudo compaſſionis & miſericordiæ Chriſti, qui pœnam, quam nouit ciuibus iuſtè infligendam, amatè deplorat. Vnde mirum videri non debet, quòd Auguſtinus (quem citat Antonius de Giſlandis Dub. 4. ſuper Euangelium Dom. 9. poſt Pentecoſt.) doceat, ſcilicet peccatum Iudæ etiam à Chriſto lacrymis fuiſſe notatum. Porrò miſericordia eſt virtus eorum qui magni ſunt in oculis Dei, cui non diſplicet quòd ſubinde doleamus punitionem, quam ille iuſtè decreuit infligere, & poſtulemus miſericordiam ijs quos ſecundùm dictamen iuſtitiæ debet punire. Conſule de hac re *Tractatus* IX. *Diſcurſ.* XVI.

DOM. X. POST PENTEC.

324 *Gratias ago, quia non ſum ſicut ceteri hominum.* Lucæ 18,11. Ridiculi exiſtimantur apud homines, qui quod penes ſe Simile. habent ignorant, & ideò ſtudioſè ac ſollicitè illud quærunt. Verùm apud Deum ſapientes exiſtimantur, qui cùm ſint in gratia eius id ignorantes (*neſcit enim homo, vtrùm amore an odio dignus ſit*, &c.) Eccle. 9,1. nocte & die pro aſſequenda illius amicitia deſudant. Eum qui quærit quod poſſidet, ſimilem dicunt Belgæ viro ſollicitè requirenti equum,

equum, cui tamen inſidet. Sæpè contingit vt ab eo gratia Dei anxiè quæratur, qui ab illa portatur. Porrò (vt ha-
Thom. à Kempis. bet dictum Thomæ à Kempis) *ſuauiter equitat, quem gratia Dei portat.* Iob amicus Dei erat, qui ſimplicitatem, rectitudinem & innocentiam illius ſingulari præconio canonizauit, cùm tamen ſollicitum & anxium ſe multis oſtendat, quærens cum ſuſpirijs & gemitibus quod manibus tenebat. Rationem huius ſol-
Iob 9, 21. licitæ quiſitionis dans, ait: *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.*

Simile. 325. Sicut ergo qui huiuſmodi ſunt, ſaltem apud Deum in honore habentur; ita vileſcunt Deo, Angelis & hominibus, qui quod non habent, ſe exiſtimant habere. Diuiſſimorum eſt, ignorare quantitatem bonorum & extenſionem limitum agrorum ſuorum & terrarum. vnde Belgæ de ijs qui exceſſiuè opulenti ſunt, dicere conſueuerunt: *Hy en vveet het eynde van ſijn goedt niet.* Diues erat
Gen. 39,8. Putiphar, de quo Ioſeph teſtatus eſt, quòd ignorabat quid haberet in domo ſua. Eodem modo verè diuites ſunt qui habent, licet ignorent ſe habere, ius ad terram viuentium, & ad id
1. Cor. 2,9. de quo dicitur: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.* Beati non attingunt finem eius quo fruuntur: nam etſi Deum apprehendant, non tamen comprehendunt. Econtrà ridiculus eſt & pauper, qui *exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit*, & multa habere, cùm nihil habeat. De huiuſmodi ſtultis Sapiens
Eccle. 8,14. ſententiam ferens ait: *Sunt impij, qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant: ſed & hoc vaniſſimum iudico.* Tales erant illi quorum ſtultam ſecuritatem refert Chriſtus, dicens, quòd *in ſe confidebant tamquam iuſti.* Ex Lucæ 18,9.&
quibus Phariſæus *hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum.* 11.

326. Hic Phariſæus nihil petens, non tam orare quàm facta ſua impudenter enarrare cenſendus eſt. Cuius occaſione diſſeri poterit de verboſitate & multiloquio, quod Deo valdè exoſum eſſe conuincitur, cùm à Chriſto, etiam dum orationi inſiſtendum eſt, prohibeatur. Specialiter autem à ſapientum congreſſu verboſitas eliminanda eſt, quæ in conferentijs & diſputationibus potiùs contentionis quàm publicandæ veritatis mater eſt, dum vnus alteri non vult cedere, ſed quilibet pro triumpho *languens circa* 1. Tim.
quæſtiones & pugnas verborum, videtur ad hoc conari, vt cum ſuperbo 6,4.
Phariſæo dicere poſſit, *Non ſum ſicut* Lucæ
ceteri hominum. Qua de re conſule 18,11.
Tract. 1. *Diſc.* VIII.

327. *Qui ſe exaltat, humiliabitur.* Lucæ
Doctus eſſe poteſt, qui ab alio doce- 18,14.
tur; & non poteſt non eſſe diues, quem Simile.
alius ditauit: niſi autem quis ſeipſum humiliet, non erit humilis, ſed vilis, dum ab alio humiliatur. Non igitur prædictis verbis fit gratioſæ humilitatis promiſſio, ſed ſordidæ vilitatis comminatio. Nemo præſumeret excelſam turrim conſcendere, ſi non ignoraret ſe manibus eius, qui in ſupremitate illius reſidens omnia conſpicit, fore excipiendum, vt ex alto
deijciatur. *Deus noſter qui in altis ha-* Pſalm.
bitat, & humilia reſpicit in cælo & in 112,5.
terra, ſuperbis reſiſtit, & proijcit eos
in profundum. vnde Dauid ait: *De-* Pſalm.
iecisti eos dum alleuarentur. quorum 72,18.
coacta humilitas potiùs vilitas cenſeri debet. Deus autem non niſi ſpontaneam reſpicit. Honorata autem vocatur

Digitized by Google

catur humilitas, quam in B. Virgine, quæ à peccato immunis fuit, præ omnibus Sanctis reueremur. Conſule hac de re *Tract.* III. *Diſc.* X.

DOM. XI. POST PENTEC.

Marc. 7,32. 328. *Adducunt ei ſurdum & mutum*, &c. Multi ſunt qui acutè nimis audiunt aliorum vitia, 2. Tim. 3,3.6. *ſine pace, criminatores*, &c. *ex his enim ſunt qui penetrant domos*, &c. aures præbent delatoribus, calumniatoribus & detractoribus. Hi autem qui magna auiditate auſcultant & paſcuntur dum narrantur peccata aliena, aures claudunt & obſurdeſcunt ad propria. Si aliquid in genere narratur ſuppreſſo auctore, curiosè imò perniciosè ſcrutantur, donec ſciant quis de quo rumor ſurrexerit; vel ſi poſt omnem conatum ſe vident fruſtratos, ipſi tribuunt & diſtribuunt mala huic vel illi per ſolam ſuſpicionem. Habet etiam ſacra concio huiuſmodi ſurdos auditores, qui dum aliorum vitia ab Eccleſiaſte taxantur, miro modo gaudent, & ſecundùm qualitatem increpationis cuilibet ſtatui quod ei conuenire videtur diſtribuunt, dicentes: Quàm gratiosè increpauit Eccleſiaſticorum auaritiam, mercatorum fraudes, coniugum adulterium, incontinentiam ſolutorum, &c. Memini quòd Auguſtinus huiuſmodi ſurdos auditores appoſitâ ſimilitudine compareт dentibus, qui omnem cibum maſticant, nullum tamen manducant; ſed conijciunt in ſtomachum. Eodem modo hi nil ſibi, & omnia alijs applicant. Prætereà ſi in maſticando aliquid reliquiarum dentibus adhæſerit, hoc ijſdem moleſtiam adfert. Hinc videbis poſt cibum ſumptum pleroſque homines dentiſcalpio occupatos, vt eos à reliquijs leuent & purgent. In hunc modum auditores, qui ad propria vitia obſurdeſcunt, dum aliorum ſtudiosè notant, & cuilibet ſua diſtribuunt, ſi caſualiter fortè aliquid ipſis etiam inuitis inhæret; hoc tamquam ſibi moleſtum de memoria excutiendum eſſe putant.

Auguſt. *Simile.* *Simile.*

329. Similes ſunt hi canibus, qui morſu & latratibus impetunt pauperem qui ab alio percutitur, ſi autem baculus eis intentatur, cum eiulatu aufugiunt. In concionibus percutiuntur peccatores, vnde Propheta ait: *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Verùm ſurdi auditores nolunt attingi ſalutari virga, obturantes aures ſuas, recuſant audire quæ illis ſalutaria ſunt. Si quid dicitur à Concionatore quod ad omnes ſtatus ſiue hominum conditiones ſpectat, & per conſequens etiam illos tangat, vt de morte, iudicio, pœna inferni, ſaluandorum paucitate, &c. obmurmurant, & ſacram commonitionem tribuunt defectui debitæ præparationis, aut memoriæ, aut ſcientiæ prædicantis. Hi ſurdi ſunt ad ſalutaria, & erectis auribus auſcultant blanda. *Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & aſpicientibus: Nolite aſpicere, loquimini nobis placentia.* Dum verò alij grauiter percutiuntur & corripiuntur, rident, & hilariter approbant, ipſi autem ſi leuiter attinguntur, inſtar canum vlulant, & *auditum à veritate auertunt, ad fabulas autem conuertuntur*, vt aliorum peccatis aures paſcant. *Simile.* Iſa. 11, 4. Iſaiæ 30,10. 2. Tim. 4,4.

330. Econtrà pij & timorati cum gaudio excipiunt verbum quod ipſos concernit: & cum gratiarum actione dicunt ei qui illud ponit in ore prædicantium: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Qui autem ſunt tam aciti auditus ad propria negotia, Pſalm. 22,4.

gotia, ſurdi ſunt ad aliena errata. So-
Simile. lent quidam per internum aurium
tinnitum impediri ab auditu exterio-
ris ſoni. Eodem modo, qui admittit
verba ſalutis ad interiora cum Daui-
Pſalm. de, qui ait, *In corde meo abſcondi elo-*
118,11. *quia tua, vt non peccem tibi*, ei tam-
Pſalm. quam ſurdo narrantur fabulæ. *Nar-*
118,85. *rauerunt mihi iniqui fabulationes*, in-
quit, *ſed non vt lex tua.* Audi eum-
dem ſalubriter ſurdum, & acutè au-
Pſalm. ſcultantem. *Audiam*, inquit, *quid lo-*
84,9. *quatur in me Dominus Deus, quoniam*
loquetur pacem in plebem ſuam. Ad
Pſalm. opprobria autem *factus ſum ſicut ho-*
37,15. *mo non audiens.* Item detractores Deo
odibiles, qui turbant pacem, & conci-
tant bella & lites, conuictu, auditu
meo indignos, odio proſequor. vnde
Pſalm. *detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc*
100,5. *perſequebar.* Ex his patet, quòd Deus
non minùs miſericorditer audientes
ſubinde ſurdeſcere, quàm ſurdos au-
dire faciat.

331. Idem eſt iudicium de mutis,
quos facit rectè loqui, ſicut loquentes
peruerſa ex illius imperio obmute-
ſcunt. Offenditur ſubinde Deus ab eo
qui loquitur bona, cùm ipſe ſit ma-
lus. Clamabant dæmones vera, &
bona de Chriſto Filio Dei prædica-
bant, qui vni eorum notitiam eius
Lucæ profitenti & dicenti, *Scio te qui ſis,*
4.34. *Sanctus Dei*, imponens ſilentium di-
35. cit: *Obmuteſce.* Et infrà adfertur ra-
℣.41. tio prohibitionis ab Euangeliſta: *Non*
ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum
eſſe Chriſtum. Reputabat olim qui-
dam pro vituperio, dum laudaretur
ab improbo. Ita Chriſtus grauiter ſen-
tit, quòd dæmon cognoſcens quantæ
ſit maieſtatis & excellentiæ, tamen
præſumit illum ore ſacrilego com-
mendare.

332. Diſſimulat magnæ auctorita-
tis vir, ſi quid ei fiat irreuerentiæ ab
eo qui ignorat qualitatem & gradum
ſuæ dignitatis. Et quidem, iudicio
S. Pauli, non eſt eiuſdem grauitatis
qui purgat ſe per ignorantiam maledi-
centiæ, qua Ananiam impetiuit, di-
cens: *Neſciebam fratres quia princeps* Act.23.
eſt Sacerdotum. Ad huius rei confir- 5.
mationem opportunum exemplum
narrat Petrus de la Vega Pſalm. 2. ℣. 3. Petrus
diſc. 2. de quodam Duce, quem ſe- de la
cundùm apparentiam quidam igno- Vega.
minia affecerat, virga percutiens
equum cui inſidebat, dum in milita-
ri apparatu comitaretur Carolum V.
Dux ergo rogabat modeſtè impru-
dentem percuſſorem, ſi haberet noti-
tiam ſui, & ſciret cuius equum per-
cuſſerat, reſpondit alter, fortè non
ſatis ponderans in quem finem fieret
iſta inquiſitio, quòd probè illum no-
uiſſet, in magnum malum ſuum ſci-
licet, nam ſtatim arrepto gladio gra-
uiter eum vulnerauit. Putat Deus ſe
ignominiam pati, ſi ab impio laude-
tur, maximè ſi is non ignoret illius
infinitam maieſtatem. Imponit igitur
diabolis ſilentium, quia ſciebant ipſum
eſſe Chriſtum. Minùs ſenſit ſe tenta-
ri, & de loco in locum transferri à
diabolo, qui ignorabat eum eſſe Fi-
lium Dei, & ideò inquirens dixit, *Si* Matth.
Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes 4.3.
fiant; quàm ab illis honorari, qui ſcie-
bant illum eſſe Chriſtum.

333. Quid mirum quòd non pati-
tur hoc à dæmone, cùm etiam Prædi-
cator exiſtens in ſtatu peccati morta-
lis, ſecundùm quoſdam Theologos,
peccet, ſi præſumat ſolemniter ver-
bum Dei proponere. Idem ſentien-
dum de eo qui verba Sacramentalis
abſolutionis audita confeſſione in ma-
lo ſtatu pronuntiat: qui licet alium à
ſuis peccatis validè liberet, ſe tamen

noui

noui peccati mortalis reum conſtituit.
Eccli. 15,9. vnde benè dixit Sapiens: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Si offendit peccator laudans & benedicens, quid
Matth. 6,23. mirum ſi maledicens peccat? *Si lumen quod eſt in te,* inquit Chriſtus, *tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?*

334. Quemadmodum ergo Deus ægrè fert quòd peccator de illo præſumat loqui bona in illius laudem; ita offenditur, ſi taceat propria mala in confeſſione, & honorari ſe exiſtimat
Pſalm. 110,3. dum illa aperit. *Confeſſio & magnificentia opus eius.* item: *Confeſſionem &*
Pſalm. 103,1. *decorem induiſti.* vnde Ioſue aiebat:
Ioſue 7,19. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere.* Sicut igitur adducendi ſunt illi loquaces quos cohibeat, ita & multi quorum vinculum linguæ ſoluat vt loquantur rectè. Hæc, occaſione illius quòd adduxerunt illi ſurdum & mutum, dicta ſufficiant.

Marc. 7,33. 335. *Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius.* Hîc de fuga ſæculi nequam poteris agere. Separato à turba digitorum impoſitione aperit aures. *Digitos in*
Vener. Beda. *auriculas mittit* (ait Gloſſa venerabilis Bedæ) *cui per dona Spiritus ſancti aures cordis ad intelligenda & ſuſcipienda verba ſalutis aperit.* Significat quòd mundus Spiritum ſanctum non poſſit accipere, cuius operationem nõ niſi ſegregato impertitur. Res ardua eſt, per Dei gratiam auocati à negotijs ſæculi. Loquens Paulus de Chriſto, cui hoc ſingulare beneficium acceptum habere debent quotquot eo gaudent,
Gal. 1,4. ait: *Dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſæculo nequam.* Ne cum hoc mundo damnemur, Filius Dei vult vt ab eo alienemur. Econtrà quos dæmon intendit decipere, curat ſæculi negotijs, in quibus ſe occultat, implicari. verùm ab illius fallacijs omnino liberi ſunt, qui vanitatibus eius renunciant, vt ſtrenuè ſalutis media ſibi à Deo conceſſa exequentes, de virtute in virtutem proficiant. Conſule hac de re *Tract.* 1. *Diſcurſ.* XVIII.

DOM. XII. POST PENT.

336. *Hoc fac, & viues.* Poteſt Medicus ægroto ſpem conualeſcentiæ da- Lucæ 10,28.
te, non tamen ſic promittere vitam, vt omnino declinet mortem. Ægrotauit Ochozias, *& miſit nuntios, dicens ad eos: Ite, conſulite Beelzebub Deum* 4.Reg. 1,4.
Accaron, vtrùm viuere queam de infirmitate mea hac. deſperat ſe omnem infirmitatem euaſurum, ideò non præſumit vlteriùs inquirere quàm de infirmitate qua tunc tenebatur. *De infirmitate hac,* inquit: nam, vt ait Sapiẽs, *nemo eſt qui ſemper viuat, & qui huius* Eccle. 9,4.
rei habeat fiduciam. vnde ſubdit verſiculo ſequenti: *Viuentes enim ſciunt* ṽ. 5.
ſe morituros. Non ſolùm per intellectum, ſed per ſenſum certò colligit omnis viuens, quòd tandem videbit mortem. Pro quo nota, verbum *ſciunt* importare ex ſua proprietate ſenſum vel experimentum. Cùm igitur ait, *Viuentes ſciunt,* idem eſt ac ſi dicat, *Sentiunt ſe morituros;* nam omnes humanæ miſeriæ, infirmitates, laſſitudines, dolores, debilitates, virium defectus, quid aliud ſunt quàm accelerantis mortis indicia & prænuntia? Hinc Paulus ait: *Corpus quidem mortuum* Rom. 8,10.
eſt propter peccatum. Ante lapſum poterat dici mortale, licet non moriturum, ſi nimirum iuſtitiam originalem non amitteret, ſed poſt peccatum mortuum dicitur, quia omnimodæ neceſſitati moriendi obnoxium, cum priùs poterat non mori. Ita Auguſtinus l. 1. Auguſt.
de Peccatorum meritis c. 4. Hoc ſenſu dictum eſt Adæ: *In quacumque enim* Gen. 2,17.

 die

die comederis ex eo, morte morieris mul-
tis annis tamen poſteà ſuperuixit. In-
telligendum igitur hoc eſt non de
morte in facto eſſe, ſed in fieri, & de
neceſſitate moriendi.

337. Igitur viuentes ſciunt & ſen-
tiunt ſe morituros. quòd enim ſcire
importet ſenſum (vt dictum eſt) patet
Pſalm. ex alijs Scripturæ ſententijs. *Beatus*
88,16. *populus*, inquit Dauid, *qui ſcit iubila-*
tionem, ac proinde dicere poſſit cum
Pſalm. eodem: *Cor meum & caro mea exulta-*
83,3. *uerunt in Deum viuum.* Vera iubilatio
potiùs ſentitur, quàm intelligitur.
Greg. Nam, vt ait Gregorius lib. 8. Moral.
cap. 40. *iubilum dicimus, cum tantam*
lætitiam corde concipimus, quantam per
ſermonis efficaciam non explemus. Non
cognouit Paulus ſolù per intellectum,
ſed etiam per ſenſum & rebellionem
membrorum, pronitatem ad malum,
Rom. ideò dixit: *Scio enim quia non habi-*
7,18. *tat in mẽ, hoc eſt in carne mea bonum.*
Scio, inquit, per ſenſum ſcilicet &
experientiam rebellionis carnis ad ſpi-
ritum, vt interpretatur Lyranus. De
hac eadem miſeria conqueſtus eſt in-
ỳ.23. feriùs, dicens: *Video autem aliam le-*
gem in membris meis, repugnantem legi
mentis meæ. Videre & ſcire ſunt in
Scriptura ſæpè idem quòd ſenſu ali-
quid percipere.

338. Erant aliqui tempore Dauidis
qui non ſentiebant ſe homines eſſe, vi-
uentes inſtar beſtiarum ſine lege, ſine
iugo, quibus is tyrannum à Deo pre-
catur, à quo oppreſſi & anguſtiati ſen-
Pſalm. ſum & cor hominis acciperent. *Conſti-*
9,21. *tue Domine legiſlatorem ſuper eos*, in-
quit, *vt ſciant gentes quoniam homi-*
nes ſunt. Senſum illis optat potiùs
quàm intellectum, vt hominum mo-
re viuentes, non modò ſciant ſed et-
iam ſentiant ſe morituros. Terribilis
eſt mors illis, qui ſolùm intellectu
eam apprehendunt; blanda autem eſt,
ſi priùs per ſenſum tranſiens arma ſua
depoſuit. *Quotidie morimur* (inquit 1.Cor.
Paulus) *ſemper mortificationem Ieſu* 4,10.
Chriſti in corpore noſtro circumferen-
tes. Hinc ad eam iam omnino iner-
mem anhelat dicens: *Mihi viuere* Phil. 1,
Chriſtus eſt, & mors lucrum. Meritò ei 21.
mors corporis erat in deſiderio: nam
qui eam per mortificationem prægu-
ſtant, & illius non ſolùm intellectum,
ſed etiam ſenſum percipiunt, illis pro-
mittitur vita quam nulla mors ſeque-
tur. vnde ait Chriſtus: *Si quis ſermo-* Ioan.
nem meum ſeruauerit, mortem non vi- 8,51.
debit in æternum. Talem vitam hodie
promittit dicens: *Hoc fac, & viues.* Lucæ
ſic nimirum, vt nullum vlterioris 10,28.
mortis vmquam iudicium aut ſuſpi-
cio te perturbet. Nam *mors vltrà non* Apoc.
erit, neque luctus, neque clamor, neque 21,4.
dolor erit vltrà, quia prima abierunt.

339. Quamdiu reus videt ſe ſatel- Simile.
litibus vbique circumdari, certò ei
perſuaſum manet, ſibi eſſe morien-
dum. Eodem modo *homo qui natus de* Iob 14,
muliere, breui viuens tempore, reple- 1.
tur multis miſerijs, certiſſimum habet
reſponſum & iudicium mortis. Si au-
tem videt ſe ab illis omnino expedi-
tum, & ſuæ libertati relictum, vita ſe
donatum eſſe non dubitat. In cælo pri-
ma abierunt, luctus nimirum, dolor,
fames, ſitis, æſtus, frigus. *Non eſu-* Apoc.
rient, neque ſitient amplius (dicit Ioan- 7,16.
nes) *neque cadet ſuper illos ſol, neque*
vllus æſtus. Ecce liberos à comitatu
ſatellitum & miniſtrorum mortis,
quorum loco aſſignabitur illis cæle-
ſtis dux, vnde additur: *Quoniam Ag-* ỳ.17.
nus, qui in medio throni eſt, reget illos,
& deducet illos ad vitæ fontes aqua-
rum. Alludit hîc Ioannes ad ea quæ
habentur Iſaiæ 44,10. Ex quibus om-
nibus patet, quòd non tanget illos
tor-

Digitized by Google

tormentum nec apprehenſio mortis.

340. Vitam autem quam haurient ex eo cui dixit Dauid, *quoniam apud te eſt fons vitæ*, promittit obſeruantibus mandata, quorum tranſgreſſores dum illicita prætendunt, ſalutaria quæ poſſidebant amittunt: & incidentes in latrones, in miſerias ex quibus non poſſunt ſe extricare, conijciunt. Porrò Deus ſuos electos per mandata quaſi per quaſdam alligaturas ſalutis miſericorditer continet, ne inſtar iumentorum, immatura & cruda huius vitæ bona inordinato affectu depaſcant, & ſolida futuræ beatitudinis pabula perdant. Conſule hac de re *Tract.* I. *Diſcurſ.* V.

Pſalm. 35,10.

Lucæ 10,30. 341. *Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones.* Eſt manifeſtum patientiæ argumentum, ad iniurias & oppreſſiones tacere; hinc in laudem Martyrum cantat Eccleſia:

In Hymno de Martyribus. *Caduntur gladijs more bidentium,*
Non murmur reſonat, non querimonia, &c.

Hoc medio Dauid probat miram Dei longanimitatem, qui enarratis multis malorum hominum impietatibus, tandem dicit: *Hæc feciſti, & tacui.* Per patientiam (dicit Hugo Cardin.) impunitum diu dimiſi mea longanimitate, te incitans ad pœnitentiam. Magna apparet patientia huius hominis qui incidit in latrones, qui poſteà etiam ſemiuiuus ab eis relictus, à tranſeunte Leuita & Sacerdore viſus quidem, ſed neglectus eſt. Non enim legitur vel vno verbo illorum crudelitatem, aut horum tranſeuntium inhumanitatem inculcaſſe. Hîc datur occaſio agendi de patientia in tribulationibus, quæ à pijs vt medicinæ & amoris diuini litteræ teſtimoniales in pretio habêtur. Porrò reprobationis nota eſt, eas per impatientiam ſibi inutiles reddere & reijcere: ſi autem per reſignationem retinentur, proderunt infirmioribus, licet inde aliquo modo inquietentur: ſemper enim iuſtos corrigunt, impios autem deteriores reddût. Vide hæc ordine ſuo notata *Tract.* VIII. *Diſc.* XVI.

Pſalm. 49,21. Hugo Card.

DOM. XIII. POST PENT.

342. *Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.* Lucæ 17,18.
Hîc datur occaſio differendi de gratitudine & de vitio ei oppoſito, quo nullum Deus magis videtur deteſtari, qui præ omnibus alijs citiùs & grauiùs expoſtulat cum ingratis. De multis & grauibus ſceleribus arguendi erant Iſraëlitæ, ad quos miſſus eſt Iſaias: omnibus autem ſuppreſſis, primò exprobrauit eis ingratitudinem, conuocatis cælo & terra pro auditoribus & teſtibus. *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt. Filios enutriui, & exaltaui; ipſi autem ſpreuerunt me.* Chriſtus hîc ſe habet in modum admirantis, vt notauit noſter Didacus Stella in cap. 7. Lucæ. *Nonne*, inquit, *decem curati ſunt?* Nemo miratur ſi canem, equum aut lupum videat: ſed ſi monſtrum, in quo aliqua conſiderantur quæ ordinariæ legi & conſuetæ naturali membrorum aut organorum diſpoſitioni, multitudini aut paucitati repugnant, omnes obſtupeſcunt. Iſaiæ 1,2. Didac. Stella. Simile.

343. Non deſunt peccatores, qui caninos mores & inclinationes repræſentant (vbique enim ſunt detractores & oblatrantes murmuratores: quotidie etiam videmus recidiuantes & reſumentes peccata, quæ per pœnitentiam euomuerunt, quos proinde Spiritus ſanctus canum nomine cenſet, dicens: *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam* Prou. 26,11.

Digitized by Google

tiam ſuam. item crudeles leones & voraces lupi vbique ſunt:) ſed vt ſignificet Chriſtus, peregrinum & monſtroſum eſſe peccatum ingratitudinis,
Lucæ 17,17. quaſi cum ſtupore inquirit: *Nouem vbi ſunt?* Ac ſi dicat, monſtroſum eſt, beneficium accepiſſe, & diſſimulaſſe.

344. Refertur de beſtijs pro re digna notatu & rara, quòd aliquando ſignum exhibuerint gratitudinis. Scri-
Lilius. bit Lilius Geraldus l. de Ingratis, quòd Thoas quidam draconem puer enutriuerat, qui poſteà veritus illius indolem naturalem, cùm nimirum adoleuiſſet, eum in ſolitudinem detulit, ſe illius conſortio cautè ſubducens. Digreſſus inde, cùm in latronum inſidias incidiſſet, exclamans & ingemiſcens, agnitus eſt à dracone; qui & accurrit illicò, & nutritio ſuo ſuccurrit, contra latronum inſultus illum defendens. Similia obuia ſunt de leonibus, imò de ſerpentibus. Prodigioſa ſunt, eò quòd gratitudo & humanitas beſtialitati coniuncta, monſtroſitas quædam eſſe videtur. Maiori ratione ingratitudo hominem monſtrum facit, quandoquidem per eam in brutalem vilitatem degeneret. Horribile monſtrum fuit Nabuchodonoſor, qui ingratus beneficijs à Deo acceptis ſibi tribuit gloriam fabricæ Babylonicæ, dicens:
Dan. 4, 27. *Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Sed audi quàm monſtroſa
Dan. 5, 21. facta fuerit in illo mutatio: *A filijs hominum abiectus eſt, & cor beſtiæ datum eſt illi.*

345. Notandum autem, quòd
Simile. Deus, tamquam Pater, maximè conqueratur de ingratitudine Iudæorum quos vt filios honorauerat. Si diues quiſpiam ignoto & extraneo beneficium impendit, mille gratitudinis indicia reportat; ſi filijs aut filiabus, non audit in tota vita ſua vel vnum ſolum *Deo gratias.* Refert Auctor Siluæ Hi-
Silua Hiſp. ſpanicæ p.7.c.1.§.24. de quodam Nobili, qui lecto decumbens mandauit vnico filio, quē ſine deſiderio ſui poſt ſe reliquit, vt venderet poſt mortem ſuam tres falcones magni pretij, & ex pretio vnius quædā debita curaret ſolui, valorem autem ſecundi impenderet refrigerio animæ ſuæ, tertium verò ſibi retineret. Mortuo parente, paucis diebus elapſis auolauit vnus falconum, & dixit ingratus filius: Abeat ille pro anima patris mei. In hunc modum Iudæi, quibus Chriſtus vt pater ſingulis momentis affectum oſtendit, & beneficia impendit, ſine vlla animi gratitudine omnia conſumebant, imò ſpernebant, Samaritani autem & alienigenæ pro minimis donis maximas referebant gratias. Ceterùm gratiæ Deo agendæ ſunt ſemper & vbique, quas Sancti conantur ſoluere, ſed non poterunt perſoluere. Peccatores nullas debitas reddere valent, & ideò tamquam ingrati & debitis grauati cenſentur cæleſti collegio indigni. Conſule hac de re *Tract.* v1. *Diſcurſ.* x1.

DOM. XIV. POST PENT.

346. *Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quo operiemur?* Matth. 6, 31.
Hìc agi poteſt de vano mulierum ornatu, qui arrogantis & periclitantis animæ argumentum eſt. Vt Simile.
enim grana frumenti, quæ ex frequentiori pluuia inordinatè tument, difficulter ad horreum deferuntur, ſed perruptis folliculis, quibus obteguntur, de ſpicis ſuis excidunt, & beſtijs terræ relinquuntur; eodem modo anima, quæ ſuperbia tumet, facilè peribit. Angeli ſunt meſſores, quibus tritici congregatio demandata eſt, ſed excidit

illis

Digitized by Google

illis anima epulonis qui induebatur
Matth. purpura & byſſo, quia inordinatè ſu-
13. perbiuit & tumuit præ rerum tempo-
ralium inundantia. vnde factum eſt
Lucæ quod dicitur: *Mortuus eſt diues, & ſe-*
16,22. *pultus eſt in inferno.* Meritò expoſtulat
Dauid cum vanis & ſuperbis, dicens:
Pſalm. *Fili hominum vſquequò graui corde? vt*
4,3. *quid diligitis vanitatem, & quæritis*
mendacium? Non modò crapula & ebrietate, ſed etiam ſuperbia, & quidem maximè, grauatur cor hominis. vnde canitur in Officio S. Antonij de Padua:

Graue cor quærentium nugas, vanitatem,
Diſcit per Antonium vita veritatem.

Simile. 347. Nota, frumenti grana aliquando ex nimia inundantia putreſcunt, aliquando, vt dixi, inordinatè tumeſcunt & pereunt. Auari anima, qui totus eſt in accumulandis diuitijs, corrumpetur in illis, ſecundùm illud
Iacobi Iacobi: *Diues in itineribus ſuis mar-*
1,11. *ceſcet.* Non eſt quidem deſperata ſe-
Diſſi- ges, quæ retento nimio humore per
mile. falcem deſecta eſt, poteſt enim ſoli expoſita debitè exſiccari: verùm ſi quis cum inordinato terrenarum rerum affectu moritur, æternæ putredini reſeruatur. Hinc eſt quòd Chriſtus tam anxiè prohibeat inordinatam ſollicitudinem diuitiarum. Aut enim homo putreſcet in ijs præ nimio earum amore & affectu, aut tumeſcet ex illis ſuperbiens in victu & veſtitu.

348. Mala eſt ſuperbia quam
1.Cor. ſciẽtia cauſat, de qua ait Paulus: *Scien-*
8,1. *tia inflat.* Minùs tamen toleranda eſt ea quæ ex veſtimentorum pompa oritur. Docti ſaltem vtiliter promunt ſcientiam alijs, qui ſi inde ſuperbierint, deficiunt quidem tamen cum alieno profectu. Sed mulier per veſtimentorum ſuperbiam præparata ad capiendas animas alienas, etiam perdit propriam. vnde de huiuſmodi inflatis dici poteſt quod ait Sapiens:
Erunt poſt hæc decidentes ſine hono- Sap.4,
re, &c. quoniam diſrumpet illos infla- 19.
tos ſine voce. Nota *ſine voce:* diſtinguit enim illos à ſuperbis doctoribus, quos ſcientia inflat: hos enim non tamquam vndequaque inutiles contemnendos eſſe, docet Chriſtus, quando loquens de Scribis & Phariſæis ambientibus primas cathedras in Synagogis, & vocari ab hominibus Rab-
bi, ait: *Omnia quæcumque dixerint* Matth.
vobis, ſeruate & facite. Hinc eſt, quòd 23,3.
timoratæ virgines contemnant veſtimentorum pompam, quam ſine periculo animæ non affectant vanæ, quæ cùm viles ſint, ſupra conditionem ſpectabiles haberi volunt. Conſule hac de re *Tract.* III. *Diſc.* XXX.

349. *Hæc enim omnia gentes inqui-* Matth.
runt. Inter alia media, quibus olim 6,32.
Phariſæi conati ſunt homines à Chriſto alienare & abducere, vnum fuit, quòd haberet humiliores aſſeclas.
Numquid (inquiunt) *ex principibus* Ioan.
aliquis credidit in eũ, aut ex Phariſæis? 7,48.
ſed turba hæc quæ non nouit legem, ma- ℣. 49.
ledicti ſunt. Hæc eſt enim hominum conditio, vt eis vileſcat omne quod à vilibus & abiectis frequentatur, aut in pretio habetur. ac ſi dicant: Si verax eſſet, numquid viri eximij doctrina ſimul & auctoritate, imò ſæculari nobilitate fulgentes, approbarent doctrinam eius? iam præter viles & abiectos, quos fortè ſecum trahit vt panibus illuſione diabolica ab illo multiplicatis, aut aliunde adductis paſcantur, nemo illum ſequitur. Hi quidem impiè ſatagunt reprimere propenſionem, qua quidam candidiores ad Chriſtum ferebantur, allegantes vilitatem conditionis, & ignorantiam eorum

eorum quibus erat pretioſus. Eodem
medio ipſe miſericorditer & pientiſſi-
mè affectum hominum ſedare cona-
tur, ne impetuoſè ruant in rerum ter-
Matth. renarum appetentiam. *Hac enim om-*
6,32. *nia*, inquit, *gentes inquirunt:* qui ni-
mirum ignorantia cæci, & vita ac mo-
ribus obſcuri erant, atque adeò vile-
ſcebant æſtimatione Iudæorum, vt eos
ſuo conuictu & conuerſatione dedi-
gnarentur, vt patet ex verbis Samari-
Ioan. tanæ quæ dixit Chriſto: *Quomodo tu,*
4,9. *Iudæus cum ſis, à me bibere poſcis, quæ*
ſum mulier Samaritana? Non enim
coütuntur Iudæi Samaritanis.

350. Infame eſſet, ſi homo dele-
ctaretur cibo porcorum, aut equo-
Simile. rum, aut boum. Terrena quid ſunt?
Phil.3, Audi Paulum: *Omnia arbitratus ſum*
8. *vt ſtercora.* Hominum conſortio in-
digni ſunt, qui hæc inferiora inordi-
natè appetunt. In huius figuram di-
ctum eſt Nabuchodonoſori, cuius
Sermone præcedenti ad aliud propo-
Dan. ſitum mentio facta eſt. *Eycient te ab*
4,22. *hominibus, & cum beſtijs feriſque erit*
habitatio tua, & fœnum vt bos comedes.

Simile. 351. Solet mulier, in vtero pro-
lem habens, inordinatis appetitibus
agitari, & ſubinde deſiderare res ſor-
didas & homine indignas: quæ licet
ſine ſua culpa peregrinis concupiſcen-
tijs æſtuet, nihilominùs verecunda-
tur, & quantum fieri poteſt occultat
paſſiones ſuas, cùm tamen & ſibi &
fœtui obſit niſi illis ſatisfaciat, vt ex-
perientia docet ipſis infantibus, qui
non ſine aliqua monſtroſitate in lu-
cem educuntur, ſi mater propenſiones
ſuas repreſſerit; verùm ſi vilium re-
rum appetitus irrefragabile præberet
argumentum adulterini concubitus, &
illegitimi conceptus, & non ignora-
ret quòd, inordinatam concupiſcen-
tiam refrenando, ſaluo honore ſuo,
naſcituro infantulo mirum additura
eſſet decorem, bone Deus, quàm vio-
lenter ſe opponeret inordinatæ proni-
tati! O homo, ex quo concepta eſt in
te immoderata rerum cupido, an non
ex illicito concubitu & conſenſu ſer-
pentis infernalis, qui ad eſum terræ
per datam ſententiam condemnatus
eſt ab eo qui dixit, *Super pectus tuum* Gen.
gradieris, & terram comedes cunctis 3,14.
diebus vitæ tuæ? Te vult terrenum, &
ideò inflammat ad terrenorum ſordi-
dum amorem. Quid non incom-
modi patieris, ſi acquieueris? quam
non reportabis gloriam & vtilitatem,
ſi concupiſcentijs tuis obuiaueris? Si
ſpiritu facta carnis mortificaueris,
omnia in te ſalua, integra & concinna
erunt; ſi verò ſecundùm carnem vixe-
ris, *& præſtes animæ tuæ concupiſcen-* Eccli.
tias eius, faciet te in gaudium inimicis 18,31.
tuis, & omnia tua erunt inutilia &
monſtroſa.

352. Non ſine cauſa dixit Chri- Matth.
ſtus: *Hæc enim omnia gentes inqui-* 6,32.
runt. voluit enim ſignificare, vnde ma-
iori ex parte oriatur appetituum deor-
dinatio in homine; nimirum ex de-
fectu fidei, quæ eſt communis lam-
pas Eccleſiæ, ad quam accedere debet
qui in agendis ſe à multis erroribus
immunem ſeruare voluerit. Grauiter
proinde offendunt, qui non tam re-
ſpiciunt quid fides docet, quàm quid
abuſus & conſuetudines hominum
gentilium more viuentium ferunt.
Hanc materiam latè poteris deducere
ex ijs quæ tibi ſuppetunt *Tractat.* v.
Diſcurſ. xi.

DOM. XV. POST PENTEC.

353. *Reſedit qui erat mortuus, &* Lucæ
cæpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. 7,15.
Obedientiæ & reſignatæ voluntatis
propriæ indicia nobis promit Euan-
gelium.

Digitized by Google

℣. 11. gelium. *Ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa*, dicit Euangeliſta. Vadit ſubinde Prælatus, ſed ordine præpoſtero, cum ſubdito, cui ſe accommodat, licet eat quò iudicio eius eundum non eſſet, niſi renuntiaret iuri ſuo, infirmiori ſe adaptans. Infirmitati quidem ſubditi condeſcendere, charitatem in Prælato, malitiæ autem eius ſe non opponere, arguit ignauiam. Portitores etiam obedientiam præſtant, dum ad nutum tangentis loculum, & verbis nihil impetrantis, gradum ſiſtunt. *Acceſſit, & tetigit locu-*
℣. 14. *lum, hi autem qui portabant, ſteterunt.* quia ſigno indicabat quòd vellet illos ſubſiſtere. Magna eſt obedientia onus ſuſcipientium: non minor eſt illorum qui ex arbitrio Superioris onerati ſubſiſtunt. Sed mirabilior fuit obedientia mortui ad vocem Chriſti reſidentis:
℣. 14. *Adoleſcens, tibi dico, Surge*, inquit, &
15. *reſedit qui erat mortuus.*

354. Fortè maximam reſignationem propriæ voluntatis conſiderauit Chriſtus in matre vidua, quæ etſi defleret vnici Filij ſui mortem, tamen non legitur aut murmuraſſe, vel incompoſitæ triſtitiæ ſiue impatientiæ ſigna dediſſe. vnde Chriſtus conſo-
℣. 13. lans illam dixit: *Noli flere.* Stare poteſt omnimoda voluntatis propriæ reſignatio cum dolore & triſtitia, vt patet in Chriſto, cuius anima erat triſtis vſque ad mortem, & tamen voluntas promptiſſima ad acceptandum paſſionis calicem. Certum eſt, quòd Deus huius viduæ aurem perfecerat, quam ſaltem aperuit fidei, cuius nullo defectu laboraſſe conſtat, alioquin (vt aliàs conſueuit) monuiſſet potiùs vt crederet, quàm prohibuiſſet ne fle-
Rom. ret. Verùm *fides ex auditu eſt*, &
10,17. quamdam voluntatis beneuolam inclinationem & obedientiam inuoluit.

355. Cæterùm reſignatio voluntatis & obedientia maximè decet mulieres. Vnde ſapienter indicauit, qui aiebat mulierem per aures potiùs quàm per oculos eligendam & examinandam eſſe. Laudauit quidem ſponſus oculos dilectæ, & illis magnam vim tribuit, quando ait: *Vulneraſti* Cant.
cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti 4,9.
cor meum in vno oculorum tuorum. Attamen non illis ſed auribus reſolutionem deſponſationis tribuendam eſſe, alibi teſtatur per Prophetam, quando ait: *Deſponſabo te mihi in fide.* Viri Oſee
prudentes non niſi præuia frequenta- 2,20.
tione & conuerſatione ſollicitant vir- *Simile.*
ginem ſibi in coniugem, vt expiſcari poſſint, an fortè ſe non prodet aliquid in eius indole, quod ſibi onéroſum futurum eſſet; ne infeliciter vinculo numquam niſi per mortem diſrumpendo, ſe poſteà ligatos fruſtrà indoleant. Chriſtus ſuas ſponſas per omnia benè conditionatas iudicat, ſi obedientia promptas notauerit. vnde ait
Dauid: *Audi filia, & vide, & incli-* Pſalm.
na aurem tuam, &c. & *concupiſcet* 44,11.
Rex decorem tuum. Bis obedientiæ 12.
mentionem facit. *Audi*, inquit, & *inclina aurem tuam*; vt oſtendat, quid ſit præcipuum quod in ſuis ſponſis ſcrutetur & requirat. Obedientiæ & prompta voluntatis reſignatio, ſicut Deo gratiſſima, ita ipſis obedientibus vtiliſſima eſt. Deus enim reddit cum fœnore, ſi quid conſolationis ipſo inſpirante à nobis abdicamus. Si verò quod natum eſt affligere obediens aggreditur, ipſum eodem operante ſæpè in refrigerium conuertitur. Conſule hac de re *Tract.* IV. *Diſc* XII.

DOM. XVI. POST PENTEC.

356. *Cuius veſtrûm aſinus aut bos* Lucæ
in puteum cadet, & non continuò ex- 14,5.

trahet illum in die Sabbati? Acerbi hominis conditionem deſcribens Sapiens, ait: *Occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico.* Si malus, qui amicitiæ & charitatis vinculum affectato titulo diſcindit, & ab amico recedit; peior eſt, qui diſcordiæ & odij ſeminarium quærit: & ſi non datur iuſta diſſenſionis occaſio, apparentem fingit. Hic in profundum venit peccatorum, quia data opera & ex prauio propoſito peccat. Meram malitiam ſapit huiuſmodi peccatum, quod nec fragilitatis aut ignorantiæ temperamento excuſabile ſit. In veteri Teſtamento Dominus, qui ſollicitus fuit, vt inſtituerentur ſacrificia pro his qui ex ignorantia aut fragilitate peccauerant (vt patet Leuit. 4.) non ordinauit vllam pro peccatis malitiæ oblationem, quæ reliquit legi & magiſtratui punienda.

Prou. 18,1.

Leuit. 4.

357. Malitioſus fuit Princeps Phariſæorum, qui vt ſe hoſpitalem fingeret, Chriſtum in Sabbato conuiuam habuit, conuocatis etiam alijs eiuſdem malitiæ complicibus & fautoribus, de quibus dicitur: *Et ipſi obſeruabant eum.* Omnes mali deſiderant habere conſortes & ſocios. Eua vix peccatum commiſerat, quin maritum ad peccandum inuitaret. Filia Lot commiſſo inceſtu cum patre, perſuaſit ſorori vt & ipſa ſe nefanda copula illi proſtitueret. Sperabat quidem ſe magna ex parte emaculatam iri, ſi ſororem turpitudinis ſociam haberet. Igitur *dixit maior ad minorem: Ecce dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt ſaluemus ſemen de patre noſtro.* Dictabat naturalis ratio rem turpiſſimam, amore poſteritatis non poſſe honeſtari aut excuſari, quam maior minori ſuadet vt minùs verecundetur. Vt ergo ſincerus amicus, volens beneuolè tractare hoſpitem à ſe inuitatum, & diffidens ſe ad hoc ſufficere, alios illius gratia adſciſcit, qui ſua affabilitate & conuerſatione eum recreant: eodem modo hic doloſus Phariſæus, prætendens Chriſtum carpere potiùs quàm reficere, notare quàm recreare, ne violatæ hoſpitalitatis ſolus portet opprobrium, ſocios deſiderat, qui ſecum obſeruent eum *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.* Non enim ignorabat quòd *omni tempore erit exprobrabilis,* qui huiuſmodi fraudulentas occaſiones quærit.

Lucæ 14,1.

Gen 3.

Gen. 19,34.

Simile.

1. Pet. 2,22.

Prou. 18,1.

358. Quòd alios ſecum inuitauerit, licet expreſsè non dicatur, ſatis patet ex eo quod Euangeliſta plurium obſeruatorum malitiam notans ait: *Et ipſi obſeruabant eum.* Sed quid obſeruabant? Primùm, quomodo manducaret, quoties biberet; vt, ſi neceſſitati ſatisfaceret, & veſceretur etiam carnibus, helluonem; ſi non, hypocritam appellarent. Secundò obſeruabant, an curaret hydropicum, nec ne, in die Sabbati, vt carperent violationem eius, ſi miſero conferret ſanitatem, vel accuſarent tamquam immiſericordem aut impotentem, ſi dimitteret infirmum. De hominibus rixoſis, qui pertæſi familiaritatis quærunt occaſionem præſcindendi filum amicitiæ cum aliquo, dici ſolet à Belgis: *Men heeft haeſt eenen ſtock ghevonden, alſmen den hondt ſlaen vvilt.* Hoc eſt: *Preſtò eſt baculus percutere volenti.* Talis erat hic Princeps Phariſæorum, qui ex contrarijs euentibus, ſiue Chriſtus nimirum manducaret, ſiue non manducaret, ſiue curaret ſiue infirmum dimitteret, ei bellum parabat.

Lucæ 14,1.

Simile.

359. Notandum autem, quòd tales malitioſi ſæpè incidant in foueam quam

quam fecerunt, & pereant ac capiantur laqueo quem alteri ſtruxerunt. Non raro legimus maleuolos confuſos à Chriſto receſſiſſe, qui venerant ſtrophis & fallacijs inſtructi, vt caperent eum in ſermone: vt tranſeam quæ Matthæus refert de cenſu Cæſari red-
Matth. 22,22. dendo, quando audientes eum *mirati ſunt, & relicto eo abierunt*: & de ſilentio quod impoſuit Saducæis, quæſtionem de reſurrectione proponentibus: denique de reſponſione & interrogatione facta legis doctori, qui vt tentaret eum rogauit quod ſit man-
ỷ.46. datum magnum in lege, *quando nemo poterat ei reſpondere verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum ampliùs interrogare*. Ex præſenti Euangelio hæc veritas clarè manifeſtatur. Nam poſtquam Chriſtus curam, quam quilibet habet de boue aut aſino in puteum lapſo, manifeſtauit argumentando à minori ad maius, concluſit, maiorem ſollicitudinem hominibus iure deberi, ita eos conuicit, vt
Lucæ 14.6. dicit Euangeliſta: *Et non poterant ad hæc reſpondere illi*. vnde Beda ait: *Com-*
Beda. *petenti exemplo expoſuit quæſtionem, vt oſtendat eos Sabbatum violare in opere cupiditatis, qui eum violare arguunt in opere charitatis.*

360. Non eſt mirum, quòd homines impij Chriſto ſuccumbant, quandoquidem communiter qui primò aggrediuntur & mouent bellum, etiamſi fortiores ſint viribus, tamen hoſti prouocato cedant. Non pauca ſunt huius rei exempla in duellis poſteritati relicta. Prouocauit Goliath, & exprobrauit agminibus Iſraël, de quo Dauid in baculo & funda victoriam retulit. Agebatur Ionathas interiori inſtinctu vt aggrederetur ſtationem Philiſthinorum, dicens armigero, quo ſolo in
1. Reg. 14,6. conflictu ſtipatus erat: *Non eſt Domino difficile ſaluare vel in multis, vel in paucis*: verùm cùm non haberet omnino exploratum an non moueretur iuuenili ſpiritu, qui non ſemper regitur ratione, ſed ſæpè in abrupta rapitur temeritate, ſpe victoriæ & laudis cupiditate ineſcatus (vt benè notauit Sanctius) ſubſtitit, donec ab illis Sanct.
prouocatus Deum apertiori fundamento ſibi propitium ſperare poſſet. Ionathæ igitur & armigero eius hinc inde vagantibus inſtar rem aliquam perditam quærentibus, ridiculè acclamarunt viri quidam de ſtatione: *Aſcendite ad nos, & oſtendemus vobis* ỷ.12.
rem. Audita hac prouocatione & irriſione Philiſthinorum, accepit Ionathas bonum omen de futura victoria, vnde ait armigero: *Aſcendamus*, Ibid.
ſequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Iſraël.

361. Porrò quòd, ceteris paribus, in omni controuerſia melior ſit conditio prouocati quàm prouocantis, oppreſſi quam oppreſſoris, & occaſionem litis aut belli ſtruentis, videtur probari poſſe ex verbis Chriſti, qui ſub parabola duorum Regum bellum parantium docens examen præmittendum eſſe meditanti ſtatum perfectioris vitæ, tantum requirit ab illo qui prouocatur, vt ſedens cogitet an cum decem millibus ſe defendere poterit Lucæ 14.
contra aduenantem exercitum viginti millium aggreſſoris & primi motoris belli. Ex quo patet, quòd melior ſit propugnantis quàm oppugnantis cauſa; alioquin in tanta militum diſparitate non eſſet deliberationi locus, niſi inuaſori, propter impetum & vim ſe defendentis, aliunde timenda eſſet repulſa. Vnde fit, putas, quòd tenera virguncula tam animosè proſternat eum qui factus eſt vt neminem timeat? An non ex eo, quòd non tan-

tùm iniuſtam habet cauſam, ſed etiam quòd pacifica & iuſta poſſeſſione gaudentem primò aggreditur; quando-
1. Pet. quidem Petrus teſtatur dicens: *Ad-*
5, 8. *uerſarius veſter tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret?* Exaudita ſæpè fuerunt Dauidis vota, di-
Pſalm. centis: *Diſſipa gentes quæ bella volunt.*
67, 31. ac ſi dicat: O Deus ſupple defectum virium eius qui cùm decem millibus occurrit ei qui cum viginti millibus venit ad ſe. Non ſemel vidit ſe Dauid à numeroſo exercitu Saulis redactum ad extremas & quaſi inextricabiles perplexitates, vnde clamat: *Domi-*
Pſalm. *ne quid multiplicati ſunt qui tribulant*
3, 1. *me? multi bellantes aduerſum me.* ſed ſpe erectus, ſemper euaſit. Nam non ſolùm ei patrocinabatur iuſtitia ſuæ cauſæ, ſed etiam quòd Saul erat aggreſſor & primus belli motor. hinc
Pſalm. fiducialiter agens dicebat: *Dominus*
117, 7. *mihi adiutor, & ego deſpiciam inimi-*
℣. 17. *cos meos. Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini.*

362. Hæc dicta ſunt ad propoſitum eius, quòd Chriſtus, qui pacem, quam in vita prædicauit, quamque Angeli inſtinctu Spiritus ſancti in eius natiuitate hominibus bonæ voluntatis cecinerunt, eamdem nobis teſtamento in morte relinquens, ſe opponat genti mouenti bella & controuerſias, & de qua triumphat, vt patet ex præſenti Euangelio. Nam audita ſimilitudine
Lucæ de boue & aſino, *non poterant ad hæc*
14, 6. *reſpondere illi.* Præcipuum autem quod hîc notatu digniſſimum videtur, eſt, quòd ſicut impij occaſiones quærunt vt amicitiam frangant; ita eas Filius Dei ambabus vlnis amplectitur, vt gratiam & amicitiã inter Deum & hominem per peccatum fortè extinctam reſarciat & reſtauret. Porrò magnæ clementiæ eſt quærere titulos miſerendi: quòd ſtudioſè Chriſtus fecit, qui in illum finem pientiſſimam virgunculam in matrem elegit, quæ ſola mater gratiæ & mater miſericordiæ vocaretur, ſicut ille ſolus eſt pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, vt illo titulo ex officio & debito affectu quaſi iuſta ratione cogatur miſereri ſemper & parcere, ſecundùm
illud Dauidis: *Quomodò miſeretur pa-* Pſalm.
ter filiorum, miſertus eſt Dominus ti- 102, 13.
mentibus ſe: quoniam cognouit figmen- 14.
tum noſtrum, recordatus eſt quoniam puluis ſumus, &c. vbi multa miſericordiæ diuinæ motiua ponit. Conſule hac de re *Tract.* IX. *Diſc.* VII.

DOM. XVII. POST PENTEC.

363. *Quid vobis videtur de Chri-* Matth.
ſto? cuius filius eſt? Hæc eadem quæ- 22, 42.
ſtio Apoſtolis etiam propoſita fuit. Ad quam omnium nomine reſpondit Pe-
trus, dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei* Matth.
viui. Phariſæi ad eam reſpondentes, 16, 16.
clauſis oculis pertranſeunt diuinam & illuſtriorem Chriſti parentelam, humanam verò & minùs glorioſam ſolùm agnoſcunt, dicentes eum eſſe Filium Dauid. Hîc ſe prodit maleuolorum ingenium, qui diſſimulant quæ proximum magis famoſum reddere poſſent, ſi autem aliquid ad illum pertineat, quod abiectionis aut ignobilitatis ſuſpicionem ingereret, auidè arripiunt. Non poterant Phariſæi ignorare veri Meſſiæ ineffabilem dignitatem ex generatione diuina, cùm legerent Prophetas, quorum vnus ait: *Ge-* Act. 8,
nerationem eius quis enarrabit? Et qui- 33.
dem hæc Chriſti ſumma & proxima cognatio erat; tamen hac ſuppreſſa, ſcientes illum ad Dauidem etiam pertinere, recurrunt ad remotiſſimam Chriſti conſanguinitatem, multis generationibus intermedijs ab illo diſcretam.

Digitized by Google

cretam. Candidi hominis eſt, ea quæ ſunt honoris de proximo referre, & humiliora ſilentio ſepelire. Sincerus erat ille, de quo refertur, quòd multum requiſitus vt alterius cuiuſdam obſcuri & infamis progeniem, vitam & qualitatem aperiret; cùm ad honorem illius quidquam de ipſo teſtari non poſſet, multa autem ſuppeterent quæ eumdem omnibus meritò redderent non modò vilem, ſed etiam abominabilem, nihil horum manifeſtauit, ſed quærens occaſionem ipſum commendandi, dicebat: Gaudet proxima & immediata vicinitate viri honeſtiſſimi, oſtendens quòd non deeſſet affectus & laudandi voluntas, ſi veritas permiſiſſet. Chriſtus Dominus non ſolùm ratione vicinitatis, qua etiam homines ſancti Dij appellantur, ſecundùm illud: *Ego dixi, Dij eſtis*, quia *non eſt alia natio quæ habet deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter*; ſed & propter vnitatem Deitatis cum Patre & Spiritu ſancto honorandus eſt. Non igitur beneuolè (vt oportet) ei detulerunt Phariſæi, vocantes illum dumtaxat filium Dauid. Terra licet zizania ex ſe proferat à nemine ſeminata, tamen bonum ſemen, quod ei concreditum eſt, cum fœnore reddit: homo verò maleuolus numquã bona, quæ de proximo nouit, nõ mutilata & truncata publicat, mala autem ex ſeipſo conficta ſæpè profert. Videre hoc licet in impijs Iudæis & Phariſæis, qui nunc minus quàm oportet loquuntur quæ ad Chriſti gloriam ſpectant; poſteà autem conuocatis & coactis conſilijs & ſynagogis ſuis ferent falſa contra illum teſtimonia. Ceterùm videtur quòd Chriſtus hac reſponſione, qua eum fatebantur filium Dauidis, quæ ſecundùm ſanum ſenſum quidem vera, ſed ſecundùm affectum deuotionis mutila & inſufficiens cenſeri poſſet, oſtendere voluerit ſibi minimè fuiſſe ſatisfactum. Vnde formato argumento vrget eos, & probat, illum non tam filium, quàm Dauidis Dominum iuſtè debere appellari. Audi argumentantem: *Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit, Dominus*, &c. Et infrà: *Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius erit?* Indirecta ratiocinatione confutat eos (inquit Hugo Cardinalis) oſtendẽs ex conceſſo ſequi, aut Dauidem falſum dixiſſe, quod eſt inconueniẽs; aut eos maleuolè illuſtriorem illius proſapiam diſſimulaſſe. Sed conuicit illos Dominus non ſolùm maleuolentiæ (nam, vt dicit Gloſſa interlinearis, *non reprehenduntur quia Dauid filium dicunt, ſed quia filium Dei eſſe non credunt*) verùm etiam inſcitiæ: nam dicitur, *Nemo poterat ei reſpondere verbum*, &c.

Pſalm. 81,6. — Simile. — Matth. 22,43. — Pſalm. 109,1. — ỳ. 45. — Gloſſa. — Matth. 22,46.

364. Porrò hæc quæſtio non omnibus, ſed Scribis & legiſperitis propoſita eſt. Hinc datur opportunitas differendi de fide, cuius non omnes æqualiter rationem reddere tenentur, ac proinde ſimplicioribus quidem ſufficit vt ſit clypeus quo ſe defendant, ijs verò quibus ex officio incumbit vt ad iuſtitiam erudiant multos, loco gladij ſit neceſſe eſt, quo non modò ſe propugnent, ſed etiam hoſtem oppugnent. Denique ratior quidem eſt gladij verbi Dei vſus, ſemper autem debet ex humeris clypeus fidei pendere quæ bonis operibus conſeruanda eſt. qua de re materiam habes *Tract.* v. *Diſc.* x.

DOM. XVIII. POST PENTEC.

365. *Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Conſolatorium eſt tribulatis quod ait Paulus, dicens: *Dum iudi-*

Matth. 9,2. — 1. Cor. 11,32.

iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Nota particulam *à Domino* in medio poſitam, poſſe iungi anteriori ſententiæ parti *dum iudicamur*, tamen meliùs & commodiùs cohæret ſequenti & poſteriori *corripimur*. Vt enim pij & timorati, ſi fortè quid conſolationis aut proſperitatis corporalis vel ſpiritualis recipiunt, oculos inſtar columbarum leuant in cælum ad Deum; ita flagella & incommoda omnia, quæ eis obueniunt, Dei prouidentiæ & miſericordiæ accepta habent, tamquam media quibus euadant ſupplicia æterna: vſque adeò hoc verum eſt, vt Auguſtinus Serm. 10. de diuerſis, exiſtimet Ananiæ & Saphiræ temporali morte punitis Deum poſt hanc vitam peperciſſe, quod etiam videtur Origenes Tract. 8. in Matth. ſentire. Dubitant tamen alij, eò quòd non appareat, illis ſubitanea & inopinata nimis morte percuſſis pœnitendi ſpatium fuiſſe conceſſum.

Auguſt.

Orig.

366. Nota, quòd peccatum ſanies ſit, pœna autem ferrum medicinale. Sicut igitur ſaniem habens (inquit Chryſoſtomus Homil. 6. ad populum Antioch.) ſi non ſecatur, malè habet, ſentiens continuam purulenti vulneris corroſionem, imò tunc eſt in maioribus malis, leuatur verò ſectione; ita peccator parum mali ſentit ex punitione quæ eſt ſectio quædam, qua mediante ſanies erumpit, multum autem affligitur, ſi intus peccati reatu anxiatur, quod eſt dens putridus in ore continuum & acerbum cauſans dolorem, à quo liberatur, qui violentam manum ſentit chirurgi eum extrahentis, hoc eſt peccatum quod in anima impunitum relinquitur, à quo quis per punitionem & afflictionem expeditur. *Semper quidem timere peccantes oportet* (inquit idem Chryſoſtomus Homil. 46. ad populum) *maximè verò cùm graue patimur nihil. Cùm enim in ſingulis peccatorum longanimiter agit, ad magnam nos in talibus permanentes vltionem ſeruat.*

Chryſoſtom.
Simile.
Chryſoſtom.

367. Cogita quòd famulus & filius eodem tempore idem committant delictum, offendentes patrem familias. Illi datur argentum, huic verò flagellum; quia ille dimittitur & vlteriori habitatione prohibetur, hic verò emendatur vt futuræ hereditati ſeruetur. *Seruus autem non manet in domo in æternum* (inquit Chriſtus) *filius autem manet in æternum*. Bonum igitur, quo ſeruus donatur, magni mali præſagium eſt, quia nimirum domo & familia pelletur, nil gratuitæ beneuolentiæ à benigno hero, quem offendit, expectaturus, qui ſi in fidelitate permanſiſſet, prouidiſſet vtique ei ſupra debitum ſtipendium per teſtamentum, vt poſt mortem illius honeſtè viuere poſſet. Meliùs igitur cum filio agitur, quem cùm pater flagellat, à ſuſpicione abdicationis liberat. Eodem modo duo eodem die in eadem ſocietate idem facinus perpetrāt. *Vnus lætatur cùm malè fecerit, & exultat in rebus peſſimis*, cui poſt commiſſionem delicti multa ſuccedunt ad votum, ſed hinc ſeruus & mancipium mundi eſſe comprobatur; alius autem multis infortunijs ſibi continuè ſuccedentibus flagellatur, ac proinde ſpe filiationis diuinæ gaudere poteſt. *Si aliquos igitur in iiſdem peccatis eſſe videtis* (dicit iterùm Chryſoſtomus loco citato) *& hos quidem fame continua & innumeris malis laborantes, hos verò potantes, gaudentes & crapulantes; grauia patientes minùs miſeros puta. Etenim delectationis flamma ærumnis interciditur.* Peccauerat paralyticus Euangelicus,

Ioan. 8, 35.
Simile.
Chryſoſtom.

licus, ſed peccatorum occaſione proijcitur in lectum doloris, & Chriſto
Matth. 9,2. oblatus audit ſibi dici: *Confide filj, remittuntur tibi peccata tua.* Hîc datur occaſio differendi de tribulationum & infirmitatum vtilitate, quas cùm Deus immittit; indicat ſe cogitare cogitationes pacis, & non afflictionis: vnde grauiter offendunt qui earum occaſione ſe ad meliorem vitam & ſecuriorem mortem non diſponunt, vt patet ex ijs quæ habentur *Tract.* VIII. *Diſcurſu* XV.

Matth. 9,4. 368. *Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Vtile eſt peccatori, ſi firmiter ſibi perſuaſerit omnia nuda &
Pſalm. 7,10. aperta eſſe oculis Dei. *Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum* (inquit Dauid) qui ſtatim aſſignans medium tam vtilis cōſummationis &
℣. 10. directionis ait: *Scrutans corda & renes Deus.* Verum eſt quòd *profundum*
Ierem. 17,9. *eſt cor hominis, & inſcrutabile* homini, imò & Angelo, ſed non Deo, de quo
Prou. 16,2. dicit Sapiens: *Omnes viæ hominum patent oculis eius, ponderator enim ſpirituum Dominus eſt.* Ex hac conſideratione meritò conſummetur, vel, vt legit Hieronymus, quem citat Lyranus noſter, *conſumetur nequitia.* Nam
Prou. 20,8. *Rex, qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Oculi Regum malefactoribus maximè terrifici ſunt. Non pauci ex ſolo Regis alicuius ſeueriori aſpectu è vita migrarunt.
Simile. Vnde non ineptè Regem baſiliſco aut regulo quidam comparant, quem (vt eſt Naturaliſtarum opinio) tradunt oculis ſuis necem dare. Porrò locum iſtum Chriſto accommodant Hugo Cardinalis, Solonius, in extremo iudicio terribilibus oculis impios deterrenti. Vnde Gloſſa ordinaria ait: *Etſi*
Gloſſa ordinar. *in hac vita electi mala patiantur reproborum, vbi iudicium venerit, omnia mala diſſipantur: & coronatis cum Domino iuſtis, ſoli punientur iniuſti.* Auguſtinus autem in lib. de Correpț. & gratia, de Chriſto etiam ad propoſitum noſtrum exponit, qui ex alto omnia mala, quæ nunc fiunt ſub ſole, cernit, ac proinde malefactores meritò terrore concutit, vt digni fiant quos radijs ſuæ gratiæ illuſtret, & ita ex corde eorum diſpergat & diſſipet omne malum. Auguſt.

369. Vix retinebit mala in corde, qui imitatur Dauidem dicentem: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo* Pſalm.
ſemper. maximè, ſi audiat eum qui 15,8.
cùm vidiſſet cogitationes eorum qui intra ſe dicebant, *Hic blaſphemat*, aiebat: Matth. 9,1.
Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? item illud: *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.* Magnæ Matth. 9,4. Ierem. 17,10.
prudentiæ eſt, actionum ſuarum attendere circumſtantias; maximæ autem, firmiter ſibi perſuadere, Deum nil eorum quæ fiunt, dicuntur, imò cogitantur, latere poſſe: ſicut non mediocris eſt ſtultitiæ argumentum, ſi peccator mala non veretur peragere, modò ea ab hominum oculis valeat occultare. Conſule hac de re *Tract.* I. *Diſcurſum* III.

DOM. XIX. POST PENTEC.

370. *Illi autem neglexerunt, & abierunt.* Vera eſt Senecæ ſententia, qua Matth. 22,5. Seneca.
dicit in Epiſtolis: *Turpiſſima eſt iactura quæ per negligentiam fit.* Negligunt autem quidam ſalutem, & per conſequens iacturam faciunt animæ ſuæ, quæ tanta eſt, vt nemo eam dignè exaggerare poſſet. Nota autem, quòd, ſecundùm Caſſiodorum in Collationibus Patrem, illud negligentiùs ſoleat cuſtodiri, quod creditur facilè Caſſiodorus.
poſſe recuperari aut reparari. Non deſunt homicidæ qui audacter alios pro- *Simile.*

uocant ad duellum & perſonale certamen, negligentes vitam, quam iuſtitiæ obnoxiam reddit omnis qui ſanguinem proximi contra ordinem iuris fudetit, innixi fiduciæ immunitatis Eccleſiæ, ad quam ſibi rectam & facilem fugam promittunt. Eodem modo multi ſunt qui animam periculo æternæ damnationis expoſitam habent, cuius ſalutem negligunt per præſumptionem de miſericordia Dei, quem ſibi facilè propitium ſperant, licet vſque ad mortem perſeuerent, quando ad claues Eccleſiæ ſaltem voto & propoſito confugere poterunt; cùm votum confeſſionis ſufficiat, ſi deeſt copia Confeſſoris. Magna eſt talium negligentia. Nam, vt teſtatur Sapiens, *qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam; qui autem negligit viam ſuam, mortificabitur.* Prou. 19,16.

371. Omnis rei creatæ inordinatus affectus ſalutis negligentiam parit, maximè autem ille periculo damnationis ſe exponit, quem mulieris vana ſpecies decepit. In mulieris conuerſatione & familiaritate ſic paulatim progrediuntur incauti, donec ſuffocentur. Simile. Vt enim qui flumen ingreditur, diu per ſolidum fundum ambulans, facilè ſubmergitur expertus gurgitem inopinatum aut limen profundi, cui infixus, de luto ſe non potuit extricare, ad quod paulatim progreſſus eſt: eodem modo qui per præuias conuerſationes, quæ ſine periculo aut iactura animæ conſtare videntur, nimis ſecurus effectus eſt, tandem præter opinionem ſentit ſe abſorptum. *Fouea enim profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus, aliena.* Prou. 23,17. Paulatim progreditur quis ad gurgitem illius profundæ foueæ. Primo ab aſpectu ad leuem attactum, tandem ad oſcula, donec miſerè abſorptis illicito amore, clamare debet cum Propheta: *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Pſalm. 68,3.

372. Porrò qui luto infixus eſt, ei Simile. ars natandi non ſuffragatur, & mori debet, niſi aliorum manibus iuuetur. Eodem modo carnali pronitate ſuperatus aliquis ita intricatur, vt viribus naturæ ſe à mulieris illicito affectu extricare non valeat. vnde Dauid clamabat pro auxilio ad Deum, dicens: *Eripe me de luto, vt non infigar.* Pſalm. 68,15. Verùm maximè dolendum eſt, quòd ſicut Simile. qui ab aquis abſorbetur, licet adhuc viuat in profundo, non clamat; ita ſalutem præ ceteris negligant qui ſub aquis carnalium voluptatum gemunt. Solus ille qui vxorem duxerat, impoſſibilitatem veniendi allegans, dixit: *Vxorē duxi, & ideo non poſſum venire.* Lucæ 14,20. Hi ſunt præcipui qui negligunt venire, tot Prophetarum oraculis & Apoſtolorum clamoribus inuitati ad nuptias in quibus parata ſunt omnia. Non erit igitur omnino extra propoſitum, ſi hîc agas de mulierū vano aſpectu vitādo, quo incauti decipiuntur, qui non ſedant, ſed potiùs inordinatas concupiſcentias excitāt, cum eis conuerſando. Cōſule hac de re *Tract.* II. *Diſc.* XVIII.

DOM. XX. POST PENTEC.

373. *Incipiebat enim mori.* Dici ſolet à Belgis: *Daer en is gheen huys ſonder cruys, ofs 'ten is gheen Godts-huys. Nulla domus gaudet Deo inhabitatore ſine cruce.* Ioan. 4,47. Ambiebat Chriſtus ſecretis medijs domum reguli Euangelici ſibi dicari, præmiſit infirmitatem deſperatam, & plantauit crucem, dum ipſo ordinante, filius eius periculosè infirmaretur: *incipiebat enim mori.* Notandūm autem eſt, quòd non quælibet crux domum Deo conſecret aut conſignet. Non enim ſtatim Chriſtus roganti vt deſcenderet acquieſcit, ſed potiùs

potiùs de fidei defectu arguens ait:
℣.48. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non credetis.* vnde needum habitauit in domo eius per gratiam, quomodo habitabat in domo Zachæi (cuius felicitatem declarans, ait: *Hodie ſalus domui*
Lucæ 19,9. *huic facta eſt*) niſi quando *credidit ipſe*
Ioan. 4,53. *& domus eius tota.* Nota, quòd etiam
Pſalm. 31,10. *multa flagella peccatorum*, qui duplici contritione conterendi nunc patiuntur ſine meritis, poſteà paſſuri, niſi reſipiſcant, grauiora in damnatorum tormentis. Verùm *communicantes Chriſti*
1. Pet. 4,13. *paſſionibus gaudete* (inquit Petrus) *vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Plures ſunt qui communicant paſſionibus diaboli, pauci autem Chriſti. Quotquot enim in peccatis pro peccatis affliguntur, cum dæmone cruciantur: & ſoli illi ſunt crucis Chriſti participes, qui non patiuntur vt fur aut homicida, ſed vt Chriſtiani:
Tit. 2, 12. *& licet abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & iuſtè & piè viuunt in hoc ſæculo*, nihilominùs tollunt crucem ſuam vt ſequantur eum
1. Pet. 2,22. *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.* qui tamen ait: *Nónne*
Lucæ 24,26. *oportebat pati Chriſtum?* &c.

374. Mirum fortè videri poſſet, quomodo gaudere poſſint communicantes Chriſti paſſionibus. Reſpondetur, quòd in tribulatione patientes ſint ſpe gaudẽtes: intus læti, foris anguſtia-
Simile. ti. In cuius ſignum domus Religioſorũ conſignata eſt cruce; foris expoſita vẽto, pluuiæ & tempeſtatibus. vnde ait
2. Cor. 4,10. Apoſtolus: *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Quàm certa ſit ſpes futuræ gloriæ ijs qui piè viuunt, & tribulationes
Pſalm. 125,6. fortiter ferunt, Scriptura diuerſis in locis teſtatur: *Euntes ibant & flebãt* (dicit Dauid) *venientes autem venient cum exultatione.* Gementes & flentes in hac lacrymarum valle ſub aquis tribulationum præſeruantur à magnis peccatis, quæ infernum damnatis aperiũt, & emaculantur à paruis, quæ ad tempus purgandis cæli aditum præcludunt. Vt enim fletum oculorum ſequitur humorum per nares defluentium eiectio, quibus exoneratus homo aptatur debitæ functioni ſenſuum; ita tribulationes & triſtitiæ purgant hominem à peccatis, & diſponunt vt admittatur ad beatificam Dei viſionem. *Simile.* Sanctus Euergiſlus Archiepiſcopus Colonienſis (vt habetur in Vita illius) huius rei ſpe ſeipſum confortabat in ſuis difficultatibus: qui cùm de more ingreſſus templum S. Gereonis, in quo multorũ Martyrũ corpora requieſcunt, recitaret illud Pſalmi, *Exultabunt ſancti in gloria*; reſponſum eſt ei à Martyribus è ſepulchro, *Lætabuntur in cubilibus ſuis.* Pſalm. 149,5. De tribulatione & cruce, qua homo conſignatur & dedicatur in domum Dei, agitur *Tract.* x. *Diſc.* iv.

DOM. XXI. POST PENT.

375. *Miſertus autẽ Dominus ſerui, dimiſit illũ.* Mirabilis apparuit S. Pauli miſericordia, dicentis: *Optabã enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Rom. 9,3. Aliquis ſeparatur à Chriſto, inquit S. Thomas lect. 1. quoad fruitionem eius in gloria. S. Tho. Et hoc modo optabat Apoſtolus ſeparari vel ſimpliciter, vel ad tempus, vt pro ſe vno multi eſſe poſſint qui ad fruitionem Dei admittantur. Indicabat his verbis zelum honoris Dei, nam *in multitudine populi dignitas Regis*; Prou. 14,28. & ſtupendam miſericordiam erga proximum. Secundùm enim hanc interpretationem, non ſolùm maluit cum his qui ſibi crediti erant priuari, quàm ſine illis frui conſolatoria & beata conuerſatione Chri-

 ſti,

ſti, ſed potiùs illis quàm ſibi (ſalua tamen Dei amicitia) deſiderauit guſtum diuinæ dulcedinis. Aliquando ſubditis ſuis regnum, verùm ſe conſortem regni voluit, dicens: *Vtinam regnetis, vt & nos vobiſcum regnemus.* Prædictis autem verbis videtur loqui ex charitate abundantiori. Sicut olim mater Neronis ex ſtulta vanitate locuta eſt, quando ſe reſignabat morti, modò filius eius teneret gubernacula regni. Cùm enim ait, *Optabam enim ego ipſe*,&c. idem eſt ac ſi dicat, Vtinam vos viderem participes, licet ego ipſe expers regni manerem ſaltem ad tempus.

1. Cor. 4.8.

Rom. 9,3.

376. Variæ quidem ſunt prædictorum verborum expoſitiones, verùm hæc ſufficit præſenti propoſito, quæ non parum Paulinam benignitatem & miſericordiam illuſtrat, qui priuationem aut ſaltem dilationem (vt exponit Lyranus noſter) ſuæ gloriæ præeligebat, vt intenderet conuerſioni Iudæorum. vnde ait: *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, permanere autem in carne, neceſſarium eſt propter vos.* Videri poſſet aliquibus inordinatus exceſſus miſericordiæ eius, qui pro proximo eligeret rei iam excellentis, qualis eſt beatifica fruitio Dei, & ad tempus priuationem, cùm dictũ ſit: *Qui ſibi nequam eſt, cui alteri bonus erit?* item: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Sed non obſunt hæc Apoſtolicæ charitati, cui nulla deordinatio admiſta fuit. Pro quo nota, quemlibet virum ſanctum licitè, imò valdè meritoriè optare poſſe, vt ad tempus ſeparetur à dulci ſocietate Chriſti & Sanctorum in cælis (modò id fiat abſque ſua culpa) ſi hoc modo & medio plures alij cognitione Dei ac tandem beatitudine donari poſſent. Non deſunt Theologi, quorum eſt ſubtiliori ſcrutinio ſimiles quæſtiones inueſtigare, qui hanc doctrinam defendunt, inter quos ſaltem Molina p. 1. q. 14. mihi in præſentiarum occurrit.

Lyran.

Phil. 1, 23. 24.

Eccli. 14,5. Eccli. 30,24.

Molin.

377. Cæterùm ſibi non erit nequã, qui alteri hoc modo ſingulariter ſe bonum exhibebit. Nam in iudicio Sanctorum illi ſoli benedicendi ſunt, qui, neglecto proprio commodo, ſola gratia & amicitia Dei contenti, pro maiori bono & honore Dei ſunt ſolliciti. Maius autem Dei bonum, & clarior illius gloria eſt, quòd plures eius amabilem guſtent dulcedinem, quàm ſi vnus ſolus, ergo hoc optare, non derogat, ſed potiùs omnino emaculat charitatẽ ab omni labe concupiſcentiæ, & miro modo ornat eam in puritate amicitiæ. Deinde, etſi is qui huiuſmodi eſt, videatur inſipientibus mori, & ſeipſum negligere, ille tamen eſt in pace, & placens Deo miſeretur animæ ſuæ. Vt enim qui conſiſtunt in littore, ſine proprio ſuo damno eorum indoleſcunt vicem qui fluctibus immerguntur, & cum Iona libenter proijcerentur in mare, vt ita tempeſtatem ſedarent; ita eximia hæc in proximum pietas nullam cauſat iacturam aut periculum, quin potiùs talem meretur quis impetrare à Deo, qualẽ amore illius exhibet proximo. Non enim poſſibile eſt, vt Dei munificentia tam liberali animo ei qui priuatis ſuis commodis præponit gloriam eius & multorum ſalutem, non rependat gratiarum dona, & virtutum ac perfectionum incrementa, aut patiatur vt creaturæ liberalitate ſuperetur.

Simile.

378. Hæc miſericordia maior eſt, quàm vt ab eis, qui Deum perfectiſſimè non amant, intelligatur. *Quia longè ſumus ab hac dilectione* (S. Pauli ſcilicet) *idcircò intelligere hæc eius dicta non poſſumus,* inquit Chyſoſtomus. Non miratur, nec mirandam eam exi-

Chryſoſtom.

ſtimat.

Digitized by Google

Orig. ſtimat Origenes. *Quid mirum*, inquit, *ſi cùm Dominus pro ſeruis maledictum ſit factus, ſeruus pro fratribus anathema fiat?* Veri miſericordes, mites in alios, auſteri & quodammodò crudeles ſunt in ſeipſos. vnde idem Paulus, qui pro fratribus paratus erat ad tempus tanta voluptate priuari, quanta
Pſalm. 35.9. fruuntur illi de quibus ait Dauid, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*.&c. maluit ſe quàm proximos ſuos affligi.
Act.26, 29. vnde ait: *Opto omnes qui audiunt, hodie fieri tales qualis & ego ſum, exceptis vinculis his*. Nihil habuit commune in hac miſericordia inhumanus ille, qui magnorum debitorum condonatione ſibi à Domino facta, ſæuijt in cõſeruum, cum exiguis debitis tempus ſatisfaciendi flexis genibus poſtulantem. Meritò ei iratus eſt Dominus, qui nobis Patrem cæleſtem repræſentat, Chriſto Euangelium concludente
Matth. 18,35. his verbis: *Sic & Pater meus cæleſtis faciet*,&c. cuius tanta eſt pietas, vt ſicut ad oſtentationem ſuæ omnipotentiæ per infirma mundi quæ elegit, fortia confundere ſolet; ita non parum facit ad miſericordiæ ſuę triumphum, quòd matri filij ſui tanta ſit ab illo infuſa pietas, vt ſecundùm ſpeciem externam in miſerendo & miſeris compatiendo cum ipſo Deo contendere & competere videatur. Conſule hac de re *Tract*.IX.*Diſcurſ*.X.

Matth. 18,34. 379. *Iratus Dominus tradidit eum tortoribus*. Non tam proximo quàm ſibi nocent crudeles & inhumani. Nã qui alios opprimunt, ſeipſos dæmonum tyrannidi obnoxios efficiunt. Paruum fuit incommodum, quo Paulus acerbos homines & in alios dicaces deterrere conabatur, quando ait:
Gal.5, 15. *Quòd ſi inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini*. his enim verbis præmonuit homines ab hominibus recepturos mala quæ intulerũt. Sed Chriſtus Dominus tortoribus eos tradendos affirmat. Sciebat hoc pius ille Rex Ludouicus XII. qui, cùm aliquando de tyrannide inſtitueretur conferentia, dicitur veram ſed immitibus terribilem pronuntiaſſe ſententiam, dicens: *Credite, plebs & ruſtici tyrannorum ſunt paſcua, tyranni autem dæmonum*. ſic habent Annales Francorum. Annal. Franc. Confirmat hanc veritatem exitus crudelis exactoris, qui non egit vt ſeruus in conſeruum, ſed vt tyrannus oppreſſit miſerum ſupplicẽ, *& tenens ſuffocabat eum*. hinc iratus Matth. 18,28. Dominus tradidit eum tortoribus. Hac occaſione hîc diſſeri poterit, quòd immiſericordes ſibi graues ſunt, qui autem miſeretur, & aliorum offenſas diſſimulat, ſuarũ condonatione iucundus miſericordiæ vicem recipiet, quod latiùs docebit *Tract*.IX. *Diſcurſ*.XXI.

380. *Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum*. Matth. 18, 34. Ea eſt quorumdam hominum naturalis temperamenti conditio, vt oleum *Simile.* aut lenitiuum vnguentum plagis illorum illinitum, non medeatur, ſed potiùs concitet, ſi quos in corpore peccantes humores habent, & vulnus recrudeſcat. Eodem modo quidam ingrati poſt ſuſceptum miſericordiæ oleum, & vnguentum gratiæ remiſſiuæ præcedentis peccati, iterùm recidiuantes peiùs habent, & Dei benignitatem grauiùs offendunt. Totum hoc videre eſt in illo debitore, qui acceptilario ſibi à Domino liberaliter dato, ſe exhibuit inhumaniſſimum creditorem & crudelem exactorem conſeruo ſuo. Intolerabilis eſt ingratitudo illorum, qui occaſione beneficiorum inſoleſcũt. Adagium eſt, quòd intractabile ingenium explicet eorum qui omni vrbanitate vacui miteſcunt,

ſi duriùs tractentur, ſi autem vrbanè, ſitueſcunt.

Si vngis, pungit; ſi pungis, ruſticus vngit.

Beyer-linck. Refert hoc Beyerlinck v. *Ingratitudo.* Talis eſt illorum indoles, qui ex miſericordijs Dei immitiores fiunt, & ex
Deut. 32, 15. flagellis miteſcunt. *Incraſſatus eſt dilectus* (inquit Moyſes) *& recalcitrauit.* Hinc Dauid conſiderans eos vnctione deteriores fieri, punctionem
Pſalm. 82, 17. ſuadet dicens: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Hîc datur occaſio tractandi de recidiuo peccati, quod ſummam arguit ingratitudinem in ijs, qui accepta miſericordia & peccatorum condonatione, iterùm mortaliter offendunt eum, ſine cuius Sanguine non fit remiſſio. verùm qui ſæpè Sacramenta frequentant, propter leuiores culpas, ſine quibus hæc vita non ducitur, non arguendi tamquam ingrati, ſed potiùs vt piè ſolliciti fouendi ſunt, ad digniorem illius ſuſceptionem, qui per Sacramenta non ſolùm animas à culpa liberat, ſed etiam noua gratia ornat. Vide hac de re *Tract.* vi. *Diſcurſ.* v.

DOM. XXII. POST PENT.

Matth. 22, 15. 381. *Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt vt caperent eum in ſermone.* Promptitudinem audiendi, ſed tarditatem ad loquendum ſuadet Apoſto-
Iac. 1, 19. lus, dicens: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Paſſim peccatur à Concionatoribus contra hoc Apoſtolicum conſilium, qui potiùs linguæ volubilitate decipiunt indoctam plebeculã, quàm verborum & ſententiarum pondere & ſedata ac lenta pronuntiatione eam
Simile. moueant ad veram pietatem. Circumforanei eſt, non oratoris Eccleſiaſtici, verbis potiùs fraudem facere, quàm fructum quærere. Nemo Medicus feſtinando, ſed præmeditatè conſiderando ſtatum ægroti, præſcribit potiones. Mederi debet Prædicator, non rapere in ſtuporem aut admirationem auditores. Quia tamen non ſemper vanitas, ſed ſæpè anxietas cogit Concionatorem feſtinare, qui currendo ſperat lapſum memoriæ effugere, non ſunt paſſim corripiendi, quia facilius eſt culpare, quàm emẽdare quod in ſancto illo munere vitioſum videtur.

382. Ceterùm nuſquam magis neceſſaria eſt præmeditata locutio & linguæ moderamen, quàm in controuerſijs aut quæſtionum ventilationibus. Docet hoc Chriſtus, cuius nullum verbum in terram cadere potuit, qui ad quæſtiones ſibi propoſitas non niſi præuijs tergiuerſationibus reſpondiſſe videtur. Rogauit eum quidam legiſperitus: *Magiſter, quid faciendo vitam* Luc. 10,
æternam poſſidebo? At ille dixit: In lege 25. 26.
quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Non etiam ſtatim pronuntiauit ſententiam requiſitus ab eis qui adduxerunt mulierem deprehenſam in adulterio. *Ie-* Ioan.
ſus autem inclinans ſe, dicit Euangeli- 8, 6.
ſta, *digito ſcribebat in terra.* Et in hodierno Euangelio non aliter quàm ſi tempus redimere vellet, lentè procedit ad reſpondendum ijs qui rogabant, *Si licet cenſum dare Cæſari an non?* Et Matth.
vult ſibi oſtendi numiſma cenſus, ro- 22, 17.
gat cuius ſit imago aut ſuperſcriptio, & tandem ſic reſpondit, vt in ſermone capi nõ poſſit, dicens Cęſari eſſe danda quæ ſunt Cęſaris, & Deo quę ſunt Dei.

383. Porrò illi præ ceteris loquacitate peccant, qui in conferentijs non tam deſiderant audire veritatem, quàm dicentem in ſermone capere conantur, ac proinde quaſi diſcipuli horum de quibus dicit Euangelium, *Abeun-* ℣. 15.
tes Phariſæi, conſilium inierunt, &c.

tur-

Digitized by Google

turbant pacem, & vt ſe oſtentent, proximum captioſis dicterijs proſcindere non verentur. vnde nuſquam grati, ſed ſocialis vitæ hoſtes cenſendi ſunt. Nã,
Eccli. 9,25. vt teſtatur Sapiens, *temerarius in verbo ſuo odibilis eſt.* Quid mirum, cùm ad nihil magis intendant quàm vt proximum omnibus vilem, ignarum & ridiculum reddant? Hi ſæpè qui quæ volunt dicunt, etiam quæ non volunt audiunt. Dum enim lingua alios præſumunt offendere, aliorum ſæpè offen-
Simile. duntur. Similes mihi videntur piſci purpuræ, cuius hæc eſt naturalis conditio, quam notanit Pierius, vt exerat linguam in capturam piſcium, ſed hoc medio ipſemet capi ſolet. Eodem mo-
Prou. 16,27. do *peruerſus in ore ſuo portat perditionem*, vt habet lectio LXX. nõ alijs modò,
Pſalm. 139,12. ſed etiam ſibi. nam *vir linguoſus non dirigetur in terra; virum iniuſtum mala capiet in interitu.* Chriſtus in omnibus longanimis & patiens, ſeueriorem ſe exhibuit illis qui ſolebant ſpecioſis verbis captionem obtegere, & plerumque confuſi recedebant qui acceſſerant quatenus eum caperent in ſermone, vt hodie videre eſt in Euangelio: nam *audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt.* Hìc datur occaſio taxandi præcipitantiam linguæ, qua faſtuoſi laborant. De qua conſule *Tract.* 1. *Diſcurſ.* XI.

DOM. XXIII. POST PENT.

Matth. 9,19. 384. *Surgens ſequebatur eum, & diſcipuli eius.* Chriſtus Dominus, vt ſo-
Ioan. 4. lus cum ſola Samaritana loqui poſſet, dimiſit diſcipulos ſuos in ciuitatem vt cibos emerent, qui hodie ad puellam à morte reſuſcitandam non niſi comitatu vtriuſque parentis, & ſocietate trium Apoſtolorũ ingreſſus eſt. Puella hæc duodecim annorum filia vnica, ſine dubio à parentibus nuptijs deſtinata, fortè & ipſa nupturiens erat. Vt autem Chriſtus Dominus ſignificaret hominibus, periculoſam eſſe conuerſationem talium abſque teſte & ſocietate, ſolus cum ſola nuptura ab ſe reſuſcitata eſſe noluit.

385. Hìc datur occaſio differendi de virginibus viroſis & nupturientibus, quæ etſi liberæ putentur, tamen multis deſiderijs irretitæ tenentur, & ſæpè ducuntur captiuæ ad voluntatem diaboli, omnis inordinati deſiderij incentoris. *Bion bonos famulos libertate frui dicebat, ac malos liberos multarum cupiditatum ſeruos exiſtere*, vt re- Stob.
fert Stobæus Serm. 2. Timoratæ nuptæ ſubiectæ viro libertate potiùs gaudent quàm ſolutæ nupturientes. Libertatis eſt proprium, ſic viuere, vt velis, dicit Cicero 1. Offic. ergo ſordidæ eſt ſerui- Cicero.
tutis, præ tædio cælibatus nimis ambire nuptias. Melioris conditionis eſt *Simile.*
inſanus, quem compedes tenent, ne quocumque pellit furor vagari poſſit, quàm qui libertati ſuæ relictus, hìc obuium ſibi lethaliter vulnerat, ibi occidit, nunc in aquam, nunc verò ſe in ignem conijciens. Inſanit ſubinde nupta non minùs quàm nupturiens, ſed illa naturali iure conſtricta continetur, hæc verò vagari permittitur, multorum animas impunè vulneratura: & cùm totus mundus poſitus ſit in maligno, expanſis brachijs ſe in illum proijcit.

386. Fateor, fortè patiuntur tyrannum nupturientes, ſed an omninò liberæ erunt per nuptias? Non credo:
nam etiam *tribulationem carnis habebunt huiuſmodi*, dicit Paulus, & qui- 1. Cor. 7,28.
dem maiorem. Si ſaperent igitur, conſolarent per preces ad foramina petræ & cauernas maceriæ, vt ignem concupiſcentiæ extinguerẽt, qui ſæpè vſu copulæ carnalis inardeſcit magis. Refert

Mi-

Digitized by Google

Mira-bellius. Mirabellius v. *Libertas*, quòd Syracuſana quædam mulier Dionyſij tyrannidis impatiens, nihilominùs rogare ſolebat vt diu ſibi eſſet ſuperſtes Quo agnito, eam acceſſit, & cauſam rogata, reſpondit: Cum eſſem puella, tyrannum habebamus quo carere cupiebam, eo interfecto importunior ſceptrum occupauit, cuius obitum auidiùs exoptabam. Tertium te ceteris moleſtiorem habemus. Itaque timeo ne te abſumpto, in locum tuum deterior ſuccedat. O virgo, ſentis tyrannicam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ, extinguere potetis ignem, etſi fortè perſeueret ſenſus, tamen virtus quæ in infirmitate perficitur, defendet te ne cupiditati adſit conſenſus. & ita immunis perſeuerabis à periculo grauioris moleſtiæ, quā multi experiuntur poſt nuptias, non ſolùm quòd tribulationes carnis habent, ſed etiam quòd ſub viri inhumani poteſtate ſæpè gemunt. Si autem tædio cælibatus affecta tepeſcis, miſera eris magis quàm nupta. *Melius eſt*
ỳ.9. *enim nubere, quàm vri.*

387. Infelix eſt indeuota nupturiens, quæ ſe armis orationum, vigiliarum ac ieiuniorum non munit contra tyrannidem carnis: nam licitum remedium infirmitatis pro ſuo voto non poteſt habere, imò nec honeſtè licet poſtulare: & remedia diuinitus oblata non libet adhibere. Hinc anxia hæret inter ſpem & metum. Si floret ætate, ſperat amatorem: ſi parumper declinat, timet ſe derelictam. Parens qui habet filiam infra annum vigeſimum, ſi pulchra eſt & gratioſa, meritò poteſt illam ſeruare viro melioris conditionis: ſi verò eſt viginti quinq; annorum, putat ſe felicem ſi eam poteſt deſponſare pari: ſi autē vlterioris ætatis & appetens nuptiarum fuerit, nulli petenti deneganda eſt. *Spes quæ differtur affligit animā nupturientis:* à qua liberatur per mortem non ſolùm naturalem, ſed etiam ciuilem. Quod enim afflictiuum ſit ſperare ſemper & expectare quod non eſt in hominis poteſtate, patet ex dicto cuiuſdam agricolæ, de quo refert Floreſta Hiſp. p. 5.c. 4. Floreſta §. 7. quòd morti propinquus dixerit: Hiſp. *Ago gratias Deo qui me breuî liberabit ab expectatione Maij & Aprilis.*

388. Porrò vita nupturientis, ſed nuptias deſperantis, eſt ipſa morte amarior. Refertur de quodam nobili & prædiuite viro, quòd haberet filiam triginta annorum miſerè afflictam, quia parens non ſollicitabat ei ſtatum coniugalem: qui quodam die conuocauit quinque filios vxoratos, negotium alicuius ponderis illis propoſiturus. vnde filia hoc intelligens, ſperabat de nuptijs ſuis conſultationem inſtituendam fore. Verùm abſoluto prandio, conſuluit cum ſingulis de loco ſepulturæ eligendo. Igitur auditis filiorum votis, eligentium ſibi differentia ſepulturæ loca, rogans filiam vbinam ipſa ſepeliri vellet, reſpondit: Non eſt quòd quis pro mea ſepultura ſit ſollicitus, nam deſperabunda moriar, & ſepultura Eccleſiaſtica priuabor. quibus verbis ſignificauit quòd nuptiarum deſperatio eam ad laqueum adactura eſſet. Ex his patet, quòd indeuotæ nupturientes ipſis nuptis multò infeliciores ſint: de quarum miſerijs & inſolentijs latè diſſeritur *Tract.* 11. *Diſcurſ.* XXII.

DOM. XXIV. POST PENT.

389. *Orate, vt non fiat fuga veſtra in hieme vel ſabbato*. Monuit Chriſtus eos qui in Iudæa futuri erant vt fugiant ad montes. Vt enim nemo aduerſarium ſe numero & armis fortiorem Matth. 24.20. Simile.

rem expectat in campi planicie, in quo ab illo circũdatus vndique oppugnari, & tandem omnino trucidari poſſet, ſed confert ſe ad loca tutiora, hoſti inacceſſa; ita timorati de ſuis viribus diffidentes, altioris vitæ normam eligunt, quæ magna ex parte hoſti acceſſum præcludit. Sed montium nomine Sancti in Scriptura ſacra deſignantur. Inter hos autem primum locum obtinet B. Virgo, de qua intelligitur illud
Iſaiæ 2,2. Iſaiæ: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice*
Greg. *montium.* quæ verba S. Gregorius exponens ait: *Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit.*

390. In omni tribulatione ad hunc montem confugiendum eſt. Nam dum inuocatur Maria, ceſſabit tentatio. Comparatur palmæ auctoritate Eccleſiæ, quæ ei accommodat illud
Eccli. 24,18. Eccleſiaſtici, *Quaſi palma exaltata ſum in Cades.* Porrò quædam ſpecies palmæ exſtat (vt teſtantur Naturaliſtæ) cuius ramus ore detentus ſanguinem ſiſtit. Tentaris ad peccatum, quod nomine ſanguinis intelligitur (vnde eſt illud Dauidis: *Libera me de ſanguinibus,* &c.) fuge ad verticem montium, inuoca Mariam, tene nomen illud diabolis terribile frequenti pronuntiatione in ore, victor eris, ceſſabit quaſſatio & peccandi pronitas. *Simile.* Pſalm. 50,16.

391. Verùm ſi illam tibi ſpeciali titulo obſtrictam habere volueris, nota quòd ſicut Iudæi ſtrictioris obſeruantiæ ſabbatum ſupra intentionem præcepti obſeruabant; ita aliqui (quos tibi imitandos propone) in honorem B. Virginis, Sabbatum ei ſpecialiter dicatum, quibuſdam exercitijs ſpontaneæ deuotionis colunt: quorum ſalutem (licet omnibus miſeris & egenis ſit miſericordiæ mater) ſollicitiùs promouet & tuetur. Conſule hac de re *Tract.* IX. *Diſc.* XI.

ELENCHVS SERMONVM DE SANCTIS.

IN FESTO S. ANDREÆ.

Matth. 4,20. 392. AT *illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Exemplum obedientiæ nobis exhibent in præſenti Euangelio Petrus & Andreas, qui ad vocem Chriſti vocantis continuò, relictis omnibus, ſecuti ſunt Dominum. Trinonymus fuit Princeps Apoſtolorum: vocatus eſt enim Cephas, Petrus, & Simon. Vltimum illud nomen obedientiam eius explicat: Simon enim idem eſt Latinè quod obediens. Petrus autem etiam dictus eſt, vt ſcias obedientiæ fortitudinem eſſe adiunctam: nam Petrus ſignificat ſaxum ſiue petram. Nomen autem Andreas Latinè fortiſſimus dicitur. Conſiſtit autem fortitudo obedientiæ in eo maximè, quòd verus obediens in nullo acquieſcat carni & ſanguini, quinimò ſe & omnia ſua ſubijciat diſpoſitioni diuinæ, ſub cuius tutela cuſtoditur. Quemadmodum baſis ſibi relicta facilè auferri poteſt, imò proijci in ſordes & lutum, quæ ſi ponderoſæ columnæ ſupponatur, cui innititur magna fabrica, immobilis eſt & liberata à periculo direptionis; ita homo *Simile.*

Deo verè obediens diſcrimen perdendæ ſalutis euaſit. *Nónne Deo ſubiecta*
Pſalm. 61,2. *erit anima mea?* inquit Dauid, *ab ipſo enim ſalutare meum.* vnde Iacobus mo-
Iac. 4, 7. net: *Subditi ergo eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis.*

393. Ad ſecuriorem noſtri conſeruationem ſuadet Paulus, vt Deo corpus & animam, illius ſenſus, & huius potentias, tamquam baſim quamdã ſup-
1. Cor. 6,20. ponamus, dicens: *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Per hanc ſubiectionem pacem obtinebimus, & ab eo cui ſuppoſiti ſumus cuſtodiemur.
Phil. 4, 7. vnde idem Paulus ait: *Et pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu.* Petro minùs reſignato, & recuſanti lotionem pedum ſuorum, aperuit Chriſtus periculum, dicens:
Ioan. 13,8. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* qui ſtatim per ſuiipſius perfectam ſubiectionem ſeipſum volens aſſecurare, ſignificauit ſe nihil omnino obedientiæ ſubductum retinere velle,
ỷ.9. dicens: *Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus & caput.* ac ſi dicat: A planta pedis vſque ad verticem nil ſit in me exteriùs vel interiùs quod non ſubſit imperio tuo.

394. Nil eſt quod ſecuriorem ſpem præſtet æternæ ſalutis, quàm ſuiipſius omnimoda reſignatio in manus Dei,
Silua Hiſpan. quæ fit per obedientiam. Refert Silua Hiſpanica p. 4. cap. 7. §. 8. de quodam agricola, cui per infortunium vnus oculorum pænè euulſus erat, quòd chirurgum, cui ſe commiſerat, anxiè rogauerit: Domine mi, perdámne oculum meum? qui ridiculè reſpondens, ait: Non, quia in manibus meis illum teneo (imperceptibiliter enim præſciderat neruulum ex quo depen-
Diſſimile. debat.). Ridebat miſerum, nam verè deſperatus eſt oculus, qui manibus chirurgi continetur; noſtra autem ſi nobis relinquantur, pereunt, ſi verò abdicemus ea ſecuro loco repoſita, tandem reddentur. *Qui amat animam* Ioan. 12, 25.
ſuam, perdet eam (inquit Chriſtus) *& qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* O homo, anxiè ſubinde cogitas, an peritura ſit anima tua, an fortè ſis futurus in numero illorum qui oculos perdent,
de quibus ait Dauid: *Obſcurentur oculi eorum ne videant*, &c. Clarum tibi Pſalm. 68,24.
ſignum dari poteſt, ex quo ſecurus fias de tua & omnium tuorum certa conſeruatione, ſi nimirum omnia Deo ſubieceris per veram obedientiam, di-
cens cum Dauide: *Tuus ſum ego, ſaluum me fac.* Perfectus obediens, Pſalm. 118,94
vt ſuppedaneum ſcabellum totus Deo ſubijcitur, de quo is ad nutum diſponit. qua de re habes aliqua quæ facilè continuationi huius materiæ adaptari poterunt, *Tract.* IV. *Diſc.* I.

IN FESTO S. NICOLAI.

395. *Serue male & piger, ſciebas* Matth. 25,26.
quia meto vbi non ſemino, &c. Non ignorabat Filius Dei futuram hominum, circa bona quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, damnabilem ſocordiam: qui ſi à malis & illicitis cohibeant manus, omnia ſibi ſalua fore arbitrantur, licet bonis operibus vacui otio torpeant. Hinc factum eſt, quòd prædicens extremi iudicij ſententiam, indicet rigidum examen tunc inſtituendum eſſe, non ſolùm de commiſſis,
ſed maximè de omiſſis. *Ite maledicti* ỷ.41. 42.
(inquit) *in ignem æternum. eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare.*
vnde benè dicit Sapiens: *Egeſtatem* Prou. 10,4.
operata eſt manus remiſſa, manus autem fortium diuitias parat. Venerabi- Ven. Beda.
lis Beda locum hunc exponens, dicit, quòd

quòd is qui negligenter egit, omnibus bonis in futuro ſæculo carebit. Obſcurum videtur, quod ait, *operata eſt.* nam paupertas eſt aliquid incidens & negatiuum, non autem operatum manibus, aut poſitiuè elaboratum. Sed Prou. 18,9. nota, quòd *qui mollis eſt & diſſolutus in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.* id eſt ſimilis eſt illi. Vel frater eſt, quia eiuſdem parentis germana ſoboles. Sicut enim à dæmone eſt illicita mali operis commiſſio; ita ab eodem procedit boni & neceſſarij omiſſio, & tam hæc quàm illa ponit peccatum mortale, quod omnem miſeriam & egeſtatem cauſat in anima Gloſſa ordin. hominis. Benè dicit: *Frater eſt*, &c. *Qui enim cœpta bona diſtrictè non exequitur, diſſolutione negligentiæ manum deſtruentis imitatur*, dicit Gloſſa ordinaria.

Simile. 396. Æqualis conditionis eſt, qui domum inchoatam, ſed necdum tecto à pluuia & alijs incommodis aëris munitam, negligit perficere, cum eo qui tectum deijcit poſitiuo conatu: vterque enim cæli & nubium inclementiæ expoſitus manet. Eodem modo parum refert, quomodo quis mortaliter peccet; nam per omiſſionem boni non minùs quàm per commiſſionem mali aufertur tectum ſalutaris ſtructuræ, dum per peccatum mortale diſſipatur charitas, quæ ſummum & ſupremum locum inter virtutes obtinens, inſtar 1.Pet. 4,8. tecti *operit multitudinem peccatorum.* Porrò ſicut *beati quorum remiſſæ ſunt* Pſalm. 31,1. *iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata:* ita miſeri, qui charitate nudati Pſalm. 148,8. ſunt, quia *ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Patet hoc in præſenti Euangelio, in quo ſeruus nihil de domino ſuo legitur abſtuliſſe, tamen damnatur, & quia demandatam negotiationem neglexit, per ſententiam domini perijt. *Et inutilem ſeruum*, inquit, *eijcite in* Matth. 25,30. *tenebras exteriores; illic erit fletus & ſtridor dentium.*

397. Nota, omne peccatum mortale venenum mortiferum eſt animæ; verùm, qui omittendo bonum peccat, quadam ratione peioris eſt conditionis eo qui offendit, committens malum. Verum eſt, quòd ſimpliciter & abſolutè tranſgreſſio grauius peccatum ſit (vt docet S.Thom. 2.2. q. 79. S.Tho. art. 4.) quàm omiſſio; dari tamen poteſt aliqua omiſſio, quæ commiſſione aut tranſgreſſione maior cenſeri debeat. Verùm quidquid ſit de grauitate culpæ & reatus, non rarò plura incommoda ſequuntur ex omiſſione boni, quàm ex mali commiſſione. Pro quo ſciendum, duplex veneni genus eſſe. Aliud ſtatim tormina & doloroſas viſcerum cõtorſiones cauſat, quod cùm apertè ſentitur, ſubinde ſumpto antidoto expellitur. Aliud eſt lentum, quod paulatim per totum corpus virus diffundens, ſanguinem inficit; & quia lentè operatur, nec tam acerbè ſicut prius percipitur, qui illud hauſit, nulla ſollicitudine tenetur vt ſe ab eo expediat, & quamuis ex illo moriatur, non tamen mors ei imputatur. Hinc *Simile.* fit quòd qui tutò & ſecretò aliquem perimere volunt, conſueuerunt huiuſmodi venenis vti cunctanter & lentè virus ſuum diffundentibus. Eodem modo dæmon videns, quòd non facilè poſſet aliquem ad cõmittenda peccata pertrahere, ei hoc lẽtum & pigrum venenum immittit, tentans nimirum ad omiſſionem eius quod (cùm alia oporteat fieri) non poteſt ſine ſalutis iactura omitti. Hoc pacto tutiùs & ſecretiùs cauſa mortis partim incomperta, partim etiam non ſatis ponderata (ſolent enim peccata omiſſionis parui fieri)

multis necem machinatur. Nihil difficultatis ſuſpicabatur ſeruus, qui vnum talentum otioſum terræ mandauerat, quinimò non veritus domino ſuam duritiam exprobrare, dixit:
Matth. 25, 24. *Scio quia homo durus es*, &c. *abſcondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum eſt.* ſed malè nihilominùs perijt. Innumeri ſunt quos tenet infernus, redemptione deſperata, qui dum hîc viuerent, omnia ſibi ſalua promittebant, quia grauiora peccata, vt furta, latrocinia, homicidia non commiſerant, de omiſſis nihil ſolliciti. Phariſæus, qui confidebat in ſe tamquam iuſtus, non ignorabat duas eſſe partes iuſtitiæ, nimirum receſſum & deteſtationem mali, & ſtudium operis boni. Ideò poſtquam egerat gratias quòd non eſſet ſicut ceteri hominũ, raptores, iniuſti, adulteri, &c. tandem dixit:
Lucæ 18, 12. *Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo.* Præſumpſit hic de falſa quidem iuſtitia, indicauit tamen quid ad veram requiratur.

Simile. 398. Stultus eſſet agricola, qui ſperaret meſſem & vindemiam (ſi terram non coluit) ſolùm ex hoc quòd ſpinas non plantauit, nec vrticas aut tribulos ſeminauit. Talis eſt qui ſibi promittit bona futuræ vitæ, quia non eſt furatus, adulteria, latrocinia non commiſit, cùm tamen virtutum exercitia ad ſalutem neceſſaria neglexerit & omiſerit.
Pſalm. 127, 2. Non quia illicita non perpetraſti, ſed *labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es.*
Gal. 6, 7. *Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet.*

399. Hîc datur occaſiò differendi de vera & completa obedientia, quæ in eo conſiſtit, vt ſubditus à malis declinans, feruenter bonis operibus inſiſtat. Ceterùm hæc virtus operibus ex natura ſua indifferentibus tribuit valorem, & quæ ex ſe bona eſſent & meritoria, infructuoſa redduntur, ſi præter aut contra obedientiam fiant. Porrò ſicut pigris & tepidis calcar eſt, ita feruentiores & auſteritatis amatores, ne irrationabile fiat illorum obſequium, tamquam frænum detinet. Habes hac de re *Tract.* IV. *Diſc.* X.

IN FESTO IMMACVLATÆ CONCEPT. BEATÆ MARIÆ.

400. *Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter* Lucæ 11, 27.
qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Vt ſcias, mirabilem fuiſſe Mariæ tum animæ tum corporis venuſtatem & elegantiam, quod infimum eſt in homine, hæc mulier ex inſtinctu Spiritus ſancti laudat & beatificat. *Beatus venter* (inquit) *qui te portauit.* Principium & organum peccati venter eſt, in quo homo concipitur in peccato, & ex quo maledictionem ſecum trahit. vnde Dauid ait: *Alienati ſunt pecca-* Pſalm.
tores à vulua, errauerunt ab vtero, lo- 57, 4.
cuti ſunt falſa. Si quod infimum eſt in corpore ita beatificatur, quid erit de internis animæ dotibus? Quòd omnia fuerint magnificentiſſima in templo Salomonis, colligere licet ex vilium pretioſitate: non tantùm candelabra, thuribula, phialæ, mortariola, ſed etiam emunctoria & forcipes candelabrorum erant ex auro puriſſimo. item: *Claui & cardines oſtio-* 3. Reg.
rum domus interioris, Sancti Sancto- 7, 50.
rum, & oſtiorum domus templi ex auro erant. Hinc conclude quid ſentiendum ſit de Cherubim, ac de altari. Item refertur, quòd ſcabellum ſuppedaneum quo vtebatur Salomon, ex auro fuerit confectum: quid putas fuit de vaſculis & calicibus quibus vinum Regi propinabatur? vel ex qua 2. Par.
materia & quo artificio putas patinas 9.
ac

ac ſcutellas fuiſſe concinnatas, in quibus ei cibi appoſiti ſunt? Eodem modo cogita qualis fuit anima & mens Virginis, cuius venter beatificatur.

Matth. 6, 23. • 401. Dixit aliquando Chriſtus: *Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* In hunc modum dici poſſet, Si quod obſcurum eſt laudatur & beatificatur in Virgine, quæ præclara ſunt qualia erunt? Tacet hæc mulier non modò interna Virginis ornamenta animæ, ſed ne quidem mentionem facit elegantiæ labiorum, modeſtiæ oculorum, verecundæ frontis. Quæ ſunt ignobiliora corporis honoramus (inquit Paulus) 1. Cor. 12, 24. *honeſta autem noſtra nullius egent.* Ita non eſt opus vt vultus, brachia honorentur, cuius venter beatificatur. Omnia quæ in Virgine erant, ſpecioſa ſimul & ſancta fuerunt, adeò vt clarè appareret, Adamum in illa non peccaſſe. De S. Bonauentura dicere ſolebat Anton. Alexander ab Ales, vt dicit Antoninus part. 3. tit. 24. cap. 8. Hiſt. *Iſte eſt verus Iſraelita, in quo Adam non videtur peccaſſe.* Conſiderabat irrefragabilis ille Doctor in S. Bonauentura cum ingenij facilitate alias dotes naturæ & gratiæ, vt corporis omnimodam pulchritudinem, vitæ puritatem, conuerſationis honeſtatem, qua omnes non ſolùm ad ſe inuitabat, ſed emendatos & conſolatos à ſe dimittebat.

402. Nota, hæc multorum teſtimonio tam manifeſtè in B. Virgine claruerunt, vt ex ijs non ſolùm opinio, ſed verum iudicium de immunitate peccati originalis ſumi poſſit. Pulcherrima Virgo nullius internæ pulchritudini (vt fieri ſolet) obfuit, ſed omnes ſe aſpicientes ad modeſtiam & caſtimoniam ædificauit. Non fuit vmquam mulier tantæ ſanctitatis, à qua accedens niſi cohiberet ſenſus, aliquid deordinationis non poſſet pati. Siquidem omnes in Adam peccauerunt, ac proinde communicarunt inordinatæ concupiſcentiæ ignem, qui facillimè ſerpit in proximum. Hinc fit quòd Sancti ſuper cuſtodiam ſuam ſtantes, frenum inijciunt oculis ſuis, ne vel inuiti patiantur quod diſpliceat. Dici ſolet:

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Suſpecta debet eſſe omnis mulier: nam etſi actu non malè ardeat, ſopitum tamen ignem & fomitem peccati circumfert, ex quo facilè excitabitur flamma in eo qui illi incautè appropinquat.

403. Vix aliquis roſam decerpere Simile. poteſt illæſus à ſpinis, quæ ei poſt peccatum primi parentis aſſociatæ ſunt. idem de mulieris vana pulchritudine ſentiendum eſt: quam ſi quis incautè hauſerit, experietur ſpinarum vicinitatem, & ſtimulis carnis facilè infeſtabitur.

Et viget amiſſa ſpina relicta roſa.

Vt enim ex ſpinæ punctura quis affli- Simile. gitur longo tempore, poſtquam roſa, amiſſa ſua venuſtate, per nimis frequentem contrectationem marcuit (exulceratur enim non rarò pars illa corporis quæ ab illa læſa eſt) ita occaſione formæ incauti ſæpè cruciantur ſtimulis cõſcientiæ in hac vita, maiores dolores paſſuri in futura (niſi per pœnitentiam ei ſatisfiat) quando vanitatum & deliciarũ huius temporis nulla ampliùs erit memoria. Incautè decerpſit Dauid roſam, cùm *deambula-* 2. Reg. *ret in ſolario domus Regiæ: viditque* 11, 2. *mulierem ſe lauantem ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valdè.* Sed remanſit ſpina quæ

Digitized by Google

eum affligebat, poſtquam illi roſa vanæ pulchritudinis marcuerat. Audi
Pſalm. 31.4. gementem: *Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.*

404. Porrò omnes cum Dauide fa-
Pſalm. 50,7. teri debent, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum.* ac proinde nullius feminæ pulchritudo à ſpinarum aculeis immunis eſt. Sola Virgo, cuius ventrem quædam mulier extollens vocem ſuam beatificauit, à peccato originali libera, vernantem roſam, id eſt mirabilem pulchritudinem & formæ elegantiam ſine ſpinis poſſedit. Cùm enim ab originali culpa libera fuerit, iuſtum eſt vt terra illa benedicta eximatur à ſententia, quę generaliter alio-
Gen. 3,17. ỳ.18. quin à Deo lata eſt, quando dixit: *Maledicta terra in opere tuo*, &c. *ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Mira Virginis pulchritudo corporis, index fuit mentis quæ intrinſecus latebat. *Sol exoriens promittit fulgorem* (vt dicit
Maximus. Simile. Maximus Sermone 10.) *qui cacumina montium illuſtret, vberioris lucis ſpecita ſplendeſcentis animo præfulget in ſuperficie corporis decor, ſpem afferens multò melioris.* De ſtupenda B. Mariæ Virginis pulchritudine, quæ aſpicientibus eam numquam obfuit, ſed caſtas cogitationes ſuggeſſit, lege *Tract.* 11. *Diſcurſum* 111.

IN FESTO SANCTI THOMÆ.

Ioan. 20,24. 405. *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Dydimus, non erat cum eis quando venit Ieſus.* Locus agendi de fructuoſo bonorum conſortio. Thomas abſens à confratribus, expers eſt gaudij & fructus bonæ imprecationis, quæ non parum interiùs corda diſcipulorum confirmauit, quando is qui non modò opere, ſed &
ỳ.26. ſermone potens eſt, dixit: *Pax vobis.* Non lego Chriſtum vlli vmquam dixiſſe extra congregationem conſtituto, Pax tibi; benè quidem, *Vade in pace*, vt patet Marc. 5. ỳ. 34. Luc. 7. ỳ. 50. item Luc. 8. ỳ. 48. Simul autem congregatis ait: *Pacem relinquo* Ioan.
vobis, pacem meam do vobis. Ex quo 14,27.
patet eos qui in cõgregatione ſimul habitant, ſtabiliori tranquillitate gaudere & pace, quibus nuſquam eundum eſt vt illam inueniant: qui verò proprio arbitrio relicti extra communitatem & congregationem vitam agunt, ſi alibi ſubſiſtant, facilè pacem animæ perdent, vt patet in S. Thoma. Poſſunt tamen pacis Chriſti eſſe participes, ſi nuſquam moram trahant aut hæreant, ſed obediant dicenti: *Vade* Lucæ
in pace. etſi firmiter credant verum 7.50.
eſſe quod ait Apoſtolis: *In mundo preſ-* Ioan.
ſuram habebitis, in me autem pacem. 16,33.
Verum eſt, ſedent & quieſcunt Religioſæ in pulchritudine pacis, & in requie opulenta, quæ non modò in congregatione, ſed & in cuſtodia monaſticæ clauſuræ Deo ſeruiunt, cui Chriſtus magnam tribuit auctoritatem, quando non ſemel venit ad diſcipulos ianuis clauſis dicens eis: *Pax vobis.* Sed quia non omnes capiunt verbum hoc, & multæ ſunt quarum voluntas non deeſt religioſæ clauſuræ, ſed ipſa earum votis & voluntati, non eſt dubitandum, quin aliquæ in domo parentum cælibes degendo, poſſint dirigere pedes ſuos in viam pacis, quam obtinebunt, ſi affectu & aſpectu oſtendunt ſe mundo mortuas eſſe: quod fiet, ſi nolunt videre vanitatem eius quam non licet concupiſcere. Non enim ſola nigra toga teſtatam facit hanc ciuilem mortem, ſed magis oculorum & aliorum ſenſuum religioſa cuſtodia, cui dum in principio conuerſionis ſe aſſueſcunt, poſteà,

licet

licet cum religioſis intra clauſuram
non ſint ſepultæ, tamen videbuntur
oculis inſipientium quidem mortuæ,
ipſæ verò erunt in pace. Porrò ne-
ceſſe eſt, vt in principio ſuæ conuer-
ſionis rigidæ ſint in ſui cuſtodia (vt
Simile. dictum eſt.) Vt enim defuncti hominis
os & oculi numquam decenter con-
cludi poſſunt, niſi id fiat ſtatim poſt-
quam exſpirarit; ita ad magnam ani-
mæ ſuæ pacem & quietem mundo vſ-
que in finem facilè erunt mortuæ, quæ
in principio rem firmato propoſito vi-
tæ melioris aggredientes clamarunt ad
Pſalm. Dominum: *Auerte oculos meos ne vi-*
118,37. *deant vanitatem.* Non deſunt matu-
ræ huiuſmodi virgines domeſticæ, vt
omnibus conſtat, ac proinde ineptè
nonnulli habentes zelum, ſed non ſe-
cundùm ſcientiam, omnes aut vito
ſubijciendas, aut muro monaſtico
concludendas ſentiunt. Qua de re
conſule *Tract.* II. *Diſc.* XXV.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI.

Matth. 406. *Centuplum accipiet, & vi-*
19,29. *tam æternam poſſidebit.* Ex ſententia
Prou. Sapientis, *ſpes quæ differtur affligit*
13,12. *animam.* Affligitur anima iuſti non ſo-
lùm ex dilatione bonorum vitæ futu-
ræ, ſed etiam ex illatione malorum
quæ præſens ſecum inuehit, teſte Iobo,
Iob 14, qui ait: *Homo natus de muliere, breui*
1. *viuens tempore, repletur multis miſe-*
rijs. Exemplo mulieris parturientis
explicat Paulus ſperantium anguſtias,
Rom. dicens: *Omnis creatura ingemiſcit, &*
8,22. *parturit vſque adhuc.* Quàm feruen-
Simile. ti deſiderio tenetur pia mater enitendæ
prolis, quæ Baptiſmo ſuſcepto poſſet
annumerari viuis membris Eccle-
ſiæ militantis, quæ interim doloribus
ſcinditur & laceratur, à quibus edito
partu ſperat ſe fore liberandam! Vi-
tam iuſtorum partum quemdam eſſe,
qui reddit hominem ſpem inter &
metum anxium & ſuſpenſum, indi-
cant Prophetæ verba, dicentis: *Sic* Iſa.26,
facti ſumus à facie tua Domine. Con- 17.&
cepimus, & quaſi parturiuimus ſpiri- 18.
tum ſalutis. Cùm enim *regnum cælo-* Matth.
rum vim patitur, & violenti rapiunt 11,12.
illud, vbi eſt vera ſalutis ſollicitudo,
ibi dolores vt parturientis. In hoc par- Pſalm.
tu vna & ſola ſanctos tenet cura, vt ni- 47,7.
mirum ad Dei gloriam & honorem
pariant cælo & Eccleſiæ triumphanti
animam æternùm ſine periculo mortis
victuram: qui etſi ſperent felicem ſuc-
ceſſum, quia tamen ſpes illorum non
eſt immortalitate plena, ſed ſtat cum
formidine de contrario, non parum
affligit.

407. Porrò præter dilationem bo-
norum anguſtiantur iuſti etiam ex
malis ſibi illatis, à quibus ſperant li-
berari. Nam vt partus mulieris tantò *Simile.*
minùs periclitatur, quantò ipſa faci-
liùs abſque dolore eum enititur; ita è
contrario Sancti ſciunt, *quoniam per* Act.14,
multas tribulationes oportet nos intra- 21.
re in regnum cælorum. Hinc fit, quòd
ſicut omnes qui parturienti mulieri
ferunt ſuppetias, tunc optimum ſpe-
rant ſucceſſum, ſi parum laboret in
enitendo; ita vix eſt ſpes ſalutis de illis
qui *ducunt in bonis dies ſuos, & in pun-* Iob 21,
cto ad infernum deſcendunt. Rachel 13.
ob difficultatem partus periclitari cæ- Gen.
pit, verùm nos in partu ſalutis ob ni- 35,17.
miam proſperitatem & felicem om-
nium rerum ſucceſſum periclitamur,
ſi autem anguſtiamur, & multas pati-
mur difficultates, tunc cum Dauide
dicere poſſumus: *Quoniam tu Domine* Pſalm.
ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. 4,10.

408. Ceterùm notandum eſt, quòd
Deus noluerit vt ſpes nimiùm dilata
animam affligeret vſque ad mortem.
Nam,

Digitized by Google

Chryſoſt. Nam, vt dicit Chryſoſtomus, *dubitatur etiam an ſit beneficium, cuius dilatio affligit expectantem*. Hominum promiſſa parui valoris, incertæ & nimis longæ ſunt expectationis, adeò vt illud prouerbium in illis locum habeat: *Dum herba creſcit, equus moritur*. Cui optimè quadrat illud adagium Belgarum, qui dicunt tardo & nimis cunctabūdo promiſſorum ſuorum executori: *Maeckt my een ſuypen als ick doodt ben*. Voluit igitur Chriſtus Dominus vt etiam de præſentibus gaudeat Eccleſia. Hinc fit, quòd omnia relinquentibus non ſolùm poſſeſſionem vitæ æternæ, ſed etiam centuplum vitæ præſentis promittat. *Centuplum accipiet*, inquit, &c. Matth. 19,29.

409. Verùm oritur hîc difficultas. Nam apparens defraudatio præſentium omnino ſpem ſuſpectam facit futurorum. Nullus enim hactenus fuit, qui pro vno quod reliquit, centum videtur accepiſſe. Nota, veriſſima eſt Chriſti promiſſio de centuplo, ſed quia cæcutientibus obſcura, ideò facilè ipſi offenduntur. Propter hæc & alia quædam dicta & facta Chriſti, ait Petrus, quòd ſit *lapis offenſionis, & petra ſcandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt*. 1. Pet. 2,8. *Qui offendunt verbo* Chriſtum blaſphemando, vt exponit Hugo & Lyranus. Hugo Cardin. Lyran. S.Tho. Verùm S. Thomas intelligit illud *offendunt* paſſiuè ad propoſitum noſtrum. quaſi dicat: Qui ſcandalizantur verbo Euangelij, quod inter alia etiam promittit centuplum. Fortè ad hanc promiſſionem reſpexit Chriſtus, quando diſcipulos Ioannis Baptiſtæ ad ſe deſtinatos remittens, dixit: *Euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis*, &c. *pauperes euangelizantur: & beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me*. Matth. 11,4. ỳ.5. & 6. Quid iucundius poſſet pauperibus euangelizari, quàm quòd centuplum accepturi ſint, & vitam æternam poſſeſſuri? Sed quid obſcurius ad credendum, cùm nuſquam appareat exemplum, quo probetur completum quod nouimus eſſe promiſſum? Sed nota, quòd electi, tamquam veri ciues Eccleſiæ & domeſtici Dei, captiuato intellectu, ſola fide illuminati, inoffenſo pede perambulent obſcura eius quæ nobis credenda proponit, vt probat *Tractat*. v. *Diſcurſus* XIII.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. MARIÆ.

410. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi*. Lucæ 2,22. Quemadmodum, Chriſto teſte, *non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus*: Matth. 9,12. eodem modo puriſſima non indiget purgatione. Verùm quia nullus eſt tam humilis, quin dicat cum Dauide *Vilior fiam plus quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis*; 2. Reg. 6,22. hinc factum eſt, quòd humillima Virgo, ac ſi indigeret, profundiori humilitate legi ſe ſubijciens, obſeruauit cærimonias purgationis. Vera & notatu digna eſt illa Sapientis ſententia, qua quorumdam taxatur vanitas, diuitias in ſumma paupertate ementientium, & commendatur illorum humilitas, qui vitæ & morum facilitate ac modeſtia opulentiam & fortunas ſuas diſſimulant. *Eſt quaſi diues*, Prou. 13,7. inquit, *cùm nihil habeat: quaſi pauper, cùm in multis diuitijs ſit*. Verum eſt, terrenæ diuitiæ neminem verè ditant, & qui multa poſſidet, non niſi quaſi pauper cenſeri debet. Vnde qui pompaticè & ſplendidè agunt, potiùs ſe diuites oſtentant quàm probant. Nouerunt hanc veritatem ſerò in altero

ro mundo, qui dum hîc viuerent, cæcutiebant. vnde aiunt: *Ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Non fatentur ſe diuites fuiſſe, ſed iactaſſe. Hi ſimiles ſunt crumenis tumentibus, ſed terra repletis, quæ eatenus quaſi diuites dici poſſint, quatenus non ſunt omnino vacuæ.

Sap. 5. 7. & 8.

Simile.

411. Alij ſunt ſtolidiores, qui nimirum nullius ſunt cenſus, attamen exteriùs vita & moribus ita ſe habent, ac ſi diuitijs abundarent. Hos crumenis ſentio comparandos, quibus ne terra quidem ſuppetit, ſed ſolo vento & aëre diſtentæ ſunt: nam primi ſaltem famam poſt ſe relinquunt quòd aliquando diuites fuerint, & celebrantur vt tales ab ijs qui per teſtamentum aut etiam ab inteſtato diſtributione bonorum poſt mortem illorum gaudent. Etſi enim viri diuitiarum dormientes ſomnum ſuum nihil inuenerunt in manibus ſuis (ſi quidem *homo, cùm interierit, non ſumet omnia*) reliquerunt tamen terram poſteris & heredibus ſuis. Secundi autem parum aut nihil habentes, pro ſola diuitiarum opinione apud alios obtinenda ſe eui ſcerant, & ſæpè inedia emacerant: & vt ſaccum corporis byſſo & purpura ornent, non rarò ventriculum ſemiplenum & adhuc præ fame latrantem occludunt. Hi meritò ſuæ vanitatis opprobrium referunt, quos mors ſuo ſtimulo perforando euacuans oſtendit, quòd dum viuerent, ex ſolo aëre inſtar inflatæ veſicæ tumeſcebant.

Simile.

Pſalm. 48, 18.

Simile.

412 Refertur de quodam, qui infirmatus vſque ad mortem, præteritæ ſuæ vanitatis ſeipſum ridiculè arguens, oſtendit ſe fuiſſe vnum ex illis. Hunc fortè vrgebant, vt condito teſtamento, altercationi & litigio, quod moueri poſſet de bonis ſuis (putabatur enim opulentus valdè) viam præcluderet. Condeſcendit tandem monentium importunitati. Aſcito igitur Notario publico & iurato, cœpit amplitudine & multitudine legatorum omnes in admirationem rapere. Vnus autem aſſiſtentium concluſo & obſignato iam Notarioli inſtrumento, rogauit eum, dicens: Iam intelleximus diſpoſitionem vltimæ tuæ voluntatis, ſed vnde ſuppetent media, ſi fortè quæ in paratis pecunijs & vendita ſupellectili corroſa fuerint, non ſuffecerint vt illi ſatisfiat? Reſpondit infirmus, oſtendens quòd eſſet quaſi diues, cùm nihil haberet, Hoc veſtræ relinquo ſollicitudini, ſed hic labor & dolor erit; innuens nihil ei reſidui eſſe quod legare poſſet.

413. Sibi multum obeſt, qui in exteriori forma & habitu *eſt quaſi diues, cùm nihil habeat.* vnde benè dicit Sapiens: *Pondus ſupra ſe tollet qui honeſtiori ſe communicat.* Honeſtum autem ſignificat honoris ſtatum: quia autem diues honoratur, honeſtus dicitur, vt explicat S. Thomas 2. 2. quæſt. 145. artic. 3. ad 2. Pauper igitur qui apparere vult & haberi diues, ſumit pondus ſuper ſe, quia ad plures expenſas ſe obligat, quàm vires aut facultates ferant Excogitato ſtratagemate multi in Hollandia à Statibus decepti, experti ſunt pondus quod ſibi impoſuerunt, quia parum aut nihil habentes diuites apparere voluerunt. Communi enim conſenſu exactio inſtituta eſt poſt multas ſordidiſſimas omnium ferè ſecularum extorſiones, qua quilibet teneretur ad milleſimum omnium ſuorum bonorum nummum. Latebat anguis in herba, ſed

Prou. 13, 7.

Eccli. 13, 2.

S. Tho.

ſed non apparebat quibuſdam præ ſuperbia obcæcatis, qui interrogati de mediorum quantitate, facilè aſſenſerunt ijs, qui affirmabant ea ad centum millia aſcendere; putabant enim pro centum florenis, quos tunc exactio præſcribebat, nomen tam diuitis vili pretio comparatum iri, quod in libro publico auctoritate Magiſtratus ſcribendum fore probè nouerant, ignorantes interim oneroſas conſequentias ex illo antecedente inferendas. Dato enim prima vice nomine, & admiſſa falſa opinione ditioris, dum in exactione ſubſequenti poſtularetur nummus quingenteſimus, duplex exigebatur iactantiæ mulcta, & ita proportionatum, dum poſteà ducenteſimus & centeſimus conſenſu publico extorqueri poterat, ex priori confeſſione augebatur onus eius, qui cùm parum haberet, quaſi diues exiſtimari voluit.

414. Ceterùm etſi plures ſint, qui nihil habentes quaſi diuites ſe oſtentant, non deſunt tamen alij prudentiores, qui ſuo honeſto ſed modeſto
Simile. habitu multas diuitias ſimulant. Comediæ inſtar eſt vita præſens, in qua ſæpè qui verè pauper eſt, perſonatus Rex & opulentus gregarius aut plebeus prodit. Ille diademate & chlamyde conducta, tenuem conditionis ſuæ amictum, hic verò ſacco honeſtiora ſua indumenta occultat. Eodem modo res ſe habet non tantùm in corporalibus, vt hactenus dictum eſt, ſed etiam in ſpiritualibus. Multi ſunt & fuerunt ſemper, qui exteriori ſanctitatis ſpecie abominationes internas contegunt. Tales erant, quibus Chri-
Matth. 23,27. ſtus ait: *Similes eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.* Sunt nihilominùs alij qui imitantur Virginem quæ ſeruat legem purgationis, & dum præclarior eſt cœtus, excellentia illius abſconditur per obſeruantiam legis quæ eam non ligabat. Nec mirum, ſi Virgo purificationis cærimonijs ſe ſubijciat, cùm Filius eius, totius generis humani redemptor, permittat vt oblatione, quam lex decreuerat, ſicut vnus ceterorum redimatur. Hîc datur occaſio diſſerendi de exteriori faſtu, quo ſuperbi occultant ſuas ſordes, & humilium vilitatis apparentia, qua virtutes & animæ ſuæ dotes ſollicitè contegunt, & ſecurè cuſtodiunt. Conſule hac de re *Tractatum* III. *Diſc.* XVI.

IN CATHEDRA SANCTI PETRI.

415. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris ſuper* Matth. 16,19. 20.
terram, erit ligatum, &c. Grauiter offendit Deum, qui in alio quàm in ipſo ponit ſpem ſuam. *Hæc dicit Dominus*, inquit Ieremias, *Maledictus ho-* Ierem. 17,5.
mo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius. Recedunt multi ab eo, dum ad creaturæ ſolatium magis anxiè anhelant, quàm pro gratia & amicitia Dei laborent. Refert Silua Hi- Silua Hiſpan.
ſpan. p. 5. cap. 1. §. 7. ſtultum cuiuſdam inſano amore abſorpti dictum, qui cùm quibuſdam domicellis perſuaſiſſet, ſe per chiromantiam futura præſagire poſſe, & diuerſis inſimul congregatis quædam boni ominis prædixiſſet, tandem manum illius, quam deperibat, attentiùs inſpiciens ait: Tota mea felicitas & beatitudo manibus iſtis continetur. Blaſphemum verbum & illi ſummè iniurioſum, cui dixit Dauid: *Ego autem in* Pſalm. 30,15.
te ſperaui Domine, dixi: Deus meus es tu; in manibus tuis ſortes meæ. Tres

ſortes

ſortes viri iuſti ſunt in manu Dei, vt notat Hugo Cardinalis, ſcilicet ſors prædeſtinationis, gratiæ & gloriæ. De
Epheſ. 1, 11. prima intellige illud Pauli: *In quo etiam* (ſcilicet in Chriſto) *& nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitũ eius.* De ſorte gratiæ idem lo-
Coloſſ. 1, 12. quẽs, ait: *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorũ in lumine.* De tertia au-
Dan. 12, 13. tem poteſt intelligi illud Danielis: *Stabis in ſorte tua in finem dierum.* A manibus eius qui has ſortes tenet noſtra æterna ſalus pendet, à quo recedit cor eius, qui ponit carnẽ brachium ſuum, & non niſi manifeſto periculo æternæ maledictionis confidit in homine.

416. Dices: An non licet reſpicere ad manus hominum quibus traditæ ſunt claues regni cælorum? Numquid in illius manibus continetur ſalus noſtra, qui non modò remittit peccata, ſed ſimul aperit theſaurum meritorum Chriſti, ex quo pœnitenti depromit gratiam peccati remiſſionam? Reſpondeo, non incongruè dici poteſt Sacerdoti, quod inſanus ille amator ſtultè aiebat mulierculæ, quæ rapuerat & abripuerat cor eius à Deo: *Tota mea beatitudo in manibus tuis eſt.* Verè enim abſoluit à peccatis, & tribuit ius æternæ hereditatis: nec hoc ægrè fert Deus, qui dedit poteſtatem talem hominibus, cui acceptum ferre debemus quidquid nobis per manus Apoſtolorum poteſtate illis tradi-
Simile. ta adminiſtratur. Si dimittitur reus miniſterio cuſtodis carceris, oſculatur manus Regis delictum illius gratioſè condonantis. & quamuis in Officiali agnoſcit officium, tamen miſericordiæ Regis ſpecialiter tribuit quòd ſit priſtinæ libertati reſtitutus. Eodem modo honoramus Petrum & cathedram ac poteſtatem illius, verùm miſericordiæ Dei tribuimus quòd non ſumus conſumpti. ac proinde cum Dauide quilibet à peccato abſolutus promittit dicens: *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Pſalm. 88, 2.

417. Cuſtodes carceris quidẽ apud homines vileſcunt, Petrus autem & ſucceſſores eius ſunt in honore. Illorum officium reus agnoſcit quidem, horum quidem ſuſpicit. Non enim ſicut illi ſolùm ligant & ſoluunt, ſed etiam tamquam legitimi Iudices reorum cauſas diiudicãt & recognoſcunt. Niſi glorioſum eſſet Petro hac poteſtate donari, non eſſet illi conceſſa loco mercedis pro heroica illa confeſſione, quam de Chriſto pronuntiauit dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Matth. 16, 16.
pro quo ab ipſo Chriſto beatificatus eſt. *Dignum plane confeſſio Petri præmium conſecuta eſt*, inquit Hilarius in Hilar.
cap. 16. Matth. Multi malè loquebantur de Chriſto, dicentes illum ſeductorem eſſe, voracem, potatorem vini, imò inſanum, furibundum, dæmoniacũ; cùm non deeſſent tamen alij qui erant melioris mentis, exiſtimantes illum eſſe Ioannem Baptiſtam, aut Eliam, &c. Optimè autem Petrus attigit veritatem, ex reuelatione diuina dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Matth. 16, 16.

418. Nota bonam Apoſtolorum indolem, qui interrogati à Chriſto quid de illo homines ſentirent, ſuppreſſis malis quæ à multis de eo dicebantur, tantùm honeſta bonorum iudicia retulerunt. Homines impij & detractores Deo odibiles vanno ſiue *Simile.*
ventilabro ſimiles ſunt, quod dum agitatur, paleas & ſordes eijcit, retento optimo tritico apud ſe: eodem modo ſi incidit ſermo, & diſcuſſio inſtituitur de aliquo abſente, calumniator, ſuppreſſis bonis, ſi quæ in proximo mala notauit, illa profert. Boni autem *Simile.*
& iuſti, inſtar cribri aut coli, quod

Digitized by Google

retentis furfuribus & groſſiori frumenti materia, pollem farinæ emittit, Phil. 4,8. *quæcumque ſunt vera; quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua laus diſciplinæ*, hæc commemorant: & his proximi ſui nomen & honorem accumulant, quando de eo incidit ſermo.

419. Notandum autem eſt, quòd Prou. 18,17. *iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui:* qui ſtudioſiſſimè bona ſua celat, dicens cum Propheta, Iſa. 24, 16. *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi*; mala autem humiliter prodit. Itaque qui proximo eſt colum ſiue cribrum, ſibi eſt vannus aut ventilabrum, præſertim in confeſſione, qua ſe ſubijcit clauibus & auctoritati Petri ac ſucceſſorum eius, plus ſæpè proficiens per pœnitentiam, quàm defecerat per culpam. Non tamen facienda ſunt mala vt eueniant bona: licet Deo miſericorditer diſponente diligentibus eum, etiam peccata ſubinde cooperentur in bonum, adeò vt eorum occaſione pœnitentes fortiores & humiliores ſubinde reſurgant. Qua de re conſule *Tract.* III. *Diſc.* VIII.

IN FESTO SANCTI MATTHIÆ.

Matth. 11,25. 420. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Quando quis deſiderat aliquod ſecretum à paucis ſciri, non niſi grauioribus illud pandit, affectans abſentiam paruulorum aut abiectorum: ſi verò velit famam volare per omnium aures, cum humilioribus ſermocinatur. Voluit Deus, vt quæ de ore ſuo procedebant, omnibus nota fierent, ideò paruulis ea reuelat. Ex quo collegit Chriſtus Dominus, quòd 1. Tim. 2,4. *vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Hinc gratias illi agens ait: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti*, &c. Matth. 11,25. Hunc modum agendi imitatus eſt ipſe Chriſtus, qui poſt receſſum Scribarum & Phariſæorum ſæpè gregarijs & plebeis magna aperuit. Deinde eſt amicitiæ & beneuolentiæ nota, fiducialiter negotia magni ponderis alicui concredere. vnde Deus in veteri Teſtamento dixit: *Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum?* Gen. 18,17. Ac ſi dicat, Amor & familiaritas mea non fert, vt amicum mihi tam charum celem ſecretum conſilij mei. Et Filius Dei in Euangelio, *Vos autem dixi amicos*, inquit, *quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Ioan. 15,15. Hoc non eſt intelligendum de omnibus ſimpliciter & abſolutè, vt benè notat Lyranus noſter (non enim Apoſtoli Lyran. habuerunt, imò nec habere potuerunt tantam ſcientiæ plenitudinem, quantam Chriſtus habuit) ſed intelligendum eſt de omnibus ad ſtatum ſuum & Eccleſię neceſſitatem pertinentibus. Fuit hoc magnum amoris & honoris argumentum: quo ſignificatur, quòd humiles Dei amicitia digni cenſeantur, quibus ſecreta reuelantur, ſecundùm illud Sapientis: *Cauſam tuam* Prou. 25,9. *tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reueles.*

421. Ceterùm Chriſtus agit gratias, quòd paruulis à Patre myſteria reuelata ſint, quos & ipſe ſibi aſciuit in diſcipulos. Horrebat enim præ ceteris peccatoribus ſuperbos. Hæc eſt miſeria Regum & Principum huius mundi, quòd non modò qui mollibus veſtiuntur in eorum verſentur aulis, ſed quia (vt dicit Tympius in Speculo boni Magiſtratus, ſigno 66.)

Maxima quæque domus ſeruis eſt plena ſuperbis.

Vnde

Vnde Sigiſmundus Reges & Principes beatos eſſe aiebat, ſi excluſis ſuperbis, manſuetudinis & humanitatis cultores in Curiam aſciſcerent, vt refert Æneas Siluius l. 2. de Alphonſo. Aeneas Siluius. Hine Dauid ſuperbis ſpem domeſtici conuictus præcludens,aiebat: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam.* Pſalm. 100,7. Sciebat vir ſapiens, quòd Principes miniſtrorum perperàm geſtis infamantur, præſertim ſi in medio domus eius quaſi in honore habeantur. Nam qui vilioris ſunt functionis, tamquam obſcuri & ignoti, non tam citò claritatem bonæ famæ, qua Princeps præditus eſt, obfuſcant. Simile. Vt enim in corpore naturali caput ex malis humoribus non ſtatim grauatur, licet pes aut alia remotiora membra malè affecta fuerint, nō poteſt tamen non laborare, ſi cor, pulmo aut ſtomachus malè habeat, eò quòd inter caput & principaliores corporis partes, quæ medium locum in ipſo obtinent, ſit maior quædam mutua communicatio: ita inter Principes & eos quos fouent & honorant, eſt boni & mali nominis mutua quædam participatio.

Haym. 422. Notat Haymon, quòd in domo Dei ſupportentur quidem mali, verumtamen non ſint in medio: id eſt Deus non exhibet ſe familiarem, nec communicat cum illis ſua ſecreta aut fidei myſteria: *quia abominatio eſt Domino omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* Prou. 3,32. Ianſenius vocat illuſores, quibus, cùm improbi ſint, proſperè atque ex animi ſententia omnia cedunt. *Qui in labore hominum non ſunt, neque cum hominibus flagellabuntur, ideò tenuit eos ſuperbia.* Pſalm. 72,5. Idcircò autem illuſores cenſendi ſunt, quia alios qui illorum fortunam contemplantur, facilè ſeducunt; cùm tamen, Auguſt. vt ait Auguſtinus in Pſalm. 68. quem hîc citat Zalazar, *ipſa quæ in rebus humanis felicitas appellatur, plus timenda eſt quàm miſeria.* Hi ſuperbi illuſores Deo abominabiles ſunt, quibus abſcondit quæ paruulis & ſimplicibus reuelat.

423. Porrò non debet mirum videri, quòd non tantùm non reueler, ſed etiam abſcondat myſteria ſua à ſapientibus & prudentibus, id eſt ſuperbis: quia ab illis tamquam mendax contemneretur increata veritas, non enim crederent affirmanti. vnde Chriſtus ait: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Ioan. 5.44. Verè non benè conueniunt, nec in vna ſede morantur, aut morari poſſunt, fides viua, & ſtulta ambitio. Nam fides humiliat, ambitio inflat. Nota, quòd ſuperbi Iudæi exiſtimabant ſe paſſuros magnam ſuæ exiſtimationis iacturam, ſi à Chriſto diſcerent, & eius fierent diſcipuli, quem conſtabat numquam litteras didiciſſe. Eligebant igitur potiùs non credere. Adde, quòd malè erant affecti Chriſto, qui omnem damnabat iactantiam: inordinatus autem affectus & animi paſſiones ſæpè excæcant mentem, ne veritatem noſcat intellectus, aut ſi conuictus eſt, non patitur ambitio vt ſe victum profiteatur. Hinc fit etiam in ſcholis noſtris, quòd vix vmquam oppugnans profiteri velit ſibi in propoſita & diu ventilata quæſtione à Præſide diſputationis ſatisfactum eſſe. Similes igitur videntur ſuperbi Iudæi ijs qui in duello malunt mori, quàm humiliando conſortem pugnæ fortiorem profiteri, & vitam illi acceptam ferre. Simile.

424. Superbi ægerrimè recedunt à ſententia & opinione qua ſemel ſe imbutos declararunt. Non ignorabat hoc Thomas Morus, qui ad matura

 con-

conſilia miniſtros Parlamenti (cui Cancellarius præerat) ſemper hortabatur. Ne autem leuiter ſententia ferretur, cauſâ non ſatis diſcuſsâ, indicabat, quo die primum quid propoſitum erat, nihil fore diſputandum, ſed in proximum conuentum eſſe differendum, ne quis minùs deliberatè, impulſu fortè loquacitatis temerè aliquid effutiret: quod licet poſteà abſurdum eſſe reprehendiſſet, laboraret in excogitando quibus medijs quod elapſum fuerat tueretur, malens iuſtitiæ quàm exiſtimationis ſuæ iacturam pati, & notam, ſi priùs probata improbaret, imprudentiæ incurrere.

425. Egit igitur Chriſtus gratias, quòd Pater abſconderit myſteria ſua à ſapientibus & ſuperbis, qui noluiſſent intellectum captiuare in obſequium fidei, recedentes à ſua præconcepta ſententia, licet contraria teſtimonijs Dei quæ credibilia facta ſunt nimis. Non eſt quidem ſuperbiæ proprium, fidei aditum præcludere, cùm quidam etiam in alijs vitijs intricati æternita-
Auguſt. tem pœnarum inferni negarint, *vt ſuis perditis moribus hanc promitterent impunitatem*, inquit Auguſtinus l. 21. de Ciuitate Dei cap. 18. vnde monet Apoſtolus, ne quis conſcientiam neg-
1.Tim. ligat, *quam quidam repellentes*, inquit,
1, 19. *naufragauerunt à fide*. Præ ceteris autem peccatis ſuperbia fidei inimica
Gregor. eſt. vnde Gregorius lib. 23. Moral. cap. 16. ait: *Obſtaculum veritatis tumor mentis eſt, quia dum inflat, obnubilat.*
S. Tho. Superbus enim, vt docet S. Thomas 2.2.q.162.a.3.ad 1. neque Deo intellectum ſuum ſubijcit, vt ab eo veritatis cognitionem percipiat, neque ab homine addiſcere dignatur: qui enim diſcit, ſe magiſtro ſuo inferiorem agnoſcere debet, quatenus magiſter eſt. Hinc fit quòd Prælatus ſuo ſubdito, imò Epiſcopus humili Clerico in ſchola, dum actu docet, cathedram eminentiorem cedat.

426. Ceterùm ſicut Deus à ſuper- *Simile.*
bis contemnitur, ita *ab humilibus hono-* Eccli.
ratur, per quos clariùs conſtat, *quo-* 3,21.
niam magna potentia Dei ſolius eſt. Nemo miratur ſi leo ſuperet bouem, lupus ouem, aut canis leporem; quæ eſt
ſimilitudo S. Bonauent. Serm. 2. de S.Bo-
S. Matthia: verùm ſi mus felem inua- nauent.
dat, aut ouicula oppugnet & pedibus *Simile.*
ſuis ſubijciat lupum aut leonem, omnes ſuſpicantur occultã aliquam vim agentis altioris ordinis. Chriſtus Dominus, qui nihil magis zelabat quàm Dei honorem, & gloriam Patris, ei gratias agit, quòd bellum paraturus infirma & ignobilia mundi elegerit, vt ſuperba & fortia confundens, nomen ſuum magis magnificaret. Pro continuatione huius materiæ nota, quòd ſuperbi ſtulteſcant, & ſibi graues moleſtias pariant, manſuetis autem cum placida quiete animæ ſalutaris ſapientia præſtò ſit. Conſule hac de re *Tract.* III. *Diſcurſ.* XVII.

IN FESTO ANNVNTIATIONIS BEATÆ MARIÆ.

427. *Ecce ancilla Domini, fiat mi-* Lucæ
hi ſecundùm, &c. Etſi laudabiliter cœ- 1,38.
pit S. Paulus, paratum ſe offerens ad faciendum quidquid Deus ab eo fieri
vellet, dicens: *Domine, quid me vis* Act.9,
facere? tamen Ananiæ ſignificatum eſt, 6.
nobilioris eſſe miniſterij, ſe paratum exhibere ad patiendum ea quæ decre-
uit permittere aut immittere. *Vas ele-* Act. 9,
ctionis eſt mihi iſte, inquit, *vt portet no-* 15.16.
men meum, &c. *ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati*. Nota, oſtendere in Scriptura idem
eſſe quod exhibere, præſtare. *Oſtende-* 1. Reg.
28,15.
mus

mus vobis rem, dixerunt quidam de caſtris Philiſthinorũ ad Ionathan & ar-
3.Reg. migerum eius. *Vade, oſtende te Achab*,
18,1. id eſt exhibe te illi præſentem, dicit
Pſalm. Deus ad Eliam. item: *Oſtendiſti populo*
59,5. *tuo dura, potaſti nos vino compunctio-*
Pſalm. *nis*. item: *Oſtende faciem tuam, & ſalui*
79,4. *erimus. Oſtende nobis Domine miſeri-*
Pſalm. *cordiam tuam, & ſalutare tuum da no-*
84,8. *bis*. Hoc ſenſu ſolemus dicere, Oſtende te virum, Chriſtianum, probum parentem, filium, &c.

418. Oſtendit igitur Chriſtus Paulo non ſolùm præſagiendo mala quæ paſſurus erat, ſed etiam, & quidē præcipuè, multarum tribulationum ſenſum & experientiam illi procurando. Nam ſerui Dei magis eriguntur ab eo ad mala patienda, quàm deſtinentur ad agenda bona. Seruitus enim Dei magis conſiſtit in paſſione quàm in actione, in oneratione quàm in operatione. Non ignorauit hoc Dauid, qui idcircò bis ſe paratum teſtatur, dicens:
Pſalm. *Paratum cor meum Deus, paratum cor*
56,8. *meum: cantabo, & pſalmum dicam*. Repetitio ſignificat magnũ affectum, inquit Lyranus. Indicat igitur ſe paratum ad ſuſtinendum, facit autem mentionem cordis, vt notauit Hugo
Matth. Cardinalis, *quia ſpiritus quidem prom-*
26,41. *ptus eſt, caro autem infirma*. Quia igitur parum eſt, ad agendum eſſe promptum, niſi etiam adſit patiendi omnimoda reſignatio & promptitudo, ideò ſecundò dicit cor ſuum eſſe paratum. Nota, dupliciter dicitur aliquid paratum, nimirum quando aufertur quod diſplicet, & apponitur quod decorat, aut ad meliorem saporem (ſi res
Simile. comeſtibilis eſt) condiat. Expurgatur templum à ſordibus, & poſteà concinnatur picturis, tapetijs & alijs ornamentis. Explumatur & euiſceratur gallina, & poſteà diuerſis condimentis præparatur ad palatum eius cui in menſa apponetur. Eodem modo paſſio hominem expurgat à vitijs, actio verò ornat virtutibus.

429. Verùm præcipua nota veri ſancti ac ſerui Dei oritur ex paſſione, qua (ſi nihil fortè in illo purgandũ eſt) fiat prouiſio in theſauro Eccleſiæ, ex quo per indulgentias & pia ſuffragia ſumitur, vnde emaculentur reliquiæ peccatorum quibus ſordeſcunt pœnitentes obligati ad debitum pœnæ, remiſſa culpa. Eſt hoc ſeruitium Deo acceptiſſimum, & non ſolùm Eccleſiæ militanti opportunum, ſed etiam ipſis Sãctis Dei famulis fructuoſum. Nam Simile.
etſi is qui alium purgat à ſordibus corporis, neceſſariò ſordeſcat, nemo tamen emundat proximi animam, quin ornet ſuam. Porrò qui huiuſmodi eſt, inter præclariores Dei famulos coram Regibus ſtabit, nec erit inter ignobiles. Hinc fit, vt dum aliquis albo ſanctorum à ſummo Pontifice inſcribendus eſt, maior habeatur ratio eorum quæ paſſus eſt, quàm quæ eſt opera-
tus. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei* Eccli.
(ait Sapiens) *ſta in iuſtitia & timore,* 2,1.
& prepara animam tuam ad tentatio-
nem. Non dicit, *Confortate manus diſ-* Iſaiæ
ſolutas, & genua debilia roborate, ad 35,3.
laborandum ſcilicet aut currendum viam, ſed ad patiendum prępara animam tuam. Nullus enim deficiet agendo quod in ſeruitio Dei debet fieri, qui paratus eſt ad portandum quod neceſſe eſt pati. In agendo homo facilè extollitur, qui patiendo humiliatur. *Virtus in infirmitate perficitur*, in actione aliquando periclitatur. Benè
dicit Auguſtinus de Singularit. Cleric. Auguſt.
Vtilius eſt vt infirmus ſe homo cogno-
ſcat, & fortis exiſtat, quam fortis videri velit infirmus, vt emergat.

430. Perfectam ancillæ conditionem

Digitized by Google

nem expreſſit Abraham, dicens vxori:
Gen. 16,6. *Ecce ancilla tua in manu tua eſt, vtere ea vt libet.* Sequitur ſtatim modus quo ancilla dominæ ſuæ ſeruiuit, & in quo
ỳ.7. ipſa illius opera vſa ſit. *Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.* Hic deficit Agar à munere & officio ancillæ, quæ fortè vtcumque parata erat facere quod domina imperaſſet, dicens cum
Act 9, 6. S.Paulo: *Quid me vis facere?* ſed noluit vt ſibi oſtenderetur quid ex reuerentia dominæ ſuæ debitè oportebat ſe pati. Abſolutiſſimum ancillæ Domini exemplum nobis reliquit Maria Virgo, quæ non ſolùm parata erat facere quæ placita ſunt ei, ſed etiam pa-
Lucæ 1,38. ti. Ideo non dicit, *Ecce ancilla Domini,* faciam quod imperabis; ſed, *fiat mihi ſecundùm verbū tuum.* Reſpexit Deus ancillæ ſuæ humilitatē, hac ſua promptitudine manifeſtatam, qua meruit Deo inſpirante & mouente præconijs honorari omnium generationum, ſicut non faciendo, ſed patiendo Paulus meruit vas electionis appellari, ac deportatione nominis Ieſu honorari. Vide hac de re *Tract.* III. *Diſc.* XII.

IN FESTO S. MARCI.

Lucæ 10,3. 431. *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Parum eſt fidendum de
Simile. militis conſtantia, qui vt fortitudinem oſtentet, currit impreſſionem ſibi non demandatam in hoſtem facturus; facilè enim repugnanti cedit, qui antequam mittatur temerè oppugnare præ-
Plutar. ſumit. Refert Plutarchus, quòd Phocion militem acerbè correxerit, quem è ſuis relicto ordine in hoſtes prodire conſpexit, qui veritus cuiuſdam Macedonis armis benè inſtructi occurſum & congreſſum, turpiter retraxit pedem. *Tu,* inquit, *homo ignauiſſime, num bis tam deſerti ordinis pudet? Nam & quem Imperator tibi decreuerat, & quem tu tibi locum delegeras, reliquiſti.* Indicauit, militi in acie ſtandum eſſe, donec imperio Ducis ad facinus aliquod exequendum deſtinetur: ſi autem motu proprio abierit, niſi fortiter egerit, duplici eum infamia meritò notatum iri. Chriſtus mundum & dæmonem oppugnaturus eum ſuperauit per milites ſola obedientia & mittentis auctoritate fortes. *Ecce ego mitto* Lucæ 10,3.
vos, inquit, quia non cucurrerunt cùm non mitterentur, ideò fortiter pedem fixerunt in bello, obſeruantes illud Sapientis: *Si ſpiritus poteſtatem ha-* Eccle. 10,4.
bentis venerit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. Omnes perſecutores Eccleſiæ aguntur ſpiritu habentis poteſtatem, de quo ait Iob: *Non eſt ſuper ter-* Iob 41, 24.
ram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret. Verùm Apoſtoli, qui tamquam agni inter lupos miſſi fuerunt, locum ſibi ad prædicandum deſtinatū non dimiſerunt.

432. Pyrrhus cuidam, cui militum Pyrrh.
conſcriptionem demandauerat, dixiſſe fertur: *Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.* A Deo Patre demandatum eſt Chriſto vt cogeret exercitum & militem, *ſed non in fortitudine equi* Pſalm. 146,10
voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum eſt ei. potiùs *infirma mundi* 1.Cor. 1,27.
elegit Deus, vt confundat fortia. Voluit enim hoc modo mundi ſuperbiam retundere, quem non eſt dignatus honorare militibus aut legatis qui ſecundùm opinionem illius valerent auctoritate aut dignitate. Refert Melchior Melch. de S. Cruce.
de S. Cruce p.5. cap.4. §. 10. quòd ex parte municipij cuiuſdam deſtinatus fuerit vnus ex incolis, vt ſtatum cuiuſdam cauſæ, quæ pendebat in lite, Aduocato ediceret & commendaret. Qui cùm eſſet incultus & abiectus, dedignans ſuperbus Aduocatus viri humilem ſpeciem, dixit: Nullus erat in-

inter vos qui honeſtiori apparatu mitti, ac clariùs negotium exponere poſſet quàm tu? Reſpondit municeps, multis, qui negotiandi cauſa aderant, audientibus: Sapientiores & digniores multi erant, ſed dicebant qui me miſerunt, quòd ego, licet vilis, tibi abundè ſufficerem. Eodem modo non deerant Deo Angeli & Reges, Patriarchæ ac Prophetæ, ſed volens mundi ſuper-
1. Cor. biam reprimere, *quia in Dei ſapientia*
1,21. *non cognouit mundus per ſapientiam Deum; placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Igitur militum delectum committit cæleſtis Pater Filio ſuo: ſed relictis ſtrenuis ſapientibus doctis, voluit eligi infirmos, & vt paſtori victoria attribuatur, cum agnis contra lupos & leones pugnandum eſſe decreuit, ac ſi Pater dixiſſet, Tu debiles & inexpertos
1. Reg. elige, ego eos fortes reddam. verè *ar-*
2,4. *cus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore.*

Lucæ 433. *Cum fortis armatus*, inquit
11,21. Chriſtus, *cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet:* quem non niſi à fortiori putat ſuperari poſſe. vnde
℣. 22. addit, *Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum*, &c. Ex quo ſequitur, agnos, quos Chriſtus contra lupos miſit, aliqua occulta & incognita fortitudine præditos fuiſſe. Pro quo nota, robur Chriſtianæ militiæ in promptitudine obediendi & patiendi ſitum eſſe. Apoſtoli ſemel à Chriſto vocati,
Prou. relictis omnibus ſecuti ſunt eũ. *Vidiſti*
22,29. *virũ velocem in opere ſuo? coram Regibus ſtabit*, &c. Cunctabundos milites ignauos fore iudicabat Myronides dux exercitus aduerſus Bœotios. qui cùm adeſſet congrediendi tempus, Duceſque dilatiunculam ſuaderent, quòd nondum omnes adeſſent, *Adſunt*, inquit, *qui pugnaturi ſunt.* indicans, tardos, qui tempeſtiuè non aderant, ignauos ad pugnandum fore.

434. Mittit igitur agnos contra lupos, vt ſignificet ſe benè de illis fidere propter promptitudinem in obediendo. vnde inferebat, eos inuictos fore in patiendo, ac proinde per tales victoriam ſibi certò promittebat. Nam *vir* Prou.
obediens loquetur victoriã, & melior eſt 21,28.
patiens viro forti, &c. Martyres malos Prou.
per patientiam peremerunt, quando 16,32.
mala ab ipſis illata fortiter tolerarunt. vnde ait Auguſtinus de puero Centurionis, & habetur 23. q. 1. can. Paratus:
Paratus debet eſſe homo iuſtus & pius, Auguſt.
patienter eorum malitiam ſuſtinere, quos fieri bonos quærit, vt potiùs creſcat numerus bonorum, non vt pari malitia ſe quis numero addat malorum. In patiente ipſe Chriſtus patitur, qui ait
per Prophetam: *Qui tangit vos, tangit* Zach.
pupillam oculi mei. vnde dixit: *Saule* 2,8.
Saule, quid me perſequeris? Et Petro Act. 9,
roganti quò iret: *Vado Romam ite-* 4.
rùm crucifigi. Sicut ergo ait, *Ego, cùm* Ioan.
exaltatus fuero à terra, omnia traham 12,32.
ad meipſum; ita quando per patientiam Martyris glorificatur, ipſo agente malus ad meliorem mentem conuertitur. Porrò magna eſt gloria militum Chriſti, qui inſtar ouis quæ ducitur ad victimam obmuteſcunt, & dum

Caduntur gladijs more bidentium,
Non murmur reſonat, non querimonia,

reſpicientes Chriſtum qui *paſſus eſt* 1. Pet.
pro nobis (vt ait Petrus) *vobis relin-* 2,21.
quens exemplum. Vt enim dicit Mira- Mira-
bellius v. Patientia, *Deuotus miles non* bellius.
ſentit ſua, cùm benigni Ducis intuetur vulnera.

435. Teſtatur etiam Liuius lib. 2. Liuius.
dec. 1. honorificum eſſe in bello mori. *Pulchrior eſt miles in prælio caſus,* in-

inquit, *quàm in fuga ſaluus.* Ceteris paribus, illuſtrior eſt Martyr quàm Confeſſor. Ille in prælio cæſus, hic verò (quem fortè martyrium fugit, licet ille ipſum non horruerit) in fuga
Pſ.115. 15. ſaluus migrauit in cælum. Porrò *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* Hîc diſſeri poterit de glorioſa Martyrum fidei confeſſione, quæ ſicut non eſt temerè & ſemper facienda, ita Deum mirabilem in Sanctis ſuis oſtendit, quando quis propria morte eam conſignat. Conſule hac de re *Tract.* v. *Diſcurſ.* VIII.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET IACOBI.

Ioan. 14,1. Simile. 436. *Non turbetur cor veſtrum.* In ſolo paluſtri, aut in vallibus non excitantur terræ motus, nec ſubiacent militaribus infortunijs, quibus ſæpè loca ſuppoſito puluere tormentario per cuniculos ſubterraneos ſubuertuntur: verùm petroſa & arida ac montoſa loca multis concuſſionibus ab interclufo aëre ſubiecta ſunt. Vallis paluſtris eſt
Pſalm. 83,6. humilis pœnitens, qui *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum in loco quem poſuit.* Superbi verò & obſtinati peccatores, terræ montoſæ & ſaxoſæ ſimiles ſunt; qui ſingulis momentis periclitantur, ne à leui ſuperbiæ aura, & inani aëre vanæ gloriæ, quam ſibi incluſam circumferunt, accenſo igne iræ & indignationis diuinæ, euertantur & pereant. vnde meritò terræ
Rom. 2,9.10. motu & tremore concutiuntur. *Tribulatio & anguſtia,* inquit Paulus, *in omnem animam hominis operantis malum. Gloria autem, & honor, & pax, homini operanti bonum.* Humilis pace conſciẽtiæ & ſpe vitæ æternæ gaudet; qui ſolo Deo contentus dicere poteſt cum Phi-
Ioan. 14.8.9. Simile. lippo: *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Paruuli præ deſiderio materni pectoris, ex quo lac concupiſcunt, ſubinde quidem gemunt & plorant, attamen nullo concutiuntur metu priuationis eius. Eodem modo humiles cum Dauide clamant: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita deſiderat anima mea ad Deum fortem viuum:* non tamen permittit Chriſtus vt inordinato metu concutiantur, quaſi poſt hanc vitam carentia viſionis beatificæ cruciandi eſſent. Pſalm. 41,2.
Hinc ait: *Non turbetur cor veſtrum.* Ioan.
& infrà: *In domo Patris mei manſiones* 14,1.2.
multæ ſunt. Hîc agere poteris de humilium, qui non diligunt vanitatem huius mundi, nec quærunt mendacium, ſed ſolo Deo contenti ſunt, ſecuritate & ſpe conſequendæ ſalutis. Qua de re lege quæ habentur *Tractatu* III. *Diſcurſ.* XX.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

437. *Hic venit ad Ieſum nocte.* Ad Ioan.
perfectam fidem requiritur, vt corde 3,2.
credamus & ore confiteamur. Refert Ioannes, quòd *ex principibus multi* Ioan.
crediderunt, ſed propter Phariſæos non 12,42.
confitebantur. Fundamentum huius defectus aſſignans, ait: *Dilexerunt* ỳ.43.
enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Plures ſunt fide Chriſtiani, ſed externa profeſſione Ethnici potiùs dicendi ſunt, quotquot nimia temporalium vanitate tenentur. vnde Chriſtus veſtimentorum ſuperfluam ſollicitudinem damnans, ait: *Hæc enim* Matth.
omnia gentes inquirunt. Porrò notan- 6,32.
dum eſt, quòd hi non culpentur à Chriſto, quòd gloriam aut boni nominis exiſtimationem apud homines affectarent, dixit enim, *Sic luceat lux* Matth.
veſtra, vt videant, &c. ſed vitupera- 5,16.
bantur quòd illam venarentur medijs illi-

Digitized by Google

illicitis & indebitis modis: non enim ex ſolidis virtutibus, quibus debetur honor & gloria, ſed ex vana ſua oſtentatione volebant magni apparere. Deinde taxantur quòd plus dilexerint gloriam hominum quàm Dei. Pro quo notandum, quòd ſi humana gloria, & honor Chriſti, quem promouemus portando crucem, & patiendo perſecutionem propter iuſtitiam, in tam ancipiti diſcrimine proponantur, vt illa ſit eligenda, hic verò repudiandus, incunctanter eligenda eſt gloria Chriſti, & potiùs hîc eſt crux & ignominia, quàm vana gloria mundi. Gloriam hominum appellat claram opinionem, quam homines de aliquo habent, gloriam autem Dei, bonam exiſtimationem quam ipſe Deus habet de homine. quia igitur iſti principes pluris fecerunt apud homines magnificari quàm apud Deum, quod inde patet, quia verebantur confiteri fidem quam corde tenebant, ne eijcerentur à Synagoga, verè magis dilexerunt hominum quàm Dei gloriam. Ita hunc locum exponit Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 19. vbi etiam oſtendit Apoſtolorum contraria ſtudia, qui gaudebant quòd pro nomine Ieſu digni eſſent contumeliam pati.

August.

438. Res deploranda eſt, quòd homines tam impetuosè inhient vanæ gloriæ huius mundi, cùm verum ſit quod dicitur: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri*. Et paulò pòſt: *Verè fœnum eſt populus*. Multi gloria mundi tamquam floribus agri circumdati, vanitatibus & pompis huius ſæculi fœnum contegunt, & ita eum inuitant ad ſe deuorandum, de quo ait Iob: *Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet*. Refert Auctor Siluæ Hiſpanicæ rem verè ridiculam, huic propoſito non importunam. Extraneus quidam, inquit, omnibus ſe notabilem reddiderat per galerum ſtramineum inſolitæ magnitudinis. Acceſſit vnus ad illum, Palma nomine, Clericus Eccleſiæ Toletanæ, & rogauit: Anne fretus es ſubſidio alicuiùs fidelis amici? Quorſum? inquit alter. Reſpondit Clericus: Vt defendat à beſtiarum impetu, quatenus dum ſtramen intentant vorare quo tegeris, ſine læſione tui id faciant. Vanæ huius ſæculi nihil aliud nocte & die ſomniare videntur, quàm vt media inueniant, & nouos adinueniant flores gloriæ mundi, quibus ad ſe omnium oculos conuertant. Sed meritò ſollicitæ eſſe deberent, vt habeant in comitatu fidelem amicum qui abarceat Behemoth, qui putat ſe inuitari, vt fœnum, quod ſub floribus vanitatis contectum latet, deuoret. Tempore S. Petri tamquam leo rugiens circuibat, quærens quem deuoret, nunc verò vbique impingit vltrò in fœnum à ſe depaſcendum.

Iſaiæ 40,6.7.
Iob 40, 10.
Silua Hiſpan.
Simile.
1. Pet. 5.

439. Verè temporibus iſtis *mundus totus in maligno poſitus eſt*. Solent pagi & villæ crebrioribus infeſtari incendijs, eò quòd plerumque horrea fœno & ſtramine impleta, tecta etiam fabricata ſint non ex lapidibus, ſed ex paleis & alijs materijs quæ ſunt facillimæ combuſtionis. Hinc fit quòd in ciuitatibus, in quibus viget bona politia, publico edicto cautum eſſe ſoleat, ne huiuſmodi domus erigãtur aut erectæ reſtaurentur. Non eſt aliud hoc corrupto ſæculo videre, quàm fœnum & flores vanitatum mundanarum; vnde nemini mirum videri debet, ſi hæc combuſtilia citò flammas malarum concupiſcentiarum concipiant, & conceptas vicinis citiùs communicent.

1. Ioan. 5,19.
Simile.

440. Porrò vbi regnat inordinatus ille mundanæ gloriæ appetitus, ibi

ſine dubio eſt fidei defectus, quam ramen nobis commendans Paulus ait, ignem, qui non ſine damno Eccleſiæ accenditur, per eam debere extingui, dicens: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Ex paruo errore in principio, magnus in reliquis ſubſequentibus opificij partibus ſequi ſolet. Ex fundamento malè iacto tota ſupererecta fabrica corruat neceſſe eſt. Fides eſt principium & fundamentum ſalutis, cui ſi aliquid ad ſui integritatem requiſitum defuerit, facilè totum corruet. vnde qui vitam piè & ſanctè voluerit concludere, ſollicitè curare debet ne fidei ſuæ aliquid deſit. Eradicandus igitur eſt affectus gloriæ quæ eſt ab hominibus, & ſimplici intentione pro ea quæ à Deo eſt, totis neruis conari debet, qui Christi diſcipulus eſſe voluerit. In fidei confeſſione defecit Nicodemus, qui timens exiſtimationi ſuæ aliquam iacturam, venit ad Ieſum nocte. Hîc datur occaſio diſſerendi de fidei perfectione & eiuſdem confeſſione, in qua Maria, dum in Apoſtolis deficeret tempore paſſionis, ſe fortem exhibuit, quæ infirmos in fide ad ſe confugientes conſolidare ſolet. Hac de re materiam habes *Tract.* v. *Diſcurſ.* iv.

Epheſ. 6,16.

Simile.

IN FESTO S. IOANNIS BAPTISTÆ.

441. *Erit magnus coram Domino.* Poſſunt homines paruum & vilem quidem exaltare, non tamen verè magnificare, magnum deprimere, ſed non minuere. vnde Nabuchodonoſor, teſte Daniele, *& quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat.* Nemo poteſt propriæ ſtaturæ latum vnguem addere. Nouit hoc Zachæus, qui *quærebat videre Ieſum quis eſſet; & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum.* Non maior factus, ſed puſillus vt priùs, in altiori loco ſolùm erat conſtitutus. voluit Chriſtus, vt omnes homines hîc deſpondeant animo. *Quis autem veſtrûm,* inquit, *cogitando poteſt adycere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* Creſcit quidem homo, ſed (vt notat Chryſoſtomus Homil. 22. in Matth.) *non augetur per ſolum alimentum, ſed prouiſione diuina.* vnde etiam ait Euſebius: *Nullus ſua cura corporea ingenatus eſt ſibi ſtaturam, ſed neque vitæ poteſt aliquis vel breuiſſimum tempus hora excogitando adycere.* Cùm igitur nemo ſe & multò minùs alium maiorem efficere valeat, ita vt ſit magnus ſecundùm corpus in oculis hominum; ſequitur fruſtrà eos laborare, qui alium verè excellentem reddere conantur, adeò vt ſit magnus coram Domino, ſicut fuit Ioannes Baptiſta. Soli Deo hoc relinquitur, qui non tantùm quos vult exaltat, ſed etiam verè magnificat.

Lucæ 1,15.

Dan. 5, 19.

Lucæ 19. 3 4.

Lucæ 12, 25.

Chryſoſt.

Euſeb.

442. Hîc notanda & taxanda occurrit ſtulta mundanorum hominum ſollicitudo, quos ſola hæc cura tenet, vt ſint magni coram hominibus, qui putant ſe pro talibus habendos eſſe, ſi poſſint apparere. Eſt ridicula & monſtroſa magnitudo, quæ non prouenit corporibus à principio intrinſeco per accretionem, ſed ex adiectitijs medijs. videbis ſubinde domicellæ Hiſpanicæ caput monſtroſè paruum, & brachia ac manus altitudini eius ita diſproportionata eſſe, vt meritò intuentibus ſit riſui, adeò vt ſe non magnam, ſed altam quidem ac proinde monſtroſam exhibeat miniſterio crepidarum & calceorum. Simile quid videre eſt in viro, qui ſolet in publicis Proceſſioni-

Simile.

Simile.

bus

Digitized by Google

bus S.Chriſtophorum intuentibus re-
præſentare, in quo omnes clarè intel-
ligunt, altitudinem illam non ab in-
terno incremento reſultare, ſed à qui-
buſdam ſuppedaneis grallis & ligneis
perticis cauſatam eſſe. In hunc mo-
dum multi ſunt, qui ſe fœdos & ridi-
culos reddunt, dum ſuperba quadam
monſtroſitate paruam & abiectam
ſuam conditionem externâ pompâ ve-
ſtimentorum ita erigunt, vt omnibus
intuentibus falſam & mentitā quam-
dam excellentiam præ ſe ferre cen-
ſeantur. Fœda hæc diſcrepantia vilis
conditionis & magni apparatus nota-
tur, & acerbè vituperatur ſymbolicè
Iſaiæ in Moab, de quo ait Propheta: *Audi-*
16,6. *uimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt*
valdè: ſuperbia eius & arrogantia eius,
& indignatio eius, pluſquam fortitudo
eius. Eſt enim modus ſuperbi (inquit
Lyran. Lyranus noſter) plus æſtimare de ſe
quàm ſit in veritate; & non conſidera-
re quid poſſit & quid liceat, ſed quid
libeat.

Iob 36, 443. Nota, *Deus potentes non abij-*
5. *cit* (inquit Iob) *cùm & ipſe ſit potens.*
vnde omnes Magnates eſſe debēt quos
ad cælum admitter, vt patet ex eo, quòd
poſtquam Chriſtus Ioannis Baptiſtæ
excellentiam canonizauerat, dicens,
Matth. *Amen dico vobis, non ſurrexit inter na-*
11, 11. *tos mulierum maior Ioanne Baptiſta,*
ſtatim ſubiunxerit: *Qui autem minor*
eſt in regno cælorum, maior eſt illo. Nec
ſufficit ei quæcumque vmbratilis &
apparens magnitudo, quæ conſurgere
ſolet ſecundùm hominum opinionem
ex rebus adiectitijs, ſed vult vt ſint
magni vera ac reali magnitudine quæ
oritur ex internis principijs & dotibus
animæ. Acceſſerunt olim diſcipuli ad
Matth. Ieſum, dicentes: *Quis putas maior eſt*
18,1.2.3 *in regno cælorum? Et aduocans Ieſus*
paruulum, ſtatuit eum in medio eorum,
& dixit: Amen dico vobis, niſi co-n-
uerſi fueritis, &c. Paruulum poni in
exemplum, non quòd potentes & ma-
gnos abijciat, ſed vt naturam veræ
magnitudinis edoceat. Creſcunt enim Simile.
paruuli, & fiunt magni intus natura
operante, non foris artifice media ex-
cogitante, quibus in ſublime erigan-
tur. Eodem modo vult Deus, vt ſui per
internam gratiam, quæ humilibus da-
tur, ad veram magnitudinem conſur-
gant. Porrò *Deus ſuperbis reſiſtit, hu-* Iac. 4,
milibus autem dat gratiam. qua magni 6.
effecti in cælo collocantur ab eo *qui* Iob 5,
ponit humiles in ſublime. Hîc datur oc- 11.
caſio plura diſſerendi de vera & reali,
ac falſa & apparenti magnitudine. qua
de re ſparſim materiam inuenies
Tract. III. *Diſcurſ.* XIII.

IN FESTO SS. PETRI ET PAVLI.

444. *Tibi dabo claues regni cælo-* Matth.
rum, & quodcumque ſolueris ſuper ter- 16,19.
ram, erit ſolutum & in cælis. Ordina-
tione diuina cautum, vt *omnis anima*
poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Rom. 13,1.
Loquitur hîc Paulus præcipuè qui-
dem de poteſtate ſæculari. Non vult
autem hoc præcepto omnem prorſus
hominem ſine vllo delectu aut exce-
ptione debere ſe ordinationi & ſæcu-
lari poteſtati ſubijcere, vt peruersè ali-
qui ſentiunt, contra Pontificum & ſta-
tus Eccleſiaſtici immunitatē (ſic enim
hoc præceptum etiam ipſos Reges &
Principes, qui ſoli gratiæ Dei regni
gubernacula accepta ferunt) inuolue-
rentur: ſed eſt accommoda diſtribu-
tio, vt hîc notauit Eſtius, qua præcipi- Eſtius.
tur, vt omnes fideles ijs tamquam ſu-
perioribus deferant, ſub quibus con-
ſtituti ſunt. Magna eſt poteſtas ſæcula-
ris, de qua hîc loquitur Paulus, vt pro-
bat Auguſtinus Epiſt. 54. ad Macedo-

nium, & patet ex contextu ſermonis, quandoquidem ibidem mentionem facit gladij ac tributorum: maior eſt autem Eccleſiaſtica auctoritas, cui omnes omnino homines, cuiuſcumque ſtatus aut conditionis, ſe ſubijcere debent, ſi beneficio clauium, quæ Petro & ſuis ſucceſſoribus traditæ ſunt, ac priuilegio immunitatis gaudere & à peccatis abſolui velint.

445. Tam generalis eſt hæc Eccleſiaſtica poteſtas, vt etiam ipſe ſummus Pontifex, qui vniuerſæ Eccleſiæ præeſt, illam in altero agnoſcere debeat, cui in foro conſcientiæ ſe ſubijcit, toties quoties abſolutionis beneficium ei à Confeſſario impenditur. Quidquid enim ſit de indulgentijs quæ ordinantur ad relaxationem pœnæ peccatis debitæ, certum eſt *quòd omnes peccauerunt, & egent gloria Dei* qui vt ab humilibus honorentur, neceſſe eſt vt in confeſſione Presbytero humilient animam ſuam, vſque adeò, quòd nec ipſe Pontifex, multò minùs alius Sacerdos (cùm nemo ſit iudex in propria cauſa) per claues regni cælorum ſibi abſolutionem impendere valeat à peccatis. Monaſteria, præſertim Ordinis S. Fráciſci, non poſſunt aperiri niſi ab ijs qui intus ſunt, cùm oſtia deforis ſeris careant: vnde Prælatus licet totius Monaſterij claues penes ſe habeat, extra ſepta illius conſtitutus, intromitti debet, nec ei prælatura ſuffragatur, quin à ſuo ſubdito dependeat. Itaque pulſare poteſt, verùm ſibi reſerare portas, non item. Maior eſt ſuperioris à ſuo ſubdito dependentia, cui ſe ſubijcit, dum illi confitetur in iuriſdictione ſpirituali. Nam portarius pulſanti ſine vllo prævio examine aperit portas; Confeſſarius verò ipſo facto fit iudex eius qui ab illo petit ſibi aperiri, qui quod ligauerit ſuper terram, erit ligatum, & quodcumque ſoluerit ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Occaſione huius auctoritatis Petro & ſucceſſoribus eius traditæ diſſeri poterit de vtilitate frequentis confeſſionis, qua peccatores ſe humiliantes à peccatis ſecuriùs emaculantur, & citiùs poſt mortem relaxantur à pœnis purgatorijs, Deo cum illis miſericorditer agente. Qua de re inuenies materiam accommodatu facilem *Tract.* III. *Diſcurſ.* XXXI.

Rom. 3, 23.

Simile.

Simile.

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ.

446. *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Hîc datur occaſio agendi de fide B. Mariæ virginis, quam per dilectionem feruenter operata eſt, ideòque meritò Eliſabeth eam beatificauit. Fides enim illorum qui charitatem non habent, mortua eſt, quam Anſelmus etiam vocat fidem dæmonum, non Chriſtianorum. In hoc tamen differt, quòd illi credunt & contremiſcunt, hi verò in fide ſua mortua ita acquieſcunt, quaſi per illam ius habeant ad vitam æternam. Corpus mortuum verum eſt corpus, ſic fides ſine operibus fides eſt (quidquid contradicat Caluinus) ſed exſanguis & otioſa. Aqua ſtagnans vera eſt aqua, ſed mortua appellatur, quia motu caret, qui in viuentibus eſt index & effectus vitæ. Sic virtutes, maximè autem fides ſine charitate, quæ mouet hominem ad operãdum, mortua eſt. Nota, quòd aqua ſtagnans abluat ſaltem ſordes, & incẽdium extinguat quod fortè alibi exortum eſt; verùm fides mortua nihil horum præſtat. Dicitur quidem, quòd Deus fide purificauerit corda gentium. Paulus etiam monet Epheſios vt ſtarent præcincti *in omnibus, ſumentes ſcu-*

Lucæ 1, 45.

Anſel.

Simile.

Act. 15, 9.

Digitized by Google

Epheſ. 6,16. *ſcutum fidei, in quo*, inquit, *poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* ſed hæc de fide charitate formata ſunt intelligenda. Nam vbi vera fides in ſuo debito vigore eſt, ibi vix per momentum remanent ſordes in anima; & ſi ignis concupiſcentiæ accenſus ſit ab eo qui halitu ſuo prunas ardere facit, ſtatim viua fides mouet & excitat vt exſtinguatur: quorum autem fides mortua eſt, ſordidi ſordeſcunt adhuc, & in maligno tamquam mortui immobiles manent. vnde Chryſoſtomus in 1. Timoth. 5. dicit: *Viuentes non in eo tantùm à mortuis differunt, quòd ſolem & aërem vident, ſed eo quòd boni aliquid faciunt; niſi enim id adſit viuentibus, nihil defunctis meliores ſunt.* De excellenti & viuaciſſima fide B. Virginis, ac ſtulta illorum otioſa fide, qui per illam ſibi ſalutem promittunt ſine operibus, conſule quæ habentur *Tractatu* v. *Diſc.* 1.

Chryſoſtom.

IN FESTO B. MARIÆ MAGDALENÆ.

Lucæ 7,37. 447. *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Diuerſa eſt Doctorum opinio de modo & ſenſu quo hæc mulier peccatrix vocatur. Sunt qui exiſtimant illam fuiſſe meretricem, inter quos Chryſoſtomus Hom. 62. ad populum, ac proinde Chriſtum ad illam reſpexiſſe, quando ait: *Meretrices & publicani præcedent vos in regno Dei.* Idem ſentit Caietanus, qui notat, quòd genus peccati non explicetur, ſed quia abſolutè peccatrix dicta eſt, putat peccata carnis intelligi debere. Alij negant non ſine apparentibus fundamentis: non enim eſt veriſimile, quòd mulier aliàs nobiliſſima, & ex honeſta domo oriunda, ac diues valdè, ſe tamquam meretricem proſtitueret: nec eſt probabile, quòd Lazarus & Martha paſſi fuiſſent ſororem infami vitio deturpari. Quod autem maximè mouet ad mitiùs ſentiendum de Magdalena, eſt, quòd vna fuerit ex mulieribus quæ à Galilæa ſecutæ ſunt Chriſtum. Item ipſa familiariùs cum eo conuerſabatur, miniſtrans illi de facultatibus ſuis. Non eſt autem veriſimile, etſi Chriſtus venerit peccatores ſaluos facere, vt ad ſuam familiaritatem admitteret feminam, quæ paulò antè fuerat impudica; præberet enim Phariſæis calumniandi anſam. Sine dubio ſi fuiſſet meretrix, quandoquidem frequentiùs illam ſua viſitatione honorabat quàm publicanos & alios peccatores, taxaſſent illum etiam meretriciæ neceſſitudinis, quando carpebant propter conuictum & familiaritatem cum publicanis & alijs hominibus obſcuri nominis, dicentes: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* item: *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Vix enim mali homines vmquam benè interpretantur talem familiaritatem, licet ex mero animarum zelo eam Sancti ſubinde admittant. Adde, quòd ſaltem poſt illius conuerſionem non erat illa conuerſatio neceſſaria, ergo prudenter potuiſſet Chriſtus ad euitandum ſcandalum eam declinare. Quàm enim fuerint meretrices abominabiles, vel ex eo conſtat, quod Philo refert lib. 2. de Mundo, quem citat Tufo in cap. 9. Eccleſiaſtici. *Meretricem*, inquit, *ne aſpicere libeat Sacerdoti, etiamſi quæſtu relicto ad frugem redijt, eò quòd olim pollutum vitæ inſtitutum ſecuta eſt.*

Chryſoſtom. Caiet. Matth. 27. Lucæ 15,2. Matth. 11,19. Tuſo.

448. Probabile omnino videtur, Magdalenam non fuiſſe meretricem corpore, nec fuiſſe habitam pro tali: peccatricem autem fuiſſe in oculis

Dei,

Dei, certum, eſt, quia ſuis vanitati-
Prou. 7,10. bus & continuis leuitatibus, *& ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula & vaga* inſidiabatur animabus Sanguine Agni, qui occiſus
Tolet. eſt ab origine mundi, redimendis. Toletus annot. 61. in cap. 7. Luc. refert quorumdam opinionem, qui exiſtimant illam peccatricis nomine cenſeri, quia erat noti exempli, non tam impudicitiæ, quàm licentiæ nimiæ, ex qua ſilia honeſta dedecori eſſe ſolet ſaltem apud probos, licet de impudicitia non taxetur. Peioris fortè conditionis eſt apud Deum vna, quæ, ſeruata corporis integritate, animas & corda omnium occurrentium ſollicitat ſuis ineptijs, quàm quæ per lapſum carnis actu tranſeuntem peccãdo om-
Eccli. 9,8. nibus vileſcit. Hinc Sapiens ait: *Auerte faciem tuam à muliere compta*, &c.
ꝟ. 9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Minus eſſe damnum à publica meretrice, quàm ab illa, quæ licet non ſit, tamen ornatu & geſticulationibus meretricijs, ac continua blanditie verborum & amatoria neceſſitudine ſollicitat corda eorum cum quibus agit, hoc inde videtur, quòd
Prou. 7,10. vbi communis lectio habet, *præparata ad capiendas animas*, LXX. legunt, *quæ*
Simile. *facit iuuenum volare corda*. Plus nocet ignis qui occulto infoſſo puluere ex cuniculis ſubterraneis erumpit, quàm qui vomitur ex tormentis bellicis. Ex hoc fortè vnus aut alter occiditur, per illum verò centum facilè in aërem volare coguntur. Fornicator conſummata illicita copula, parum poſteà de meretrice cogitat, ſemel per peccatum occiſus: ſi verò mundana ſui copiam negans, ornatu meretricio aliquem irretiuit ſermonibus ac nimijs blanditijs, millies fortè mouebit & auolare faciet cor eius à Deo. Ex quo ſequitur, quòd minus eſſet peccatum, vt aliquis ex Patribus contemplatiuis indicat, ſi actu ſemel conſummarent & finem imponerent inordinato affectui, quàm quod continuis amatorijs prouocationibus ignem non modò foueant, ſed indies accendant magis.

449. Minùs mouet ſaltem abſentes vera meretrix corpore, quàm quę cùm non ſit, tamen vt talis habitu & geſtu apparet: nam illa apertè, hæc verò occultè ſtruit ignem. Tenaciùs hærent & efficaciùs inflammant verba & alia amoris incentiua quæ texit corpore caſta, quàm quæ protulit impudica.
Siquidem *omnis mulier fornicaria* Eccli.
quaſi ſtercus in via conculcatur. Vana 9,10.
verò, ſed eatenus caſta, quòd ſui copiam non faciat, ab omnibus honoratur. Talem fuiſſe Magdalenam, quales eſt hoc tempore vbique cum proborum & ſanctorum lamento videre, quæ ſcilicet honeſtæ habentur à vanis & mundanis, licet ſuis ineptijs animabus multum obſint, ex eo probabiliter conuincitur, quòd Chriſtus, vt dictum eſt, non legatur paſſus obloquium nec Apoſtoli eius, propter illius ſocietatem & frequentem familiaritatem. Non infirmatur hæc opinio, quòd Phariſæus murmurans di-
xit intra ſe: *Hic ſi eſſet Propheta*, &c. Lucæ
quia peccatrix eſt: imò fortè ex parte 7,39.
eam confirmat. Cùm enim maleuoli, quod alteri infame eſt, potiùs exaggerare ſolent quàm honeſto nomine extenuare; cur non dixit, quia meretrix eſt? peccatricem autem vocat, quia vana, leuis, inuerecunda. Phariſæus autem vnus ex illis erat, qui exteriori modeſtia & hypocriſi ſe ceteris ſanctiores iactabant, ac proinde (ſicut etiam hodie viri qui non modò apparent, ſed verè pij ſunt, ſæculi diſſolutiones

lutiones damnant) leues & pompaticas nimis non ſuſpiciebat (vt fieri ſolet) ſed tamquam peccatrices vituperabat.

450. In hoc igitur iudicium eius non aberrabat à vero, quòd exiſtimauit in mundi vanitatibus non deeſſe peccatum, licet emendatam (vt clarè probabant lacrymæ, crines neglecti, vnguenta & oſcula pedibus infixa) iam pœnitentis nomine honorare, non ampliùs peccatricis opinione debuiſſet contemnere. Vnum eſt quod poſſet dubium mouere, quomodo Magdalena fuiſſet vna ex illis quæ vanitate & diſſolutione ac ornatu meretricio multorum corda ſollicitaſſet, & ad ſe traxiſſet, quandoquidem conſtet il-
Marc. 16,9. lam fuiſſe obſeſſam à dæmone. *Apparuit primò Maria Magdalena* (inquit Euangeliſta) *de qua eiecerat ſeptem dæmonia*. Ex quo ſequi videtur, quòd non libuerit vacare leuitatibus mundi. Deinde feminam à dæmonijs vexatam fugiunt homines : nam malum illud ſi aliquod aliud, remedium amoris potiùs eſt quàm incentiuum. Reſpondeo, Magdalenam poſt multas ineptias & vitæ diſſolutiones, per Dei miſericordiam (quia fortè Chriſtum monentem & prædicantem parum curauerat) traditam fuiſſe ſeptem dæmonijs, vt ſpiritus ſaluus fieret, vt mundo immundo nuntium mitteret. Vidit Deus, qui Magdalenam elegerat, & albo prædeſtinatorum ab æter-
Iſa.28, 19. no inſcripſerat, *quoniam* Filius eius fruſtrà *manè diluculo pertranſibit in die & in nocte eam monendo ; & quòd tantummodò ſola vexatio dabit intellectum auditui*. Ceſſarunt igitur verba, & ventum eſt ad verbera, tradi, eam curauit dæmonijs à quibus affligeretur; illis verò à Chriſto expulſis, peccatorum concepit pœnitentiam. Cùm ergo venit ad Chriſtum, iam à dæmonijs libera venit. vnde colliges, quid eam ad Chriſti pedes adduxerit, hoc nimirum beneficium liberationis. Nam à dæmone libera pœnitentiam agere, tantumque benefactorem ſummoperè diligere cœpit. Ex his colligant vanæ & leuiculæ, quæ obturant aures ad clamores prædicatorum, quàm periculoſa ſint peccata quæ ſecum inuehunt faſtus & pompæ huius ſæculi, à quibus vt liberetur Magdalena, dæmonibus per Dei miſericordiam diuexanda tradita eſt : quæ iam libera, triginta annis lacrymis & ſtupendis vitæ rigoribus maculas quas contraxerat (non quidem per meretricias ſordes, ſecundùm illorum opinionem, qui negant eam corpus ſuum proſtituiſſe; inter quos etiam Origenes Tract. 35. putat incredibile eſſe Magdalenam ſororem Marthæ hoc infami vitio notatam fuiſſe) eluere non ceſſauit. Periculosè nimis his inordinatis illicitis medijs quædam viroſæ & nupturientes inſaniunt, ac proinde ipſis nuptis multò ſunt infeliciores. de qua re conſule quæ ad hoc propoſitum ſuggerit *Tract*.11. *Diſc*. XXIII.

IN FESTO SANCTI IACOBI.

451. *Neſcitis quid petatis, poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Matth. 20,22.
Multis modis oſtendit Paulus ſuam ſollicitudinem erga eos quorum ſaluti operam dabat, quos vt filios reſpiciens
dicebat : *Nec debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs*. Pro 2.Cor. 12,14.
patre haberi voluit ab illis quibus di-
xit: *Nam in Chriſto Ieſu ego vos per Euangelium genui*. & ideò ſpiritualia 1.Cor. 4,15.
illis opere, ſermone, continua oratione procurans, nihil temporale ab eis prætendebat. Theſaurizatio fit in poſterum,

S. Tho. ſterum, vt notauit S. Thomas 2. 2. quæſt. 101. art. 2. Quia igitur filij ordinariè ſuccedunt parentibus, non vt parentibus filij, ſed naturalis amor impellit parentes vt filijs theſaurizent. Eſt tanta hæc ſollicitudo parentibus à natura indita, vt faciliùs vnus parens prouideat decem filijs, quàm decem filij vni parenti. Quod eſt in arboribus humor, dicit Chryſoſtomus Chryſoſtom. in cap. 9. Matth. hoc eſt in hominibus Simile. amor. Humor quidem de radicibus aſcendit in herbam, herba autem non reuertitur ad radices, ſed ſurſum trãſmittitur in ſemen: ſic & amor de parentibus tranſmittitur in filios, de filijs autem non reuertitur ad parentes. Videmus hodie matrem pro duobus filijs ſollicitam, quæ licet irreligiosè poſtulet, tamen Chriſtus materno affectui aliquid concedendum eſſe indicat, diſſimulans enim matris errorem, & ad filios illius ſupplicationis incentores ſe conuertens, ait: *Neſcitis quid* Ambr. *petatis. Mater eſt vtique* (inquit Ambroſius lib. 5. de Fide ad Gratianum cap. 3.) *cui pro filiorum honore ſollicitæ, immoderatio quidem, ſed tamen ignoſcenda menſura votorum eſt.* Non obiurgat matrem, imò ne videatur illam repellere, arguit filios, quòd ſimularent matrem hæc ſua ſponte attentaſſe, quam ipſi ſubornauerant. Non ignorabant hi duo fratres, vota parentum pro filijs ſupplicantium magnã habere efficaciam apud Chriſtum, adeò vt non legatur vnquam parens ab illo repulſam paſſus, qui pro filijs piè vt oportet ſollicitabat, ideò matrem ſubornarunt: quæ licet malè inſtructa à filijs petebat quæ indigna erant Chriſti munificentia, non tamen illam ipſe obiurgauit. Hinc nos per piam matrem miſericordiæ, Filium pro filijs ſuis ſupplicantem, votorum noſtrorum facilè compotes erimus. Vide hac de re *Tract.* IX. *Diſc.* VIII.

IN FESTO SANCTI LAVRENTII.

452. *Niſi granum frumenti cadens* Ioan. 12, 24. & 25. *in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.* Sicut ex vno Adamo corrupto omnes per naturalem generationem naſcimur peccatores, ita ex Chriſto, qui eſt granum frumenti purum, ſpiritualiter renaſcimur ab omni corruptione liberi. Ille eſt ſemen illud, de quo ait Propheta: *Niſi Dominus* Iſa. 1, 9. *exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus.* item: *Germen* Iſa. 4, 2. *Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis.* Et ſecundũ Hugonem eſt granum frumenti, de quo ipſe ait: *Niſi granum frumenti cadens* Ioan. 12, 24. *in terram mortuum fuerit*, &c. Mortuum quidem fuit, ſed minimè corruptum. vnde ait Propheta: *Nec dabis* Pſalm. 15, 10. *Sanctum tuum videre corruptionem.* Hic igitur deficit ſimilitudo, quòd Diſſimile. granum frumenti ſui deſitione multiplicetur; nuſquam enim apparet ampliùs ſemen quod ſemel terræ mandatum eſt; Chriſtus autem mortuus quidem fuit, ſed reſurgendo corruptionem præuenit. Verum eſt, quòd Simile. producentis corruptio ſit producti generatio; quod tamen non habet locum in ijs quæ viuunt vita ſenſitiua, quam non participant herbæ, plantæ ac ſemina terræ mandata, quibus à Creatore mundi ſola productio ſui generis incumbit. *Germinet terra herbam vi-* Gen. 1, 11. *rentem* (inquit) *& facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum.* Mortuo enim grano Simile. frumenti, aut alio quocumque ſemine, fructus quos produxit non ampliùs opera illius indigent, cælo & terra ſuis influentijs abundanter eius vi-

ces ſupplente; animalia autem fructus quos genuerunt, poſteà lactare, & donec ſibi ſufficiant alere debent. Hinc etiam factum eſt, quòd Chriſtus Dominus, quos moriendo genuit, eos vita æterna reſurgendo donauerit. Mortuus igitur non vidit corruptionem.

453. Docet Chriſtus hîc multa, ſpecialiter autem infert ex eo quòd in terram cadens per mortem & paſſionem ſuam multiplices fructus attulit, quòd *qui amat animam ſuam, perdet eam.* Ioan. 12,25. Alioquin putare poſſemus, ad ſolum Chriſtum pertinere mori & pati, nobis autem meritis illius inniti licere, & vitam ſine vlla ſollicitudine inſtar beſtiarum agere. Itaque, ſecundùm interpretationem S. Auguſtini S. Aug. Tract. 50. in Ioannem, qui vt oportet piè & ſanctè amat animam ſuam, perdet eam, id eſt, negabit illi deſideria ſua, quæ ſunt legi Dei contraria. Natura nos docet in granis frumenti, quid Chriſtianis maximè incumbat: *Simile.* quæ ſicut profert ab omni parte ſimilia grana ijs ex quorum corruptione aut morte orta ſunt; ita oportet vt nos Chriſtiani ex Chriſto orti, ſummo conatu laboremus illi aſſimilari. Non ſolùm granum frumenti multiplicatur corruptione & mortificatione ſui, ſed etiam fabæ, piſa & reliqua legumina. Nota tamen, quòd Chriſtus ſe non comparauerit alteri quàm grano frumenti: voluit enim hac comparatione indicare, quòd verum ſit illud Pauli: Rom. 8,29. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* *Simile.* Pro quo ſciendum, alia legumina ſæpè diſſimilia germinare. Ex faba alba videbis non rarò rubrã, cæruleam imò omnino nigram colligi. Sic de piſis & ſimilibus. Verùm granum frumenti ſemper eſt eiuſdem coloris cum eo quod morte ſua illud pullulauit. Hinc conclude, quòd ſuperbus non pertineat ad Chriſtum, qui eſt granum frumenti, humiliter cadens in terram. ſic de ceteris. Ille *ſpecioſus forma præ filijs hominum, candidus & rubicundus, innocens, impollutus,* Pſalm. 44.3. Cant. 5,10. non agnoſcet ſordidos præ luxuria, crudeles præ iracundia pro ſuis. Certè ad illum non pertinent, quia non ſunt ſimiles illi qui eos genuit, qui *abominabiles facti ſunt, ſicut ea quæ dilexerunt.* Oſeæ 9,10.

454. Chriſtus vocatur primogenitus in multis fratribus à Paulo, qui affirmat, quòd omnes qui notam prædeſtinationis portant, ei aſſimilentur & conformes fiant. Requiritur hæc conformitas maximè in portanda cruce & mortificatione, vnde ait: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem,* &c. Lucæ 9,23. Noſter igitur primogenitus deſiderat, vt dum hîc viuimus, per noſtram mortificationem mortem ſuam lugeamus, ſecundùm illud Pauli, *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* 2. Cor. 4,10. Hoc eſt vnicum medium, quo poſſimus ad participationem hereditatis aſpirare, qua gaudet pro omnibus fratribus ſuis nobilis ille primogenitus Dei. *Si autem filij, & heredes,* inquit Paulus, *heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Rom. 8,17. vnde benè dicit S. Leo: *Certa atque ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, vbi eſt participatio Dominicæ paſſionis.* S. Leo.

455. Meritò dixit ergo Paulus: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce,* &c. Gal. 6,14. Refert Melchior de S. Cruce p. 7. cap. 1. § 19. quòd maior natu quidam filius, ad quem iure primogenituræ Melch. de ſancta Cruce. ſecun-

ſecundùm leges patriæ bona familiæ erant deuoluta, videns fratrem ſuum veſtimento cinericei coloris indutum, dixerit: Per omnem modum bellè ſe habet, frater mi, indumentum illud. Ad quem frater minor natu, qui non niſi per mortem primogeniti poterat pertingere ad hereditatem: Meliùs me haberet toga atra. quibus verbis ſignificabat, ſibi gratius fore vt mortuo fratre pullatus incedere poſſet. Non deſunt, qui ſuſpiciunt & admirantur filias in ornatu meretricio compoſitas, ac circumornatas vt ſimilitudo templi: ſed multò meliùs, & non ad inſipientiam ſibi, Chriſti mortificationem in corpore ſuo circumferrent. Poteſt quis ad terrenam hereditatem ius obtinere, licet ſit abſque ſenſu & ſine affectione, adeò vt nec lugeat, nec ſemel ob mortem fratris ſui ingemiſcat: verùm nemini patet aditus ad participationem hereditatis cæleſtis, qui per mortificationem ſui non curat in ſe quandoque ſentire, quod & in Chriſto Ieſu primogenito in multis fratribus. Si ergo mundus tibi adulatur propter vanitatem quam cum alijs circumfers, dic: Heu! ſalubriùs & ſecuriùs Chriſti mortificationem induta incederem. Nam væ ridentibus nunc, quia plorabunt & flebunt; ve-
Matth. 5,5. rùm *beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*.

456. Vt ad meliorem mentem veniant, qui in vanitatibus enutriti, benè vellent liberari de laqueo venantium & à verbo aſpero, vacent meditationi & conſiderationi grani frumenti. Perpendant vitam, & mortem ac paſſionem Chriſti; ſua commoda illius laboribus, ſuas ſenſualitates illius auſteritatibus conferant. Non eſt dubium, pudebit per omnia diſſentire à grano quod cecidit in terram, & mortuum fuit, vt nos redimeret à degeneri conuerſatione huius ſæculi nequam. Rem hanc diligentiùs perpendendam ſuadet Petrus, dicens: *Scientes quòd non corruptibilibus auro vel* 1. Pet. 1,18. 19.
argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo Sanguine, quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.

457. Mortificatio Chriſti ſumma fuit. vnde Propheta omnes inuitans ad conſiderationem eius, ait: *O vos* Thren. 1,12.
omnes, &c. *videte ſi eſt dolor ſimilis*, &c. Dicit Valerius Maximus lib. 4. c. 6. Valer. Maximus.
Excellentiſſima animaduertenti, ne mediocria quidē præſtare rubori eſſe oportet. Quanto igitur pudore perfundi debent Chriſtiani, qui contraria excellentiſſimæ paſſioni & mortificationi Chriſti præſtant? Sanctus Laurentius timens ſe relinqui ſine paſſione, deponebat querelas S. Xiſto qui rapiebatur ad mortem: qui eum conſolans, prædixit illi maiora pro Chriſti nomine certamina, & ex hac prædictione totus confortatus, diſtributis omnibus in vſ[illegible]uperum, ſeipſum nudum obtulit lento igni comburendum. Non ignorabat, quòd quæ hîc ſollicitè conſeruantur, aut nimis anxiè amantur, pereant; qui verò pro amore Dei ſe & ſua odio habent, ſecuriùs omnia conſeruent, & cum fœnore recipiant in vita æterna. Vide hac de re quæ huic propoſito facilè accommodari poterunt *Tract.* 1. *Diſcurſu* XXVI.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIÆ.

458. *Domine, non eſt tibi curæ quòd* Lucæ 10,40.
ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Sicut nihil eſt deformius quàm re- Simile.
ſpondere furioſis (inquit Laurentius Iuſti-

Lauren. Iuſtin. Iuſtinianus in Ligno vitæ de patientia cap. 4.) *ita nihil eſt vtilius, quàm tacere nobis prouocatis. Nullus eſt enim finis inimicitijs, niſi ad tempus obtemperemus iratis.* Vbique videmus Magdalenam fortem & patientem. Simon toruo vultu & alijs indicijs indignationis eam contriſtauit occupatam circa pedes Chriſti, oſculis, lacrymis, crinibus, Martha propria ſoror apertis verbis illi obmurmurat; Magdalena tacet. Difficulter aperitur oſtium, nec vnquam cedit vento quantumcumque valido, ſi ei pondus appenſum eſt, vt fieri ſolet, quod mediante funiculo per rotulam attollitur & dimittitur. Duplex pondus claudebat labia Magdalenæ pœnitentis: primò pondus peccatorem olim commiſſorum,
Hebr. 12,1. de quo ait Paulus, *Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Quando ergo Phariſæus, qui vocauerat Chriſtum, ſe durum vultu, geſtu illi exhibebat, pœ-
Pſalm. 37,15. nitendo facta eſt *ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutionem.* De propitiato peccato non erat ſine metu, & ideò cum Dauide orabat intus, ne ſe excuſaret aut ægrè ferret, licet poſt legitimam pœniten-
Pſalm. 140,3. tiam haberetur pro peccatrice. *Pone Deus* (inquiebat ille) *cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis, ne declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Peccator ſæpè excuſat reatum peccati, ſed verus pœnitens propter pœnitentiam, qua factum eſt vt à Deo excuſetur, non vult apud homines excuſabi-
2.Reg. 12,13. lis haberi. Dauidi dictum eſt: *Dominus quoque tranſtulit*, &c. Magdalena
Lucæ 7,49. audiuit: *Remittuntur tibi peccata.*

459. Aliud pondus eſt quod claudit ora Sanctorum, & inclinat ad patientiam, de quo idem Apoſtolus ait: *Id enim quod eſt in præſenti momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2.Cor. 4.17. meritoriè ſcilicet, non Phyſicè; moraliter, non efficienter. Magdalena aſſidua in tantæ gloriæ contemplatione, & iam ad pedes Chriſti ſedens, eumque de gloria fortè verba facientem attentè auſcultans, non attendebat ad ea quæ Martha murmurabat; aut ſi attendit, quaſi non audiuiſſet, ne verbum quidem pro ſe locuta eſt. Obiecit Martha ſorori, quòd eam relinqueret ſolam miniſtrare, cùm tamen in illa opulenta familia non deeſſent qui miniſterio Chriſti cum ſuo pauperculo comitatu abundè ſufficerent, Magdalena per patientiam nimis exaggeratam accuſationem diſſimulat. Quemadmodum enim qui effertur ad laudes ſuas quæ veritatem excedunt, non euadit notam ſuperbiæ; ita qui ad calumniam & vitupeeia falſa facilè dolet, impatientem ſe probat. Porrò qui quod neceſſariò ferendum eſt fortiter tolerat ex amore Dei, hilariter moleſtiam patietur, qua ſi vellet ſe defendere aut expedire, facilè poſſet. Conſule hac de re *Tract.* VIII. *Diſc.* XI.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

460. *Erat pernoctans in oratione Dei.* Lucæ 6,12. Docet hìc Chriſtus quid Regibus & Principibus faciendum ſit, dum officium aut ſtatus aliquis vacat. Ipſe enim tota nocte ſe exhibet Patri precatorem & vigilans orat, nullius ambientis aut vltrò ſe intrudentis legit aut refert libellum ſupplicem. Temporibus noſtris aliter res ſe habet: nam ſi cuipiam muneri prouidendum eſt, centum vigilant, & impor-

portunè opportunè ſollicitant, vt obtineant ſtatum, qui ſi fortè honorat ſecundùm exiſtimationem vulgi, non
Simile. tamen parum onerat in oculis Dei Camelus genibus flexis ſuſcipit onera, ſed natura vires ſuppeditat ad portandum: qui autem dignitates ambit, præſertim quibus animarum cura annexa eſt, an non ſupplicat vt ei ſarcina imponatur Angelicis humeris formidanda? Pius & ſanctus à Deo vocatus non ſupplicat vt onera imponantur, ſed vigilat, vt ſi portare cogatur, illis ſatisfacere poſſit. Nemo petit vt cuſtodiat vineam alienam, niſi mercenarius
Simile. ſit, aut negligat ſuam. Infidelis & furis ſuſpicione facilè laborat, qui rebus ſuis emendis nimis anxiè emptorem quærit. *Merx vltronea ferè fœtet*, vt habet commune prouerbium. Qui importunè nimis diſcurrunt, vigilant & ſuſcitant officiorum collatores, vt accepto regimine pro amico ſpondere poſſint, aut perplexæ animarum curæ præficiantur, vix ſpem præbent fidelis adminiſtrationis. De illis qui currebant cùm non mitterentur, dixit Chriſtus:
Ioan. 10,8. *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones*. Verum eſt, non merentur tam acerbam cenſurã, qui non currunt ſine miſſione, ſed inſtant vt mittantur; tamẽ non euadunt notam præſumptionis & vanitatis, qui non vocati ſe ingerunt. Nemo enim tutè dicit cum Propheta:
Iſaiæ 6,8. *Ecce ego, mitte me*. Nec facilè hoc quiſquam præſumere poteſt, niſi charitas Chriſti ipſũ interiùs vehemẽter vrgeat.

461. Pro quo notanda ſunt quædam vltroneam hanc Prophetæ promptitudinem præcedentia. Inprimis indoluit ſuam taciturnitatem & ſalutis proximi negligentiam, dicens: *Væ mi-*
Iſa. 6,5. *hi, quia tacui, quia vir pollutis labijs ego ſum, & in medio populi polluta la-*
Orig. *bia habentis ego habito*. Origenes Hom. 5. putat, Iſaiam pœnitere ſe fuiſſe locutum, & dolere quòd offenderit in lingua. Sed probabilius eſt quod ſentit Chryſoſtomus, quem ſequitur Chryſoſtom. Lyranus noſter, qui fatetur peccatum Lyran. Iſaiæ fuiſſe quidem linguæ, verùm cùm polluantur labia non modò loquendo, ſed etiam tacendo, non tam fuiſſe locutionis peccatum quàm taciturnitatis. Fatebatur enim vir Dei peccatum ſuum, quia Regem Oziam non vt oportet reprehenderat aut repreſſerat. Erat enim Iſaias de genere Regio, ac proinde maiori cum auctoritate & ſpe fructus poterat & debebat ad Regem accedere eumque de erratis ſuis monere. Scrupulum autem hunc concepit (vt dicit Gloſſa interlinearis) occaſione Angelorum quos audiuerat & viderat Deum laudantes. Videns enim ſe non fuiſſe admiſſum in chorum & ſocietatem illorum, cœpit anxius cogitare: Quia Oziam non reprehendi, vel tædio vel metu victus, ideò cum Angelis Deũ laudare non merui, & timeo ne dicatur mihi: *Quare tu enarras*
iuſtitias meas, &c. *Væ mihi quia tacui*. Pſalm. 49,16.

462. Hoc notent, qui putant ſe zelo Dei ad animarum regimen & alia Reipublicæ munera anhelare; & ſciant ſibi dictum eſſe: *Noli quærere fieri* Eccli.
iudex, niſi valeas virtute irrumpere 7,6.
iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis. Sermonem hîc dirigit Sapiẽs ad eos qui quocumque modo poteſtatem in alios exercent, & reprehendit omnes qui hos honores quærunt, & in illos non vocatione, ſed ſollicitatione irrumpunt; non autem illos qui neceſſitate aut ſuperioris præcepto coguntur ad prælaturas. *Qui enim inuitatus* (inquit Gregor. in Regiſt.) *renuit; quæ-*
ſitus refugit, ſacris eſt altaribus admo- Greg.
uendus: ſic qui vltrò ambit vel importunè ſe ingerit, eſt proculdubiò repellendus.

463. Dein-

Iſa. 6,7 463. Deinde ait Iſaias: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum*, &c. Calculus hic ignitus, quo labia Prophetæ mundata ſunt, ſymbolum erat gratiæ Spiritus ſancti (vt notauit Cornelius) quæ à peccatis animas hominum purificat. ℣.7. Ideò dictum eſt illi: *Et peccatũ tuum mundabitur*. Immunis igitur à peccato accepit libertatem arguendi, increpandi vitia, & intrepidè prophetandi. hinc Iſa.6,8. ſtatim ſeipſum obtulit, dicens: *Ecce ego, mitte me*. Maximè autem notandum eſt, quibus verbis Deus requirat Ibid. aliquem miſſionarium. *Audiui*, inquit, *vocem Domini, dicentis: Quem mittam? Et quis ibit nobis?* Vrgendum eſt Similia. illud: *Quis ibit nobis?* Sibi vadit & quotidie per vrbem curſitat Doctor Medicus, qui viſitat infirmum, non tam vt ſaner quàm vt pro numero viſitationum mercedem accipiat, ſiue ille moriatur, ſiue ſanitati reſtituatur. Sibi etiam baiulus litterarum, qui parum curat de epiſtolis quas defert, diſcurrit per mare, per terras. Sibi quadrigam agit auriga, qui non ex amore bigantium, ſed ex cupiditate vecturæ laborat. Non quærit tales Chriſtus, ſed eos qui in munere ſibi commiſſo præcipuè Dei gloriam & ſubditorum quærunt ſalutem.

464. Non eſt ſatis prouiſum Eccleſiæ Dei, ſi Prælati ſolùm plauſtrarij munere fungantur, niſi etiam ipſi inſtar plauſtri ſubditorum oneribus ex compaſſione onerentur. Agebat Paulus, ſed & portabat eos quibus 2.Cor. 11,29. præerat. *Quis infirmatur*, inquit, *& ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Item: Rom. 9,3. *Optabam ego anathema eſſe*, &c. Non benè præeſt qui neceſſitatibus ſubditorum per ſuã inſenſibilitatem & negligentiam deeſt. Non ſufficit quòd ſuperior ſit Dominus, niſi etiam ſit quodammodò Deus ſubditorum. Vt Dominus imperet, ſed vt Deus compatiatur miſerijs, & neceſſitatibus prouideat, ac errata eorum longanimiter portet. Eliam repræſentẽt neceſſe eſt, ad quem diſcipulus eius clamans raptum in cælum, eique valedicens, ait: *Pater mi, pater mi, currus Iſraël & auriga eius*. 4 Reg. 2,12. id eſt ſuſtentator populi & rector, ſuſtentator infirmorum (inquit Hugo Cardin.) & Hugo Cardin. rector robuſtorum, ſuſtentator per auxilium, rector per conſilium. Suſtentator per compaſſionem, rector per eruditionem. *Quid eſt, fratres chariſſimi* (dicit Gregorius Hom. 22. in Greg. Ezech.) *quòd Elias currus & auriga Iſraël dicitur, niſi quia auriga agitat, currus portat?* Elias igitur benè dicitur Latinè *Deus Dominus*, qui non modò rexit, ſed etiam populum ſupportauit, eorum defectus ſupplendo (vt notat Lyranus noſter) nam impetrauit Lyran. pluuiam tempore ſiccitatis, vt patet ex ijs quæ habentur 3. Reg. 18. Maximè autem conſuluit communi bono & omnium vtilitati, quando populum reduxit ad cognitionem veri Dei, impetrando ignem de cælo ſuper holocauſtum ſuum. vnde etiam clamauit populus, *Dominus ipſe eſt Deus*. 3. Reg. 18.

465. Cùm tam multa requirantur in eo qui alijs præeſt, nemo prudens ſe ingerit rei tam arduæ. *Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt*, 2.Cor. 10, 18. inquit Paulus, *ſed quem Deus commendat*. Eccli.1, 15. Vnde patet, quòd *ſtultorum infinitus eſt numerus*. Simile. Dum enim alibi officium vacat, ſtatim inſtar formicarum conuolat competentium turba; & non aliter quàm ſi vt vultures olfeciſſent cadauer defuncti, etiam ex alijs & diſſitis oppidis mirabilem eſt videre confluentiam. Vnus requiritur,

&

Digitized by Google

& à multis collatio ambitur. Itaque ex ingenti competentium numero pauciſſimi ſemper potiuntur optatis.

466. In hodierno Euangelio videmus Chriſtum ſollicitum, vt conſtituat principes Eccleſiæ ſuper omnem terram. Nullus autem legitur ſollicitaſſe, aut commendatitijs ſe inſinuaſſe. Omnes quieſcunt, omnes nocte dormiunt, ſolus autem Chriſtus vigilans *erat pernoctans in oratione Dei.* (Lucæ 6,12.) Prælati ſunt oculi Reipubicæ. (Simile.) Homo quidem videre poteſt manus ſuas aut pedes, oculi autem non niſi ab alijs recognoſci poſſunt & inſpici. Eodem modo fortè faber lignarius, aut alius quiſque artis mechanicæ peritus, ad quam requiruntur & ſufficiunt manus, aliqualem ſui notitiam habere, atque adeò operam ſuam alteri offerre poteſt; verùm Rectores non à ſe, ſed ab alijs examinandi, approbandi vel reprobandi ſunt. (Act. 1.) Nouerunt hoc Apoſtoli, qui pro vno Iudæ ſubrogando multi conuenerunt ad conſultandum & orandum. Iam ex vnius ſolo voto, qui fortè dormit & torpeſcit, pendet electio, pro cuius conſecutione multi vigilant & agonizant.

467. Non ſine cauſa immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam, quando ex coſta illius ædificaturus vxorem, illum coniugi præfecit. Poſtquam autem ſignificauit Abrahæ, ſemen eius ſicut ſtellas cæli fore multiplicandum, oſtendens terram quam eſſet poſſeſſurus, petijt ſignum huius mirabilis dominij, dicens: (Gen. 15,8.) *Domine Deus, vnde ſcire poſſum quòd poſſeſſurus ſim eam?* ſequitur poſteà irrefragabilis nota prælationis, quæ eſt à Deo: nam (℣. 12.) *ſopor irruit ſuper Abram, & horror magnus.* Benè dicit Dauid, quod huic propoſito accommodari poteſt, (Pſalm. 126,2.) *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini.* Qui dormit eo tempore quo manus Principis plenæ ſunt libellis ſupplicibus competentium, & ſi vocatur ad dignitatem, horret, quia ſibi ſuſpectus eſt propter inſufficientiam ſuam, ille ſperare poteſt vocationem ſuam à Deo eſſe profectam. Item dormienti Iacob myſterioſa ſcala oſtẽſa eſt, & multorum filiorum ſe patrem futurum cognouit. *Terram in qua dormis* (inquit Deus) *tibi dabo, & ſemini tuo. Eritque ſemen tuum quaſi puluis terræ. Dilataberis ad Occidentem & Orientem.* (Gen. 28,13.14.) Et filius illius Ioſeph, vbi & quando cognouit ſe principem futurum, non ſolùm in Ægypto, ſed & domus patris ſui, *Vidi per ſomnium* (inquit) *quaſi ſolem, & lunam & ſtellas vndecim adorare me.* (Gen. 37,9.) In ſomno etiam vidit manipulum ſuum ab aliorum manipulis adorari. Ioſeph vir Mariæ, reputans ſe indignum tam excellenti coniugio, atque adeò fugam parans, in ſomnis eſt confortatus, accipiẽs aſſecurationẽ de ratihabitione eius per Angelum à Deo miſſum. *Angelus Domini apparuit ei in ſomnis, dicens,* (Matth. 1,20.) (inquit Euangeliſta) *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Ecce omnes hæ promotiones & ratihabitiones officiorum & dignitatum à Deo factæ ſunt dormientibus. vnde etiam Chriſtus omnibus dormientibus ſe accingens electioni diſcipulorum orat, vigilat, apud Patrem inſtat, ac proinde non ſolùm relinquit nobis exemplum præmittendi orationes electioni alicuius Prælati aut Epiſcopi, quod etiam Tridentinum (Trid.) Seſſ. 24. cap. 1. fieri iubet, ſed inſuper docet electorem præ ceteris vigilare debere, & ex dormientibus, non autem impudenter ambientibus, vtilem miniſtrum aſſumendum eſſe. Vide ad proſecutionem huius materiæ

quæ

quæ tibi miniſtrat *Tract.* III. *Diſcur-*
ſus XXVI.

IN FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ.

Matth. 1,16. 468. *De qua natus eſt Ieſus, qui vo-*
catur Chriſtus. De multis accuſatus eſt
Filius Dei ab impijs. Inter alia refert
Sapiens, quòd de ſimulata humilitate
ſuſpectum fecerint, & accuſauerint
Sap. 2, 16. iactantiæ, dicentes: *Præfert nouiſſima*
iuſtorum, & gloriatur patrem ſe habere
Deum. Tamquam humilium & man-
ſuetorum amator & fautor eos præ-
fert magnis & præclaris. Vetè mnltis
in locis pluris fecit paruos & abie-
ctos, quàm magnos ſecundùm ſæcu-
Marc. 10,31. lum. Inter alia dixit: *Erunt nouiſſimi*
primi, & primi nouiſſimi. item: *Nolite*
Lucæ 12,32. *timere puſillus grex, quoniam compla-*
Matth. 11,25. *cuit Patri dare vobis regnum.* item: *Cõ-*
fiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ,
quia abſcondiſti hæc à ſapientibus &
prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.
Portò hæc humilium commendatio
veram animi ſubmiſſionem ſapit: ſed
vt Chriſtum ſermone humilem, re ta-
men probent ſuperbũ & præſumptuo-
ſum, allegant alia quæ alicuius iactan-
Sap. 2, 13. tiæ ſpeciem præ ſe ferre videntur. *Pro-*
mittit (inquiunt) *ſcientiam Dei ſe ha-*
bere, & filium Dei ſe nominat. item:
℣.16. *Gloriatur ſe patrem habere Deum.*
Magna eſt hæc gloria, Deum habere
Matth. 6,9. Patrem, & veraciter dicere poſſe: *Pa-*
ter noſter, qui es in cælis. quia eſt nobilis
Lucæ 19,12. de quo ſpeciali titulo dici poteſt: *Ho-*
mo quidam nobilis abijt in regionem
longinquam, accipere ſibi regnum. item
Pſalm. 73,12. claret regia dignitate: *Deus autem Rex*
noſter ante ſæcula. & abundat diuitijs:
Pſalm. 111,3. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* item
fortitudine militari famoſus eſt, de
Iob 25, 3. quo Iob ait: *Numquid eſt numerus mi-*
litum eius? Huius Patris omnes iuſti
ſunt filij, ſed adoptiui; Chriſtus autem
verus naturalis Filius eſt.

469. Quòd autem Filium Dei ſe eſſe,
& Patrẽ ſe habere Deum affirmauerit,
non eſt arrogantiæ, ſed benignitatis &
miſericordiæ: ſciebat enim, & ſui &
Patris ſui notitiam ad ſalutem neceſſa-
riam eſſe. vnde ait: *Hæc eſt vita æter-* Ioan. 17,3.
na, vt cognoſcãt te ſolum Deum verum,
& quem miſiſti, &c. Propterea mira-
culis probauit hanc veritatem. Mul-
tum autem abeſt quòd inde humilita-
tem ſuam obſcurarit, quin imò miro
modo eam illuſtrarit. Cùm enim eſſet
talis & tantus, non erubuit abiectos
homines ſibi adoptare in fratres. vnde
Paulus ait: *Non confunditur fratres* Hebr. 2,11.
eos vocare. Poſt reſurrectionem non
ſemel dignatus eſt ſuos illo nomine.
Nuntiate fratribus meis, inquit. item: Matth. 28,10.
Vade ad fratres meos. Notat hîc Ioan. 20,17.
S. Thomas lect. 3. quòd aliqui de vili
plebe nati, ſi promouentur, confun- S. Tho.
dantur cognoſcere cõſanguineos ſuos.
Fratres hominis pauperis oderunt eum Prou. 19,7.
(inquit Sapiens) & amici procul re-
ceſſerunt ab eo.

470. Alia fuit mens Ioſephi, qui
in Ægypto ad faſtigium ſummæ di-
gnitatis promotus (vtpote qui ſoli Re-
gi ſecũdus erat) multis modis adſciuit
humilem parentem, & fratribus ſuis
ſuggeſſit, vt interrogati à Rege cuius
muneris aut artis eſſent, reſponderent:
Paſtores ouium ſumus ſerui tui, & nos, Gen. 47,3.
& patres noſtri. Ecce non confunditur
Princeps Ægypti fratres habere paſto-
res. Potuiſſet quidem progeniem A-
brahæ & Iſaac per totum orbem fa-
moſiſſimam ſibi vendicare, damnat
igitur illotum vanitatem, qui cùm ab-
iectæ ſint progeniei, tamen nobiles vi-
deri volunt. Taxat etiam Chriſtus Do-
minus horum ſuperbiam. Cùm enim

Digitized by Google

patrem haberet Deum, non eſt dedignatus, vt liber ſuæ genealogiæ recenſeret parentes, auos & proauos ſceleſtos & infames; quinimò ſuppreſſis mulieribus ſanctis, earum dumtaxat fit commemoratio, quas Scriptura reprehendit, & adulterij aut meretriciæ proſtitutionis accuſat. Ex quo patet inprimis excellentiſſima tantæ Maieſtatis humilitas, qua factum eſt, vt qui patrem haberet in cælis, tam obſcuros parentes non erubuerit in terris. Nam,
Eccli. 3,13. vt ait Sapiens, *gloria hominis eſt honor patris ſui, & dedecus filij pater ſine honore.* Non minùs apparet eius miſericordia: admiſit enim in progenie ſua
Hier. peccatores, inquit Hieronymus l. 1. in Matth. *vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret.* Vt autem liberiùs miſereri poſſet ſemper & parcere, natus eſt de virgine, quæ à peccato quidem libera, & multis prærogatiuis ornata, præ ceteris autem clementia & benignitate illuſtris fuit, quæ proinde efficaciter pro peccatoribus interceſſit: Vide hac de re *Tract.* IX. *Diſcurſ.* XIV.

IN FESTO S. MATTHÆI.

Matth. 9,9. 471. *Vidit hominem ſedentem in telonio, nomine Matthæum.* Incidit homo
Simile. in morbos corporales, vt peſtem, febrim, &c. etiam inuitus, licet ſtudioſiſſimè ſibi temperauerit ab omni eo quod ſimiles infirmitates cauſare poſſet. Non ſic ægrotat anima per peccatum, quod niſi ſit voluntarium, peccatum eſſe non poteſt, vt eſt doctrina
S. Auguſtin. S. Auguſtini omnibus nota lib. de Vera Religione cap. 14. Et eſt hæc veritas ita ab omnibus recepta, vt nullus de paruo numero Doctorum, aut de magna indoctorum multitudine ei contradicat. Nam ſi abſque voluntate peccantis eſſe poſſet culpa, iniuſtè ei infligeretur pœna. *Deus mortem non fecit,* Sap. 1, 13. 16.
nec lætatur in perditione viuorum. Impij autem manibus & verbis accerſiuerunt illam, inquit Sapiens. Itaque benè notat alibi: *Noli facere mala, & non te* Eccli. 7,1.
apprehendent. quod ſine dubio de malis culpæ intellige. Infirmitates & ærumnæ huius vitæ, quæ peccatum originale ſequuntur, benè apprehendunt nos ſine nobis, quia pœnæ ſunt, & potiùs mala Adæ quàm noſtra dici poſſunt. Sed mala culpæ omnino noſtra, quia à nobis facta ſunt, à quibus apprehendimur. Hinc dicitur: *Scitote* Num. 32,23.
quia peccatum veſtrũ apprehendet vos.

472. Miſerè apprehenditur peccator per facta propria. vnde ait Propheta: *In laqueo iſto quem abſconderunt,* Pſalm. 9,17.
comprehenſus eſt pes eorum. In operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator. quæ quamdiu placent, hominem ſub tyrannide dæmonis captiuum tenent: & quod miſerabilius eſt, etiam dum incipiunt diſplicere, non niſi per Dei manum poſſunt auferri. Hinc fit, quòd in damnatis deſperata venia æternaliter maneant. Vt enim *Simile.*
frænum, quod eſt in ore equi, licet illi moleſtum ſit, tamen ac ſi benè ſaperet, ab eo ſemper manditur, & non aliter quàm ſi eſſet fruſtum alicuius inſaccharatæ confecturæ voluitur, & palato aduoluitur, nec abſumitur, quia non deglutitur; ita peccatum indicibilem quidem adfert cruciatum, & tamen à damnatis ſummo conatu per obſtinationem retinetur.

473. Notandum eſt, quòd omnes qui volunt liberari, debent peccatum ſuum manifeſtum facere. Non enim in omni laqueo, ſed in eo quem abſconderunt comprehenditur pes operantium mala. Non quodlibet peccatum, ſed *peccatum veſtrum apprehen-* Num. 32,23.
det vos. Quod autem per pœnitentiam in-

interficitur, & per confeſſionem aperitur, non eſt eius qui fecit, ſed illius
2.Cor. 5,21. de quo ait Paulus: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.* Chriſtus non nouit peccatum per experientiam (vt exponit S.Thomas) ſed optimè nouit (vtpote iudex futurus) per ſimplicem notitiam: tamen factus eſt peccatum, id eſt hoſtia pro peccato, vt nos à peccati reatu liberati, iuſti eſſe poſſemus. S. Matthæus liberatus eſt à peccato, quia illud omnibus notum fecit, dum ſeipſum proprio nomine non modò loquendo, ſed etiam Euangelium præſens ſcribēdo toti Ec-
Matth. 9,9. cleſiæ publicauit, dicens: *Vidit hominem ſedentem in telonio nomine Matthæum.* Meritò iuſtificatur à Deo, qui ita ſæuit contra ſeipſum, vt fiat præco peccatorum ſuorum. Exoſi ſunt ſuperbi, qui ſeipſos verbis extollunt, & alios contemnunt, quales erant illi qui hodie obmurmurant Chriſto, quia cum peccatoribus & publicanis manducabat. Sancti autem bona quæ habent ſilentio tegunt, vilitatem autem ſuam omnibus produnt. Conſule hac de re *Tract.* III. *Diſcurſ.* XXIX.

IN FESTO S. MICHAELIS.

Matth. 18,9. 474. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum.* Non licet amputare membrum corporis ad vitandum pecca-
Lyran. tum, vt hic notauit Lyranus noſter. Membra enim ſunt à Deo data. Vt igitur illicitum eſt ſeipſum occidere, ita etiam mutilare: præſtò enim ſunt alia media euitandi peccata, quibus obuiare poteſt homo per rationem & liberum arbitrium, cohibendo membrum ab exercitio peccati. Per abſciſſionem enim aut mutilationem alicuius membri non excluditur concupiſcentia interior, quæ maximè eſt cauſa peccati. Porrò velle & non poſſe committere actum peccati, diabolicum eſt; nec poſſe neque velle, angelicum. Poſſe quidem, ſed nolle, electorum eſt filiorum Dei. Talis erat de quo Sapiens ait: *Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi gloria æterna: qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit: ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Eccli. 31,10. 11. Qui auertit oculos ne videant vanitatem, ſecundùm Chriſti monitionē eos eruit. *Nouit quiſque credentium quid ſibi noceat* (inquit Hieronymus) *vel in quo ſollicitetur animus, ac ſæpè tentetur.* Hieron. Si oculus eruendus eſt ne ſcandalizeris ab alijs, potiori iure inuigilandum eſt, ne tu ipſe ſcandalizes. Refert Plinius Plin. lib. 8. cap. 21. quem citat Barradius t. 2. lib. 7. cap. 19. de quadam fera quæ Catoblepas vocatur, & Latinè idem eſt quod deorſum aſpiciens, ſic dicta, quia grauedo capitis prohibet illius erectionem ſurſum: cui tanta eſt in oculis pernicies, vt ſi quis eos aſpiceret, confeſtim exſpiret. Docet au- Simile. tem per hoc animal Auctor naturæ, caput terram verſus inclinandum eſſe, ne homo vel ſibi vel alijs interitum cauſet. Quantoperè autem nobis debeat eſſe cordi rigida oculorum cenſura, patet ex verbis Chriſti, conſulentis vt effoſſione eorum ſcandalum euitetur. *Si oculus tuus ſcandalizat te* Matth. 18,9. (inquit) *erue eum.*

475. Ceterùm docet Filius Dei his verbis mortificationem membrorum noſtrorum quæ ſunt ſuper terrā. Verè dictū eſt à S.Bonauentura, quòd Chriſtiani militia à ſui victoria inchoanda ſit. Nemo eſt victor, qui non eſt ſui ipſius mortificator. Solet dici de eo, cui in conflictu ceſſit victoria, *Hy heeft het veldt behouden.* id eſt, Non fuit ordinatæ aciei deſertor. Ad ſimilem

Digitized by Google

lem conſtantiam nos monet Spiritus per Sapientem, dicens: *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne deſeras.* Nemo eſt qui hanc animoſam fortitudinem ſibi promittere poteſt, niſi per ſui mortificationem, ſenſus, & præcipuè oculos cohibeat. Fit animus inſtabilis, & miles profugus ac ordinis ſui deſertor, per oculorum euagationem, dicente Propheta: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Mortificatione igitur opus eſt, vt quis viriliter agens locum ſuum non deſerat, ſed perſeueret vſque in finem belli. In prælio ſine vllo motu manent in campo & loco certaminis corpora occiſorum, nec auferuntur niſi eo finito. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, in qua ſoli mortificati conſtantiſſimè pedem figunt, & obſeruant illud Sapientis: *Sta in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce.*

Eccle. 10,4. Thren. 3,51. *Simile.* Iob.7,1 Eccli. 11,21.

476. Datur hîc occaſio agendi de oculorum cuſtodia, maximè à mulierum conſpectu, quas ſolus ille temperatiùs conſpicit, qui non concupiſcit. Etenim *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt*, &c. Socrates dicere ſolebat, vt refert Plutarchus lib. de Curioſitate, cauendos eſſe eos cibos qui non eſurientem alliciunt ad edendum, & potus qui non ſitientem ad potandum inuitant. Talis eſt fallax gratia, & vana pulchritudo, quæ etiamſi nulla ſit fames, nulla carnalis concupiſcentiæ ſitis, curioſiùs tamen aſpicientem trahit innata pronitas ad libidinem. Guloſi hominis eſt, acetoſa & ſalſa quærere quibus acuatur & excitetur fames & ſitis, vt libeat bibere & comedere. Eodem modo luxuriæ ſummum indicium eſt, irritamenta carnis appetere. *Hi ſunt qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan.* Certè qui quærit vnde tentetur, non ineptè Leuiathan, id eſt diabolum, ſuſcitare cenſetur. Species & vana pulchritudo mulieris tentationis occaſionem præbet. Nam *propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* vnde Tertullianus l. de Cultu feminæ, *Decorem* (inquit) *naturaliter inuitatorem libidinis ſcimus.* Qui ergo circumuagis oculis vbique illices formas haurit, an non ad libidinem ſeipſum non inuitatum inuitat? Certè videtur quòd maledicat diei quia dormientem Leuiathan ſuſcitat qui huiuſmodi eſt. Nã extra controuerſiam eſt, quòd offendat. Porrò *omnis qui malè agit, odit lucem.* Audiendus igitur eſt Chriſtus, qui ait: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum*, &c. Vt hîc differere poſſis ad continuationem prætactæ materiæ de vano mulierum decore contemnendo, & de cohibendo viſu à deceptoria earum pulchritudine, conſule *Tract.* 11. *Diſcurſ.* XVII.

Matth. 5,28. *Simile.* *Simile.* Iob 3,8. Eccli. 9,9. Tertul. Ioan. 3,20. Matth. 18,9.

IN FESTO SANCTI LVCÆ.

477. *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Parum erat, inquit Caietanus, eos mittere ſicut agnos, ſed addendo *in medio luporum*, declarauit quòd eos deſtinauerit vorandos. Prædicit mala, vt confidant de auxilio mittentis. Sicut lupi aduerſantur (inquit) & inſidiantur agnis, ſic Iudæi vobis: & quemadmodum lupi agnis fortiores ſunt, ita Iudæi temporali potentia ac viribus vos ſuperant: ſed *ecce ego mitto vos*, cõfidite igitur, nimium timorem deponite. Prædicit Chriſtus diſcipulis tribulationes, ærumnas, quas pro illo, ſed non ſine illo erant paſſuri. *Cum ipſo ſum in tribulatione*, dicit per Prophetam. Non tantùm cum patien-

Lucæ 10,3. Caiet. Pſalm. 90,15.

te,

Simile. te, ſed & in ipſo tribulato eſt. Qui adeſt alteri per ſocietatem ſolùm, non neceſſariò patitur ſocio patiente. Non rarò enim contingit in caſtris, vt duo commilitones ſimul ambulent, aut menſæ aſſideant, vel etiam lecto incumbant, & vnus glande bombardica traijciatur, collateralis autem ſocius omnino illæſus euadat. Nulla eſt tam arcta amicitia & neceſſitudo, quæ vulnera aut alia damna communia reddat. Lucæ 17,34. 35. *Erunt duo in lecto vno*, inquit Chriſtus, *vnus aſſumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in vnum; vna aſſumetur, & altera relinquetur*. Chriſtus verò indicat ſe non tantùm adeſſe, ſed etiam ineſſe tribulatis; in ipſis Act. 9,5 enim patientibus patitur. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* inquit. item: Zach. 2,8 *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

478. Vult vt tribulati ſint reliquiaria, in quibus ille cuſtoditur. Act. 9, 15. *Vas electionis eſt mihi iſte*, dicit de Saulo iam conuerſo, *vt portet nomen meum*. Reliquiaria ſolent exteriùs ornari quidem, Simile. non tamen Sancti vita & paſſio, cuius reliquiæ intus conſeruantur, foris acu picta aut alia arte expreſſa ſemper apparet. Verùm nuſquam eſt Chriſtus intus, quin is qui eum portat, fiat illius 1. Cor. 6,20. paſſionis particeps foris. *Empti enim eſtis pretio magno* (inquit Apoſtolus) *glorificate & portate Deum in corpore veſtro*. Porrò Deum glorificari ab eis, qui pro illius nomine patiuntur, ſatis probatur ex eo quod Ioannes narrans, quomodo Chriſtus prædixerit Petro, eum ab alio fore cingendum in ſenectute, qui duceret quò non vellet, ſubdidit: Ioan. 21,19. *Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum*. Paulus zelans honorem & gloriam Dei, voluit Sanctos (qui ſunt reliquiaria eum intus continentia), imitatione paſſionis eius ornari, dicens: *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris*. 2. Cor. 4,10. Benè dixit de eo Chriſtus: *Vas electionis eſt mihi iſte*. Erat enim reliquiarium Ieſu miro artificio & ſpeciali ornatu decoratum, quaſi ad viuum repræſentans ipſum Chriſtum. Act. 9, 15. *Viuo ego iam non ego* (inquit) *viuit verò in me Chriſtus*. item: *Ego enim ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto*. Gal. 2, 20. Gal. 6, 17.

479. Sancti cùm ſint viua reliquiaria Chriſtum in ſe portantia, non deſtruuntur, ſed perficiuntur paſſionibus. Qui habet manus delicatulas, Simile. ſi eas mittat ad fortia, & applicet aratro; aut arrepto malleo, ligone, ijs laboret, vt in ſudore vultus ſui veſcatur pane ſuo, paulatim ita indureſcunt, vt ferè inſenſibiles fiant. Sic nudæ plantæ pedum ambulantis ſuper humum & tranſeuntis aſpera & petroſa callos ſubinduunt, qui proinde ſine læſione ibit & redibit Roma, ſocius autem duo fortè paria calceorum ex fortiſſimo corio bouino confectorum detriuerit. Sed quæ eſt cauſa, quòd tenera hominis pellis indureſcat, & durum corium conteratur? Aſſignat eam noſter Didacus Stella in c. 10. Luc. dicens: Didaco. Stella. Cutis manuum & pedum vitâ ſuſtẽtatur, corium autem ſoleæ nec vitam, nec animam, nec ſpiritum habet. De Sanctis, qui ſunt reliquiaria in quibus viuit Chriſtus, dicitur: *Fortes facti ſunt in bello*. Hebr. 11,34. item: *Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur*. Pſalm. 33,20. 21. Qui autem ſine Deo intus fortificante patiuntur, deficiunt, & teruntur ſicut corium inanimatum. Audi Prophetam de illis ſententiam pronuntiantem: *Conteret ſceleſtos & peccatores ſimul:* Iſaiæ 1,28.

& qui dereliquerunt Dominum, conſu-
Pſalm. *mentur.* item Dauid: *Tamquam vas*
2,9. *figuli confringes eos.* & Ieremias, *In-*
Ierem. *duc ſuper eos diem afflictionis,* inquit,
17,18. *& duplici contritione contere eos.*

480. Mittuntur agni ad lupos, à
quibus multa ſunt paſſi. qui quòd
Deum intus habebant per gratiam,
non ſunt confracti aut contriti, ſed
miro modo per ea quæ tolerarunt or-
nati fuerunt, & tamquam reliquiaria
ſacra Deum per ſuas paſſiones glorifi-
carunt. Primum & præcipuum reli-
quiarium fuit B Maria, in qua nouem
Coloſſ. menſibus inhabitauit *omnis plenitudo*
2,9. *diuinitatis corporaliter,* & ideò præ ce-
teris Sanctis (cùm ſit Regina ſancto-
rum omnium) per paſſiones & dolo-
res ornata Deum glorificauit. Alij
miſſi ſunt, hæc autem ex inſtinctu Spi-
ritus ſancti mota fuit, vt ſicut inno-
centiſſima ouicula, Chriſto patiente in
medio luporum, imò taurorum &
Pſalm. leonum (nam *tauri pingues obſederunt*
21,13. *me. Aperuerunt ſuper me os ſuum,*
14. *ſicut leo rapiens & rugiens)* ſtaret iuxta
crucem eius. In præſenti vita leones &
lupi agnis & ouibus intermiſti ſunt;
quamuis necdum venerit tempus
abundantiæ pacis, quæ futuræ vitæ
reſeruatur, quando in requie opulenta
Iſaiæ *habitabit lupus cum agno.* Saulus nimi-
11,6. rum, qui priùs fuerat lupus rapax, ſpi-
rans minarum & cædis cum Stepha-
no manſueto agniculo accubabit. Igi-
tur per patientiam ſpem habere debe-
mus, cùm etiam Maria grauia paſſa ſit,
ſtans inſtar ouiculæ inter atroces lu-
pos iuxta crucem, & ita cum Filio & ad
Filium per multas tribulationes intra-
uerit in regnum Dei. Conſule, & ad
præſens propoſitum accommoda quæ
habentur *Tract.* x. *Diſcurſ.* I.

IN FESTO
SS. SIMONIS ET IVDÆ.

481. *Hæc mando vobis, vt diligatis* Ioan.
inuicem. Notatu digniſſima ſunt omnia 15,17.
verba Chriſti, prætertim quæ dixit in
vltimo illo Sermone quem ad diſci-
pulos habuit inſtante paſſionis tem-
pore, in quo præter alia præcipuè nobis
dilectionem commendauit, pro qua
non ſemel Patris & ſuam reciprocam
dilectionem repromiſit. Proponit au-
tem inter cetera indicium, ex quo
probari poſſit an homo diligat Deum,
dicens: *Qui habet mandata mea, & ſer-* Ioan.
uat ea, ille eſt qui diligit me. Dauid ha- 14,21.
bebat & ſtudioſè ſeruabat mandata
Dei, qui ait: *In corde meo abſcondi elo* Pſ. 118,
quia tua, vt non peccem tibi. item ille in 11.
cuius perſona dicebat, *In capite libri* Pſalm.
ſcriptum eſt de me, vt facerem volunta- 39,8.9.
tem tuam: Deus meus volui, & legem
tuam in medio cordis mei. Non ſufficit
mandata Dei habere, ſed neceſſe eſt
diligenter ea ſeruare vt beatitudinem
obtineamus. vnde Chriſtus ait: *Beati* Lucæ
qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt 11,28.
illud. Habent mandata Dei, ſed negli-
gunt, qui ſciunt, ſed tamen ad eorum
regulam non inſtituunt vitam ſuam,
nec in lege Domini meditantur die ac
nocte. Quid autem ad ſollicitam man-
datorum Dei obſeruantiam requiratur,
patet ex verbis Sapientis, qui ait: *Al-* Eccli.
tiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præ- 3,22.
cepit tibi Deus, illa cogita ſemper. Tunc Pſalm.
non confundar, dicit Dauid, *cum perſpe-* 118,6.
xero in omnibus mandatis tuis. In veteri
Teſtamento indicauit Deus, quomodo
mandata quæ habentur debeant ſerua-
ri. *Diliges,* inquit, *Dominum Deum* Matth.
tuum, &c. *Eruntque verba hæc quæ ego* 22,37.
præcipio tibi hodie, in corde tuo: & nar- Deut. 6,
rabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis, 6.7.
ſedens in domo tua, & ambulans in iti-
nere,

v. 8. *nere, dormiens atque conſurgens: & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur ante oculos tuos.* Neſcio quid hîc addi poſſet ad diligentiſſimam rei alicuius cuſtodiam.

482. Dauid non ignarus huius informationis, in corde ſuo abſcondit

Simile. mandata & eloquia Dei. Salua vita poſſunt auferri omnes res creatæ, quia etſi quis earum diligentiſſimam curam habeat, adeò vt cum illis dormiat, iter faciat, & arctiſſimè ſibi eas alliget, tamen non poteſt quidquam illarum in corde ſuo ponere aut abſcondere, ex quo nihil omnino auferrur, niſi homo interficiatur. Mādata Dei in corde collocari debent, ex illius decreto. vnde certò cōſtat eum morti eſſe obnoxium, qui ea ibidem illæſa & intacta non ſer-

Prou. 7. 2. uauerit. vnde ait Sapiens: *Fili, ſerua mandata mea, & viues, & legem meam quaſi pupillam oculi tui.*

483. Ideò Chriſtus non ſolùm vult haberi, ſed etiam ſeruari mandata ſua.

Hugo Card. Gloſſa ordinaria, & ex ea Hugo Cardinalis, exponit, quid ſit habere, quid ve-

Auguſt. rò ſeruare mandata Dei. Auguſtinus Tract. 75. in Ioannem ait, quod habeantur in memoria, & ſeruentur in vita; habeantur in ſermonibus, & ſeruentur in operibus; habeantur audiendo, & ſeruentur faciendo. Qui ſic habet & ſeruat, ille diligit Chriſtum. Sed ad propoſitum noſtrum notandum eſt,

Ioan. 14, 21. quod ait: *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum.* Frigida videtur hæc promiſſio futuri temporis, & retractoria illius abſolutæ quæ diligentibus Deum in veteri Te-

Prou. 8, 17. ſtamento facta eſt, quando dixit: *Ego diligentes me diligo.* Ecce non dicit diligentur, ſed diligam eos, &c. *Quid eſt*

Auguſt. *diligam*, inquit Auguſtinus Tract. 75. in Ioannem, *tamquam nunc non diligat? Exponit per id quod ſequitur, & manifeſtabo ei meipſum. Id eſt, Ad hoc diligam, vt manifeſtem, & ipſam viſionem mercedem fidei capiamus.*

484. Addit Ferus noſter huic ex- Ferus.
poſitioni pauca, quæ non parum præſenti propoſito noſtro ſeruiunt. Obſerua, inquit, quòd dilectio Dei Patris, cū ſit æterna, per omnem differentiam temporis ſe extendat. vnde ſuprà dictum eſt verbo præteriti temporis, *Sic* Ioan.
Deus dilexit mundum, &c. infrà au- 3, 16.
tem manifeſtat, Eccleſiam de præſenti Patris dilectione gaudere poſſe, dicens: *Non dico vobis quia ego rogabo* Ioan.
Patrem de vobis: ipſe enim Pater amat 16, 26.
vos, &c. Nunc verò vtitur verbo futuri 27.
temporis, *diligetur, diligam*. Nota igitur, licet dilectio ſecundùm actum diligendi ſit æterna ceu præterita, tamen ſecundùm effectum futura eſt. vnde non eſt inconueniens, vt dilectio, quâ nos in præſenti diligimus Deum, ſubinde præueniat dilectionem Dei, quoad aliquem effectum (puta vocationem ad Religionem, imò reparationem poſt lapſum in ſubſequens peccatum, & donum finalis perſeuerantiæ, ac vniuerſaliter quoad ea quæ meremur ſuo tempore recipere.) Affectū æternæ dilectionis Dei & effectum in tempore ab eo miſericorditer collatum in vna ſententia expreſſit per Prophetam, dicens: *Charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te, miſerans tui.* Eſt Ierem. 31, 3.
quis ſtrenuus in operibus charitatis, valdè flexibilis, vt ignoſcatur ſi peccantibus, ille meretur de congruo, vt ſi peccando poſteà excidat de ſtatu gratiæ, Deus ſua miſericordia eum præueniat, & lapſum erigat. Qui igitur mandata Dei habet, & diligenter ſeruat, non ſolùm diligitur à Deo quoad aliquos dilectionis effectus, ſed etiam diligetur tempore futuro, ſecundùm particularem neceſſitatem, in

quam

quam peccando fortè inciderat. Conſule hac de re *Tract.* 1. *Diſcurſ.* XVI.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Matth. 5,3. 485. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Multis medijs conatus eſt Dauid oculos Dei ſibi reddere intentos. Non ignorabat autem, quòd *oculi eius in pauperem reſpiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum.* (Pſalm. 10,5.) Inuitat igitur eum titulo paupertatis, dicens: *Reſpice in me, & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego.* (Pſalm. 24,16.) Vrget Hugo Cardinal. (Hugo Card.) quòd non dicat *aſpice*, ſed *reſpice*, inſinuans eum pauperē fuiſſe ſpiritu, non mendicum plebeium huc illucque vagabundum, & circumeuntem ciuitatem, ſed humiliter ſequentem à tergo. Tales autem ſunt, quibus centuplum Euangelicum eſt repromiſſum. *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me*, &c. (Matth. 19,28.) dicit Chriſtus diſcipulis ſuis.

486. Ne autem putemus, omnem pauperem apud Deum eſſe in honore, notandum eſt, quòd Dauid non ſolùm dixerit, *Pauper ſum ego*, ſed præmiſerit, *quia vnicus & pauper ſum ego.* (Pſalm. 24,16.) qui enim nihil aut parum habet, ſed ſollicitus eſt & turbatur erga plurima, cùm vnum ſolum ſit neceſſarium, non vnus ſed diuiſus eſt. Vnicus ſum, inquit Dauid, quia *vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini.* (Pſalm. 26,4.) Dicitur in principio 1. Reg. 1. *Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim*, &c. *& nomen eius Elcana.* Vir vnus virtute animi (inquit Gloſſa interlinearis) non vagabundus, non mobilis. Vir nō ſexu tantùm, ſed etiam virore virtutum; vnus non ſolùm vnitate perſonæ, ſed ſingularitate religionis, & conſtantia mentis, & perſeuerantia ac continuatione virtutis. *Homo ſanctus in ſapientia manet vt ſol*; nam *ſtultus ſicut luna mutatur.* (Eccli. 27,12.) Multi ſunt ſimiles hiſtrionibus, (Simile.) qui in theatro comœdias repræſentantes, toties perſonam mutant, quoties nouę actiones populo exhibentur. Res valdè monſtroſa eſt, in vna ſubſtantia plures perſonas gerere. *Vna eſt columba mea*, dicebat cæleſtis ſponſus. (Cant. 6,8.) Citò affectum mutare, hodie blandiri dilecto, (Simile.) cras contumelijs proſcindere; nunc amare, poſteà odio habere, non eſt verè amantium, ſed canum, qui ſimul colludunt, ſed pro minima offula quæ de menſa proijcitur, inuicem mordent & ringunt dentibus.

487. Dauid vnicus fuit, qui ſolo Deo contentus, idem in aduerſis, idem manſit in proſperis, vnde aiebat: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* (Pſalm. 107,2.) Non eſt vnus, qui ad nouos euentus & occaſiones occurrentes ſtatim eſt alius. de tali dicitur: *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei.* (Pſalm. 48,19.) Non fuit vnus Petrus, qui in cœna inſeparabilem ſocietatem in carcere & in morte Chriſto promiſit, cuius notitiam in domo Caiphæ diſſimulauit. Non eſt vnus, qui in templo Deum orat, & domi inter domeſticos nomen eius blaſphemat. Ab vnitate hac recedunt, quotquot *fatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, & qui ad tempus credunt*, &c. (Tit. 1,16.)

488. Ad propoſitum noſtrum, non eſt vnus, qui Deo ſolo non eſt contentus, & multa diligit & concupiſcit. vnde de ſingulis, ac ſi plures eſſent, intelligi poteſt illud Prophetæ: *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ te dilexerunt.* (Oſeæ 9,10.) Cùm enim cor & anima hominis ſit vbi amat, Chriſto teſte, qui ait, *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit*: (Matth. 6,21.) qui Deum ſolum vt theſaurum & omne bonum non amant

per

Pſalm. per veram paupertatem ſpiritus, *ipſi*
58,16. *diſpergentur ad manducandum; ſi verò non fuerint ſaturati, & murmurabunt*. Vnde ſi quæratur à talibus;
Marc. *Quod tibi nomen eſt?* Reſpondere poſ-
5,9. ſunt, *Legio*. ſicut olim diabolus interroganti Chriſto reſpondit.

489. Porrò Deus zelotes eſt, qui odit eos qui ſolliciti ſunt & turbantur erga plurima, & famem patientes vt canes circumeunt ciuitatem, diſperſi, & circa multa diſtracti ad manducandum. Deflectit oculos à cupidis & auaris, qui diuinijs accumulandis im-
Simile. pudenter inſudant. In hoc ſimilis eſt vulturi, quod animal apud Ægyptios (vt notat Pierius lib. 8.) ſymbolum fuit diuinæ prouidentiæ. Scribit au-
Aelian. tem Ælianus lib. 4. cap. 15. quòd vultur numquam oculos dirigit in illas terras quæ auri fodinas continent, quia ſteriles ſunt. Ita Deus illos diuites contemnit, qui non minùs abundant auro & argento, quàm fructibus bonorum operum deſtituti, tamquam arbores ſteriles combuſtioni deſtina-
Iob 28, ti ſunt. *Habet argentum venarum ſua-*
1. *rum principia, dicit Iob: & auro locus eſt, in quo conflatur*. Attende, & collige ſub cortice huius litteræ, quàm ſit Deus alienus à terra huiuſmodi. ſubdit enim Propheta: *Semitam*
✝.7. *ignorauit auis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis*. Gloſſa ordinaria exponens hæc verba, per auem Chriſtum intelligit, qui oculos auertit ab
Gloſſa auaris & pecunioſis hominibus. *Hoc*
ordin. *loco auis nomine ille ſignatur* (inquit Gloſſa) *qui corpus carneum quod aſſumpſit, aſcendendo ad æthera librauit*. Huius oculi in pauperem ſpiritu reſpiciunt, qui quòd præter Deum nihil cupiat, non ſolùm pauper, ſed & vnicus eſt. Talem autem vt ſuum poſſidet Deus. Vnde notandum eſt, quòd Elcana, qui fuit vir vnus, idem ſit Latinè (vt notauit Hugo Cardinalis in 1. Reg. 1.) quòd *poſſeſſio Dei*. Hìc datur occaſio diſſerendi de paupertate ſpiritus, quæ etiam diuitibus ſuo modo ad ſalutem neceſſaria eſt, ac proinde conari debent, *vt qui emunt tam-* 1. Cor.
quam non poſſidentes, & qui vtuntur 7,31.
tamquam non vtantur ſint. Vix enim diues rebus, niſi pro ſanctioris vitæ norma fuerit ſollicitus, pauper ſpiritu erit, ac proinde in aperto diſcrimine amittendæ ſalutis viuet. Conſule hac de re *Tract.* VII. *Diſc.* IV.

IN FESTO SANCTI MARTINI.

490. *Nemo accendit lucernam, &* Lucæ
in abſcondito ponit, neque ſub modio, 11,33.
ſed ſuper candelabrum. Lucerna pedi- Pſ. 118,
bus meis, inquit Dauid, *verbum tuum,* 105.
& lumen ſemitis meis. Pedes foris illuminari poſſunt, tamen intus lucis ſunt incapaces. Intelligit igitur, ſecundùm Haymonem, per pedes affectio- Haym.
nes, quibus promouetur anima in bonis operibus. Lucerna autem eſt illud verbum, de quo Ioannes ait: *In prin-* Ioan.
cipio erat Verbum. vnde infrà ſubdit: 1, 1.
Erat lux vera quæ illuminat omnem ho- ✝. 9.
minem, &c. Sicut enim in lucerna ha- Simile.
betur lumen & teſta, ita in Chriſto deitas lumen eſt, humanitas inſtar teſtæ continentis, imò occultantis & moderantis impetum illius lucis inacceſſibilis. Poteſt etiam hoc intelligi de verbo ſacræ Scripturæ. Pro quo notandum cum Ayguano, quòd verbum Ayguaſacræ Scripturæ quandoque ponatur nus.
in ſingulari numero, vt cùm dicunt Apoſtoli: *Non eſt æquum nos relin-* Act. 6,
quere verbum Dei, & miniſtrare men- 2.
ſis. aliquando verò in plurali numero, vt, *Cælum & terra tranſibunt, ver-* Matth.
ba autem mea non præteribunt. Primo 24,35.

Digitized by Google

autem modo ſumptum Verbum, nimirum pro Filio Dei incarnato, numquam pluraliter dicitur, quia vnicum ſolum eſt Verbum.

491. Porrò ſciendum, quòd Chriſtus ſubinde lucerna, aliquando verò lumen ſit. Differunt enim lucerna & lumen, quòd illa ſit minus lumen, vnde lucerna dicitur, quaſi lumen arcens, hoc verò abſoluta & non coacta lux ſit. Hominibus Chriſtus eſt lucerna, ſed Angelis lumen. Verbum ſacræ Scripturæ etiam admittit hanc differentiam. In veteri Teſtamento lucerna, in nouo lumen eſt. *Secundùm legem lucerna eſt verbum Dei* (inquit
Ambr. Ambroſius) *ſecundùm autem Euan-*
Iſa.9,2. *gelium, lux magna eſt.* ſi quidem *populo qui ſedebat in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Non promittebat neque manifeſtabat vetus Teſtamentum tam clarè futuram gloriam, ſicut
Hebr. 10,1. nouum. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum* (inquit Paulus) *non ipſam imaginem rerum.* Erat tunc lucerna, nunc Verbum Dei lumen eſt ijs qui dubia ſollicitè diiudicant.

492. Qui benè deſiderat vitam inſtituere, ita vt non declinet neque ad dexteram neque ad ſiniſtram, non facilè reſoluere, ſed in dubijs maturè & & præmeditatè deliberare debet quid faciendum ſit aut omittendum. Porrò ex teſtimonijs ſacræ Scripturæ ſumi debet iudicium eius, quod eſt
Eccli. 37,20. licitum aut prohibitum. *Ante omnia verbum verax præcedat te* (inquit Sapiens) *& ante omnem actum conſilium ſtabile*, ſapientum nimirum, aut ſacræ Scripturæ. Nota, quòd magna ſit differentia inter lucernam quæ deſeruit ſaluti animarum, & illam cuius miniſterio homines nocte per ciuitates vadunt de loco in locum: hæc enim eſt plerumque in manu eius qui debet eò ire quò is qui ſequitur mandauerit; lucerna autem verbi Dei debet eſſe in manu euntis quò eundum eſt. Præcedit pediſſequus de nocte dominum, quem de die ſequi ſolebat, portans accenſam facem, non quò ei viſum eſt, ſed quò votum aut voluntas heri ſui vrget; qui fortè miniſterio portantis lucem abutitur, vt vadat ad domum tenebrarum, vt ad proſtibulum, aut ad conuenticulum hæreticorum, &c. Simile.

493. Non defuerunt qui volebant, vt illi, quibus à Deo lucerna verbi Dei commiſſa eſt, ſibi obtemperarent, & præirent non quò eundum erat, ſed quò libido ſequentes pellebat. Henricus VIII. Angliæ Rex talibus luciferis prælucentibus ad adulterinas nuptias conuolauit, & tandem ad infelicem exitum peruenit: cui fortiſſimus Martyr Ioannes Roffenſis, & Thomas Morus ſe oppoſuerunt, qui maluerunt mori, quàm incurrere duram illam ſententiam à Propheta contra eos prolatam, qui errant & in errorem ducunt: *Væ qui dicitis malum bonum, &* Iſa. 5,
bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Non eſt ho- 20.
rum verbum verax neque conſilium ſtabile, quod ante omnem actum reſpici debet ab eo qui non vult errare. Oriuntur in moribus hominum indies noui & inauditi abuſus, qui dæmone inſtigatore inducuntur ab ijs, de quibus ait Propheta in perſona Dei: *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis* Pſalm.
eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. 80,13.
Hi ſunt de quibus alio loco dicit: *Co-* Pſalm.
gitauerunt conſilia, quæ non potuerunt 20,12.
ſtabilire. Nihil inſtabilius quàm quæ ſeculi vanitas adinuenit. *Præterit enim* 1.Cor.
figura huius mundi. Quemadmodum 7,31.
vix famoſus pictor habetur, qui ima- Simile.
ginem ſemel adinuentam iterùm in tabula.

tabula repræſentat, ita temporibus iſtis à vanis & leuiculis contenditur, vt cum noua veſtimenti forma inuiſa etiam materia ab opifice excogitetur.
Pſalm. 38,7. *Etenim in imagine pertranſit homo*. Porrò imaginum apographa ſiue copiæ vileſcunt.

494. Relictis igitur his conſilijs quæ non potuerunt à ſuis auctoribus ſtabiliri, ad Dei edicta intendamus,
Iſa.46,10. qui ait: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* item: *Quæ*
Pſalm. 88,35. *procedent de labijs meis, non faciam irrita.* Prohibuit per Spiritum ſanctum vanam veſtimentorum complacentiam, dicens: *In veſtitu ne glorieris vmquam, nec in die honoris tui extollaris.* Potiùs corruet cælum & terra, quàm contrarij abuſus filiorum Adam hoc decretum Dei irritum faciant, adeò vt licitè quis in veſtitu gloriari poſſit. Tangit locus ille præcipuè mulieres, quæ omnium maximè veſtium ornamentis gaudent. Pro his præter alia Sophonias ſcripſit verbum verum, dicens in perſona Dei:
Eccli. 11,4.
Soph. 1,8. *Viſitabo ſuper Principes, & ſuper filios Regis, & ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina.* Hoc verbum verax conſerua, quod ſicut lucerna à Deo poſitum eſt non ſub modio, ſed ſuper candelabrum authenticæ Scripturæ, ne contrariæ conſuetudines te abducant, & tradant terribili viſitationi futuri iudicis, qui otioſa verba ne dum ſuperflua veſtimenta rigido ſcrutinio ſubijciet. Multa fiunt & permittuntur, de quibus meritò dubitatur licitáne ſint néc ne. Imprudens autem periculo damnationis ſe exponit, qui dubijs & perplexis ſententijs ſe committens, quælibet aggreditur abſque examine & diligenti diſcuſſione, cùm tamen Deus lucernam verbi veritatis ſuper candelabrum poſuerit, ne in tenebris ambulantes offendamus. Conſule hac de re *Tract.* I. *Diſc.* XXVIII.

IN FESTO SANCTÆ CATHARINÆ.

495. *Et clauſa eſt ianua.* Clauditur ianua cæli omnibus qui peccando Matth. 25,10.
ſe in tali ſtatu conſtituunt, vt ſi contingeret eos in illo mori, oleum gratiæ illis deeſſet, ex cuius defectu mererentur audire durum illud verbum, quod fatuis virginibus fruſtrà pulſantibus dictum eſt: *Amen dico vobis,* ℣. 12.
neſcio vos. Peccator ſecundùm præſentem iniuſtitiam deletus eſt de libro vitæ, & per conſequens ei non patet ingreſſus in cælum. De gloria quidem cæleſti intelligitur quod ait Ioannes: *Non intrabit in eam aliquod coin-* Apoc. 21,27.
quinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni. Verùm pœnitentibus ſpes ſupereſt intrandi per aliam portam. *Si pater filium vno pepulerit oſtio,* dicebat S. Franciſcus Epiſcopo à quo repulſam paſſus fuerat, *alio ſibi reintrandum eſt*. Peccator cælo pulſus cenſeri debet: dicitur enim, *Foris canes,* &c. & *omnis qui amat & facit* Apoc. 22,15.
mendacium. Qui oſtendet ſe ab modo le filiali omnino alienum non eſſe, ſi pœnitendo per Mariæ interceſſionem, quæ eſt *felix cæli porta*, conetur reintrare. Conſule hac de re *Tract.* IX. *Diſcurſum* XII.

ELENCHVS MATERIÆ RELIGIOSIS SPECIALITER ADAPTATÆ PRO CONCIONIBVS ALIQVOT DOMINICARVM ET FERE OMNIVM FESTORVM TOTIVS ANNI.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Lucæ 21,27. Simile. 1. TVNC *videbunt filiũ hominis venientem in nube cũ poteſtate magna.* Quemadmodum homo, qui oneratus ære alieno, agnoſcens ſe non eſſe ſoluendo, ſollicitus eſt vt inueniat fideiuſſorem : eodem modo cùm peccator viribus naturę ne quidem pro minima culpa ſatisfacere poteſt, meritò implorat gratiam eius qui pro ſe vadari velit. Fecit hoc olim Ezechias, dicens : *Domine vim patior, reſponde pro me.* (Iſa. 38, 14.) Conſcientia vim infert & affligit peccatorem, cui in æternum non ſatisfiet ab illis, pro quibus Chriſtus ſe non obtulit fideiuſſorem. Putant aliqui, quòd ibidem Ezechias loquatur de infirmitate corporis, cuius talem ſentiebat eſſe ſtatum, vt deſperata conualeſcentia ſibi neceſſariò eſſet moriendum, niſi Deus interponeret manum ſuam: ſed meliùs ad propoſitum noſtrum S. Thomas, Haymon, & alij (S. Tho. Haym.) exponunt hæc verba, quaſi Ezechias hîc inuocet Meſſiam Chriſtum venturum, qui ex officio quaſi mediator & ſponſor laborantium & peccantium cauſam ſuſcipiat. De hoc fideiuſſore intelligi debet quod ait Sapiens : *Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris; dedit enim pro te animam ſuam.* (Eccli. 29,10.) *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Pro hac tanta charitate memoriam & recognitionem requirit; vnde Paulus ait : *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem,* &c. (Hebr. 12,3.) Quia verò multi ſunt qui ne tantillum quidem rependere volunt illi qui ſe & omnia ſua nobis impendit: ideò in die iudicij eos arguens ingratitudinis,

ſe

ſe omnibus conſpiciendum exhibebit. Dicitur quidem de eo, quòd *dat omnibus affluenter, & non improperat*; tamen intelligendum hoc eſt de illis qui donis ſuis benè vſi ſunt, & per pœnitentiam meritum ſuæ paſſionis aſſequuntur, vt videre eſt in Saulo, Magdalena, Petro, & alijs: nam exprobrat impio ingratitudinem ſuam, quòd beneficijs cumulatus mala retribuat pro bonis. Acerbiſſimè autem improperabit in die iudicij ingratis reprobiſque, quòd oblata ſalutis media neglexerint.

Iacob. 1,5.

2. Porrò præ ceteris grati eſſe debent Chriſto, qui plus ex meritis paſſionis eius participant. Certè virgines & Religioſi plus alijs Filio Dei debent, de quibus intelligi poteſt illud Ioannis: *Hi empti ſunt de terra.* item: *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.* Hi ſunt qui pretio Sanguinis Chriſti acceperunt hanc perfectam corporis & animæ puritatem, vt nimirum in terra cæleſtem vitam agerent, & in carne ſine illius corruptione non modò æquarent, ſed & ſuperarent meritis Angelicam puritatem. Nota igitur, quòd Ieſus pro virginibus quaſi pro margaritis quibuſdam comparandis, & ſibi ſpecialiter appropriandis, ſingulariter orauerit & laborauerit, ac Sanguinis ſui pretium Patri obtulerit. *Hi empti ſunt de terra*, inquit Ioannes. Verum eſt, omnes quidem ſecundùm ſufficientiam redempti ſunt à Chriſto, etſi ſoli prædeſtinati efficace redemptione gaudeant. Inter illos autem adhuc eſt diſcrimen: virgines enim & Religioſi redempti ſunt de terra, nimirum ab operibus terrenis & corruptione carnis. hoc eſt quod additur: *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.*

Apoc. 14,3. ℣. 4. ℣. 3. ℣. 4.

3. Non immeritò poſſet eis dici illud Petri: *Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis: ſed pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati, Chriſti incontaminati.* Vanam vocat conuerſationem legalem veteris Teſtamenti, cùm tamen à Deo approbata, imò inſtituta eſſet, quia per ſe non conducebat ad finem vitæ æternæ, vt notat Caietanus. Nam opera legalia tam moralia quàm iudicialia, & cærimonialia, ſecundùm ſe non iuſtificabant neque remittebant peccata. Verùm Lyranus noſter exiſtimat Apoſtolum hic loqui ijs, qui conuerſi erant ex gentilitate, licet priorem expoſitionem etiam admittat. Hunc ſequitur A lapide. Eſtius tamen putat, quòd Petrus ad Iudæos ſcribens, obſeruationem legis Moyſaicæ vanam conuerſationem non appellet, cùm necdum, vt ipſe exiſtimat, tempus maturauerit, quòd lex deberet ceſſare. Senſus autem de gentiliſmo non ſatis ei etiam probatur. Nam vita carnalis gentilium (inquit) non ſolet nomine traditionis paternæ ſignificari, ſed potiùs taxari vocabulo cæcitatis, ignorantiæ & infidelitatis. Non enim gentiles tam reſpiciunt in vita ſua maiorum traditiones, quàm ſequantur naturæ impetus & pronitates carnis.

1. Pet. 1, 18. & 19. Caiet. Lyran. A Lapide. Eſtius.

4. Eſt ergo tertia horum verborum explicatio propoſito noſtro accommodatior, qua per conuerſationem vanam alij intelligunt traditiones ſeniorum, quas Iudæi ſtudioſè retinebant, & proprio motu confinxerant, eaſque vanas & noxias, quia mandatis Dei contrarias, de quibus ipſe Dominus eos reprehendit, dicens: *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Non eſt ab hac interpretatione alienus S. Thomas.

Matth. 15,3. S. Tho.

nem approbatæ Religionis admiſit.

7. Hinc ſequitur, quòd pro gratia hac ſpeciali teneantur ad ſingulares gratiarum actiones reddendas ei qui ait: *Ego elegi vos de mundo.* Reſtat igitur, vt gratiam fideiuſſoris, qui poſuit pro eis animam, non obliuiſcantur. Nota, quòd ingratis & peccatoribus in die iudicij valdè pœnalis erit aſpectus Filij hominis, quos conſcientia arguet ingratitudinis. *Tunc videbunt Filium hominis*, & coram illis fiet ampliſſima omnium beneficiorum commemoratio, qua eis improperabitur ingratitudo. Non niſi iratus refert munificus beneficia quæ contulit vt ingratum cōfundat. Nam, vt habetur apud Terentium, *hac commemoratio, quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij.* Vnde Chriſtus plenus indignatione dixit Iudæis: *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas*, &c. *quoties volui congregare filios tuos*, &c. *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta.* In die iudicij oſtendet Filius hominis fixuras manuum & pedum, &c. dicens: O ingrati, *quid vltrà facere debui, & non feci?* Homines grati omnia ruminant quæ pro illis Deus præſtitit, qui proinde minima illorum magni facit; ingrati verò qui opera Dei non conſiderant, nihil omnino agunt quod ille ſuo aſpectu dignetur. Vide hac de re *Tractatus* VI. *Diſcurſum* VII.

Ioan. 15,19.

Lucæ 21,27.

Terent.

Matth. 23,37. ỿ.38.

Iſa. 5,4.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Matth. 11,8. 8. *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Semper pijs odioſa fuit veſtimentorum pompa, quin etiam illi qui bono communi conſuluerunt Reipublicæ, ſe illi opponere ſolebant, etſi nulla pietatis promouendæ ſollicitudine tenebantur, illam curam Eccleſiaſticis relinquentes. Refert Tympius in ſuo Speculo Principum, quòd Henricus IV. Rex Galliæ anno 1601. Henricus II. circa 1549. & Carolus IX. anno 1560. edictum promulgauerint, vt qui mercatoribus pannos ſericos, dilata ſolutione, ſequentes fidem emptoris, venderent, legis actione carerent, nec poſſent vrgere debitorem ad ſoluendum. Item Dionyſius Syracuſanus Iunior, vt auctor eſt Ælianus l. 14. Variarum Hiſt. cùm malefactores grauiſſimis ſupplicijs afficeret, cum ijs tamen diſſimulabat, qui erant raptores pretioſarum veſtium. Ingemiſcunt autem ſancti, qui zelant Dei honorem propter luxum veſtimentorum. *Manus Deo inferunt mulieres*, ait Cyprianus de Habitu virginis, *quando quod Deus formauit, ipſa deformare contendunt.*

Tymp.

Aelian.

Cypr.

9. Veram pulchritudinem petit Deus in Religioſis, quas ſpecialiter vt filias amat. Porrò *omnis gloria filiæ regis ab intus.* Interiori pulchritudini tantum detrahitur, quantum curioſitati adijcitur. Intelligebat hoc Archidamus. Cùm enim Dionyſius Siciliæ tyrannus filiabus eius ſplendidas veſtes multique pretij miſiſſet, recuſauit accipere, dicens: *Vereor ne hoc amictu puellæ mihi turpes & deformiores videantur.* Sic Plutarchus. Vult Deus vt ſuæ filiæ ſint alienæ à mundi vanitatibus, quas proinde inuitat ad contemptum pompæ mundanæ, dicens: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiſcet Rex ſpeciem tuam.* Placebit Deo interna facies, vbi externa forma fuerit neglecta. Religioſæ in hoc felices ſunt, quòd per veſtimentorum luxum non conentur vanam pulchritudinem magis ſpectabilem reddere, quæ irritamentum libidinis eſt, quam timoratæ virgi-

Pſalm. 44,14.

Pſalm. 44,11. ỿ.12.

Digitized by Google

virgines vehementer deteſtantur: ac proinde longè abſunt à mundanarum damnabili leuitate, quæ deceptoriæ formæ corporis, ſuperaddita veſtimentorum pompa, non verentur muſcipulæ fieri pedibus inſipientium. Conſule hac de re *Tract.* II. *Diſc.* VI.

DOM. III. ADVENTVS.

Ioan. 1, 27. 10. *Non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Ioannes magnus in oculis Dei, & in opinione illorum qui hodie accedunt, dignitatem Meſſiæ eidem offerentes, humilis fuit in ſuis, dicens: *Non ſum dignus*, &c. Si
Hebr. 11, 24. Moyſes mirabilis qui negauit ſe filium filiæ Pharaonis, præeligens labores & afflictiones voluptatibus & dignitatibus huius mundi, tantò mirabilior Ioannes, quantò maiorem recuſat dignitatem, & auſteriorem viuendi normam commodis huius vitæ præfert. Magna eſt ſocietas auſteritatis & humilitatis: optimè illa ſapit omnibus, quibus hæc placet; tam auſteris quàm humilibus datur gratia Dei. Per gratiam autem fit, vt quod eſt aſperum in
Simile. Religione aut durum, emolliatur. Religio eſt ſimilis tabernæ aromatariæ, in qua per artem immatura pyra, poma, nuces, quæ ſolo attactu obſtupeſcere facerent dentes comedentis, ita ſaccharo condiuntur, vt ſumma cum delectatione pro delicijs appoſita comedantur. Eodem modo in vita monaſtica inſipida & dura ita placent & ſapiunt auſteritatis amatoribus per gratiam Dei, vt comedentibus non rarò moderamen & modus præſcribi debeat à moderatoribus & magiſtris, ne excedant.

Simile. 11. Prata quæ vomere non præſcinduntur, & quorum glebas labor agricolæ non comminuit, cibum beſtijs, à quibus paſſim conculcantur, proferunt: ager verò qui culturam admiſit, nec hominum, multò minùs beſtiarum pedibus ſubijcitur, ſed in quiete relinquitur futuræ meſſi. Eodem modo qui ſine vlla mortificatione aut vitæ auſteritate ſunt, cedent beſtijs in cibum & conculcationem. Vt enim boues & vaccæ pingues in pratis luxuriantur, ita *ſi præſtes animæ tuæ* Eccli. 18, 31.
concupiſcentias eius, inquit Sapiens, *faciet te in gaudium inimicis tuis.* Præterea facilè ſuperbit qui in delicijs eſt, & ita fit filius eius de quo dicitur, quòd ſit *Rex ſuper vniuerſos filios ſu-* Iob 41, 25.
perbiæ. vnde Dauid ait: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non* Pſalm. 72, 5.
flagellabuntur, ideò tenuit eos ſuperbia. & ſtatim infrà indicans originem ſuperbiæ, addit: *Prodijt quaſi ex adipe* Pſalm. 72, 7.
iniquitas eorum. item: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit.* Sic etiam in Deut. 32, 15.
muliere, cuius ſententiam refert Ioannes, duo hæc combinata leguntur, voluptas carnis nimirum, & ſuperbia.
Quantum glorificauit ſe, & in delicijs Apoc. 18, 7.
fuit, tantum date illi tormentum & & luctum: quia in corde ſuo dicit: Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo. Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſo- Ezech. 16, 49.
roris tuæ, inquit Propheta, *Superbia, ſaturitas panis, & abundantia.* vbi LXX. legunt *deliciarum luxuriaque abundantia.* vnde Hieronymus, *Superbia* Hier.
ſeminarium eſt, inquit, *ſaturitas panis, & abundantia rerum.* Ioanni Baptiſtæ in ſumma auſteritate viuenti fruſtrà oblata eſt à Sacerdotibus & Leuitis, quos miſerunt Iudæi, dignitas, quam intendebant illi obtrudere, niſi is humiliter eam à ſe protruſiſſet. Hunc ſequuntur Religioſi, qui vitæ auſteritati humilitatem aſſociant, & ita requiem inueniunt animabus ſuis, nec facilè à dæmone conculcantur aut tentationibus ſuccumbunt, vt patet ex ijs quæ

ubi

tibi adminiſtrat *Tract.*III.*Diſc.*XIX.

DOM. IV. ADVENTVS.

Lucæ 3,2. 12. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem.* Non leuiter Ioannes receſſit ex deſerti penetralibus, ſed vrſit Dei mandatum & charitas proximi, antequam mundo, quem ſtudioſè fugerat, ſe admiſceret. *Factum eſt verbum Domini* ſuper eum, vt prædicaret, nimirum baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Ecce ſumma auctoritas præcipientis egreſſum, & maxima neceſſitas præcone indigentium vrſit Baptiſtam. Cui enim magis eſt obediendum quàm Deo? & cui citiùs ſuccurrendum eſt, quàm peccatori indigenti remiſſione? Errant, qui titulo charitatis palliant viſitationes ſenſuales, & excuſant inutiles cõfabulatiunculas. Non fit verbum Dei ſuper Ioannem, vt relicto deſerto, & ſancta ſolitudine, viſitet deuotas, eaſque ſpirituali conferentia deliniat. Minor eſt enim vtilitas quæ inde ſperari poteſt, quàm vt vir verè ſanctus collectum animum ob illam diſtrahat. Abundant ergaſtula miſeris, carceres compeditis, xenodochia peregrinis, noſocomia infirmis, & viri qui ſpirituales cenſeri volunt, illis relictis conſumunt horas ad crates religioſarum, & inuitant ad colloquia ſpiritualia eas quibus quotidianus eſt Sacramentorum vſus. An non præpoſtera eſſet illius miſericordia, qui, relictis pauperibus fame morientibus, media ſua obtruderet ijs qui nutriti in croceis abundant, eaque conſumeret in coëmendis bellarijs ac fructibus ſaccharo imbutis & cõditis, quibus eos reficeret, non ad neceſſitatem, ſed ad voluptatẽ?
Simile. In locis iam commemoratis *paruuli petierunt panem, & non eſt qui frangeret eis*; & tu pro condimentis conficiendis
Thren. 4,4. ſollicitè occuparis? Certè ſalgmarius es, non eleëmoſynarius; nec te tangit proximi charitas, ſed tua te trahit ſenſualitas. Multi ſunt qui indigent verbo pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ad illos te confer, & ſic proba quòd non egredieris niſi verbum Domini ſuper te fiat, & neceſſitas proximi vrgeat.

13. Non deſunt qui ducuntur ad mortem æternam, & qui miſerè conſumuntur igne malarum cupiditatum, qui verò gratam ſolitudinem ad tempus relinquunt, vt cum Ioanne illis prædicent pœnitentiam in remiſſionem peccatorum, *ſuper eos factum eſt verbum Domini*, qui ait in Euangelio: Lucæ 3,2.
Si peccauerit in te frater tuus, &c. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; Matth. 18,15.
nam hîc habet locum illud Sapientis: *Mandauit illis vnicuique de proximo ſuo.* Quid ſentires de homine, qui Eccli. 17,12. Simile.
præſumeret opus magnæ charitatis exercere, ſi relicta ſolitudine honeſtam perſonam recreationis cauſa duceret ad prata virentia, & hortos amœnos floribus conſitos, in itinere autem multos tranſiret & negligeret, quos de morte liberare aut rapere poſſet de igne? An non eſſet tibi ſuſpecta eius charitas? nónne potiùs ſenſualitatis, ne dicam carnalitatis notam ſibi inureret?

14. Virgo verè deuota & religioſa, monaſticæ clauſuræ zelatrix & amatrix, non ſtatim debet exiſtimare Ioannem eſſe Baptiſtam, licet videatur aſcendere de deſerto delicijs ſpiritualibus affluens, qui accedit ad confabulandum de rebus cæleſtibus, & manum exhibere videatur, vt eam ducat per amœna paradiſi virentia, quatenus diſcerpere diſcat & deguſtare illum qui ait: *Ego ſum flos campi, & lilium conuallium*: ſed potiùs cogitare poteſt, Si tanta ferues charitate in Cant. 2,1.

proximum, cur ſine compaſſione, ſine affectione, pertranſiſti magnam turbam ruentium in damnationem? Quo animo negligis verbum, quod ſupra te factum eſt per Sapientem, qui ait:
Prou. 24,11. *Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes?* Ambulent ſolæ per prata paradiſi cæleſtis, quibus ſalus ſecura eſt. *Et*
Iudæ v. 22,23. *hos quidem arguite iudicatos*, inquit Iudas Apoſtolus, *illos verò ſaluate, de igne rapientes.* Ob has vrgentiſſimas cauſas reliquit Ioannes ſolitudinem, ſibi inſtar terreſtris paradiſi iucundam. Arguit enim Herodem propter
Lucæ 3,3. Herodiadem, *& venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ*, vt ita de igne raperet. Non enim ignorabat, fixam eſſe ſententiam Filij Dei, quam promulgauit, dicens:
Lucæ 13,5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

15. Porrò occaſione illius deſerti, in quo Ioannes à pueritia commoratus eſt, de quo non eſt egreſſus, niſi propter verbum Domini quod factum eſt ſuper eum, quodque teneris ab annis petijt, ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſet, hìc tractari poterit de bono Religionis, in qua non ſolùm peccatur rariùs, ſed etiam (ſi abſit contemptus) in eodem genere peccati quodam ſenſu minùs offendit Religioſus quàm ſæcularis, vt patet ex ijs quæ inuenies hac de re congeſta Tract.1. Diſcurſ. XXIV.

DOM. INFRA NATIVIT.

Lucæ 2,35. 16. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Hunc mundum vallem eſſe lacrymarum, patet ex eo, quòd
Rom. 2,9. non ſolùm *tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum*, impreſſionem faciat, ſed etiam & quidem maximè, inuadat animas ſanctorum. Vt enim impoſſibile eſt, inun- *Simile.*
dationem pertingere vſque ad montium cacumina, niſi valles intermedias peruadat; ita dum in hoc mundo aquæ tribulationum alluunt impios & ſuperbos, humiles & ſanctos non relinquunt immunes. Audi Sanctum ſanctorum per Prophetam clamantem:
Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Pſalm. 68,2.
Pſalmus hic conuenit Dauidi ſignificato, id eſt Chriſto, inquit Haymon, vnde etiam Auguſtinus ait, quòd hìc de Chriſto ad litteram loquatur: & vix relinquitur locus dubitaudi, quandoquidem quædam ex hoc Pſalmo deſumpta ſunt à S. Paulo quæ ad Chriſtum pertinent, vt cùm ait Rom. 11.
Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, quod ad litteram intelligi de- Rom. 11,9.
bet de Iudæis excæcatis (vt teſtatur Lyranus noſter) eò quòd Chriſtum ſint perſecuti. Item Ioan. 2. ſcribitur, quòd poſt eiectionem ementium & vendentium de templo, quando Chriſtus ſe exhibuit inſtar hominis indignabundi, *recordati ſunt diſcipuli eius*, Ioan.
quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ 2,17.
comedit me. quibus verbis Euangeliſta clarè inſinuat, quòd hæc Scriptura, quæ continetur in hoc Pſalmo, tunc ad litteram fuerit impleta per Chriſtum. Hinc Auguſtinus concludit, cùm Auguſt.
Apoſtoli loquentes de Chriſto teſtimonia ex hoc Pſalmo dederunt. *Quis deuiet à ſententijs eorum? aut quis agnus non ſequetur arietes?*

17. Nunc ergo eum, quem Pater ſanctificauit, audiamus de aquarum inundatione conquerentem. *Saluum* Pſalm.
me fac Deus, inquit, *quoniã intrauerunt* 68,2.
aquæ, &c. Per aquas autem intelliguntur tribulationes & perſecutiones. vnde dicitur: *Adducet Dominus ſuper eos* Iſaiæ
aquas fortes & multas, Regem Aſſyriorum. 8,7.

Digitized by Google

rum. Hæ quæ magnam fecerunt irru-
ptionem, quando Chriſtus pauore
concuſſus, & affectus tædio, dixit:
Matth. 26,38. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mor-
tem*. Nota autem, quòd in Scriptura
per aquas etiam populus intelligatur.
Simile. Nam ſicut omnes partes aquæ con-
iunguntur & conficiunt vnam mo-
lem, ita multi inſimul vniti vnum cor-
pus facere debent. Ideò dicit Ioannes:
Apoc. 17,15. *Aquæ populi ſunt*. Inter omnes autem
hominum congregationes ſoli Iudæi
faciebant populum (vt doctè notat
Aygua. Ayguanus) ceteri enim *gentes* voca-
bantur. Patet hæc veritas ex verbis Pe-
tri, qui ait de gentilibus ad Chriſtum
conuerſis (*Qui fecit vtraque vnum*, &
tamquam bonus paſtor alias oues ad-
duxit quæ non erant de Iudæorum
ouili, & factum eſt ſub vno paſto-
1.Pet. 2,10. re vnum ouile) *Qui aliquando non
populus, nunc autem populus*. Ratio
huius eſt, quia illa congregatio non
meretur populi nomen, quæ non regi-
tur iuſtitiâ: regi autem iuſtitiâ non
poteſt, quæ Deo non ſubditur. Quia
igitur ſoli Iudæi Deo ſubdebantur per
verum cultum, ideò ipſi præ alijs po-
pulum faciebant.

Pſalm. 68,2. 18. Benè igitur dicit, *quoniam in-
trauerunt aquæ*, &c. id eſt tribulatio-
nes & Iudæi tribulantes. Nam, vt præ-
Lucæ 2,34. dixit Simeon, *ecce poſitus eſt hic in ſi-
gnum, cui contradicetur à multis*. Vſ-
que ad Sanctum ſanctorum igitur in-
trant aquæ tribulationis: quæ etiam
piæ matri eius non pepercerunt, cui
proinde futura reuelat idem Simeon
℣.35. dicens: *Et tuam ipſius animam per-
tranſibit gladius*. Cùm ergo qui nul-
lam culpam commiſerunt, ſuſtinuerũt
crucem, fortiter illa à nobis ferenda eſt.
hinc enim in morte obtinebimus con-
ſolatoriam ſecuritatem. Docebit hoc
latiùs *Tract.* x. *Diſcurſ.* vii.

DOM. I. POST EPIPHAN.

19. *Ecce pater tuus & ego dolentes* Lucæ 2,48.
quærebamus te. Mira res, quòd paren-
tes per momentum oculos à puero Ie-
ſu auertere potuerint, adeò vt ipſis in-
ſcijs remanſerit in Ieruſalem. Mira res,
inquam, ſed ijs qui ignorant quid ſit in
hac terra prægustare per meditationis
dulcedinem, quod Beatis promittitur
in cælis per ſuperplenam diuinæ eſſen-
tiæ fruitionem, quando fiet quod Da-
uid futurum prædixit, *Inebriabun-* Pſalm. 35,9.
*tur ab vbertate domus tuæ, & tor-
rente voluptatis tuæ potabis eos*. item
quando cæleſti menſa ſtrata, dile-
cti Dei audient: *Comedite amici, &* Cant. 5,1.
bibite, & inebriamini chariſſimi. Quòd
enim etiam nunc præ ebrietate ſpiritus
in oratione ſopiri poſſint ſenſus, ex-
pertus nouit, & fidem adhibens Paulo
credit, qui ait vtique de ſeipſo: *Scio* 2.Cor. 12,2.
*hominem in Chriſto ante annos quatuor-
decim (ſiue in corpore, neſcio, ſiue ex-
tra corpus, neſcio, Deus ſcit) raptum
huiuſmodi*, &c. Si enim, teſte Prophe-
ta, *vinum & ebrietas auferunt cor*, & Oſeæ 4,11.
experientia docet, quòd ebrius ſine
vllo ſenſu permittat ſe non ſolùm di- *Simile.*
uitijs, ſed etiam proprijs veſtibus ſpo-
liari; quid mirum, ſi hæc fiant per gu-
ſtum dulcedinis qui percipitur in ora-
tione, ad quem Dauid omnes inuitans
ait: *Guſtate & videte, quoniam ſuauis* Pſalm. 33,9.
eſt Dominus?

20. Expertus ille locutus eſt, vt
patet tum ex multis, tum maximè ex
eo quod dicat: *Calix meus inebrians* Pſalm. 22,5.
quàm præclarus eſt? Haymon ad litte-
ram intelligit per hunc calicem potum Haym.
Dominici Sanguinis, qui inebriat, quia
facit obliuiſci terrenorum, & vitam
præſentem contemni, vt patet in
S. Laurentio & alijs. Titelmannus no- Titelm.
ſter putat, hunc inebriantem calicem

eſſe præuiſionem & prælibationem futuræ hereditatis, quam conſolatoria & certiori ſpe Deus in oratione ſuis electis propinare ſolet. vnde non ineptè
ỷ.6. idem Dauid ſubiungit: *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ, & vt inhabitem in domo Domini,* &c. Verùm calix quo vini illius tam ſaluriter inebriantis prælibatio nobis offertur, eſt oratio & contemplatio. Solet anima per orationem ſingulariter in ſpe conſtitui, & ebria tandem in pace in idipſum dormire. Huius rei
Cæſar. exemplum refert Cæſarius in Faſciculo moralitatis p. 1. Serm. 15. de Monacho, cui oſtenſus eſt liber prædeſtinatorum, in quò aureis litteris nomina illorum ſcripta erant, inter quæ etiam ſuum legit, & meruit audire: *Nomen tuum numquam delebitur de ho: libro.* quo ei ſignificatum eſt, quòd Deum numquam offenderet per peccatum mortale, per hoc enim nomina prædeſtinatorum ſecundùm præſentem iniuſtitiam ad tempus delentur. Clara fuit huic Monacho promiſſio facta ſubſequentis miſericordiæ Dei.

21. In alta contemplatione erat Maria conſtituta, quando Filius eius ſe oculis illius ſubduxit, & quia, vt dicit
Pſalm. 75, 11. Dauid, *cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi,* non ſtatim poſt orationem ex ſancta illa ebrietate venit ad ſe. *Exiſtimantes illum eſſe in comitatu* (inquit Euangeliſta) *venerunt iter diei, & requirebant eum.*
Lucæ 2, 44. Quid, ô ſanctiſſima Mater, ſufficitne tibi leuis opinio? an non requirebatur omnimoda certitudo, eum eſſe in comitatu? Scio quid te excuſet. Reliquiæ cogitationum diem feſtum agunt Deo. Adhuc ebria eras, nondum digeſſeras vinum quo madebas. O felicem animam, quæ ex oratione matutina rediens, toto die ex reliquijs cogitationum inſenſibilis effecta eſt, adeò vt non moueatur, licet rei alioquin ſenſualitati dilectiſſimæ iacturam patiatur. Ecce *venerunt iter diei, & requirebant eum.* ỷ.44.
Tota die reliquiæ cogitationum tam chari filij eatenus obliuionem cauſarunt, vt eis ſola exiſtimatio illum eſſe in comitatu ſufficeret.

22. Ceterùm remanſit puer in Ieruſalem, vt dolentes eum quærerent, quatenus poſteà inuentus, illis inſcijs & inuitis ampliùs non recederet. Patet hoc ex vltimis Euangelij verbis: *Deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* ỷ.51.
Abutuntur hac ſententia Ariani, vt notauit Toletus Annot. 84. in cap. 2. Lucæ, ex qua inferunt, Chriſtum ſecundùm diuinitatem Patre minorem, eique ſubditum eſſe debere, vt refert Auguſtinus l. 3. contra Maximinum c. 18. Argumentum in hunc modum formabant à minori ad maius: Chriſtus vt homo propter naturam humanam à matre ſuſceptam ei fuit ſubditus; ergo vt Deus propter diuinam ſuſceptam à Patre multò magis ei ſubijcitur. Sed magna eſt diſparitas. Nam ad ſubiectionem requiritur diſtinctio voluntatis & intellectus inter obedientem & imperantem; Patris verò & Filij ſecundùm diuinam naturam vna eſt voluntas, vnus idemque vtriuſque intellectus; ergo inter illos nec ſubiectio nec imperium poſſunt habere locum. Secundùm humanam verò naturam non ſolùm Patri, ſed etiam Mariæ & Ioſeph ſubditus eſſe voluit & potuit, quia alia erat ſua alia verò illorum voluntas Sed hæc Theologis relinquenda. Tolet.

23. Ad propoſitum autem noſtrum redeuntes, notandum, quòd illi Chriſtum & dona illius habeant ad manum,

num,

num, qui ea dolore, fletu & diligenti inquiſitione obtinuerunt. Ecce iam dicitur Chriſtus parentibus ſuis ſubditus, poſtquam Maria teſtante ipſis dolentibus fuit quæſitus. Magnum donum eſt donum lacrymarum, quod miro modo Dauid ad manum habuit, adeò vt ſibi illud omnino ſubditum
Pſalm. 6,7. promittens audeat dicere: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Quid promittis, Dauid? Nemini præſtò ſunt lacrymæ, vt eas ſtatuto tempore promat,
Pſalm. 67,10. an non dixiſti: *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam?* Quomodo inuenientur in terra lacrymæ ad nutum eius qui plorare proponit, cùm ex illa non erumpant, ſed
Pſalm. 148,4. *aquæ quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini?* Nota, quòd vir ſanctus ſummo labore conatus ſit eas quærere, vt patet ex multis aſpirationibus & iaculatorijs ſententijs, quibus Pſalmi eius ſcatent; adeò vt tandem ſibi certò ex miſericordia Dei eas promendas polliceatur ad nutum & votum ſuum.

24. Miſericordiam Dei ſibi quodammodò ſubditam fecit ex frequentiſſima illius inuocatione. Quid enim
Pſalm. 50,3. ſæpiùs ab illo auditum eſt, quàm *Miſerere mei Deus*, &c Hinc eamdem miſericordiam tamquam ſubiectam ſibi
Pſalm. 22,6. oſtendit, quando ait: *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Legitur de quodam Ordinis Ciſterrienſis, qui gratiam lacrymarum ſibi ſubtractam dolens, per confeſſionem, orationem & pia exercitia diligentiſſimè quæſitam, tandem per deuota oſcula ligno crucis (quod erat in ſuo monaſterio) deuotè teſixa, inuenit: quæ gratia ab illa hora ei ita præſtò erat, vt quoties vellet, lacrymas haberet. Nil cogitabat B. Virgo, niſi Chriſtum ſuum; nihil petebat, niſi vt illum inuenire poſſet. Concomitantibus de nulla alia re loquebatur, quàm de illo qui remanſerat in Ieruſalem. Singulis ſibi obuiàm factis dicebat: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Cant. 3,3.
Propter hunc laborem & dolorem mitiſſimus puer ſecuram matrem fecit, quòd numquam de cetero niſi illa conſcia recederet, aut alibi remaneret. Quidquid ſit de hac aſſecuratione, ſaltem deſcendit cum illis, inquit Euágeliſta, *& erat ſubditus illis.* Quomodo Virgo dolens, ſed tamen patiens Lucæ 2,51.
Filium quæſiuerit, & quomodo quis ſine præiudicio perfectæ patientiæ ſubinde in mœrore poſſit quærere ſolatium, inuenies *Tract.* VIII. *Diſc.* II.

DOM. II. POST EPIPHAN.

25. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Raró ſunt ſine grauibus moleſtijs nuptiæ terrenæ. *Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi*, dixit Paulus. Tam raró etiam inueniuntur coniuges, qui in conditionibus non diſſentiant, vt ferè omnibus nuptis vna ſit conſolatio ſpes viduitatis; ſed hæc quæ differtur, ſæpè miſerè affligit afflictiſſimæ coniugis animam. Citò refrigeſcit amor maritalis. vnde benè conſulit Sapiens: *Ne derelinquas amicum antiquum, nouus enim non eſt ſimilis illi.* Quibus verbis ſenſu accommodatitio videtur virginibus diſſuadere nuptias. Nam per Baptiſmum Chriſto deſponſatæ ſunt, ſecundùm illud, *Deſponſabo te mihi in fide*: etſi poſteà optimo viro nupſerint, certum eſt, non erit ſimilis priori in nobilitate, dignitate, diuitijs, &c. Similitudinem addit Sapiens: *Vinum nouum*, inquit, *amicus nouus.* Vinum nouum licet ſit ad potandum dulce, aliquan-

Ioan. 2,1. 1.Cor. 7,28. Eccli. 9,14. Eccli. 9,15. Simile.

do tamen fæculentum eſt, & neſcitur quale ſit futurum. Si nubit virgo homini, fortè in principio id ſenſualitati erit delectabile, ſed neſcit quid ſerus veſper vehat. Attendat quòd in
Ioan. 2,10. Euangelio dicatur: *Omnis homo primo vinum bonum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt.* Sæpè amor in odium vertitur, &
Deut. 32,33. fit quòd dicitur: *Fel draconum vinum illorum, venenum aſpidum inſanabile.* Multi in veteri Teſtamento cum magna ſenſualitate coniugia inierunt, qui poſteà vxorum ſuarum pertæſi, dederunt illis libellum repudij, vt pa-
Deut. 24. tet Deut. 24. ℣. 1. & qui ſolent ſupra modum vxoribus adblandiri, mutato affectu maritali in odium exitiale, leonibus crudeliores in illas ſæuierunt; quibus Deus compatiens permiſit repudium, vt ita conſuleret vitæ vxorum, quas Iudæi duri corde alioquin interfeciſſent.

26. In nouo Teſtaméto quod Deus coniunxit, homo ſeparare non poteſt, atque adeò multi, qui ex inſano amore conuenerunt, etſi poſteà odio diſſentiant, ſuſtinere debent donec mors funiculum coniugij rumpat: & quia naturalis ſæpè tardat, non rarò ſibi inuicem violentam imprecantur. Refert
Auctor Siluæ Hiſpan. Auctor Siluæ Hiſpanicæ impudentiam cuiuſdam coniugis, quæ palàm deſiderium mortis mariti ſui teſtatum facere non eſt verita. Dum enim prædicator famoſus occaſione primorum ſeptem verborum, quæ Chriſtus pendens in cruce protulit, omnes feruenter incitaret ad cordialem condonationem offenſarum, exclamauit, Condonabo ex animo. Interrogata quid cui? Reſpondit miſera: Homicidæ qui maritum meum interficiet.

Videtur Paulus indicare, nullos coniuges eſſe quos violentia non teneat combinatos, ſicut muta animalia loris & mancipia, ac remiges catenis connectuntur. *Alligatus es vxori?* in- 1.Cor 7,27.
quit, *noli quærere ſolutionem.* Nota, *Alligatus es.* Facilè ſoluitur ſocietas, ſi quid in ſocio diſplicuerit, ſed catenari ſimul eſſe coguntur, & velint nolint, debet alter alterius onera portare. Certè tribulationem carnis habebunt huiuſmodi. Nam *mulier nupta* ℣. 34.
cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. In mundo autem multa ſunt quæ inquietant, imò quæ terrorem incutiunt. vnde quæ Scriptura dicit de paucitate ſaluandorum, de multitudine ingredientium viam latam, quæ ducit ad perditionem, præ ceteris tangunt eos qui in mundo cogitant quæ ſunt mundi.

27. Pro quo notanda ſunt verba Pſalm. 76,18. 19.
Dauidis, qui ait: *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota.* Verba Dei ſunt aliquibus ſagittæ, quibus confixi ſuccumbunt Religioſi inſpirationibus Dei. *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.* verùm vox terribilis Pſalm. 44,6.
tonitrui tui in rota, id eſt in mundo. Quid per tonitruum (inquit Grego- Gregor.
rius lib. 29. Moralium cap. 10.) *niſi prædicatio ſuperni terroris accipitur?* Meritò qui in rota huius mundi relinquuntur, de multis terrentur, ideò ſubdit Propheta: *Commota eſt & con-* Pſalm. 17,8.
tremuit terra. Non concutiuntur tot terroribus virgines, quibus nulla incumbit neceſſitas cogitandi quæ mundi ſunt, vt placeant viro: nam *virgo* 1.Cor. 7.34.
cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. ac proinde quæ ſe exhibent Chriſto, non concutiuntur terrore, ſed potiùs confortantur turturis voce in tribulationibus & anguſtijs. *En dilectus meus loquitur mihi,* Cant. 2,10.
dicit vna ex Chriſti ſponſis, *Surge, propera amica mea,* &c. *vox turturis* ℣. 12.

audita

Digitized by Google

audita eſt in terra noſtra. Audi hodie gemebundam turturem, pro illis qui illam ad nuptias inuitauerant, & poſteà, vt eſt quorumdam opinio, virgines permanſerunt, ſollicitam. Ioan. 2,3. *Vinum non habent*, inquit. O felices virgines quæ Chriſtum in ſponſum eligunt! Nam ſi aliquando defuerit illis vinum lætificans cor, non relinquentur deſolatæ & confuſæ, ſi quidem benedicta hæc turtur Virgo Maria, ſponſi mater & virginum Regina curam illarum geret: quæ æmulatur eas cum Paulo & alijs Sanctis, vt cæleſtem ſponſum omnibus magnatibus præeligant. Conſule hac de re *Tract.* 11. *Diſcurſum* xxx.

DOMIN. SEPTVAGESIMÆ.

Matth. 20,16. 28. *Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Pigri & tardi in ijs quæ ſunt ſeruitij Dei, eidem odio ſunt. Commune erat murmur Iſraëlitarum egredientium de Ægypto, maximè tamen deſæuit ira Dei in eos qui præ ceteris tardiores in itinere ſe exhibebant. Num. 11,1. *Et accenſus in eos ignis Domini*, dicit Moyſes, *deuorauit extremam partem.* Qui laſſi ſunt, aut potiùs laſſitudinem ſimulant, ſolent in poſtrema aciei parte cunctabundi ſequi: hos ignis inuaſit, qui meritò tædioſis & pigris in ſeruitio Dei timorem incuſſit. 1. Ioan. 4,18. *Verùm perfecta charitas foras mittit timorem.* Simile. Nam ſicut prima turba exercitus in corporali militia maiori periculo expoſita eſt hoſtilis incurſus; ita econtrà qui citiùs præ feruore chatitatis currunt viam perfectionis, faciliùs euadunt; aut ſi occurrit, faciliùs impetum hoſtis frangunt. Contingit tamen aliquando, quòd tardiores in via Dei tandem ſalutari concepto timore, maiorem poſteà concipiant flammam Matth. 20,16. charitatis, adeò *vt fiant nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi:* qui ſicut amore leniunt, ita timore etiam configunt carnes ſuas. Non pellit omnem timorem perfecta charitas, ſed excludit deſperationem ſalutis, & nimiam conſternatæ conſcientiæ carnificinam. Timor autem ſanctus illi aſſociatur (qui enim amat, timet diſplicere amato) & eſt calcar quo vrgemur & exſtimulamur ad hilariter laborandum in vinea Domini. Relinqui autem ſolet in ijs qui ſeriùs ad ſeruitutem Dei acceſſerunt aliqua ſui diſplicentia, & moderatus timor propter vitam otioſè aut fortè etiam pernicioſè tranſactam, ſecundùm illud: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Eccli. 5,5. Hic autem timor non inquietat, ſed humiliat ſeruum Dei. vnde fit vt non ſolùm propter feruorem, ſed etiam propter humilitatem fiant *nouiſſimi primi.*

29. Docet parabola hæc, ne quiſquam deſperet, licet ſerò veniat poſt Matth. 20,16. commiſſa multa peccata. Item præſcindit omnem præſumptionem. Licet enim quis abiectiſſimus ſit peccator, tamen poteſt fieri primus & præcipuus ſanctus in oculis Dei. Item licet quis ſit ſanctus, vt Dauid aut Petrus, tamen peccando poteſt fieri abiectiſſimus. Qui bellicis rebus in- Simile. ſiſtunt, non ſtatim deſperant, licet ſemel atque iterùm victi & profligati ſint, nec ſtatim arma ponunt, aut ſomno & ſecuritati ſe dant, etſi hoſtem vicerint, quinimò quò turpiùs fugerint, & honorem ſuum maculauerint, eò magis incitantur ad fortiter reſumendum conflictum, & gloriam amiſſam recuperandam; & quò glorioſiùs hoſtem ſubiugarunt, eò magis ſunt ſolliciti ad proſequendum victoriam, ne per incuriam & nimiam ſecuritatem paratam gloriam amittant. *Varius* 2. Reg. 11,25. *enim euentus eſt belli, nunc hunc & nunc*

nunc illum conſumit gladius. vnde fuit olim Iſraëlitis zelatoribus legis & mandatorum Dei, non ex rei natura, ſed pro ſingulari priuilegio promiſ-
Deut. ſum: *Conſtituet te Dominus in caput,*
28,13. *& non in caudam, & eris ſemper ſupra, & non ſubter*. Chriſtus igitur præſenti parabola indicat, quòd victi non debeant deſperare, & eos qui ſtant præmonet ne ſibi placeant, ſed anxiè curent omne offendiculum declinare, ne turpiter cadant; ſæpè enim contingit victores deuictis ſuccumbere.
Chryſoſtom. *Quod autem dicit*, inquit Chryſoſtomus, *Erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi, eos occultè inſinuat, qui à principio claruerunt, & poſteà virtutem contempſerunt; & rurſus eos, qui à malitia reducti ſunt, & multos ſuperexceſſerunt*. Eliminat autem hæc parabola omnem ſuperbiam de cordibus hominum: docet enim, neminem debere contemni; nam nouiſſimus poteſt fieri primus: nullus etiam tam altus & ita primus eſt, qui non poſſit fieri abiectiſſimus. Datur hîc occaſio loquendi de praxi humilium, qua ſe omnibus poſtponunt. qua de re conſule *Tract.* III. *Diſc.* V.

DOM. SEXAGESIMÆ.

Lucæ 8,7. 30. *Simul exorta ſpina ſuffocauerunt illud*. Benè comparantur diui-
Simile. tiæ ſpinis. Nam ſicut ſpinetum eſt latibulum reptilium & venenoſorum animalium; ita diuites, præſertim auari, ſunt receptaculum omnium vitio-
1. Tim. 6,10. rum. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*, inquit Apoſtolus. *Cui nihil ſatis*
Aelian. *eſt, eidem nihil turpe eſt*, dicit Ælianus lib. 14. cap. 3. Auarus non ſolùm animæ ſuæ per peccatum crudelis eſt, ſed etiam corpori ſua neceſſaria commoda ſubtrahit, & ſine vllo merito illud
Plutarc. affligit. vndè benè Plutarchus in Moralibus docet, auaros infelicem agere vitam. Notat autem, quòd quidam Chius nomine vina optima vendiderit alijs, ipſe vappam potauerit; vnde & ſeruo viluit, qui rogatus quid dominus eius ageret, reſpondit: *Cùm adſint bona, quærit mala*. Sed magis eſt dolendum, quòd animam miſerè laceret peccatis inordinata rerum cupido. *Diuites eius repleti ſunt iniqui-* Mich.
tate, dicit Propheta, *& inhabitantes in* 6,12.
ea loquebantur mendacium. Nam, vt ait Hieronymus, *veritas paupertatem,* Hieron.
mendacium diuitias parit. Multa igitur damna animæ & corporis afferunt ſecum diuitiæ, tamen nihil poteſt cohibere cupiditatem auari, vir autem cæleſtium deſideriorum nullam temporalium rerum iacturam aut inopiam timet. Vide hac de re *Tractatus* VII. *Diſcurſ.* V.

DOM. QVINQVAGESIMÆ.

31. *Cæcus quidam ſedebat ſecus* Lucæ
viam mendicans. Mendici, qui parum 18,35.
vident, quorum oculi aliquo modo caligant, facilè ſe ſimulant cæcos vt facilius eleëmoſynam extorqueant: verùm Chriſtus Filius Dei, cui omnia nuda ſunt & aperta, & qui diuitijs abundat, cur, quæſo, ac ſi cæcus eſſet, rogat, *Quid tibi vis faciam?* Miratur ℣. 41.
Chryſoſtomus. *Domine*, inquit, *quid* Chryſoſtom.
interrogas quod ipſe oculis vides? Multæ adferuntur cauſæ huius interrogationis. Ambroſius dicit quòd *interro-* Ambr.
gat, vt credamus non niſi confitentem poſſe ſaluari. vult vt quilibet ſuos defectus agnoſcat, vt curetur. vnde Dauid rationem allegans ex qua magnam ſperabat miſericordiam Dei ſibi fore concedendam, ait: *Quoniam iniqui-* Pſalm.
tatem meam ego cognoſco, & peccatum 50,5.
meum contra me eſt ſemper. Non legitur Dominus vllum inſanum curaſſe, quia non

Digitized by Google

non cognoſcunt ſe mente captos. Docemur ex hoc, quòd Dei miſericordia non ſanet vulnus, quod peccator culpabiliter ignorat. *Corruptæ ſunt cicatrices meæ*, dicebat Dauid, *à facie inſipientiæ meæ*. Si ſapiens fuiſſem, non ita permiſiſſem vulnera putreſieri, inquit, ſed Medico oſtendiſſem. Pſalm. 37,6.

32. Item rogat hunc pauperem, vt ex petitione illius fides omnibus manifeſtetur. Sed ad propoſitum noſtrum, oſtendit Chriſtus, ſingularem pauperibus beneuolentiam eſſe exhibendam, & quomodo eleëmoſyna facienda ſit. Rogat ergo, *Quid tibi vis?* Non enim eſurienti potus, aut ſitienti cibus ſufficit: deinde ægrotanti Medicus, ſed panis benè valenti neceſſarius eſt. Occaſione huius pauperis, cui Chriſtus tam benignus eſt, diſſerere poteris de diuitum huius ſæculi inſania, qui ſolida animæ bona contemnunt terrenorum amore, verùm pauperes Religioſi, his relictis, illis ditiores ex hac vita recedunt, vt patet ex ijs quæ tibi miniſtrat *Tractat.* VII. *Diſcurſu* XVI.

DOM. QVADRAGESIMÆ.

Matth. 4,9. 33. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*. Ingenuam indolem in multis prodidit Abraham, maximè autem in eo, quòd liber fuerit ab inordinata rerum temporalium cupiditate, quarum promiſſione homines veteris Teſtamenti ad obſeruantiam legis & honeſtam viuendi rationem præcipuè promoueri ſolent. Reliquit omnibus huius rei argumentum & exemplum, quando parta victoria dedignatus eſt deuictorum ſpolia. Nam Regi Sodomorum omnia reſignanti, & pro ſolis ſubditis captiuis ſupplicanti, dixit: *Leuo manum meam ad Dominum*, &c. *non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas: Ego ditaui Abram*. Nota, quòd magna erat præda quam iure belli acquiſierat, & prætereà Rex reſignabat & liberaliter offerebat, ipſe tamen nec filium quidem accipere voluit. Aſſignat Ferus noſter, ſcribens in Geneſim, & ex illo Cornelius, rationes huius abdicationis ſpoliorum. Prima, vt omnes viderent illum non pugnaſſe propter ſpem lucri, ſed ex charitate, ad liberandum cognatos ſuos. Secunda, recipere noluit, quia illa bona pauperibus direpta erant, maluit igitur vt illis reſtituerentur, non quòd iniuſtè talia militibus cedant. Capta enim bello iuſto, cuiuſcumque illa fuerint, fiunt victoris, per legem poſitiuam multarum gentium, vt notat hîc Bonfrerius. Gen. 14,22. 23. Ferus. Bonfre.

34. Hinc ſolui poteſt ſcrupulus, qui non rarò in partibus hiſce occurrere poſſet. Cùm enim quotidie à noſtris intercipiatur miles hoſtilis, & præda, quam is iniuſtè diripuit, veniat ad manus noſtrorum, videri poſſet eos teneri cuilibet ſua reſtituere, cùm tamen quotidie contraria praxis toleretur. vnde ſi à ciue Mechlinienſi v. g. hodie à milite Hollando ablatus ſit magnus theſaurus, & poſtquam ille fuit ſpatio vigintiquatuor horarum in manu hoſtili, à noſtris recuperetur, nihil iuris in illum prætendere poteſt ciuis deprædatus. Nam lege poſitiua, quam nonnulli dicunt (quemadmodum in Hiſpania) etiam in Belgio noſtro locum obtinere, præda ab hoſte abacta, & hoſti à validiori armato brachio iterùm excuſſa, cedit iuri illius qui legitimo marte hoſtem inſequendo inuaſit; modò vigintiquatuor horis illa bona in hoſtis poteſtate fuerint. Verùm etſi talia bona iuſta eſſe poſſint, ſunt tamen deplorata à primo poſſeſ-

poſſeſſore, & ideò pius Abram noluit ea attingere.

35. Tertia ratio, ob quam Abram ſe continuit à receptione oblatorum ſpoliorum, fuit, quòd Regi, qui videbatur illa gratuitò reſignare, noluerit eſſe obnoxius: quo exemplo docet,
Iſa. 33, 15. verum eſſe quod dixit Iſaias: *Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere*. Hoc præcipuè incumbit illis, qui ex officio tenentur facere iudicium & iuſtitiam, & eis qui ratione Prælaturæ debent arguere & increpare peccan-
Simile. tes. Nam canis, qui proiectam offam aſſumpſit, impeditur à latratu, nec iudex plenis manibus gladium vt oportet poteſt arripere. Eodem modo *munus aut beneficium accipere, eſt liber-*
Exemplum. *tatem vendere* Refert Hugo Cardinalis rem notatu dignam de quodam Martino Cardinale S. Romanæ Eccleſiæ, cui Epiſcopus Florentinus obtulit equum, vt defectum ſuppleret vnius qui in ſuo æquitatu claudicabat. Abſolutis negotijs reuerſus Cardinalis Romam, requiſitus fuit à prædicto Epiſcopo Florentino, vt illi patrocinium ferret in negotio cuius gratia Romam venerat. Cui Martinus: Permitte me priùs recipere meam libertatem. Et reddidit ei equum quo vſus fuerat. Poſteà ad Epiſcopum conuerſus, *Si*, inquit, *iuſtam habes cauſam, ſtabo pro te*.

36. Sed præter alias rationes huius renuntiationis, hanc ad propoſitum noſtrum habuit S. Patriarcha, quòd voluerit omnibus oſtendere inſignem animum omnia paruipendentem, & ſe maius aliquid habere quàm diuitias. Ac ſi facto diceret: Habeo Deum qui plus poteſt quàm omnia bona mundi. Ceterùm fuit Abram datus in exemplum omnibus vſque in finem mundi. Illum proinde propoſuit Christus Iudæis, dicens: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Occa- Ioan. 8, 39.
ſione huius abdicationis, & illius præſumptuoſæ iactantiæ dæmonis, qui præſumpſit Chriſto promittere omnia regna mundi, oſtende auaritiam eſſe fugiendam: non enim ſatiantur cupidi, ſed potiùs ſuffocantur diuitijs, quas dum vt idola colunt, ſibi moleſtias pariunt. Beati autem, qui eas dedignantur, quos amor Dei pauperes rebus fecit, & virtutibus ſublimauit. Lege hanc in rem *Tractatus* VII. *Diſcurſum* XII.

DOM. II. QVADRAGESIMÆ.

37. *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe*. Matth. 17, 4.
Inter alias ſupplicationes, quas præceptis ſalutaribus moniti & diuina inſtitutione formati audemus Deo offerre, vna eſt quæ obſcura videtur, dum dicimus, *Adueniat regnum tuum*. Ne- Matth. 6, 10.
mo dubitat, regnum illud eſſe gloriam cæleſtem, nobis promiſſam hac vita finita, quando corpore in terra relicto, anima volabit ad cælum empyreum. Cùm enim animæ aſcendant in montem Domini, vt gloria illa perfruantur, videtur quòd potiùs orare deberemus, vt poſſimus intrare in regnum Dei, quàm vt regnum illius ad nos veniat. Adde, quòd obſeruantibus mandata Dei ſpes data ſit intrandi in vitam æternam. *Si vis ad vitam* Matth. 19, 17.
ingredi, ſerua mandata. Certè impudens cenſeri poſſet aulicus, habens ne- Simile.
gotium cum Rege & Principe, ſi præſumeret ab illo poſtulare vt is cum tota aula ſua migraret, & ſedem poneret in loco in quo nobilis habet ſuam. Quid eſt, *Adueniat regnum tuum?* Matth. 6, 10.
niſi Muta aulam gloriæ tuæ, & transfer eam ex cælo empyreo ad terram?

38. Videtur hoc prima facie valdè inconueniens, nihilominùs certiſſi-

mum

mum eſt, à Chriſto omnes petitiones
Orationis Dominicæ conuenientiſſi-
mo modo poſitas eſſe. Sciendum igi-
tur, quòd in terra petamus ius ad re-
gnum, cuius poſſeſſionem actualem
Simile. expectamus poſt hāc vitam. Profectus
eſt aliquādo Rex Hiſpaniarum in ter-
ram longinquam, v.g. ex Hiſpania in
Luſitaniam, vt acciperet poſſeſſionem
regni Portugalliæ. Roganti quò ten-
dat ſua Maieſtas, appoſitè reſponde-
ri poſſet, Regnum Luſitaniæ ad eum
ab inteſtato eſt deuolutum, illique ac-
cidit ſiue aduenit, vadit ergo vt ſuſci-
piat poſſeſſionem. Per hoc quòd dici-
tur regnum Portugalliæ ad eum eſſe
deuolutum, ſignificatur ius quod ad
illud habet: ſed quia diſtat multùm à
regno Caſtellæ, debet eò proficiſci, ſi
deſiderat actualiter illo frui. Non hor-
ret Scriptura ab hoc modo loquendi.
Pro quo nota, Chriſtum per parabo-
Lucæ 19,12. lam ſic locutum fuiſſe. *Homo quidam
nobilis abijt in regionem longinquam
accipere ſibi regnum.* Hic homo eſt ip-
Baſilius. ſe Chriſtus, de quo Baſilius: *Non ſo-
lùm ſecundùm deitatem hic homo no-
bilis eſt, ſed etiam ſecundùm genus hu-
manum, ex ſemine Dauid ſecundùm
carnem exortus.* Hic ius habebat ad
Matth. 28,18. regnum, ſiquidem ipſe teſtatur: *Da-
ta eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in
terra.* Aſcendit tamen & abijt ex hoc
mundo, vt acciperet illius poſſeſſio-
Euſeb. nem; nam, vt notauit Euſebius, *benè
dicitur ſibi obtinere regnum.* Nam dan-
te ſibi Patre illud obtinuit, ſecundùm
Dan. 7, 13. illud Danielis: *Ecce filius hominis ve-
niebat in nubibus, & datum eſt ei
regnum.*

39. In hunc modum poſtulamus,
Adueniat regnum tuum, dum longè
abſumus à cælo & cæleſti gloria: lar-
gire nobis miſericorditer gratiam iu-
ſtificantem, qua ius habere poſſimus
ad regnum, & ſimus *heredes quidem* Rom.
Dei, coheredes autem Chriſti. Quòd 8,17.
autem regnum cæli hoc ſenſu adue-
nire ad nos poſſit dici, ex alijs Scri-
pturæ locis patet. Dicitur enim: *Re-* Lucæ
gnum Dei intra vos eſt. Nota, ius ad 17,21.
regnum prærequiritur actuali illius
fruitioni, ideò dicitur: *Gratiam &* Pſalm.
gloriam dabit Dominus. Sciendum au- 83,12.
tem quòd ante plenam illius regni
poſſeſſionem incipiamus in hoc mun-
do fructus eius prægustare, cuius ima-
ginem videre eſt in monte Thabor,
ex cuius prælibatione Petrus omnium
terrenorum oblitus dixit: *Domine, bo-* Matth.
num eſt nos hîc eſſe. 17,4.

40. Propter lætitiam ſpiritualem,
qua perfunduntur aliquando iuſti in
hoc mundo, regnum Dei ad nos ve-
niſſe dici poteſt: *Ecce ego creo cælos* Iſa. 65,
nouos, dicit Chriſtus per Prophetam. 17.
ſubdit autem immediatè pòſt: *Ecce* ℣. 18.
*ego creo Ieruſalem exultationem, & po-
pulum eius gaudium*, id eſt gauden-
tem & exultantem: ponuntur enim
abſtracta pro concretis, quando Scri-
ptura rei alicuius vult abundantiam
ſignificare. Hinc patet felix ſors San-
ctorum, & maximè eorum qui ſunt
pauperes ſpiritu. Cùm enim diuites
huius ſæculi nihil habeant ſolidi gau-
dij quod ſpiritus guſtet, pauperes
Chriſti bona ſpiritualia poſſident, qui-
bus ditati etiam in hac vita reficiuntur.
Conſule hac de re *Tractatus* VII. *Diſ-
curſum* IX.

DOM. III. QVADRAG.

41. *In Beelzebub principe dæmo-* Lucæ
niorum eijcit dæmonia. Ferendi imò & 11,15.
diligendi ſunt maledici, iudicio S. Ba- Baſilius.
ſilij, *quia eorum operâ eam beatitudi-
nem aſſequimur*, inquit, *de qua Chri-
ſtus dixit: Beati eſtis, cùm maledixerint
vobis homines.* Sic ille in Regulis fuſiùs

diſp. q. 176. In hac eadem ſententia fuit Illuſtriſ. Cardinalis Bellarminus, *Exemplum.* qui cùm à quodam æmulo, homine ad contumelias prompto, in omnibus ferè ſententijs, etiam optimis rationibus ſtabilitis, ignominioſè refutaretur, quaſi ſurdus non audiens & mutus non habens in ore ſuo redargutionem, tacebat. Mirantibus alijs, cur ſe ſuaque iudicia, & honorem Patrum purpuratorum, contra impudentem ſarcaſmaticum non tueretur, dixit: *Melior eſt uncia charitatis & pacis librâ victoriæ.* Verum dictum, & aureum: non enim pro veritate & vtilitate quidam contendunt, ſed pro victoria; ſed ſanũ eſt conſilium cuiuſdam ex ſapientibus, quos antiquitas celebrat, qui ait:

Cede repugnãti: cedendo victor abibis.

Eſt imitatione Chriſti clarus, dicit Ambr. S. Ambroſius in Pſal. 37. *qui cùm poſſit habere quod referat, magis vult ſilere quàm dicere.* Antagoniſta ſemper eſt terribilis, quem eiaculata tela non lædunt, & ſuis in pharetra relictis diuerticulum ſedata diſſimulatione quærit. *Simile.* Canis qui non facilè latrat, ſi nimis laceſſitus cogitur, impetentem ſe lacerat. Non minuitur auctoritas diſſimulantis, & non reddentis maledictũ pro maledicto, ſed ſapientiæ opinionem auget, dum ſequitur iudicium Eccli. 21,14. eius qui ait: *Cum ſtulto non multùm loquaris, & cum inſenſato ne abieris.*

Simile. 42. Aqua quæ diu ſtagnat, ſi tandem catarractam perſtringit, facto impetu, quæ optimè fundata videbantur, euertit. Eodem modo qui diu verboſum aut maledicum tolerat, ſi tandem iubente æquitate vrgetur, omnes rationes quæ videbantur loquaculo profundiſſimè fundatæ, oſtendit nullius *Simile.* eſſe ponderis. Qui iracundo & maledico ſtatim iraſcitur & maledicit, ſimilis eſt ſpeculo quod refert vultum & conditionem illius qui ei oppoſitus eſt. *Capite toto ſapiens ſupra inſipientem attollitur*, dicit Plato. Speculum Plato. *Simile.* non repræſentat faciem illius qui ante illud ſtat, ſi ex altiori loco affixum ſit, & ille toto capite inferior ſit. Laceſſitus maledictis erigat animum ad Deum, cui dicebat Dauid: *Tu es patientia mea*, Pſalm. 70,5. & non ſuſcipiet in ſe imaginem inſani & furibundi. Chriſtus Dominus ſumma manſuetudine excipit horribilem blaſphemiam, & quia tempus erat loquendi, ne ſtulti ſibi ſapientes videantur, irrefragabilibus rationibus conuincit, ſe non in Beelzebub eijcere dęmonia. Chriſtum imitantur Sancti, qui cùm omnimodam certitudinem non obtineant de remiſſione ſuorum peccatorum, conſtantes ſunt cùm falſa eis imponuntur, vt pro veris erratis per patientiam ſatisfaciant. Materiam huic propoſito accommodatam tibi miniſtrat *Tract.* x. *Diſcurſ.* x.

DOM. LÆTARE.

43. *Cùm ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum.* Ioan. 6,5. *Obſeruandum eſt*, inquit Ferus noſter, Ferus. *quòd vbicumque Chriſtus oculos leuare dicitur, ſemper magnum aliquod opus ſequitur.* Dicit, *Cùm ſubleuaſſet oculos Ieſus, vt diſceremus* (inquit Beda) *quòd oculos non erigebat huc* Beda. *atque illuc.* Meritò auertendi ſunt oculi ne videant vanitatem. Cùm enim viſio fiat non per emiſſionem, ſed per ſuſceptionem ſpeciei ab obiecto, videns vanitatem illam intra ſe ſuſcipit, & non ſine difficultate ſuſceptam eijcit. Vt enim turpius eſt eijcere quàm *Simile.* non ſuſcipere hoſpitem, ita difficiliùs euaneſcit vanitatis imago ſemel admiſſa, quàm ei ingreſſus præcludatur. Circa hunc ſenſum maior ſollicitudo ne-

Digitized by Google

Simile. neceſſaria eſt. Nihil enim citiùs percipitur, niſi quod viſui offertur. Nam ſpecies viſiuæ continuò oculis contiguæ ſunt. Non enim emittuntur ab obiecto ſolùm dum illis patet ingreſſus, ſed vigilant ad portas clauſas, & imperceptibiliter intrant. Terribilior eſt hoſtis qui obſidione ciuitatem premit vſque ad portas & valuas, quàm qui longè ab illa machinas ſtruit. Quod guſtu vel auditu percipitur, *Simile.* tardiùs ſenſationem operatur. Nam, vt experientia docet, non ſtatim palatum afficit cibus qui ei appoſitus eſt, ſed maſticari priùs debet; nec ſonus obtundit auditum ſtatim vt colliſio duorum corporum, ex qua conficitur, facta eſt, ſed per aërem intermedium ſucceſſiuè ad aures deferri debet. Quod autem videtur, ſine mora percipitur. Tormentum bellicum ſimul ignem vomit & fragorem edit, attamen non ſtatim hic auditur, dum ille videtur. Hæc ſenſibilium differentia docet, circa viſum maximè vigilandum eſſe.

44. Non ignorabat hoc Hugo Gratianopolitanus Antiſtes, qui tam anxiè ſtabat ſuper cuſtodiam ſuam propter hoc membrum, vt cùm R. P. Guidonis mater eum veniſſet ſalutatum, & poſt illius receſſum Guido quæreret dicēs: Numquid mea mater ſenio debilitata & fracta tibi videtur? Reſpondit: *Neſcio planè cuius ætatis ſit, neque enim faciem eius intuitus ſum*. Ita habetur in Vita eius apud eumdem Guidonem.

45. Maiorem curam geſſit Auctor naturæ pro hoc ſenſu quàm pro alijs, quorum ſenſibilia neceſſariò ſenſationem operantur, niſi eorum organa *Simile.* fuerint vitiata. Nil adeſt auribus, quo ſonum, ſi editus ſit, excludant; ſed oculis valuæ quodammodò appenſæ ſunt, quibus præcluditur ſpeciei viſiuæ ab obiecto diffuſæ ingreſſus. Vagus oculus eſt occaſio maculati cordis, & lapſus in peccatum. Verum eſt, quòd omnium ſenſuum cura nobis demandata ſit: nam *inimici hominis domeſtici eius*. Porrò vas, *quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit*, dicit Scriptura. Citiùs tamen coninquinabitur homo per oculos qui vanitatibus patent, quàm per alios ſenſus. Vt enim minima arenula aciem viſus obfuſcat, non ſic autem auditum, guſtum aut tactum vitiat; ita parua vanitas viſu percepta, faciliùs mouet quàm auditu. Itaque ſi quæris qui ſint ad caſum magis propenſi, reſponderi poteſt: *Cadens apertos habens oculos*. Facilè diſſoluitur liber, niſi claudatur, & quò diutiùs apertus relictus eſt, eò maior violentia requiritur ad clauſurā illius. Eodē modo perit homo, & interiùs omnino deordinatur, niſi diſciplinæ oculorum aſſueſcat: quā ſi neglexerit, non niſi ſummo labore eam reſumet. Modeſtia oculorum in principio conuerſionis debet Religioſis eſſe cordi; nam (vt alibi dictum eſt) ſicut oculi hominis mortui numquam occluduntur, niſi ſtatim, poſtquam exſpirauit, eos clauſeris; ita Religioſus, qui in principio Ordinis, quando mūdo mortuus eſt, pro oculorum diligenti cuſtodia non laboret, vix vmquam plena gaudebit huius ſenſus victoria. Plura de oculorum cuſtodia amatori caſtitatis neceſſaria, eò quòd quis citiùs per ſpeciem creaturarum deficiat, quàm in amore & cognitione Dei proficiat, vide *Tract.* II. *Diſcurſu* XIV.

Matth. 10,36. Num. 19,15. *Simile.* *Simile.* *Simile.*

DOM. PASSIONIS.

46. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Infelix eſt peccator cui parcunt linguæ, quia fortè auctoritate Ioan. 8,46.

terret, aut etiam humilibus & manſuetis præeſt, ſi facta, omnibus tacentibus, contra eum clament. Talis fuit Sacerdos, de quo refert Cæſarius par. 2. Serm. 16. qui cùm concionem habiturus de præſenti Dominica, præſumeret pulpitum aſcendere, matronæ quædam honeſtæ volentes illum per ſalutarem confuſionem ad meliorem mentem reducere (erat enim notorio concubinatu infamis) quæſito honeſto prætextu, concubinam prędicantis vultui in loco eminentiori oppoſuerunt. ac ſi dicerent roganti fortè, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nos tacemus præ reuerentia, ſed illa te arguens ait: *Qui prædicas non fornicandum, fornicaris.*

Cæſar.

Rom. 2,21.

Simile. 47. Omnium calculo probatur Chriſti innocentiam fuiſſe perfectiſſimam, qui ſe ſiſtit examini & diſcuſſioni infenſiſſimorum hoſtium. Optimè confidit de iuſtitia cauſæ ſuæ, qui nouit omnes conſiliarios Parlamenti ſibi contrarios, nullos tamen ſuſpectos reddit, quin potiùs lubens ſe eorum arbitrio ſubijcit. Non potuit Moyſes efficacius argumentum adferre, quo omnibus notum faceret, differentem eſſe Dei noſtri conditionem & Deorum gentilium, quàm cùm diceret: *Non enim eſt Deus noſter vt dij eorum, & inimici noſtri ſunt iudices.* Volebat enim notum facere, quòd *odio ſunt Deo impius & impietas eius.* item verum eſſe quod poſteà dixit Dauid: *Manè aſtabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Vt autem hanc veritatem omnibus irrefragabilem reddat, allegat ipſorum inimicorum teſtimonium & iudicium, *Et inimici noſtri,* inquit, *ſunt iudices.* Gentes nimirum quæ circumcirca habitant, huic veritati ſuffragantur. Claris verbis illam profeſſus eſt Achior, in prolixa illa relatione, quam fecit Holoferni de origine & progreſſu Iſraëlitarum, ac de Dei circa eos prouidentia, in qua maximam partem conſumpſit, vt concludat tamquam primò verum dicens: *Deus enim illorum odit iniquitatem.*

Deut. 32,31.

Sap. 14, 9.

Pſalm. 5,5.

Deut. 32,31.

Iudith 5,21.

Simile. 48. Quando in ſcholis noſtris defenditur ſententia, vt illius veritas clarior ſit, inuitantur auctores contrariæ opinionis ad diſputationes. Vt v. g. dum ſecundùm doctrinam Scoti poſita eſt concluſio, qua aſſeritur per abſolutam Dei potentiam peccata ſine pœnitentia remitti poſſe, cui contradicitur à diſcipulis S. Thomæ, præ ceteris illis offertur locus, & datur tempus argumentandi à Præſide, qui hoc modo indicat, ſententiam ſuam ita eſſe fundatam, vt facilè veritas eius etiam contra reſolutos aduerſarios defendi poſſet. Eodem modo Deus in veteri Teſtamento ab inimicis ſuſcipit teſtimonium ſuæ impeccabilitatis, & Chriſtus Dominus in nouo prouocat ad argumentandum contra eam eos quos ſibi nouerat infenſiſſimos. Nec dignatus eſt theſem ponere, & expreſſis verbis profiteri ſe immunē à peccatis; putabat enim, illud, tamquam principium primum, non indigere probatione; admittit tamen, vt contra illud argumententur aduerſarij, quibus dicit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Non eſt immunis à ſuſpicione peccati, qui ſuam innocentiam ſolis verbis probat: nam qui non veretur malum agere, minùs timebit factum negare. vnde Cicero apud Lactantium lib. 3. cap. 15. *Malè,* ait, *mecum agitur, ſi me oratio magis quàm vita purgat.* Chriſtus igitur nihil de ſeipſo affirmans, prouocat indifferenter inimicos, vt eum arguant de peccato.

Ioan. 8,46.

Cicero.

49. Nota, quemadmodum omnes hoſtes

hoſtes ſuos ſubinde peccati reos oſtendit; ita nunc omnium eorum iudicio ſe innocentem probat. In eodem hoc capitulo deſcribit Ioannes hiſtoriam mulieris deprehenſæ in adulterio, quam dum à pœna & lege decreta eximere Chriſtus vellet, dixit accuſatoribus, qui pleni iniqua cogitatione illam adduxerant, vt haberent vnde
Ioan. 8,7. eum accuſare poſſent: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Nullus autem quidquam con-
℣.9. tra eam attentauit, ſed *vnus poſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus, & remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans.* Si vnum determinatum prouocaſſet ſub conditione immunitatis à peccato, & ille fuiſſet tergiuerſatus executionem ſententiæ, ceteri non ideò de peccato conuicti manſiſſent,
℣.7. ſed iam indeterminatè ait: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm,* &c. vt omnes recedant. vnde conſtabat, nullum fuiſſe à peccato immunem.

50. Ad hunc modum Chriſtus ſuam innocentiam per hoſtium ſuorum ſilentium omnibus probatam fecit. Non obtulit huic vel illi (quemadmodum in diſceptationibus ſcholarum fieri ſolet), locum & tempus arguendi ſe de peccato, ſed indeterminatè omnes prouocat, dicens: *Quis ex vobis,* &c. Cùm autem omnis iniquitas oppilauit os ſuum, nullus non impiorum probauit Chriſti Domini æ-
Simile. quitatem & innocentiam. Etſi ſententia in ſcholis clara argumentorum ſolutione, quæ ab vno vel altero oppoſita fuerant, defendatur, non inde ſequitur eam eſſe irrefragabilis veritatis: nam fortè erant alij in eodem conſeſſu, quorum fortioribus rationibus Præſes ſuccubuiſſet, ſi illis arguendi facultas fuiſſet conceſſa: verùm ſi toti auditorio indeterminatè dicatur à Præſide, Quis ex vobis præſumet hoc noſtrum placitum oppugnare & conuincere falſitatis, & omnes tacent, meritò omnibus ſuperatis triumphat. Goliath elatus & in carnea corporis mole confiſus dixit: *Ego exprobraui* 1. Reg. 17. 10.
agminibus Iſrael hodie: date mihi virum vnum, vt ineat mecum ſingulare certamen. quia vnum prouocat indeterminatè, omnes prouocaſſe ſe iactat: & quidem niſi Dauid virtute indutus ex alto ſuperueniens ſingulare certamen contra illum iniſſet, potuiſſet gloriari quòd de omnibus reportaſſet gloriam, imò ante victoriam licebat ei triumphum canere, nam nemo non recuſabat hunc congreſſum. *Audiens* ℣.11.
autem Saul, & omnes Iſraelita, ſermones Philiſthæi huiuſcemodi, ſtupebant & metuebant nimis. Eodem modo omnes ſuperat Præſes diſputationis, qui offert ſe ad defenſionem alicuius concluſionis cuilibet oppugnatori indeterminatè, ſi nullus tunc argumentari præſumit. Fuit tale quid factitatum non ex animoſitate aut iactantia, ſed ex zelo gloriæ & honoris Dei, quando Antuerpiæ in initio induciarum anno 1609. inter Hollandos & Regem Catholicum initarum, in noſtro Conuentu inſtitutæ ſunt publicæ diſputationes, ad quas, miſſis theſibus, vocati & inuitati ſunt miniſtelli Hollandorum. Nam Præſes diſputationum R. P. Theodorus Smiſing, poſt aliquam diſceptationem quam habuit cũ Catholicis, qui non pro triumpho, ſed pro exercitio ad diſputationes conueniunt, tandem clara voce Hollandos allocutus eſt, dicens: Quæ in his noſtris theſibus continentur, ſunt ea quibus ſine fructu paſſim à multis Hollandorum pro qualibet oblata occaſione in curribus & nauibus contradicitur, quæ nos hîc & nunc defendenda ſuſce-

ſuſcepimus. Itaque ſi quis veſtrûm in illis aliquid notauerit, aut à veritate aberrans, aut veræ fidei, ſine qua nemo poteſt Deo placere, diſſonans, magno nos afficiet honore, ſi nunc loquatur, & de cetero coram indocta plebecula taceat. Cùm autem omnes ſic prouocati obmuteſcerent, tandem concludens ait: Nullus eſt igitur qui contrà argumentari velit aut poſſit? Si ego aut aliquis noſtrûm ad oppugnandum veſtra dogmata fuero interpellatus, prima & increata Veritate fauente & benè iuuante, non diſcedemus, niſi falſa quæ in illis continentur, refellamus. Poſtquam Adam lapſus in peccatum iure hereditario omnes, qui ab illo ordinario generationis modo deſcendebant, infecerit, inauditum paradoxum cenſeri debebāt, hominem à peccato immunem eſſe. Hoc tamen Chriſtus Dominus in ſeipſo ab aduerſarijs impugnandum & diſputandum offert, qui omnes hac re non ſolùm infecta, ſed nec intentata quidem ad calumnias ſe conuertunt, & quem conſcientia eorum pium & ſanctum clamabat, hunc ira & paſſio dæmoniacum blaſphemauit. Et quia defuerunt impijs hominibus rationes, quibus innocentem conuincerent, quęſierunt lapides vt interficerent: ſed ille manſuetè declinans, exiuit, & dedit locum iræ.

51. Innocentiam ſuam Chriſtus Dominus ante paſſionem publicare voluit, vt crux & paſſio illius pios efficaciùs ad compaſſionem moueret, & magis in perſecutionibus & tribula-
1.Pet. tionibus ſolidaret. *In hoc enim vocati*
2,21. *eſtis*, inquit Petrus, *quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum.* Chriſto patienti forti quidem animo, ſummo tamen dolore virgo Maria compaſſa eſt. Beati ſunt, qui in tribulatione patientes eam imitantur, quia fortes in portanda cruce & ſui mortificatione in morte conſolatoria ſecuritate gaudebunt. Vide hac de re, & huic propoſito accommoda, quæ habentur *Tract.*1.*Diſcur.*xxx.

DOM. PALMARVM.

52. *Ecce Rex tuus venit tibi man-* Matth.
ſuetus. Sumpſit Euangeliſta hæc ver- 21,5.
ba ex Zacharia, qui pro eo quod ille
vertit *manſuetus*, habet, *Ecce Rex tuus* Zach.
venit tibi iuſtus & ſaluator: & ipſe 9,9.
pauper. Benè dicit Matthæus, *Venit ti-*
bi, acquiſitiuè ſcilicet. *Scitis enim gra-* 2.Cor.
tiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, inquit 8,9.
Paulus, *quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.* Numquam Chriſtus ſe pauperiorem oſtendit quàm hodie.
Dices: In Natiuitate *non erat ei locus in* Lucæ
diuerſorio. in vita egenus fatetur: *Vul-* 2,7.
pes foueas habent, volucres cæli nidos, Matth.
filius autem hominis non habet vbi ca- 8,20.
put reclinet. Reſpondeo, tunc ſe exteriùs exhibuit tamquam pauperem & egenum, hodie autem Regē ſe demon-
ſtrat & prædicat, *Ecce Rex tuus*, &c. Matth.
Pauperior eſt Rex qui in ingreſſu ſuo 21,5.
triumphali, ex defectu equi, emendi- Simile.
cato aſino inſidet, quàm mendicus qui caret hoſpitio. Nota, quò quis eſt in eminentiori turri poſitus, eò quæ infrà ſunt ſuper terram minora illi videntur. Eodem modo, quò altior eſt ſtatus ad quem quis adoptatus eſt, eò bona quæ poſſidet auctiora eſſe debent, vt proportionem aliquam cum ipſo ſortiantur. Vt enim quod vni ſatis eſt, non ſufficit multis (vnde Andreas
aiebat: *Eſt puer vnus hîc qui habet* Ioan.
quinque panes hordeaceos, & duos piſces; 6,8.
ſed hæc quid ſunt inter tātos?) idem de vno & eodem, ſed in diuerſo ſtatu poſito, ſentiendum eſt. Sæpè qui fuit di-

ues

ues Sacerdos aut Canonicus, licet poſteà plura poſſideat, eſt pauper Epiſcopus. Paruulæ auiculæ nidus paruus, commodior eſt. Calceus qui puero erat nimis laxus, nullo modo capit pedem viri. Sufficiebat Christo pauperi infantulo arctum præſepium, ſed non erat dignitati eius Regiæ ſatis abiectum iumentum. Aſinariorum non Regum eſt, aſina & pullo eius vehi. Igitur Chriſtus in die ſummæ gloriæ commemorationem celebrare voluit extremæ paupertatis, quæ in illo & in benedicta matre eius propter ſupremam eorum excellentiam ſumma fuiſſe probatur *Tract.* VII. *Diſcurſ.* I.

Simile.

IN FESTO PASCHÆ.

1. Cor. 15, 51. 53. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Reſurrectio impiorum non eſt illis conſolatoria, ſicut pijs & ſanctis. vnde vnus Martyrum Machabæorum dixit tyranno: *Tibi reſurrectio ad vitam non erit.* Non vult ſignificare, quòd impius non ſit victurus in reſurrectione, omnes enim viuent; verùm ſoli boni ad vitam glorioſam reſurgent, mali autem ad mortem, ſed mortem fugacem, quam deſiderabunt quidem, ſed numquam aſſequentur. Videntur mihi damnati ſimiles ijs, qui ſumpto lento veneno miſerrimè languent, adeò vt nec viuere poſſint nec mori, interim ſunt in continuo cruciatu, & viuendo moriuntur quodammodò mille mortes. Talem expreſſit Iob, quando ad Deum clamans ait: *Si flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocentum rideat.* Non ridet Deus de pœnis iuſtorum, quatenus illis moleſtæ ſunt, ſed complacet ſibi in illis, quatenus collata eis ſufficienti gratia, eorum virtus in pœnis perficitur. Verùm de damnatorum tormentis non ille ſolùm, ſed etiam alij Sancti ſe ipſius iudicijs per omnia conformantes ridebunt. *Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam,* inquit Dauid, *manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Imò Deo ridenti corridebunt. ait enim: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Explicat autem Gregorius quo ſenſu hoc intelligi debeat, dicens: *Ridere Dei, eſt, humanæ nolle afflictioni miſereri.* Circa tempora noſtra quidam affectus eſt Antuerpiæ graui ſupplicio, cui in ſella confidenti ſubſtratus eſt remiſſus & languidus ignis, qui horribiles edebat clamores, rogans validiori ardore mortem accelerari. Non præſumpſit aquam petere quæ ignem extinguat, ſed ſuppliciter rogauit ignem igni addi, qui miſerum citiùs conſumeret. Verùm non fuit à Iudice exauditus, qui eatenus de tormentis ridere viſus eſt, quatenus ſceleſto miſereri noluit. Sic Deus clamores damnatorum, qui in omnem æternitatem deſiderabunt mori, contemnet. Omnes igitur moriemur, ſed non omnes immutabimur, & ad vitam glorioſam reſurgemus; boni autem honorificè immutabuntur. Nam corpus illorum *ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Ad hanc glorioſam immutationem anhelans Iob aiebat: *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Multùm ergo differt reſurrectio iuſti & impij. De iuſto enim dicetur: *Auferte ab eo veſtimenta ſordida.* Ioſeph ad Regis imperium eductus eſt de carcere, *& veſte mutata obtulerunt eum Regi.*

2. Machab. 7, 14. Iob 9, 23. Pſalm. 57, 11. Prou. 1, 26. Greg. 1. Cor. 15, 43. Iob 14, 14. Zach. 3, 4. Gen. 41, 14.

54. Nec ſolùm erit differentia inter iuſtum & impium, ſed etiam ipſi Sancti non omnes eadem luce fulgebunt. *Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic erit reſurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15, 41.

Porrò præter dotes quibus decorabuntur corpora omnium Beatorum, virgines habebunt aureolam, de qua vide quid dictum ſit *Tract.* 11. *Diſcurſ.* XXVIII.

DOM. IN ALBIS.

Ioan. 20,27. 55. *Affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Plus laborauit Chriſtus pro vnius Thomæ, quàm Petrus pro conuerſione trium millium. Sola prædicatione Petri factum eſt quod ait Lucas: Act. 2, 41.42. *Appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia. Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum.* Chriſtus autem præter verba, obtulit vulnera ſua palpanda, dicens Thomæ: Ioan. 20,27. *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Benè igitur promiſſum eſt credentibus in eum, quòd maiora eſſent facturi quàm ipſe fecerat. Virtus quidem exibat de Chriſto, & ſanabat per ſui contactum, Virgo autem beata ſolo aſpectu profuit, & inordinatos motus ſedauit. Conſule hac de re *Tract.* 11. *Diſcurſ.* v.

DOM. VI. POST PENT.

Marc. 8,2. 56. *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent.* Non ſemel oſtendit Chriſtus, quòd deliciæ eius Prou. 8,31. ſint eſſe cum filijs hominum. Non appetit groſſiores cibos, qui delicatis veſcitur. Chriſtus agens cum vna Samaritana, ita iucundabatur conuerſatione & ſpe conuerſionis illius, vt oblitus cibi corporalis, à diſcipulis ex ciuitate reuerſis moneri debuerit. Ioan. 4,32. *Rogabant eum diſcipuli*, inquit Ioannes, *dicentes: Rabbi, manduca.* Iam receſſerat mulier, & tamen adhuc negligit cibum corporalem. Reſpondit autem: Ibid. *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.* Exponit autẽ Theophylactus quis ſit ille cibus. Theophyl. *Neſcitis quod cibum voco ſalutem hominum*, inquit, *neſcitis quòd Samaritani ſalui fient & credituri ſint.* Sic ille inducit Dominum ad Apoſtolos loquentem, vt qui optimè nouerat, quòd Samaritana iam iam à ſe conuerſa, totam ciuitatem ad eum tractura ſit.

57. Mira res! mulier conuerſa facta eſt cibus Chriſti, & ipſa ſollicita eſt vt alios diſponat qui eidem cedant in cibum. Ea quæ pro corporum ſuſtentatione ordinata ſunt à Deo, ipſo facto quo eſurientes paſcunt corrumpuntur, & non producunt fructum, niſi dum eſurientes ab eorum comeſtione abſtinent. Oues & boues, & vniuerſa pecora campi mactari debent, & multiplicationi inepta reddi, vt manducaturis adaptentur. Non ſic eſt de cibo animæ, quo veſcuntur, qui proximi ſalutem anxiè quærunt. *Occide, & manduca*, dictum eſt Petro. Act. 10, 13. Optimi ſtomachi eſt, qui vi caloris res mali ſucci in bonum commutat, & occiſas præſtantiori vita donat. Herbæ & fructus terræ pro vita vegetatiua, quam in ſe ſolam habebant, acquirunt rationalem, dum in ſubſtantiam hominis conuerſi in illo viuunt. Chriſtus calidiſſimi ſtomachi erat, & ideò Samaritanam, Magdalenam, Saulum, qui brutalem degebant vitam, ſalubriter occiſos, & corpori ſuo myſtico incorporatos, præſtantiſſimæ vitæ reſtituit, qui ſic ab illo conſumpti aptiſſimi fuerunt, vt de alijs ei cibum pararent, ſicut illum velle nouerant, cui deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum.

Diſſimile. Simile.

58. Nota, quòd ſicut corpus hominis habet cibum ſuum, ita & anima. Dum verò hæc ad plenum paſcitur, facilè illud traditur obliuioni. Deus eſt cibus, imò & deliciæ anima-

rum:

Digitized by Google

rum: quid mirum, cùm animæ ſint deliciæ eius? Niſi hominum illorum, de quibus Euangelium mentionem facit, deliciæ fuiſſet, certè non habentes quod manducarent ad ſuſtentationem corporis, obfirmato animo nullo modo fuiſſent ſecuti. Oſtendunt ergo ſincerum amorem erga Deum ſponſum animarum noſtrarum, quem ipſe in ſuis ſponſis præſertim religioſis requirit, quando ait: *Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Amor creaturarum commaculat amantem, qui facilè excedit, ſi res amata delectat; amor verò Dei ſponſam potiùs emaculat, cuius nullus eſt timendus exceſſus: & quò quis pleniùs Deo per amorem fruitur, eò amabilior illi repræſentatur. Comedendo corporalem cibum non ſolùm conſumimus, ſed etiam appetitum extinguimus: non ſic in ijs quæ ſunt ſpiritus. Cùm enim dicitur, *Qui edunt me, adhuc eſurient*, id eſt magis eſurient; niſi Deus idem manens in ſeipſo fruenti vberior appareret, certè maiori appetitui idem ferculum quod minùs eſurienti priùs appoſitum erat, non ſatisfaceret. De hac materia huic Euangelio accommodabili, occaſione feruoris quem oſtenderunt illi qui triduo Dominum ſuſtinuerunt, non habentes quod manducarent, agitur *Tract.* 11. *Diſc.* xxxi.

Pſalm. 44, 11.

Simile.

Eccli. 24, 29.

DOM. VII. POST PENT.

Matth. 7, 20. 59. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Benè probatur Maria Virgo benedicta in mulieribus, ex eo quòd Eliſabeth addidit: *Et benedictus fructus ventris tui.* Cauſam explicat, cur benedicta ſit inter mulieres, inquit Toletus. Ac ſi dicat, Non poſſet tam benedictus fructus proferri, niſi ab arbore benedicta. Ergo particula & cauſalis eſt, vt alijs in locis Scripturæ vſurpari ſolet. Fructus autem ventris, filij vocari ſolent. vnde dicitur, *Filij merces, fructus ventris.* item: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* In veteri Teſtamento mulieres benedictæ habebantur propter fecunditatem (*Vxor tua ſicut vitis abundans*, inquit Dauid, *in lateribus domus tuæ*) in nouo verò propter aureolam virginitatis. B. Virgo *gaudia matris habens cum virginitatis honore*, ex vtroque fundamento benedicenda & beatificanda eſt ab omni generatione. ac proinde dicere poterit illud: *Omnia poma, vetera & noua, ſeruaui tibi.* Pomum vetus eſt, eſſe matrem; pomum verò nouum, eſſe virginem. Aliæ mulieres vel virgines ſunt, vel matres: hæc induenda eſt duplicibus, matris ſcilicet & virginis honore. Si arbor bona bonos fructus facit, & Chriſtus eſt optimus fructus, ſequitur, Mariam optimæ arboris nomen mereri. Solent arbores ſilueſtres & infructuoſæ venuſtiori fronde luxuriari, ac molliori cortice vanam ſuam ſterilitatem contegere. Imò blanda ouina lana lupinam voracitatem teſte Chriſto diſſimulat. Fructuoſæ autem arboris rudior cortex eſſe ſolet: ita Maria exteriùs ab omni veſtimentorum mollitie aliena fuit, cuius ſingularis caſtitas Deo grata, & exterior formoſa ſimplicitas hominibus proficua fuit. Hanc ſequuntur virgines Religioſæ, quarum tantò amplior erit interna fecunditas, quantò minor in illis apparuerit exterior curioſitas. Aliqua dicuntur, quæ Lector induſtrius huic propoſito accommodare poterit *Tractat.* 11. *Diſcurſ.* 1.

Luc. 1.

Tolet.

Pſalm. 126, 3.

Pſalm. 13, 11.

Pſalm. 127, 3.

Cant. 7, 13.

Simile.

DOM. VIII. POST PENT.

60. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Diuites, qui poſſunt & nolunt facere ſibi amicos de mammo- Lucæ 16, 9.

na iniquitatis, difficulter intromittẽtur in æterna tabernacula; pauperes verò, præſertim Euangelici, qui ſemel renuntiatis omnibus amore Dei, non habent vnde ſibi amicos faciant, ſingulare patrocinium ab ipſo Deo ſperare & expectare poſſunt. Omnibus derelictis qui in piſcina iacebant, ad illum reſpexit [Ioan. 5,7.] Chriſtus qui dicebat: *Hominem non habeo.* Eodem modo *oculi Domini in pau-* [Pſalm. 10,5.] *perẽ reſpiciunt*, inquit Dauid. vnde alibi [Pſalm. 10,14.] ait: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.* In ſacello cuiuſdã ma- [Exemplum.] gnificæ Eccleſiæ erat infernus arte pictoria efformatus: quem cùm attentiùs inſpiceret pauper quidam agricola, rogauit eum perſona quædam magnæ auctoritatis & dignitatis cum alio illuſtri comitatu pertranſiens, quid ſibi de inferorum regno videretur. Reſpondit agricola: Quia neminem indutum rudi ſago ibidem conſpicio. Religioſi rudiori habitu ſecundùm Ordinis ſui rigorem induti, & omnibus bonis, de quibus facere poſſent amicos, expropriati, amicis deſtituti liberabũtur ab inferno, & recipientur in æterna tabernacula per illius miſeri- [Matth. 5,3.] cordiam, qui dixit: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorũ.*

61. Sola Regis gloriæ amicitia vices aliorum amicorum abundè ſupple- [Prou. 22,11.] bit. Porrò *qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum Regem.* Cor autem ſordidari diuitiarum poſſeſſione, omnibus notum eſt. Tam rarum eſt enim eas poſſidere, & ab illis non inquinari, vt Sapiens dicat de diuite: [Eccli. 31,8.9.] *Qui inuentus eſt ſine macula, quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua.* Hinc Dauid monet diligenti circumſpectione cor à diui- [Pſalm. 61,11.] tiarum contactu ſeparandum eſſe, dicens: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Voluntarij pauperes nõn ſolùm mundi ſunt à ſordibus (porrò ſordes ſunt diuitiæ, ideò ſunt oculis hominum ſubductæ, eaſque in terra occultauit Deus, adeò vt Propheta dicat, *De abſconditis tuis adimpletus* [Pſalm. 16,14.] *eſt venter eorum*) ſed etiam liberi ab exactionibus, quibus beatius eſt mendicare vitæ neceſſaria, quàm poſſidere vnde eleëmoſynas tribuant, vt latiùs patet ex ijs quæ habes *Tract.* VII. *Diſcurſ.* X.

DOM. IX. POST PENT.

62. *Ingreſſus in templum, cœpit eijcere vendentes in illo & ementes.* [Lucæ 19,45.] Multa fecit & dixit Chriſtus, quæ ſecundùm externam faciem quamdam indecentiæ ſpeciem præ ſe ferre videntur; vt cùm parentes magno dolore affecit, quando illis inſcijs remanſit in Ieru- [Luc. 2.] ſalem: item cùm abſque reuerentia matri debita viſus eſt loqui, dicens: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* [Ioan. 2,4.] ita cùm dicenti ſibi, *Ecce mater tua & fratres* [Matth. 12,47.] *tui foris ſtant quærentes te*, duriuſculè reſpondit: *Quæ eſt mater mea, & qui* [ꝟ. 48.] *ſunt fratres mei?* Etſi hæc excuſare aut benè quis interpretari velit, tamen videtur quòd vix ab immodeſtia poterit purgari, quando ea dixit aut fecit quæ videntur manſuetudini & morum facilitati contraria, qua Meſſiam præditum fore, prophetica prædictione certum erat, quam Iſaias deſcribens ait: *Non erit triſtis, neque turbulentus.* [Iſaiæ 42,4. ꝟ. 3.] Præmiſerat autem: *Non clamabit*, &c. *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* quibus verbis ſummam eius benignitatem & manſuetudinem prædicit, de quo Dauid: *Dulcis & rectus Dominus*, &c. [Pſalm. 24,8.]

63. Non ſemel enim Chriſtus ſignis, verbis, operibus, iram & indignationem oſtendit. Triſtem & turbulentum

tum

Marc. 3,5. tum ſe exhibuit per ſigna, quando *circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis eorum* qui obſeruabant ſi ſabbatis curaret. In eodem
ỳ.21. capite talem ſe exhibuit, quòd *cùm audiſſent ſui, exierunt tenere eum: dicebant enim: Quoniam in furorem verſus eſt*. De verbis quod attinet, non ſemel clamoſus apparuit, duriùs aliquos arguens.
Matth. 23,13. *Væ* (inquit) *vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ*, &c.

64. Porrò factis rariora, ſed perturbati animi clariora argumenta dedit.
Simile. Solent homines inſigni iniuria ad indignationem prouocati, eam in res inanimatas exerere. De hac re notatur ab Euangeliſtis etiam mitiſſimus Ieſus. Nam fame preſſus, & *videns fici*
Matth. 21,19 *arborem vnam ſecus viam, venit ad eam: & nihil inuenit in ea niſi folia tantùm, & ait illi: Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternũ*. Quàm efficax fuit hæc maledictio, qua apparuit, quòd non ſolùm ſermone, ſed opere oſtenderit indignationem ſuam, rei probauit euentus; nam *arefacta eſt continuò ficulnea*.

65. Numquam clariùs aberraſſe videtur à cõditione qua illum Iſaias notum fecit, promittens quòd non eſſet futurus triſtis neque turbulentus, quam hodie. An non fuit triſtis, qui
Lucæ 19,41. *videns ciuitatem, fleuit ſuper illam?* Iram fortè quis verbis & factis ſubinde ſimulare poteſt, lacrymas autem quis in viro veræ triſtitiæ teſtes eſſe negabit? dato quòd lacrymari poſſit, & non triſtari, impoſſibile tamen eſt Chriſtum teſtari ſe triſtem, dicendo,
Matth. 26,38. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, & non eſſe. Nota, quòd in Chriſto fuerit triſtitia naturalis, de qua hìc loquitur Matthæus. Præter hanc eſt alia triſtitia compaſſionis, quam etiam Paulus ſe habuiſſe teſtatur, cùm ait: *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus* Rom. 9,2.
dolor cordi meo. Præ compaſſione autem hodie Chriſtus videns ciuitatem fleuit ſuper illam. vnde factum eſt, vt notat S. Bonauentura lib. 3. diſt. 15. S. Bonauent.
a. 2. q. 2. quòd non potuerit non triſtari de amiſſione tot animarum, quarum ſalutem & amabat & anxiè deſiderabat. Sciendum autem, quòd in Chriſto non fuerit triſtitia aut turbatio præter aut contra rationis imperium. & hoc eſt quod negat Propheta, quando ait: *Non erit triſtis*, &c. ſed fuit triſtis interiùs, & exteriùs exhibuit ſe etiam commotum, quando & quantum recta ratio dictabat. vnde dicitur: *Infremuit ſpiritu, & turbauit* Ioan. 11,33.
ſemetipſum.

66. Præterea non fuit in illo triſtitia aut commotio, qualis eſt in hominibus, quæ operatur ſæpè moroſitatem, & facit hominem tetricum & difficilis conuictus. Hanc ſæpè videre eſt in Prælatis, adeò vt licet neceſſitas vrgeat, vix ſubditi, qui obſeruare ſolent an habeant bonas horas (vt dici ſolet) ad illos audeant accedere, cauſas ſuas eis expoſituri. Non præſumpſit Ioab ſollicitare apud Regem reductionem & reconciliationem Abſalonis, quamdiu 2. Reg. 14,1.
apparuit triſtitia in vultu eius propter mortem Amnon, quo ſerenitate priſtina donato ſubordinauit Thecuam, quã accuratè inſtruxit de ijs quæ Regi proponi deberent. Non fuit in Chriſto moroſa illa triſtitia aut commotio, quæ retardaret, ne illi qui laborabant, & ratione alicuius tribulationis onerati erant, liberè accederent ad eum, qui omnes inuitans aiebat: *Venite ad* Matth. 11,28.
me omnes qui laboratis, &c. Patet hoc clarè in præſenti Euangelio, vbi Chriſtus flendo indicat ſe triſtem, & eijciens ementes & vendentes inſolitam commotionem oſtendit, & tamen, vt ad-

Digitized by Google

Matth. 9,28. addit Matthæus, fiducialiter *acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, & ſanauit eos.*

67. Diſcant hîc ſuperiores, præſertim Religioſorum Prælati, non ſolùm compati, ſed etiam zeloſè arguere & punire delinquentes. Chriſtus enim quos defleuit, ingreſſus templum, euerſis ſcamnis & nummulariorum menſis eiecit. Acriùs, quando res poſtulat, agendum eſt contra delinquentes. Simile. Elleborum, quod purgationi deſtinatur, ſi Medicus parcè nimis infirmo propinauerit, offendet, & tormina ventris & viſcerum, non morborum remedia cauſabit. Eodem modo obiurgatio debet malo delinquentis eſſe proportionata, vt is curetur, aut ſaltem ceteri timorem habeant. verùm ſic debent malis eſſe offenſi, vt ſemper vultus dulcedinem exhibeant bonis, ne Simile. ipſi ſicut agricola ſementem facturus obſeruat ventum & faciem cæli, nubiloſum & tetricum moroſi ſuperioris vultum attendere cogantur, & ita neceſſaria conſolatione deſtituantur. Ne ſit igitur ſuperior, ob particularem triſtitiæ cauſam, omnibus grauis, aut ob vnius delictum nimia iracundia percitus, & omnibus etiã innocentibus terribilis. Eccli. 4,35. vnde monet Sapiens: *Noli eſſe ſicut leo in domo tua, euertens domeſticos tuos.* Leoninum eſt, ab vno laceſſitum, & omnibus indifferenter formidabilem eſſe. Amos 3,8. vnde ait Propheta: *Leo rugiet, quis non timebit?* Rugiebat Chriſtus Dominus inſtar leonis quidem contra malos, quando eijciens vendentes Lucæ 19,46. dicebat: *Domus mea domus orationis eſt, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Attamen agni manſuetudinem bonis & miſeris ſeruauit, qua cæcos & claudos ad ſe alliciebat, quos ſanauit.

68. Verum eſt, hæc exterior commotio, quam Chriſtus mitiſſimus Filius Dei foris oſtendit, quando illa quæ hactenus dicta ſunt operatus eſt, quamdam indecentiam habere videtur. Quis enim ſine aliqua immodeſtiæ nota matri duriuſculè ſecundùm apparentiam ſaltem loquetur, arbori maledicet, homines ignominioſis agnominibus proſcindet, imò facto flagello de funiculis percutiendo & euertendo per templum diſcurret? Nota ergo, quòd omnia hæc per virtutem obedientiæ, quam Chriſtus, in omnibus & ſingulis voluntatem Patris reſpiciens, exercuit, non ſolùm excuſentur, ſed etiam miro modo decorentur. Non ſine cauſa Chriſtus Dominus ante mortem ſuam dixit: *A meipſo facio nihil:* & infrà: *Ego quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Ioan. 8,28. ℣. 29. Quibus verbis docet, ſe nihil committere dignum reprehenſione, imò non dignum laude propter obedientiam, ex cuius virtute non minùs maledixit arbori, & eiecit vendentes, quàm ſanauit infirmos, orauit & ſupplicauit pro peccatoribus Patri. Apparet hîc magna obedientiæ dignitas, qua homo offert Deo voluntatem, cuius liberior diſpoſitio ei relicta eſt, quàm aliarum rerum, quibus etiam inuitus ſubinde deſtituitur. Ceterùm ſicut obedientia abiectis exercitijs meritum; ita etiam illis tribuit decorem. Probatur hoc latiùs *Tractat.* IV. *Diſcurſu* XVII.

DOM. X. POST PENT.

69. *Ieiuno bis in ſabbato.* Lucæ 18,12. Hîc datur occaſio loquendi de auſteritate vitæ, quæ ſi cum humilitate coniuncta fuerit (cuius defectu hic Phariſæus laborabat) adfert perfectam requiem animabus, ac de tentationibus diaboli facilè victoriam reportat. Conſule hac de re *Tract.* III. *Diſcurſ.* XIX.

DOM.

DOM. XI. POST PENT.

Marc. 7,32. 70. *Deprecabantur eum vt imponat illi manum.* Quemadmodum B. Virgo dignitate, gratia & gloria ſupergreditur omnes Sanctos; ita etiam cæteris efficaciùs deprecatur Filium, vt aberrantes peccatores redigat ſub ſuam poteſtatem, & ſumens poſſeſſionem de illis imponat eis manus. Coriolanus (vt refert antiquitas) obfirmato animo Romam ſtricta obſidione premens, nullis conditionibus à Legatis, quos ad illum deſtinarant, propoſitis, ad mitiorem animum inclinari potuit. Multis igitur fruſtrà ſupplicantibus, tandem acceſſit mater, cuius interceſſione ſubitò placatior factus dixit: *A te mater victus recedo.* Non deſunt exempla ſacræ Scripturæ, ex quibus patet, quòd gratioſarum mulierum Eſther 8. ſupplicationes corda Regum conuerterunt ad pacem. Eſther impetrâuit reſciſſionem cruenti edicti, quod contra Iudæos, vno die ad inſtantiam Aman interimendos, auctoritate Regis Aſ- 1. Reg. 25. ſueri euulgatum fuit. Nota eſt Abigaëlis pro familia ſua, cui Dauid totalem vaſtationem iureiurando decreuerat, gratioſa interceſſio. Maiori iure Virgo beata animum Filij ſui flectit, dum peccatoribus ſecundùm præſentem iniuſtitiam damnationi obnoxijs petit gratiam. Sacerdotes pro Chriſto legatione funguntur, teſte S. Paulo. Contingit autem non rarò, quòd orẽt, ſed non exorent offenſam maieſtatem, quæ matri ſupplicanti ſe victam & ſuperatam ſemper præbet.

71. Gratiſſimæ ſunt Deo matris ſuæ ſupplicationes & vota, quæ pro peccatoribus offert. Non eſt minor filij ſui pietas, quàm fuit Dauidis, qui magnas gratias egit Abigaëli, eò quòd blanda ſua interceſſione iram illius repreſſerit. Improperat Deus per Prophetam aliquibus ſuam ſocordiam, quòd cũ ex officio tenebantur pro populo ſtare, eum neglexerint, & reliquerint ſæuienti iræ Dei. *Nõ aſcendiſtis ex* Ezech. 13,5. *aduerſo* (inquit) *neque oppoſuiſtis murũ pro domo Iſraël, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Non reſtitiſtis irato Deo, neque per preces & ſupplicationes conati eſtis reportare victoriam de clementia eius. Nullus eſt in cælo aut in terra, cuius ſollicitudini tam ſeriò ſalus animarum demandata ſit vt B. Mariæ. Non ſolùm pro peccatoribus orat, ſed etiam propter ſingularem prærogatiuam virtutum omnium, & maximè caſtitatis, impetrat à Deo, vt quædam virgines à turba ſeorſum ſegregatæ, & mundanæ conuerſationi ſubductæ, per impoſitionem manus ſpeciali titulo ſuo iuri cedant. Conſule hac de re, & præſenti propoſito adapta materiam *Tract.* II. *Diſc.* VII.

DOM. XII. POST PENT.

72. *Quodcumque ſupererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi.* Lucæ 10,35. Iudæi non ignari miſericordiæ Dei, ſtudioſiſſimè cauebant ne quem malefactorem puniendo, excederent modum ſibi à Moyſe Deo legem dictante præſcriptum. verba legis ſunt: *Pro menſura* Deut. 25,2.3. *delicti, erit & plagarum modus: ita dumtaxat, vt quadragenarium numerum non excedant.* Poterant infra hunc numerum animaduertere, prout peccati grauitas exigebat, ſed etiam cùm peccatum hunc numerum commeruerat, ſtatuerunt Iudæi, vt plenitudini taxati numeri aliquæ plagæ deeſſent, formidantes ne obliuione vel impetu animi excederent in percutiendo. Itaque recepta conſuetudine (vt probabiliùs videtur ſentire Bonfrerius contra Eſtium in cap. 1. Cor. 11. ℣. 24. qui Bonfrer. Eſtius. arbi-

Digitized by Google

arbitratur id referendum eſſe ad Iudaicas traditiones in Dei legem iniurioſas) vim legis habente, quaſi miſericordes ſemper dabant pauciores quàm quadraginta plagas, ſecundùm quod eis viſum erat. Hinc Apoſtolus
2.Cor. 11,24. ait: *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi.* Notat autem S.Tho-
S. Tho. mas lect. 5. quòd Paulum non ſolùm iniuſtè, ſed etiam ex odio caſtigarunt; & ideò etſi circa alios plures dimittebant, tamen cum Paulo tantùm in vna plaga (qua minus non poterant) diſpenſabant. *vna minus* (inquit) *accepi.*

Lyran. 73. Vocat Lyranus noſter illos ſapientiores Iudæorum, qui huius manſuetæ conſuetudinis auctores fuerunt, cùm potiùs præuaricatores dicendi eſſent, ſi hæc conſuetudo legi Dei fuiſſet iniurioſa. In hoc autem ſapientiæ ſpecimen præbuiſſe videntur, quòd indicarent, Deo proprium eſſe miſereri ſemper & parcere. vnde concludebant, Qui prohibuit exceſſum, & abſolutè non præcepit numerum quadragenarium, ei non ſolùm placitum erit, ne percutiendo miſeros plus æquo grauemus, aut excedamus rigoroſè ipſum numerum plagarum, ſed etiam ne illum attingamus.

74. Nota, quòd olim verè dixerit Sara filia Raguelis, afflicta valdè propter contumeliam, qua eam vna ex
Tob.3, 22. ancillis affecerat. *Non enim delectarus* (inquit) *in perditionibus noſtris.* Iudæi hac mitigatâ legis diuinæ interpretatione, idem ſignificare viſi ſunt.

75. Notandum eſt autem, quòd hac manſuetudine Dei non obſtante, nemo euadat grauem manum Dei, qui peccauerit contra ea quæ ſunt legis naturæ. Ne ergo benignus Deus cogatur perdere & punire propter illius tranſgreſſionem, ſuperaddit ei præcepta poſitiua & moralia, quæ multùm conducunt ad ſtrictam illius obſeruantiam. Magnæ miſericordiæ hoc fuit & clarum argumentum, quod Deus ſtudioſè quærit ea quæ ad hominum quietem & conſolationem ſpectant, dicente Propheta: *Ego ſcio* Ierem. 29,11.
cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem & patientiam. Finem malorum & patientiam, id eſt mercedem patientiæ, nimirum id quod auidiſſimè expectatis, vt exponit Hiero- Hieron.
nymus. Dedit igitur nobis mandata, quæ ad obſeruantiam legis naturæ iuuant, quorum obſeruantiæ promittit vltimum finem & mercedem patientiæ, beatitudinem ſcilicet. vnde hodie legiſlatori in Euangelio ſimulanti fortè ſe deſiderio vitæ æternæ teneri, & interroganti quid faciendo vitam ęternam poſſideret; poſtquam citaſſet duo præcepta capitalia, ex quibus pendet vniuerſa lex & Prophetæ, dixit: *Rectè* Lucæ
reſpondiſti; hoc fac, & viues. 10,28.

76. Hinc patet, quòd præ ceteris affectum ſuum oſtenderit erga Iudæos, ſuperaddens illis, pro faciliori legis naturæ obſeruantia, alia præcepta. Nam *non fecit taliter omni natio-* Pſalm.
ni, & iudicia ſua non manifeſtauit eis, 147,20.
dicit Dauid. Hæc oratio non debet intelligi ſecundùm regulas Dialecticas. Non enim vult Propheta, Deum nulli nationi ſic feciſſe (vt notat Ianſenius) ſed nulli omnino alteri nationi. Lex enim Moyſaica ſolis Iſraelitis data eſt. His autem multò adhuc chariores ſunt Chriſtiani tempore noui Teſtamenti. Nam ſi Iudæis dedit præcepta in ſubſidium obſeruantiæ legis naturæ, Chriſtianis reliquit ſaluberrima Euangelica conſilia, quæ miro modo inuenit ad obſeruantiam legis ſcriptæ, & mandatorum ad ſalutem neceſſariorum. Reſpectu horum conſiliorum omnes

omnes in libertate relicti ſunt, ad obſeruandum ea quæ vtique ſuaſit, ſed non mandauit, adeò vt de illis dici poſſet, quòd *relinquit hominem in manu conſilij ſui.* Eccli. 15,14.

77. Verùm eſt aliud hominum genus adhuc, quod non modò Iudæos, ſed & ceteros Chriſtianos felicitate multùm ſuperat. Religioſis enim non ſolùm ſuaſit, ſed etiam perſuaſit interiùs, vt vitam ad normam conſiliorum conforment. Imaginare quemdam eſſe directorem itineris, quocum diuerſi viatores feliciter perueniant ad finem optatum, qui omnibus notum fecerit occaſiones errandi, & pericula quæ declinari debent: & præterea non ignorans ſæpè foſſas quaſdam viam illorum intercepturas, conſuluerit indifferenter omnibus, vt haſtam nauticam *(eenen cloet-ſtock)* quam in illum finem itinerantibus adaptauit, ſecum ſumant, ne tranſiliendo foſſas ſine illius ſubſidio periclitentur. Quorum aliqui minùs prouidi, confidentes viribus ſuis, periculum lapſus nolunt facili pondere haſtæ illius redimere, alijs autem ſuſurrando in auribus non ſuadet modò, ſed & perſuadet iterùm atque iterùm ne haſtam oblatam paruifaciant. Clarè oſtendit, quòd hi ceteris omnibus ſibi ſunt chariores. Nota, quòd multi ſint qui in tranſiliendo per puram mandatorum obſeruantiam, ex valle lacrymarum ad amœnum paradiſum Beatorum, defecerint, qui ſalui fuiſſent, ſi mandatis Dei obſeruantiam conſiliorum addidiſſent. Religioſi autem efficaciùs à Deo illuminati, acquieuerunt fortiter monenti, cogitantes, in re ſummi ponderis abundantem cautelam non ſolùm non nocere, ſed & multùm prodeſſe. Huc ſeruire videtur illud Prouerbiorum: *Sapiens timet & declinat à malo; ſtultus tranſilit, & confidit.* Verè ſtultus dicendus eſt, quem parua moleſtia operis ſupererogationis potiùs quàm damnationis periculum terret. Simile. Prou. 14,16.

78. Conſilia & opera ſupererogationis & magis ſecurã & illuſtriorem gloriam nobis parãt. vnde dicit Samaritanus ſtabulario: *Quacumque ſupererogaueris, ego cùm rediero reddã tibi.* Rariùs enim peccant profeſſores conſiliorum (faciliùs enim cadit qui per lubricum ſine ſcipione incedit, quàm is qui ei innititur quoties opus eſt) & faciliùs ſurgunt ſi lapſi fuerint in peccatum. Vt enim ab incepta haſtæ nauticæ ſiue ſcipionis ſimilitudine non recedamus, ſi quis in foſſam lubricam omnino & valdè procliuem ceciderit, difficulter euadet; ſed ſi cum ſcipione lapſus fuerit, illum protendere poterit, & ita ſine difficultate ab alio in ſuperiori loco pro eius liberatione ſollicito eripietur. In hunc modum ſæcularis in mortale peccatum citiùs prolapſus, tardiùs reſumit ſtatum gratiæ; Religioſus verò tardiùs ac rariùs cadit, & faciliùs, ſi vel minimam profeſſionis ſuæ & Regulæ memoriam apud ſe retinuerit, reſurgit, ab alijs nimirum adiutus. Lucæ 10,35. Simile.

79. Quod Paulus olim dixit de norma viuendi, quam Chriſtianis præſcripſerat, hoc potiori iure quilibet Superior cuilibet ſubdito Religioſo dicit de ſua quam profeſſus eſt: *Quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſraël Dei.* Verè pacem & tranquillitatem conſcientiæ habere poſſunt, qui præter neceſſaria ad ſalutem pro operibus ſupererogationis ſollicitè zelant approbatæ Regulæ alicuius perfectam obſeruantiam. Ex his patet, quòd Regulæ non ſolùm proſint vt Gal. 6, 14.

Digitized by Google

vt expeditiùs mandata Dei obſeruentur, ſed quòd præſcindant occaſionem peccandi, & arceant à deceptorijs bonis huius vitæ, ſecuriùs dirigunt profeſſores ad ſolida bona futuræ. Conſule hac de re *Tract.*1. *Diſc.* XXII.

DOM. XIV. POST PENTEC.

Matth. 6,31. 80. *Nolite ſolliciti eſſe, dicentes, Quid manducabimus*,&c. Sollicitudines rerum temporalium ſpinis comparantur, quas Chriſtus Dominus benedicto capiti ſuo imponi permiſit, vt omnes noſtras curas, ſollicitudines & angores ſanaret. Eſt hæc ſententia Athan. Athanaſij Tract. de Paſſione & cruce. *Chriſtus* (ait) *ſpineam coronam geſtauit, vt vita noſtra curas aboleret*. Catharina Senenſis hoc dogma à Chriſto accepit, qui dixit illi: *Filia, cogita de me, & ego cogitabo de te*. Fructuoſa eſt hæc negotiatio: pro infirma humana cogitatione promittitur diuina. Nemo ſumma ſollicitudine cogitans, poſſet ſibi colorem vnius capilli mutare, multò minùs Deo aliquid addere: tamen ita placent ei cogitationes hominum quæ ad illum diriguntur, vt eis Pſalm. 75,11. ſuas promittat. *Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi*, dicit Dauid. Nam fiducia, quam quis de Deo habet, illum honorat: indicat enim quòd magnam opinionem habeat de Dei potentia & fidelitate, quam Deus non patietur fruſtrari, vt honorem ſuum tueatur.

81. Totum hoc Euangelium eſt plenum argumentis, quibus Chriſtus nos ſtabilire conatur in firma ſpe ſuæ circa nos prouidentiæ. Auium quas paſcit, & liliorum quæ veſtit, facit mentionem, & fatetur nos pluris eſſe illis. Pſalm. 54,22. *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula*. Sermo Dei comparatur oleo, quia illuminat. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. (Pſalm. 118,105.) Item quia oleum ſine ſtrepitu cadit. (Simile.) *Verba ſapientium audiuntur in ſilentio*. (Eccle. 9,17.) Sed oleum etiam reficit & confortat: ſic ſermo Dei. Nam *non in ſolo pane viuit homo*, &c (Matth. 4,4.) In figuram huius dictum eſt: *Cibauit me volumine*. (Ezech. 3,2.) Promiſſiones Dei de ſua prouidentia præ ceteris eius ſermonibus debent nos omnino ſerenare & confortare, tam in neceſſitatibus corporalibus, quàm ſpiritualibus conſtitutos. Hinc addit Pſalmiſta, *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*. (Pſalm. 54,23.) Homo fit alumnus & puer lactens diuinæ prouidentiæ, eo ipſo quo ſe illi plenè committit. Mons in quo immolandus erat Iſaac, vocatus eſt Moria, id eſt mons prouiſionis & prouidentiæ Dei. Sed vnde hoc præclarum nomen obtinuit? Quia Abraham in illo monte protulit verbum ſummæ fiduciæ, in ſpem contra ſpem credens. Nam roganti Iſaaco vbi eſſet victima; reſpondit: *Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti, fili mi*. (Gen. 22,8.) In ardua neceſſitate & re perplexa, fiducia in Deum magis claret. *Tum præcipuus votorum locus eſt*, inquit Plinius lib. 8. cap. 16. *cùm ſpei nullus eſt*. (Plinius.) Nota, quando anchora profundiùs terræ inhæret, (Simile.) tantò minùs periclitatur & fluctuat nauis: eodem modo quò quis per fiduciam fortiùs ſe Deo committit, eò meliùs illi prouiſum erit.

82. Nulla anchora ita tenet nauem, quin vacillet & moueatur à vento; ſed qui fiduciam (vt oportet) in Deo collocat, nulla inutili ſollicitudine agitatur. *Non dabit in æternum fluctuationem iuſto*, (Pſalm. 54,23.) qui iactauit cogitatum ſuum in Domino ſcilicet: *Ergo quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius ſemper*. (Pſalm. 104,4.) Audi Dauidem inſtar anchoræ Deo inhærentem per ſpem. *De* (Pſ. 21, 10.11.)

ventre

ventre matris meæ Deus meus es tu, inquit, *in te proiectus ſum ex vtero.* Benè ibi poſuit fiduciam, nam, *firmabitur in illo, & non flectetur.* Fit ſubinde vt anchora, quæ integra ad fundum maris proiecta eſt, ibi vim patiatur & incuruetur, imò etiam confracta attollatur. Aliter nobiſcum res ſe habet. Nam qui priùs erat modicæ fidei, ſi totum cogitatum ſuum proiecerit in Dominum, roborabitur in illo. Confidendo creuit fiducia Annæ matris Samuelis, de qua dicitur: *Et comedit, vultuſque illius non ſunt ampliùs in diuerſa mutati.* Deſeruit hoc Euangelium omnibus quidem, maximè autem confortat pauperes Euangelicos & voluntarios mendicantes; qui non minùs ſunt ſecuri de Dei prouidentia, quàm diuites qui pecunia (cui obediunt omnia) abundant. Porrò quia paruis & paucis contenti ſunt, beneuolos ſentiunt benefactores: de quorum hilaritate, qua ſua diſtribuunt, magis gaudent, quàm de re humili emendicatione impetrata, qua neceſſitati ſuæ ſatisfaciunt. Inuenies hac de re materiam *Tract.* VII. *Diſc.* XI.

Eccli. 15,3. *Simile.* 1. Reg. 1,18.

DOM. XVIII. POST PENT.

Matth. 9,2. 83. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quemadmodum in profundum venerunt peccatorum, qui de miſericordia Dei deſperant; ita qui impunitatem peccati præſumunt, in eodem hærent luto: de cuius remiſſione confidere poſſunt, qui tamquam lapides viui in manu Dei tunſionibus & preſſuris expoliti, conformes fiunt imaginis Filij ſui. Porrò illorum ſalus ferè deſperata eſt, qui ſe Chriſto non ſiſtunt pro peccatorum remiſſione, verùm omnia contemnentes, quod caſtè fieri nequit, ne quidem cautè agunt: ſed peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, ac proinde his peiores ſunt, qui veriti propalare quæ cogitabant, *dixerunt intra ſe, Hic blaſphemat.* Agitur de his *Tract.* I. *Diſcurſu* IV. Matth. 9,3.

DOM. XXI. POST PENTEC.

84. *Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum.* Matth. 18,34. Mundus meritò fugiendus eſt, quia odio habet bonos, & inſtar meretricis depauperat eos, qui cum illo amicitiam & conſuetudinem colunt, ac inimicos Dei & ſpiritualis adulterij reos conſtituit. Ceterùm ad propoſitum præſentis Euangelij, quotquot cum illo egerint, ære alieno obſtricti, tempore rationis reddendæ non erunt ſoluendo. Hinc ſequitur, quòd Princeps illius tunc erit tortor eorum, qui ſtultè de mundi applauſu & amicitia gaudebant. Conſule hac de re *Tractatus* I. *Diſcurſ.* XVII.

DOM. XXIII. POST PENT.

85. *Non eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Matth. 9,24. Fixa & indubitata eſt promiſſio Christi facta humilibus, quibus dixit: *Inuenietis requiem animabus veſtris.* Matth. 11,29. Sciendum tamen, quòd omnibus dictum ſit à S. Paulo: *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Phil. 2, 12. Quòd enim illa promiſſio non ſemper in hac vita compleatur circa humiles, ex multis conſtat. Humillima Chriſti anima in vita ſua inquieta, circa tempus paſſionis triſtis erat vſque ad mortem: Matth. 26. matris autem illius animam gladius doloris pertrãſiuit. Luc. 2. Sancti qui humilitate claruerunt, ſubinde ſcrupulis agitati, non ſunt gauiſi omnimoda ſerenitate conſcientiæ & animæ quiete. vnde Dauid clamabat: *Dic animæ meæ, Salus tua ego ſum.* Pſalm. 34,3. Conatus eſt eam ſubinde tranquillare;

Pſalm. vnde inquietulæ loquens aiebat: *Qua-*
41,6.7. *re triſtis es anima mea? & quare con-*
turbas me? Spera in Deo, quoniam ad-
huc confitebor illi, ſalutare vultus mei,
& Deus meus. Ex quibus verbis patet,
Deum ſibi propitium fore, Dauidem
nôn omnino ignoraſſe. Cur ergo ait,
Dic anima mea? Reſpondeo, Vt ma-
iorem ſuſciperet conſolationem. Inte-
riùs, inquit, in ſpiritu mihi loquens
teſtificare de ſalute, quòd eam ſum
conſecuturus. Ad hanc vocem attentè
Pſalm. auſcultabat. *Audiam*, inquit, *quid lo-*
84,9. *quatur in me Dominus Deus.* item:
Pſalm. *Auditui meo dabis gaudium & læti-*
50,10. *tiam.* item: *Auditam fac mihi manè*
Pſalm. *miſericordiam tuam.* Petit ergo ſibi
142,8. hoc à Deo inſpirari, vt poſteà triſtis
& deſolatus accedere poſſet ad eum, &
dicere, quod olim filij Iſraël fratri ſuo
Gen. Ioſeph, *Salus noſtra in manu tua eſt.*
47,25. 86. Cùm igitur humiles illam ani-
mæ quietem ſibi à Chriſto promiſſam
in hac vita rarò conſequantur, ſequi-
tur, quòd Deus, qui eſt fidelis in om-
nibus verbis ſuis, & ſanctus in om-
nibus operibus ſuis, illam circa finem
vitæ aut ſaltem poſt mortem dabit.
Iſaque humilium præ ceteris eſt, in
morte ſomnum capere. *Non eſt mor-* Matth.
tua puella, ſed dormit, dicebat Chri- 9,24.
ſtus. Paruuli, dum natura ſomnum *Simile.*
ſuadet, nulla rerum præteritarum diſ-
tractione impediuntur. Eodem mo-
do humiles, qui fortè ſolebant in vi-
ta de peccatis præteritis multùm in-
quietari, tempore mortis inueniunt
requiem animabus ſuis. *In malitia ſua* Prou.
expelletur impius; iuſtus autem ſperat 14,32.
in morte. Cùm dederit dilectis ſuis ſom- Pſ.126,
num, inquit Dauid, *ecce hereditas Do-* 2.3.
mini. Igitur humilitate paruulis aſſi-
milemur, & quidquid nobis collatum
eſt, ad gloriam largitoris ordinemus,
expectantes beatitudinem vitæ futu-
ræ, quam ſuperbi perdunt. Dum enim
in hoc mundo honores ambiunt, in
morte tamquam obſcuri ab omnibus
negliguntur. Prudens Lector, alijs
ſuppreſſis, quod huic propoſito aptum
videtur, ſumere poteſt ex *Tract.* III.
Diſcurſu VI.

ELENCHVS SERMONVM DE FESTIS SANCTORVM PRO RELIGIOSIS.

IN FESTO S. ANDREÆ.

Matth. 87. AT *illi continuò relictis*
4,20. *retibus ſecuti ſunt eum.*
Vocanti citò obedien-
dum eſt. Pro quo nota,
quòd Chriſtus ambulans & iter fa-
ciens iuxta mare Galilææ, Petrum &
Andream, Iacobum & Ioannem vo-
cauerit: non ſubſtitit, multò minùs
ſedit. vnde factum eſt, quòd conti-
nuò, relictis retibus, ſequi debebant,
alioquin pergens viam ſuam, oculis
illorum fuiſſet ſubductus. Vt conuer-
teret Samaritanam, *ſedebat ſic ſupra* Ioan.
fontem. Ad pedes diſcumbentis con- 4,6.
uerſa eſt Magdalena, & quotidie pul- Luc.7.
ſat ad portam peccatoris. Moram tra-
hit, & inſtar amatoris circuit domum
eius, addens internis pulſationibus
ama-

Apoc. 3,20. amatorias blanditias, dicens: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo*, &c. Etſi peccator moram trahit reſiſtendo, ille continuat miſericordiam & excitátem gratiam ſuam, adeò vt verum ſit dicere: Sap. 6, 15. *Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet*.

88. Circa peccatores ergo exhibet ſeDeus longanimem ſæpè: qui quamuis fortè hodie, cùm vocem Domini audierint, obſurdeſcant, cras reiterat vocationem & inſpirationem. Verùm nota, quòd inſpirationes ac ſingulares gratias, quibus boni & iuſtificati ad chariſmata meliora excitantur, citò audiendæ ſint; non enim ſunt ſedentis aut ſubſiſtétis, ſed fiunt à tranſeunte & ambulante. Ad ſpirituales delicias inuitauit ſponſam, quæ cunctando moram traxit, tandem inquit: Cant. 5,5. *Surrexi vt aperirem dilecto meo, at ille declinauerat & tranſierat*. Sæpè vidimus quoſdam diſtuliſſe inſpiratam renuntiationem huius maris magni & ſæculi nequam, qui tandem ita irretiti fuerunt, vt mutata voluntate, in illo maluerint periclitari, quàm in portu Religionis ſecuritate gaudere. Rex Sodomæ cum ſuis commiſſurus bellum contra hoſtes, aciem ſtruxit in valle Gen. 14,10. ſilueſtri, de qua dicitur: *Vallis autem ſilueſtris habebat puteos multos bituminis*. Addit hoc Moyſes, vt ſignificet, Regem Sodomæ hunc locum ad ſtratagema elegiſſe, eo dolo & conſilio, vt hoſtes horum locorum ignari, in puteos pugnando corruerent: atque ita tenaci bitumine infixi, prædæ eius cederent. Eodem modo dæmon libenter tenet homines in valle ſilueſtri, in mundo ſcilicet, in quo ſunt multi putei bituminis, id eſt retinacula. In bitumine hærebat Auguſtinus ante conuerſionem ſuam. vnde ait: *Retinebant me nugæ nugarum, veteres amicæ*, &c. Vocanti igitur citò eſt obediendum, ad imitationem horum Apoſtolorum, qui continuò relictis retibus ſecuti ſunt Dominum. Hîc diſſeri poterit de veris obedientibus, qui Magnatibus, nullum ſuperiorem in terra agnoſcentibus, illuſtriores ſunt, & à concupiſcentijs immunes, magna ſpiritus libertate gaudent, vt latiùs docet *Tract*. IV. *Diſc*. XIV.

(Margin: Simile. — Auguſt.)

IN FESTO SANCTI THOMÆ.

89. *Oſtendit eis manus, & latus*. Dum Chriſtus oſtendit manus & latus, indicat ſe improbare nimiam in credendo leuitatem, qui tamen arguit etiam S. Thomam incredulitatis propter eius pertinaciam, quia nolebat credere ſi videret, niſi etiam Vulnera Saluatoris digitis & manibus palparet. Laudanda quidem eſt prudens & matura de rebus obuijs deliberatio, vituperanda tamen in credendis obſtinatio. Laborabat hoc vitio Apoſtolus, qui quòd mentis eſſet duræ, malè habiturus erat in interitu, niſi à Chriſto, qui poſt dies octo, quando iterùm erant diſcipuli intus, & Thomas cum eis, veniſſet ianuis clauſis, & diſcipulum incredulum ad palpanda Vulnera ſua inuitaſſet. Pro conuerſione eius inſolitam miſericordiam exhibuit, vt priſtinam illius fidelitatem & promptitudinem compenſaret. Hinc patet, quòd propter bona quondam in ſtatu gratiæ facta, Deus faciliùs inclinetur, vt miſericorditer peccatori in peccatum lapſo ſuccurrat. Ioan. 20,10.

90. Conſolatoria hæc doctrina exemplo, quod ad hoc propoſitum occurrit, elucidari poteſt. Religioſus, Simile. qui in bonis exercitijs & operibus pietatis ſe ſtrenuum & ædificatorium exhibuit,

Digitized by Google

hibuit, ſi poſteà, à tentatione ſuperatus, deſertor ſuæ profeſſionis apoſtatauerit, apud ſuos confratres compaſſionem & ſui deſiderium relinquit, qui pro illo orant vt redeat ad meliorem mentem, & repetat gremium ſalutaris obedientiæ. Maiori etiam anxietate à Prælato quæritur huiuſmodi ouicula aberrans: qua inuenta, paſtor omnibus ſubditis, & omnes ſubditi congratulantur paſtori. Eodem modo qui bona multa præſtitit in Eccleſia Dei, ſi tandem per peccatum deficiens lapſus fuerit, & ſeipſum ſicut animales ſpiritum non habentes ſegregauerit à cœtu Chriſti fidelium, quorum fides per dilectionem operatur, citiùs Angelo cuſtode ac alijs Sanctis pro eo ſupplicantibus, præuenientе, imò ſpecialiter quærente cum gratia Dei, miſericordiam eius conſequetur.
Simile. Et quamuis rarò fortè fiat (ſi tamen aliquando fieri poſſit) vt apoſtata reuerſus priſtino gradui ac officijs reſtituatur, tamen peccatori, ad Deum ſe ex toto corde conuertenti, mortificata bonorum operum merita non ſolùm reuiuiſcunt, ſed ijs etiam noua
Lucæ 15,7. adduntur, adeò vt maius *gaudium ſit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis qui non indigent pœnitentia.* De vtraque hac materia, ſcilicet de prudenti diiudicatione rerum occurrentium & apparentium, occaſione eius, quòd Chriſtus, vt moueat ad credendum, oſtendit Apoſtolis manus & latus, & de ſpeciali miſericordia qua reuocantur ad viam veritatis, qui poſt multa pietatis & charitatis officia Deo & proximo exhibita per peccatum deficiunt, latè agitur *Tractatu* 1. *Diſcurſu* XV.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI.

91. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Matth. 19,27. Paupertas, præſertim voluntaria, merita & virtutes, diuitiarum verò abundantia inutiles ſollicitudines & dolores ſecum vehunt. vnde benè S. Hieronymus, quoties verba faciebat de rudi veſtitu Pauli Eremitæ, dixiſſe fertur: *Si Dominus mihi optionem daret, multò magis eligerem tunicam Pauli* (quam ſibi ex palmæ folijs texerat ſcilicet) *cum ſuis meritis, quam Regum purpuram cum ſuis pœnis.* Hieron. Idem Hieronymus mentionem faciens S. Hilarionis, refert teſtamentum quod reliquit, inſtituens Heſychium ſuum heredem, dicens: *Diuitiarum mearum heres eſto. Hæ autem ſunt, Euangelium, tunica ſaccea, cucullа, & pallium.* Hinc conclude, quantum vir ſanctus nimiam rerum cupiditatem horruerit. item, verum eſſe quod dicit Propheta: *Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas.* Pſalm. 36,16. Chryſoſtomus Hom. 1. ad illa verba Pauli, *Salutate Priſcam & Aquilam*, dicit, quòd pauper ſpiritu *cæli municeps eſt, & ad futuram feſtinat vitam.* Chryſoſtom. Municeps erat apud Romanos, qui cum Roma abeſſet, tamen ijſdem priuilegijs gaudebat quibus alij vrbis incolæ. Simile. Sic pauperes ſpiritu, quibus proinde dicitur, *quoniam veſtrum eſt regnum Dei.* Lucæ 6,20. Non eſt igitur quòd inuideant eis de quibus dicitur: *Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo, obtinuerunt diuitias.* Pſalm. 72,12.

92. Nota, quòd aqua ſub ſe poſſidens in fundo fluminis arenam & terram, earumque commiſtionem dedignans, quieta fit & clara, vndoſa verò & tumultuoſa, quando à ventis agitata, lutum de fundo concitatum Simile.

in

in ſuam ſocietatem admittit: ita qui diuitias contemnit, & ſub pedibus collocandas eſſe in infimo omnium bonorum loco cenſet, ſerenus & tranquillus erit; lutoſi autem ſunt & inquieti, quorum amori & intellectui ea quæ Paulus arbitratus eſt vt ſtercora continua ſollicitudine intermiſcentur. Paucis erat contentus S. Paulus, qui illa miſſa erant, & modicum
Phil. 4, 18. ei tam bonum fuit, vt diceret, *Habeo autem omnia, & abundo: & repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito quæ miſiſtis*. Tenuem eleëmoſynam miſerant prædicatori & Doctori gentium: ſed melius fuit illud modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas. Nullus enim illorum putat ſe omnia habere, & abundare, ac repletum eſſe, ille autem ait: Habeo omnia, abundo, &c.

93. Stultus ille diues, cuius meminit Euangelium, & cuius ager vberes fructus attulit, fatebatur ſe multa quidem habere, cùm diceret animæ
Lucæ 12, 19. ſuæ, *Anima, habes multa bona*; non tamen habebat omnia, quia ſollicitè
ꝟ. 17. cogitabat intra ſe: *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* deerant illi horrea. Eodem modo ſunt qui habent multas pecunias otioſas, ſed non habent omnia, quia deeſt illis ſecura hypotheca, cui applicatæ fiant illis quæſtuoſę & fructuoſę. Vileſcunt diuitiæ iuſtis, & eis qui ſunt pauperes ſpiritu, adeò vt non dignentur eas hoſpitio ſuſcipere, nec in corde per amorem, nec in intellectu per ſollicitudinem illis locum cedere volunt. Horremus attactum omnium illarum rerum quæ inficiunt, & peſtem aut lepram cauſant. Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas, timent enim quòd per illas etiam peccato inficientur. Porrò quòd cum diuitijs facilè etiam inficiamur peccatis, docet caſus qui contigit Giezi, cui dixit Eliſeus: *Nunc igitur accepiſti* 4. Reg. 5, 26. 27.
argentum, &c. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo, vſque in ſempiternum. Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix*. Felices igitur ſunt, quibus modicum ſufficit, & qui cum Principe Apoſtolorum dicere poſſunt: *Ecce nos reliquimus omnia*. di- Matth. 19, 27.
uitiæ enim poſſidentem ſollicitudine conficiunt, & amittentem afficiunt dolore, ſed qui illis ſponte renunciat, gaudet ſerenitate conſcientiæ. Conſule hac de re *Tract.* VII. *Diſc.* XIV.

IN FESTO PVRIFICATIONIS BEATÆ MARIÆ.

94. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius*. Duplicatur iniquitas, Lucæ 2, 22.
dum fingitur per hypocriſim pietas. (verum eſt enim illud cuiuſdam ex Patribus dictum, *Simulata pietas, duplex iniquitas.*) Econtrà ſi per humilitatem ſanctitas occultatur, miro modo creſcit & augetur. Alios ſe ſimulaſſe videntur Filius Dei & mater eius Maria Virgo: nam ille circumciſus quaſi redimitur, & hæc quaſi vna ex ceteris legi purgationis ſe ſubiectam exteriùs profitetur. Mirabili humilitate Filij Dei ſanctitas & Virginis Mariæ puritas abſconditur. Hos imitantur bonæ mentes, quæ etſi nihil ſibi conſciæ ſint, tamen ac ſi opera fecerint impiorum, circumcidi ſe ſinunt per eos qui ſibi moleſtias pariunt, nec purgationem renuunt à maledicis & maleuolis ſibi paratam, à quibus contemnuntur, & iniuſtè ſubinde arguuntur. Ex ciuili vrbanitate, non ex neceſſitate, multi manus lauant, antequam inuitati accumbant menſæ, qui ſe lotos & mundos prædicant, ac proinde

inde lotione non indigere, dicentes: *Si no es por limpiar, ſera por refreſcar.* ac ſi dicant, Mundus ſum, ſed ceteris me conformo. *Si non ad abluendum, ſaltem ſeruiet lotio ad refrigerandum.* Belgæ: *Is het niet om te vvaſſchen, 'tſal zijn om te veruerſchen.*

Simile. 95. Humiles quidam ſunt in Eccleſia Dei, qui cùm nihil graue fortè habent quod per confeſſionem abluant, nihilominùs illam cum ceteris peccatoribus imò præ reliquis frequentant; nec facilè exiſtimant ſe mundos. Habent Deum inhabitantem

Iob 14, 4. ſibi, *qui poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine.* de quo intelligi poteſt illud Sapientis: Rex qui

Prou. 20, 8. *ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Eo tamen non obſtan-

ỳ. 9. te, timent ſe ſordidos eſſe. Nam *quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Semper igitur, quando humiles accedunt ad lotorium cõfeſſionis & ſacramentalis pœnitentiæ, intendunt lotionem, verùm ſi à parte rei Sacramentum non inuenit nouum vel graue peccatum quod abluat, tamen confert ſemper diſpoſitis gratiam remiſſiuam peccati, quæ tunc refrigerat, ornans humilem, & extinguens ardorem concupiſcentiæ & inordinatæ propenſionis, quæ etiam in ſanctis & iuſtificatis remanet. Accedant igitur frequenter, vt non ſolùm purgentur, ſed etiam vt decorentur & refrigerentur. Ecce Virgo pulchra vt luna, purgationis cærimonias ſeruat.

Simile. 96. Eſt ſignum amoris Dei, & nota interni feruoris, libenter & frequènter in confeſſione lauari. Tempore hiemis quando conuiuæ frigent, ſi lotione nullo modo ſe indigere putant, non facilè alijs lauantibus ſe cõformant, reformidantes gelidæ aquæ ſupereffundendæ moleſtiam, verùm in æſtate, quando calent, lotio illis refrigeratiua conſolatoria eſſe ſolet. Qui reformidant confeſſionem, indicant quòd ſint in numero illorum de quibus Chriſtus ait: *Quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Matth. 24, 12. Qui autem illam ſibi conſolatoriam ſentiunt, etſi fortè naturali verecundiæ moleſta ſit, intus amore Dei & zelo iuſtitiæ accenſi ac vera humilitate præditi cenſeri debent. Occaſione humilitatis B. Virginis, quæ cærimonias mulierum purgandarum obſeruauit, hîc agi poterit de priuilegio humilium, qui meritoriè ſubinde alios decipiunt per externam peccatoris apparentiam, dignitatem ſuam occultantes, ſuperbi verò propriam vilitatem affectata probitatis ſpecie ſtudioſè celant. Conſule hac de re *Tractatus* III. *Diſcurſum* XXV.

IN FESTO SANCTI MARCI.

97. *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam ſalutaueritis.* Luc. 10, 4. Mira res, quòd Chriſtus hîc prohibeat itinerantibus, ne ſalutent occurrentes, cùm dicat, Ethnicorum eſſe, præter fratres non ſalutare quoſuis etiam ignotos. *Si ſalutaueritis fratres veſtros tantùm,* inquit, *quid amplius facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt?* Matth. 5, 47. Et ipſe Chriſtus poſt reſurrectionem mulieres, quas in via obuias habuit, ſalutauit, dicens: *Auete. Illa autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Matth. 28, 9. item: *Maria in diebus illis abijt in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda. Et intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth.* Luc. 1, 39. 40. Inquirendus eſt igitur ſenſus, quo prohibitio à Chriſto facta diſcipulis ad prædicandum miſſis intelligi debeat. Porrò cum noſtro Didaco Stella in cap. 10. Lucæ notan-

notandum eſt, eſſe duo genera citationum in nouo Teſtamento. Aliquando enim ponuntur quædam ex veteri lege
Matth. 2,15. clarè citata, vt eſt illud, *Ex Ægypto vocaui filium meum*, quod deſumptum
Ioan. 19,36. eſt ex Oſee cap. 12. ℣. 2. item illud, *Os non comminuetis ex eo*, alijs verbis quidem, tamen idem prorſus ſignificantibus, hoc habetur Exodi 12. ℣. 46.
Exod. 12,46. *Nec os illius confringetis*, dicit Moyſes. Itaque in his & ſimilibus clarè omnibus conſtat, Euangeliſtam non ex proprio, ſed ex veteri Teſtamento illa deſumpſiſſe. Aliquando verò citatur ſenſus tantùm, ita vt ignoremus, an ex ſe an verò ex auctoritate veteris Teſtamenti Euangeliſtæ protulerint, quæ ſcriptis mandata nobis tradiderunt. In prioribus autem illis ſemper faciunt mentionem alicuius veteris
Matth. 2,15. Teſtamenti Scripturæ dicentes: *Vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam*. item: *Facta ſunt*
Ioan. 19,36. *enim hæc, vt Scriptura adimpleretur*, &c. In poſterioribus verò idem dicitur quidem quod in veteri Teſtamento dictum eſt, ſed quia nulla prior aut anterior allegatur auctoritas, dubium manet, an is qui illud profert citare intendat quod olim dictum eſt ab aliquo Propheta aut canonico Scripto-
Matth. 10,35. re, necne. vt dum Chriſtus dixit: *Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum*, &c. Hic locus quidem à
Micheę 7. Michæa ſcribitur, an autem Chriſtus ex Propheta illum deſumpſerit, an verò propria auctoritate intenderit proferre, eius eſt noſſe qui verba illa prolocutus eſt.

98. Ceterùm quando Chriſtus Do-
Lucæ 10,4. minus dixit diſcipulis, *Neminem per viam ſalutaueritis*, videtur illis omnino idem ſignificare voluiſſe, ſiue ex propria auctoritate fuerit locutus, ſiue intenderit citare id quod olim ab Eliſeo dictum eſt, quod ille diſcipulo ſuo Giezi ad reſuſcitandum mortuum deſtinato mandato, dicens, *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum*, &c. 4. Reg. 4,29. Phraſis eſt prouerbialis & familiaris Hebræis, vt notat Sancius, qua in feſtinando omnis mora præſcindi iubetur. Cùm enim Iudæi tunicas talares induti, pro ſuæ gentis conſuetudine incedebant, quæ impedimento erant feſtinantibus, quoties ſignificare volebant negotium aliquod maturandum eſſe, præcinctos lumbos imperabant, & ſalutationes inhibebāt itinerantibus. Auguſtinus igitur Ser- Auguſt. mon. 42. de Sanctis benè notat, parabolicum eſſe hunc loquendi modum, quo ſolent dicta exaggerari conſuetudine ſermocinandi. Chriſtus ergo dum ait, *Neminem per viam ſalutaueritis*, Lucæ 10,4. hyperbolica oratione ſignificat, vt, ſublatis omnibus impedimentis, feſtinanter iniunctum obedientiæ opus exequantur. Legati, quos pro noſtra ſalute deſtinauit, feſtinant. Proinde ad illorum exemplum ſit vera & prompta noſtra obedientia. Verus autem obediens non ſolùm obedit Dei præceptis, ſed etiam aſſentitur eius beneplacitis. Habes hac de re materiam *Tract. IV. Diſcurſ. II.*

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

99. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Ioan. 3,5. Veriſſima eſt illa Auctoris librorum Machabæorum ſententia, qua dicit, non ſinere peccatoribus 2. Machab. 6,13. diu pro ſuis deſiderijs agere; ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficij indicium eſt. Vt enim nemo ſaluatur niſi per aquam Baptiſmi renaſcatur, ita ne-

neceſſarium eſt vt quis, præſertim poſt peccatum, per correptiones & caſtigationes fabricæ cæleſtis Ieruſalem adaptetur. Chriſtus in Euangelio Nicodemum etiam increpans inter alia
Ioan. 3,11. ait: *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis.* Cùm ſit magni beneficij indicium, & clara nota ſingularis beneuolentiæ ac miſericordiæ, corripere errantem, non debet mirum videri, ſi B. Virgo etiam hoc modo ſuam clementiam oſtendat. Dæmoni igitur terribilis, peccatoribus autem, qui eum licet tamquam imagines repræſentant, mitis & miſericors eſt, quos curat ſubinde ex ſpeciali pietate per virgas & correptiones emendari, vt in illis reformetur imago Chriſti. Habebit Lector hac de re materiam, ſi parum meditando huic propoſito nouerit adaptare ea quæ ſuppeditat *Tract.* IX. *Diſc.* XVII.

IN FESTO S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Lucæ 1,66. 100. *Etenim manus Domini erat cum illo.* Notum eſt illud bellicoſi cuiuſdã iudicium, qui affirmabat, quòd exercitus ceruorum ſub duce leone militãtium magis ſit formidabilis hoſti, quàm leonum quibus imperat ceruus. Eſt hyperbolica exaggeratio, qua ſignificatur, militẽ ex natura ſua ignauum & imbecillem ſub animoſo duce induere fortitudinem, & contrà. Verùm licet fortis aciei præfectus militibus meticuloſis animum, infirmis tamen corpore non addit vires; & quamuis fortè moderetur metum, verumtamen non omnino aufert eum. Tandem quidquid ſit, omnium iudicio ſaltem hoc verum eſſe conſtat, quòd miles ex fortitudine ducis non participet ad facinus aliquod militare perpetrandum, quod vires ſuas naturales ſuperat; verùm qui militant Deo per reſignationem & perfectam obedientiam, illis adeſt ipſa manus omnipotentis Dei. Nemo ignorat, Dauidem inter eos qui floruerunt obediendi promptitudine, præcipuum obtinere locum. qui quàm fuerit ad omnia indifferens, paucis verbis manifeſtauit, dicens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* De quo ipſe Deus, teſte Luca, teſtimonium perhibens dixit: Pſalm. 56,8.
Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Benè dicit, *Inueni virũ*, &c. ita enim latebat in exiſtimatione ſui parẽtis, quòd niſi Propheta illum quæſiuiſſet, nullus de puero cogitaſſet, vt patet 1. Reg. 16. ℣. 11. Imò nec ipſe Samuel potuiſſet talem opinionem de illo concipere, niſi Dominus expreſsè dixiſſet: *Surge, vnge eum, ipſe eſt enim.* Act. 13, 22.
Hic fuit vir ſecundùm cor Dei tum ob alia, tum maximè quia in omnibus Deo obediuit, excepto ſermone Hethæi, 2. Reg. 11. ℣. 2. & paucis alijs delictis de quibus rurſum fecit ſecundùm Dei beneplacitum, quando pœnitendo nocte & die amarè ea planxit. 1. Reg. 16,12.
Cùm igitur dicitur, *Qui faciet omnes voluntates meas*, eſt commoda acceptio, ac ſi dicatur, ferè omnes voluntates meas. Act. 13, 22.

101. Hic igitur obediens mirabiles & ſupernaturales locutus eſt victorias. Taceo duellum & ſingulare certamen quod inijt cum Goliath, 1. Regum 17. ſed deinceps in totius vitæ decurſu non videbis aliud quàm facta miræ fortitudinis. *Nihil proficiet inimicus in eo* (dicit Spiritus ſanctus) *& filius iniquitatis non apponet nocere ei.* Sed vnde tanta fortitudo? quia manus Domini erat in illo. *Manus enim mea auxiliabitur ei* (inquit) *& brachium* Pſalm. 88,23. ℣. 22.

meum

meum confortabit eum. vnde addit :
℣.24. *Et concidam à facie ipſius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam.* Refert Tripartita Hiſtoria lib. 11. cap. 18. quòd Theodoſius Imperator, exhibiturus populo Circenſes ludos & equeſtres exercitationes, intelligebat per expreſſum ad ſe deſtinatum, tyrannum Ioannem in Occidente interemptum. Facta igitur inhibitione indicti luſus populo, qui turmatim conuenerat, denuntiat euentum, dicens: *Relinquamus hoc propoſitum, & ad Eccleſiam properantes Deo gratias agamus, cuius manus tyranni præſumptionibus obuiauit.* Agnoſcit hîc manum Dei in vnius tyranni nece, & dum eſt gratus beneficio, non eſt dubium, quin fuerit obediens & morigerus omni officio à Deo ſibi iniuncto. Stupenda referebantur, quæ contigerant in Natiuitate Ioannis Baptiſtæ, & mira quæ puer, qui exultauerat in vtero matris, in futurum omnibus promittebat. Hinc
Lucæ 1, 66. cognati & vicini intra ſe dicebāt: *Quis, putas, puer iſte erit?* ſed quo fundamento? Ex eo quod addit Euangeli-
Ibid. ſta : *Etenim manus Domini erat cum illo.*

102. Manus Domini, qua omnia poſſumus, eſt merces perfectę obedientiæ, cuius formam Paulus etiam clarius in ſe expreſſit, dicens in principio
Act. 9, 6 conuerſionis ſuæ: *Domine, quid me vis facere?* qua proinde in vitæ ſuæ decurſu plus omnibus laborans, multa præſtitit quæ adiutrici manui Dei tri-
Phil. 4, 13. buens ait : *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Præmiſerat quòd in omnibus inſtitutus ſciebat ſatiari & eſurire, abundare & penuriam pati, ne autem hæc viribus ſuis adſcribat, fatetur
Bern. ſe à Deo fuiſſe confortatum. *Quanta fiducia vox*, inquit Bernardus Serm. 85. in Cant. *omnia poſſum in eo qui me confortat, nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes qui in ſe ſperant.* Sperant autem in Domino, qui per obedientiam perfectè ſe illi ſubijciunt, & paratos exhibent ad quæuis aggredienda. Porrò *qui ſperant in Domino,* Iſaiæ
mutabunt fortitudinem. pro fragili & 40, 31.
humana quam Deo reſignant, recipient omnipotentem & diuinam. *Da* Auguſt.
quod iubes, & iube quod vis, dicebat Auguſtinus. Ioannes Baptiſta, qui ad præſentiam Domini exultauit in vtero matris, in tota vita ſecum habuit manum Dei, cui per omnia obediens, tam magna præſtitit, vt ſuperarit expectationem eorum qui hodie ſecum cogitant dicentes : *Quis, putas, puer* Lucæ 1, 66.
iſte erit? Nota, ſicut cæcus gaudet manu ductoris, ita cæcæ obedientiæ manus Dei omnipotentis præſtò eſt, qua obediens fortis, imò quodammodò omnipotens fiat. Conſule hac de re *Tract. IV. Diſcurſ. V.* Simile.

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ.

103. *Magnificat anima mea Dominum.* Monuit Dauid, vt homo per ac- Lucæ 1, 46.
ceſſum ad Deum acquirat ſibi dona gratiarum: *Accedite ad eum*, inquit, *&* Pſalm.
illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Sæpè fit in aulis Regum, 33, 6.
illos miniſtros ab eis maximè negligi, qui quotidie eorum lateri hærent. Refert Chijt in Vita Caroli V. de quodam domeſticorum eius, qui conquerebatur, quòd dum Imperatoriæ maieſtati omnem obſequij promptitudinem indefeſſè longo tempore impendiſſet, multos tamen prouiſione honeſtioris muneris ſibi indies præferri. Ad quem Carolus: *Neſcis quo ſoli luna eſt vicinior, eò minus ab illo accipiat luminis?*

 Signi-

Digitized by Google

Significabat id Magnatibus familiare eſſe, vt qui grati ſunt acceptis, remotiores maneant à beneficijs accipiendis. Non ſic in aula Dei res ſe habet. Nemo Deo propinquior & familiarior quàm Virgo Maria, & ideò licet multæ filiæ congregauerint diuitias, ipſa

Simile. ſupergreſſa eſt vniuerſas. Luna dum Soli eſt propinquior, minùs illuminatur à Sole, quia etiam tunc ab eodem obfuſcatur. Sed ſicut Sanctus Deo appropinquans beneficijs illuſtratur & fit clarior; ita illum magis magnificans, fit gratior. Eſt hoc videre in Virgine glorioſa, quæ poſtquam gratia plena illam Angelo ſalutante concepit

Ioan. 1,16. in vtero, *de cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia*, non ſe potuit domi continere, ſed abijt per montana cum feſtinatione, non ſolùm vt Eliſabeth cognatam ſalutaret, ſed etiam vt voce ſonora Deum magnifi-

Lucæ 1,46. caret, dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Hìc datur occaſio agendi de gratiarum actione, cuius compendioſam formam Maria adinuenit, qua qui vtuntur, teſſera militari electorum Dei ornantur. Conſule hac de re *Tractat.* VI. *Diſcurſ.* I.

IN FESTO MARIÆ MAGDALENÆ.

Lucæ 7,37. 104. *Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Non ſolùm ab Euangeliſta, ſed etiam à Chriſto nobis Magdalena tamquam ſingularis perfectionis exemplar proponitur. Nam ſicut ille aduerbio demonſtrandi vſus, ait, *Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix*; ita Filius Dei ad eam conuerſus, non ſolùm Phariſæum, qui inuitauerat eam, ſed omnes nos ad imita-

℣.44. tionem illius inuitat, dicens: *Vides hãc mulierem?* Apparebat in illa omnium mundanarum rerum perfecta renunciatio, & ſingularis ſuiipſis contemptus & humiliatio. Ex his autem duobus manifeſta fit hominis perfectio. Vnde Simile.

pauper & humilis ſimilis mihi videtur grano ſinapis, quod ſicut paruum in ſe, ita exiguo etiam terræ ſpatio contentum eſt, ſed ſummo, interno & virtuali calore præditum prodit ſuam perfectionem. *fit enim arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius.* Matth. 13,32.

In Ioanne Baptiſta, cuius magnitudinem Chriſtus canonizans ait, *Inter* Matth. *natos mulierum nõ ſurrexit maior*, &c. 11,11.

hæc duo præcipuè notantur, paupertas nimirum & humilitas. Quomodo cum patre & matre non omnibus renuntauit, qui nec cibum nec humanum admiſit veſtitum? Porrò *erat* Marc. *Ioannes veſtitus pilis cameli, & Zona* 1,6. *pellicea circa lumbos eius, & locuſtas & mel ſilueſtre edebat.* Humilitatem eius quid commemorem? *Ego*, in- Ioan. 1, quit, *vox clamantis in deſerto.* & infrà: 23.27. *Non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Duæ igitur notæ charitatis, & per conſequens perfectionis ſunt, paupertas & humilitas. Harum autem magnitudo illarum excellentiam probat. Ex quarum proinde pondere & menſura Religionum & Regularum ab Eccleſia approbatarum maior aut minor perfectio æſtimanda eſt. Conſule hac de re *Tractat.* III. *Diſcurſ.* XV.

IN FESTO SANCTI IACOBI.

105. *Acceſſit ad eum mater filiorum* Matth. *Zebedæi adorans, & petens aliquid ab* 20,20. *eo.* Prudenter quidem & humiliter hæc mulier poſtulaſſe videtur id, quod tamen cum humilitate repugnabat. Prudenter, quia, vt notauit Lyranus noſter, non expoſuit ſuam petitionem determinatè, ſed primo in genere petijt vt conceſſione facta in generali, minùs poſſet

Digitized by Google

poſſet denegari quod in particulari erat
Marc. poſtulatura. vnde acceſſit petens *ali-*
10, 35. *quid ab eo*; Marcus verò *ipſos filios Ze-*
Auguſt. *bedæi perhibet dixiſſe* (vt notat Augu-
ſtinus de Conſenſu Euangel. l. 2. c. 64.)
quia ipſa attulit voluntatem illorum ad
Dominum. Refert autem Marcus, hanc
petitionem eo modo factam fuiſſe, vt
poſteà à muliere deſcendente ad parti-
cularia Chriſtus captus fuiſſet, ſi in-
determinatè poſtulanti annuiſſet. Ait
enim, quòd acceſſerint, vtique per ma-
trem, dicentes: *Magiſter, volumus vt*
quodcumque petierimus facias nobis. Ex
Angel. del Paz. hoc modo loquẽdi infert noſter P. An-
gelus del Paz l. 10. c. 35. in Marc. ſin-
gularis amicitiæ & fiduciæ vim, quam
iuſti ad Deum habent, vt non formi-
dent dicere, Volumus hoc ſic eſſe, ſic
fieri, &c. Iacob quodammodò vi obti-
nuit benedictionem, & viſus eſt dice-
Gen. re, Velis nolis, dabis eam. *Non dimit-*
32, 26. *tam te* (inquit) *niſi benedixeris mihi.*
Sed quando addunt hi fratres, *vt*
quodcumque petierimus, non modò fi-
duciam, ſed iudicio quidem humano
prudentiam quamdã oſtendunt. Scie-
bant enim Chriſtum valdè eſſe pro-
penſum ad poſtulata concedendum,
conantur igitur verbum illius venari,
proponẽdo quaſi indiuiduum aliquod
vagum, vt poſteà irretitum & quo-
dammodò adſtrictum teneant ad con-
cedendum determinatum. Fuit igitur
ſaltem ſpecie tenus (non enim exiſti-
mo ſupplicantis ſollicitudinem vitu-
perandæ aſtutiæ nomen mereri) pru-
dentia quædam in hac poſtulatione.
Gloſſa. Excuſat aliquo modo Gloſſa ordin.
factum, vocans quidem bonum illo-
rum deſiderium, quod ipſis inſtigato-
ribus à matre propoſitum eſt, tamen
dicit eſſe inconſideratam petitionem.
Ideò, inquit, *non voluntas, non propoſi-*
tum culpatur, ſed ignorantia: quæ ſi
impetrare non debet, ſimplicitas non me-
retur confundi.

106. Prætereà humilitatis etiam
aliquam ſpeciem præbet, *adorans & Chry-*
petens. Reuerentia adhibita petit, in- ſoſtom.
quit Chryſoſtomus Hom. 35. Operis
imperfect. *vt quod petierit, ſibi detur.*
Materia libelli ſupplicis diſplicebat,
ſed magna ex parte leniebat Chriſtum
humilitas ſupplicantis. vnde diſſimu-
lans tribuit ignorantiæ, dicens: *Neſci-* Matth.
tis quid petatis. Quidquid fuerit de 20, 22.
hac petitione, ſaltem non erat humilis
oratio humiliantis ſe, & ideò non pe-
netrauit nubes, peruenit tamen ad
benignas Chriſti Domini aures; nam
audita fuit, licet non exaudita.

107. Porrò magna eſt efficacia
orationis humilis ſe humiliantis. Dici
ſolet, Petitiones Magnatum imperia
ſunt: ſed hoc fortè inter homines ve-
rum eſt, apud Deum autem præ cete-
ris valet oratio ſe humiliantis. *Confite-* Iac. 5,
mini ergo alterutrum peccata veſtra, 16.
dicit Iacobus, *& orate pro inuicem, vt*
ſaluemini; multum enim valet depreca-
tio iuſti aſſidua. Ecce poſt actum ſum-
mæ humilitatis, qui peccatorum con-
feſſionem comitatur, fatetur oratio-
nem multùm valere. Quamuis autem
ex hac Scriptura aliqui probent con-
feſſionis ſacramentalis, quæ ſolis Sa-
cerdotibus facienda eſt, præceptum &
neceſſitatem, non eſt tamen reijcienda
illorum opinio, qui dicunt hîc etiam
conſilium dari ab Apoſtolo piæ con-
feſſionis, quæ fit etiam laicis, cùm vt
vnus alteri reconcilietur, tum etiam vt
hoc humilitatis exercitio mortificetur.
Scribit hac de re S. Gregorius in fine S. Gre-
libri Moral. cap. vltimo. Praxim hu- gor.
ius humilitatis obtinuit conſuetudo
in Ordine noſtro Seraphico. ſingulis
enim diebus Dominicis & feſtiuis
(quando indicta eſt ſacra Communio

Digitized by Google

omnibus qui non ſunt Sacerdotes) manè poſt paruas horas alterutrum confitentes defectus ſuos (ſi qui fortè interceſſerunt) flexis genibus ſibi inuicem in amplexu aut oſculo pacis reconciliantur. Verùm B. Ioanna, noſtrarum Annuntiatarum fundatrix, non eſt hanc moram paſſa: quæ, vt numquam Sol occidat ſuper alicuius indignationem aut iracundiam, ordinauit ne qua Soror ſomnum capiat, niſi priùs, ſi quam fortè vel leuiſſimè offenderit, pacatam reddat.

108. Hoc modo non ſolùm iuſti, ſed etiam humiles fiunt, quorum proinde oratio aſſidua multùm valet. Nouit Ludouicus Palatinus efficaciam orationis humilium, qui cùm venationi plus ſatis deditus eſſet, ac proinde publico edicto inhibuiſſet, ne quis ceruis, apris aliiſque feris nocumentum inferret, & magnam iacturam paterentur agricolæ à ſilueſtribus feris paſſim vineta & ſegetes vaſtantibus, gemitibus & querelis pulſarunt Proceres Regni. Qui vt illum ad retractationẽ incommodi edicti promouerent, dixerunt, eum orationum humilis plebeculæ de cetero expertem fore, niſi illud mitigaret. Quo audito, *Si ita fore exiſtimatis*, inquit, *malim carere etiam tota vita ferinis ferculis quàm*
Timot. Berch. *meorum precibus*. Ita refert Timotheus Berch. in Oratione Ludouici Principis. Meritò omnes pij Principes cauent infimæ plebis auerſionem, quia Deus per populum humilem ex corde
Pſalm. 19,10. orantem & dicentem, *Domine ſaluum fac Regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te*; eos ſæpè de hoſtibus
Iudith 16,13. triumphare facit. *Tunc vlulauerunt caſtra Aſſyriorum* (dicit Iudith in Cantico ſuo) *quando apparuerunt humiles mei, areſcentes præ ſiti*. Non omnium ſed humilium orationibus acceptum ferre debemus Verbi incarnati myſterium. vnde Dauid ait: *Reſpexit* Pſalm.
in orationem humilium, & non ſpreuit 101,18.
preces eorum. Hi humiles vlulare fecerunt caſtra infernalium Aſſyriorum, areſcentes enim præ ſiti roris cæleſtis & deſiderio Saluatoris de terra oriundi, orationibus ſuis eum ad ſe traxerunt, vt oſtendit Gregorius l. 13. Moral. c. 21. cui omnem victoriam de inimicis noſtris acceptam ferre debemus. Vnde Paulus ait: *Deo autem gra-* 1. Cor.
tias, qui dedit nobis victoriam per Do- 15,57.
minum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ex his patet quòd magna ſit efficacia orationum ſe humiliantium, quæ ſicut Deo ſemper placent, ita impetratoriæ ſunt eius quod petitur, aut etiam meritoriæ alicuius melioris. Qua de re occaſione matris filiorum Zebedæi non ſolùm petentis aliquid, ſed etiam humiliter adorantis, conſule *Tract.* III. *Diſcurſ.* XXIII.

IN FESTO SANCTI LAVRENTII.

109. *Qui amat animam ſuam, per-* Ioan.
det eam. Conſiderans Iacobus Apoſto- 12,25.
lus, quòd ex paruis initijs ſæpè immenſa ſequantur mala, & quòd *totus* 1. Ioan.
mundus in maligno poſitus eſt, dixit: *Ec-* 5,19.
ce quantus ignis quàm magnam ſiluam Iac. 3,
incendit! Lingua ignis eſt, vniuerſitas 5.6.
iniquitatis. Vnde ira, ſuperbia, inuidia, inimicitiæ, rixæ, lites? Ex qua fornace ignis luxuriæ & tot malarum concupiſcentiarum erupit? Ab vna ſcintilla, ab illa nimirum inordinata concupiſcentia, quæ primò in communi omnium matre Eua exarſit. Nam vt dicit Sapiens, *à ſcintilla vna augetur ignis*. Eccli.
Lingua non tantùm ignis eſt quando 11,34.
detrahit aut doloſè agit, ſed etiam, & quidem maximè, quando ad id quod illicitum eſt, per blanditiem alterum alli-

Digitized by Google

allicit. Si Eua fructum prohibitum ſola guſtaſſet, ipſa quidem in fauillam conuerſa, extincta fuiſſet, ſed ſine damno generis humani: verùm quia guſtauit, & virum ad guſtandum inuitauit, ab vna ſcintilla auctus fuit ignis, & ex Adamo in omnes nos pertranſijt, adeò vt nil vmquam fuerit ab initio mundi, nec quidquam futurum ſit vſque ad finem eius illiciti ardoris, quod ex hac ſcintilla non trahat originem. Hinc domus mercatorum auaritia flagrant, aulicorum & nobilium ſuperbia, denique omnium domus incenſæ ſunt paſſionibus iræ, luxuriæ. Ex hac ſcintilla tyrannus, ſub quo & de quo Laurentius triumphat, cùm odio in omnes Chriſtianos plenus, auaritia inardeſcens, & theſauris Eccleſiæ inhians, ſua ſpe fruſtratus, ignem fortiſſimo Leuitæ aſſando ſubſterni iubet.

110. Porrò ſi ex ſcintilla iniquitatis totus mundus in maligno eſt poſitus, meritò ex camino & ineffabili igne charitatis, quem Chriſtus venit mittere in terram, nil potius habens quàm vt accendatur, ſcintillæ ſaltem inueniuntur in hominibus. *Cuius ignis in Sion, & caminus eius in Ieruſalem*, inquit Propheta. vnde S. Gregorius Homil. 21. in Ezechielem ait: *Ex amore Domini in Sion ignis, in Ieruſalem caminus.* Per *Sion* accipit ille Eccleſiam militantem, per *Ieruſalem* triumphantem, vnde addit: *Quia hic amore eius aliquatenus ardemus, ſed ibi plenè ardebimus, vbi de illo plenè videbimus quem amamus.* Charitas viæ dicitur ignis, patriæ autem meritò vocatur caminus, in qua tantus erit amor (ſecundùm cuius proportionem vnuſquiſque vel magnus vel paruus cenſeri debet) vt verum ſit quod ait Chriſtus de Ioanne Baptiſta: *Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.*

Iſaiæ 31,9.
S. Greg.
Matth. 11,11.

111. Sed ad propoſitum noſtrum dicamus, quod ex camino accenſo in Ieruſalem ignis charitatis ardeat in Sion per vniuerſam Eccleſiam. Nam exceſſiuus ille amor Chriſti Domini, de quo in transfiguratione Moyſes & Elias agebant, qui *dicebant exceſſum eius* (inquit Lucas) *quem completurus erat in Ieruſalem*, meruit & accendit in nobis ignem reciproci amoris. Noſtri camini ab anteriori igne accendi & conſtrui debent, & tunc ex illis focis & bacillis diſtribuitur ignis: ſed ſacer ille caminus qui arſit in Ieruſalem ex ſeipſo accenſus, ignem non accepit priùs, ſed illum in Sion diuiſit. *Non quaſi nos dilexerimus Deum*, inquit Apoſtolus, *ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Quo accenſus hodie S. Laurentius, ſanctè odio habens animam ſuam, in vitam æternam illam cuſtodiens dicit: *Interrogatus te Dominum confeſſus ſum, aſſatus gratias ago.* Fructuoſa ſimul & iucunda eſt gratiarum actio, quam fortis veræ amicitiæ amor ex cruce Deo promit. Conſule hac de re *Tract.* VI. *Diſcurſ.* XII.

Lucæ 9,31.
Simile.
1. Ioan. 4,10.

IN FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ.

112. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij David, filij Abraham.* Neruoſè & diligenter Paulus Apoſtolus explicat differentiam inter nuptias ſpirituales cum Filio Dei, cui is virgines deſpondit; & corporales, quas ineunt cum mortali homine. Occupatur autem in hac quæſtione, quaſi de re magni ponderis, in toto capite 7. Epiſtolæ 1. ad Corinthios. Omnibus quidem ſuadet nuptias ſpirituales, etſi pauciſſimis perſuadeat. Multæ enim ſunt quæ non nubunt, verumtamen turpiter nupturiunt. Non enim omnes capiunt verbum

Matth. 1,1.

bum hoc, nec credunt Paulo dicenti:
1. Cor. 7,28. *Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Similes ſunt ſenectus & nuptiæ: vtraque enim ambimus & deſideramus conſequi, poſtquam verò illis ſumus irretiti,triſtamur. Hoc ipſo quòd vitam ſtudioſè nimis prolongamus, inordinatum eius deſiderium manifeſtamus; & virgo quæ indicat ſe ſollicitam vt cogitet quæ mundi ſunt, quomodo placeat amatori, quid aliud agit, quàm oſtendere deſiderium matrimonij?

113. Ceterùm quòd ſenectus, quæ erat in deſiderio,vbi venerit,tædio ſit, indicat Sapiens, dum ait: *Memento* Eccle. 12,1. *creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.* Quàm verò ſint nuptiæ multis moleſtæ, nouerunt nupturientes poſtquam eas ſunt aſſecutæ. Prudentes ſunt, qui Pauli conſilio acquieſcunt, & nubunt Chriſto ſponſo nobili & immortali, quibus vna hæc ſollicitudo incumbit vt vitam illuſtri parentela tam glorioſi ſponſi dignam inſtituant. Conſule hac de re *Tract.*11.*Diſcurſ* XXIX.

IN FESTO SANCTI MATTHÆI.

Matth. 9,9. *Diſſimile.* 114. *Surgens, ſecutus eſt eum.* Ex ſcholis noſtratum Vniuerſitatum multi prodeunt Licentiati,quibus facta eſt docendi, gloſſandi, interpretandi facultas, licet nulla eis incumbat ex mandato vel obedientia neceſſitas: nihilominùs hi propter titulum licentiæ aſſumuntur præ alijs, & digni cenſentur officijs & honoribus. Verùm Chriſtus paruifacit Licentiatos, qui ad munus Apoſtolicum (quod ſupremum eſt in Eccleſia) veros adoptauit obedientes, quorum arbitrio non reliquit doctrinam ſuam per totum mundum diſſeminandi,ſed præcepto eos adſtrinxit. *Cœpit Ieſus facere & docere*,inquit Act.1,1.2. Lucas, *vſque in diem qua, præcipiens Apoſtolis per Spiritum ſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt.* item: *Præcepit eis* ℣.4. *ab Ieroſolymis ne diſcederent*, &c. Claris verbis fatetur Petrus præceptum illis datum prædicandi. *Præcepit nobis* Act.10,42. *prædicare populo*, inquit, *& teſtificari, quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum.* & Paulus: *Sic enim præcepit nobis Dominus.* Act.13,47. Non dixit Apoſtolis, Tamquam Licentiatis do vobis facultatem docendi, prædicandi, &c. ſed abſolutè mandauit hoc munus, dicens: *Euntes in* Marc. 16,15. *mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.*

115. Agnouit Paulus ſtrictã hanc obligationem,vnde ait: *Væ mihi, ſi non* 1.Cor. 9,16. *euangelizauero.* Ex quo colligunt Doctores, Apoſtolos ſub pœna peccati mortalis ad prædicandum fuiſſe obligatos. Eodem præcepto nunc adſtringuntur Paſtores, Epiſcopi, Archiepiſcopi, qui munus prædicandi per ſe (niſi legitimè excuſentur) ex Decreto Concilij Tridentini Seſſ. 5. cap. 2. & Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 4. exercere debent. Nota, quòd eodem modo omnibus alijs quidem reliquerit Chriſtus etiam liberum, vt viam perfectionis ambulent aut ſolùm currant viam mandatorum. vnde ait vni, & in illo omnibus reliquis; *Si vis perfectus eſſe, vade, & ven-* Matth. 19,21. *de omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.* Apoſtolos autem non reliquit ſuæ electioni, ſed abſolutè eos vocans dixit: *Venite poſt me*,&c. Matth. 4,19. & hodie videns Matthæum ſedentem, ait: *Sequere me.* Ne autem quis putet, Matth. 9,9. illos præcepto fuiſſe coactos, & inuitos veniſſe,non tacuit Spiritus ſigna,ex quibus patet hilaris eorum obedientia.

De

℣.10. De Petro enim & Andrea dicitur: *At*
illi continuò, relictis retibus, ſecuti ſunt
Matth. *eum.* De Matthæo autem: *Surgens ſe-*
9,9. *cutus eſt eum.* Nam, vt ait Auguſtinus,
Auguſt. *nemo inuitus benè facit, etſi bonum eſt*
quod facit.

116. In mandatorum executione
non eſt cunctandum, ſed feſtinatione
Pſalm. opus eſt. *Viam mandatorum tuorum cu-*
118,32. *curri, cùm dilataſti cor meum.* Licen-
tiatis quidem permittitur deliberatio
operum ſupererogationis, Apoſtolicis
autem viris, qui ad quædam illorum
voto ſe adſtrinxerunt, hilariter feſti-
Simile. nandum eſt. Qui fundit æs ad confe-
ctionem tormenti bellici, aut campa-
næ, ſiue alterius cuiuſquam vaſis, non
poteſt opus differre, ne æs fuſile refri-
geſcens fiat inſuſceptibile illius formæ
quam ærarmentarius intendit. Eodem
modo feſtinandum eſt, quando Deus
cor noſtrum ſua viſitatione incaleſcere
facit, vt quod præcipitur, executioni
mandetur. Mūdus plenus eſt homini-
bus, in quibus nulla apparet Chriſtia-
nitatis forma, quia non ſatis diligenter
obſeruant, ſed negligunt tempus viſi-
tationis ſuæ. Vt enim cudendum eſt
ferrum quando ignitum eſt, ita non
niſi cùm igniculus diuini amoris ſen-
titur, homo ad rectitudinem volūtatis
Dei flectitur. Hanc opportunitatem
negligunt omnes illi de quibus Chri-
Matth. ſtus dixit: *Quoniam abundauit iniqui-*
24,12. *tas, refrigeſcet charitas multorum.*
Multi ſunt ponderoſis ſaxis ſimiles,
nec vt æs fuſile aut ferrum incaleſcens
ſe adaptant ſimilitudini Dei, prout illis
præceptum eſt ab eo qui dixit: *Eſtote*
Lucæ
6,36. *ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter*
Matth. *miſericors eſt.* item: *Eſtote ergo vos per-*
5,48. *fecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfe-*
ctus eſt.

117. Apoſtoli igitur, quia futuri
erant tormenta bellica, quibus Deus
mundum ſibi ſubiugare vellet; & cā-
panæ, de quibus dictum eſt, *In omnem* Pſalm.
terram exiuit ſonus eorum, &c. inſtar 18,5.
æris fuſilis ſtatim ſe accommodarunt
præcepto vocantis ad normam vitæ
perfectioris. Non fuerunt vaſa fictilia,
in quibus concreditus theſaurus fidei
faciè periclitaretur, ſed ærea, in qui-
bus ſecurè conſeruaretur, inter quos
Paulus, qui ſe minimum Apoſtolorum
exiſtimauit, præconio vocis Dei hono-
ratus eſt, qui dixit Ananiæ: *Quoniam* Act.9,
vas electionis eſt mihi iſte, vt portet no- 15.
men meum. Quàm longè is fuerit ab
imperfecta Licentiatorum obedientia,
in principio ſuæ conuerſionis manife-
ſtauit. Non enim dixit, Domine per-
mitte mihi hoc vel illud; ſi non placet
vt inceptum iter & impoſitam com-
miſſionem perficiam, ſaltem indulge
tempus deliberādi quid facturus ſim;
ſed abſolutè ſe imperio & diſpoſitio-
ni Dei reſignans, ait: *Domine, quid me* Act.9,
vis facere? Magnam occaſionem ha- 6.
buit Matthæus petendi licentiam &
facultatem diſponendi de intricatis
ſuis negotijs, omnibus tamen renun-
tiatis ſtatim ſurgens ſecutus eſt vocan-
tem. Hac occaſione agere poteris de
perfecta Religioſorum obedientia, qui
non petunt, multò minus facilè præ-
ſumunt licentiam in agendis, niſi cùm
aperta ratio dictat à rigore legis aut
præcepti in caſu occurrenti receden-
dum eſſe. Conſule hac de re *Tract.* IV.
Diſcurſ. IX.

IN FESTO S. MICHAELIS.

118. *Niſi conuerſi fueritis, & effi-* Matth.
ciamini ſicut paruuli, non intrabitis in 18,3.
regnum cælorum. Quò quis in profun- Simile.
diori puteo conſtitutus fuerit, & mi-
nùs à circumfuſa aëris luce illuſtris,
eò plures ſtellas cæli clarè intuetur,
quæ aciem viſus effugiunt eorum qui

Digitized by Google

in ſuperiori loco ambulant. Eodem modo humilis, & ſecundùm mundi iudicium obſcurus, in nouiſſimo & infimo loco conſtitutus, clariori rerum cæleſtium noticia illuſtratur. In puteo Pſalm. 130,1. humilitatis erat Dauid. *Domine non eſt exaltatum cor meum*, inquit, *neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis*, &c. recuſans autem pompoſa tabernacula peccatorum, elegit abiectus eſſe in domo Dei, atque in loco Pſ. 129,1.2. infimo ſe conſtitutum videns, ait: *De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam*. In hac autem humili & abiecta ſui exiſtimatione præ ceteris ſapiebat & videbat cæleſtia. vnde ait: Pſalm. 50,8. *Ecce enim veritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapientia tua manifeſtaſti mihi*. Porrò humilitati ſapientiam libenter aſſociari, indicant verba quæ in principio catalogi virorum fortium de ipſo Dauide dicuntur, vbi Spiritus ſanctus illum commendans, vocat ſapientiſſimum, & nihilominùs 2. Reg. 23,8. tenerrimum ligni vermiculum. *Sedens in cathedra ſapientiſſimus princeps inter tres*, inquit, *ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus*. Nil vermiculo abiectius: hoc nomine tamen Rex ſapientiſſimus propter profundam illius humilitatem recenſetur, quando de raris & famoſis ſuis operibus commemoratio celebratur. Chriſtus igitur ſuos ſapiētes monet, vt ſint humiles, & efficiātur ſicut paruuli. Humiles enim circumſpectiores ſunt, vt gratiam conſeruent, & gloriā obtineant, vt patet hoc ex ijs quæ habentur *Tract.* III. *Diſc.* XVIII.

IN FESTO SANCTI LVCÆ.

Lucæ 10,4. 119. *Nolite portare ſacculum, neque peram*. Veſpaſianus Imperator, quò doceret, feſtinationem nimiam in conſilijs & grauioribus negotijs moderandam eſſe, in nummis ſuis anchoram cum delphino piſce exprimebat: anchora enim (quoniam nauim ventis agitatam remoratur) tarditatem ſignificat; delphinus verò animal marinum, quod natandi celeritate nulli ſecundum eſt, velocitatem indicat: atque adeò ex his duobus contrarijs ſignificabat idem quod Cæſar Auguſtus binis verbis, *Feſtina lente*. vnde Gregorius Nazianzenus dixit: Greg. Naz. *Nullus conſiliarius melior tempore*. Tempori potiùs, quàm agro aut labori agricolæ, meſſem acceptam ferre debemus, vt docet prouerbium: *Annus producit ſegetes, non ager*. Verùm, licet in negotijs mundi deliberatione & cunctatione quadam opus ſit, tamen cum feſtinatione, quantum neceſſitas patitur, eum tranſire debet, qui ſperat ſe euaſurum illius pericula, & peruenturum ad portum ſalutis æternæ. Vnde Paulus clamat: *Non habemus hîc manentem ciuitatem*, &c. Hebr. 13.14. item: *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem*. Hebr. 4,11. Aptum igitur Hieroglyphicum viri Apoſtolici eſt delphinus cum anchora. Quod vt propoſito noſtro adaptem, Nota, anchoram etiam ſymbolum eſſe ſpei. Porrò meritò concipiunt ſpem æternorum bonorum, qui feſtinant inſtar delphini, per *hoc mare magnum ſpatioſum manibus*, Pſalm. 103,25. nec inhærent tranſitorijs. Hinc Chriſtus mandat ſuis, ne portent ſaccum aut peram, vt expeditè tranſeant. Hîc datur occaſio differendi de paupertate Religioſorum, qui affectibus inordinatis nudati, & charitate calidi facilè euadunt pericula & damna ſalutis propriæ, ac proinde aptiſſimi ſunt vt proſint alienæ. Conſule hac de re *Tract.* VII. *Diſcurſ.* XIX.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

120. *Videns autem Ieſus turbas, ad-* Matth. 5,1.

ſcendit

ſcendit in montem. Peſſimi hominis eſt, mala facere quæ poteſt, & voto ac voluntate non deeſſe ijs quibus poſſibilitate deeſt. Feruet qui huiuſmodi eſt in malum, & ad bona facienda friget. verùm non tantùm opera, ſed etiam *de-*
Prou. 21, 25. *ſideria occidunt pigrum*. Hinc fit vt non ſolùm contrectatio, ſed etiam cuiuſcumque rei illicitæ cupido per legem Dei prohibita ſit. Grauiſſimè proinde errauit Ioſephus Flauius lib. 12. Antiquit. c. 13. redarguens Polybium Hiſtoriographũ Perſarum, qui tribuit mortem Antiochi illuſtris prauæ illius voluntati & ſacrilego propoſito ſpoliandi templum. Contra quem agens
Ioſeph. dicit: *Qui nullatenus egit peccatum, ſed tantùm cogitauit, nullo reatu tenetur*. Grauiter hic ceſpitauit Ioſephus: ratio enim peccati magis conſiſtit in actu interiori quàm exteriori. Hinc Dauid
Pſalm. 50, 6. ait: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci*. Interiori actu ſoli Deo peccamus, cùm Eccleſiæ non ſit iudicare de occultis.

121. Porrò ſicut peſſimi plura mala perpetrarent, niſi poſſibilitas deeſſet; ita optimi ſunt in Eccleſia, quorum pia voluntas potentiam aut facultatem faciendi bona ſuperat. Sicut in illis mala voluntas punietur, ita in his bona etiam ſine executione operis remunerabitur ab eo, qui magis penſat animum quàm donum. Vnde patet felicitas Religioſorum, qui ex vi ſtatus meliora ſemper proponunt: beatificantur enim qui aſcenſiones in corde ſuo diſponunt, licet actu ad chariſmata meliora non aſcendant. Bonæ voluntati nullus eſt terminus præfixus, operibus autem neceſſariò ſubinde ponendus eſt modus. ac proinde potiùs illius feruori quàm horum multitudini aut magnitudini decernetur merces. Vt hac de re agas, occaſione ſcalæ Euangelicæ octo beatitudinum, quam Chriſtus hodie erigit, conſule *Tract. 1. Diſc. xix.*

IN FESTO SANCTI MARTINI.

122. *Nemo lucernam accendit & in abſcondito ponit.* Lucerna ſiue lampas tenuioris lychni & exiguæ flammæ parum olei aut ceræ conſumens, minùs lucet; Martinus miræ liberalitatis & magnæ charitatis honore ab omnibus celebratur poſt mortem, qui dum viueret, non modò extraneis ſed etiam domeſtico ſuo Brixio contemptui erat. Verè fuit *lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum.* quæ verba exponens Gregorius ait: *Benè iuſti ſimplicitas & lampas eſſe dicitur, & contempta lampas, quia interiùs lucet; contempta, quia exteriùs non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria reſplendet decoris.* Superbia verò reddit hominem vilem, ac ſepulchris dealbatis ſimilem, quæ proinde humilibus exoſa meritò eſſe debet. Vt enim ſuperbos deiectio manet, ita humilibus irrefragibili certitudine exaltatio promiſſa eſt ab eo, qui lucernas ſuas gratia illuminans, & charitate accendens, in abſcondito manere non permittit. Conſule hac de re *Tract. III. Diſcurſ. xxxii.*

Luc. 11, 33. Simile. Iob 12, 5. Greg.

INDEX TRACTATVVM
ET
DISCVRSVVM PRÆDICABILIVM
QVI HOC OPERE CONTINENTVR.

TRACTATVS PRIMVS.

De Prudentia.

DISCVRSVS PRIMVS.

PRVDENTIA virtutum moralium prima: iuſtorum ſemper vera, plerumque etiam perfecta eſt; peccatorum autem numquam perfecta, ſubinde tamen vera eſſe poteſt.

DISCVRSVS II.

Iuſtorum prudentia Deo grata eſt, quæ ad imitationem B. Mariæ verba Dei etiam à ſimplicibus propoſita ſtudioſè conſeruant.

DISCVRSVS III.

Verus prudens cautè attendit ad circumſtantias actionum: improbus autem, in malum præceps, per aſtutiam inquirit media quibus illud committere, & commiſſum occultare poſſit.

DISCVRSVS IV.

Peſſimi ne cautè quidem agunt quæ caſtè fieri nequeunt: vnde factis clamant quòd nec Deum timeant, nec homines reuereantur.

DISCVRSVS V.

Qui prudentes videntur vt faciant mala, verè ſtulti ſunt; quia non conſulunt quomodo damna euadere poſſint, quæ peccata ſequuntur.

DISCVRSVS VI.

Continuatio eiuſdem argumenti, & quòd homines imprudenter ſe in negotia coniiciant, à quibus ſe difficulter expediunt.

DISCVRSVS VII.

Imprudens eſt, qui malus & improbus timet apparere, ſed non eſſe: prudens autem ne ſit, de peccato pœnitet, & ita improbitatis etiam apparentiam delet.

DISCVRSVS VIII.

Cùm etiam in oratione vituperetur multiloquium, ille prudens iudicandus eſt, qui ad imitationem B. Mariæ Virginis non niſi pauca & præmeditata loqui aſſueuit.

DISCVRSVS IX.

Qui circumſpectè loquitur, aut tacet, prudenter ſe Deo adiungit, & ſecurior à mundi periculis, contemnit iudicia eius.

DISCVRSVS X.

Prudentis eſt, exemplo Mariæ non niſi vtilia loqui: quæ cùm eſſet ſapientiſſima, per humilitatem, ignorantis inſtar ſe in multis habuit.

DISCVRSVS XI.

Qui velox eſt in loquendo, & faſtuoſus in diſceptando, fortaſſis doctus, verùm prudens cenſeri non poteſt.

DISCVRSVS XII.

Vera prudentia eſt, ſolùm Deum reſpicere vt finem actionum ſuarum, quem licet multi intendant, non ideò minus ſinguli obtinent.

DISCVRSVS XIII.

Sicut leuitatis eſt, citò credere ei qui poteſt decipere; ita prudens eſt indicandus,

dus, qui cùm cetera diiudicat, facilè tamen acquieſcit conſulenti occaſionem bene operandi.

DISCVRSVS XIV.

Prudentiæ eſt, facilè ad capeſſendam vitam religioſam moueri, vt per bona opera in ſtatu gratiæ facta quis faciliùs obtineat miſericordiam, ſi contingat eum in peccatum labi.

DISCVRSVS XV.

Continuatur idem argumentum, & vlteriùs probatur, quòd prudens bonis operibus incumbens, de congruo mereatur reparationem, ſi lapſus fuerit.

DISCVRSVS XVI.

Prudens eſt, qui charitatem & miſericordiam exercet in proximum, vt cùm defecerit, illam faciliùs à Deo impetrare poſſit.

DISCVRSVS XVII.

Religioſus prudenter fugit mundum, qui odio habet iuſtos; meritò enim ab Apoſtolo vocantur adulteri, qui cum illo amicitiam colunt, & Dei inimicitiam ſibi conciliant.

DISCVRSVS XVIII.

Cùm dæmon, vt decipiat incautos, ſe plerumque occultet in negotijs ſæculi, prudens Religioſus, vt ſecuriùs de virtute in virtutem proficiat, ſe illis ſubducit.

DISCVRSVS XIX.

Prudentes ſunt Religioſi, vel ob hoc ſolùm beati, quòd ex vi ſtatus meliora ſemper proponant.

DISCVRSVS XX.

Mundani parua reprehendunt, & in magnis, quibus Deus offenditur, cæcutiunt: Religioſi verò minima errata timent, ne grauiora committant.

DISCVRSVS XXI.

Prudens ſollicitus eſt ne quid deſit operibus bonis ad ſalutem neceſſarijs, quæ vt Deo accepta ſint, de bona voluntate procedant neceſſe eſt.

DISCVRSVS XXII.

Sollicitæ prudentiæ eſt, mandatis Dei ad ſalutem neceſſarijs addere opera ſupererogationis, aut Regulam alicuius approbati Ordinis.

DISCVRSVS XXIII.

Prudens ſolius Dei oculis laborans, per puram intentionem addit operibus ſuis valorem.

DISCVRSVS XXIV.

Magna prudentia eſt, eligere ſtatum Religioſum, cùm in eodem genere peccati (niſi adſit contemptus) minùs Deum offendat Religioſus quàm ſæcularis.

DISCVRSVS XXV.

Religioſæ prudentiæ eſt, incertitudini futuri temporis non committere inſpiratam deſponſationem cum Chriſto, quæ in præſenti fieri poteſt.

DISCVRSVS XXVI.

Imprudentes ſe ſuaque miſerè perdunt, dum vt plus lucrentur, aut minùs incommodentur, ſtultè cuſtodiunt.

DISCVRSVS XXVII.

Inſipiens mundanus periculis perdendæ ſalutis ſe exponit, prudens verò Religioſus ex metu præteritorum contra futura ſe munit.

DISCVRSVS XXVIII.

Imprudens ſe exponit periculo damnationis, qui obſcuris & dubijs huius mundi ita acquieſcit, vt ſine prauia diſcuſſione qualibet aggrediatur.

DISCVRSVS XXIX.

Indignus eſt conſilio iuſtorum, qui per imprudentiam ſtultis mundi iudicijs ſuffragatur; & qui dubijs conſcientiæ acquieſcit, in illis peribit.

DISCVRSVS XXX.

Prudentis eſt, mortem non modò cognoſcere per meditationem, ſed facilem reddere per continuam eius prægustationem, quæ in ſui mortificatione conſiſtit.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Caſtitate.

DISCVRSVS I.

Mariæ ſingularis caſtitas Deo grata, & exterior formoſa ſimplicitas hominibus proficua fuit.

DISCVRSVS II.

Caſtimoniæ B. Virginis tribuendum eſt, quòd in hac vita (vt eſt probabilis opinio) clara viſione diuinæ eſſentiæ meruerit honorari.

DISCVRSVS III.

Mariæ caſtitas, & mirabilis formæ venuſtas, pulchra quadam generatione intuentes ad pudicitiam excitauit.

DISCVRSVS IV.

Eſt quidem rara quorumdam ſanctorum honeſtas, quibus vicinus luxuriæ ignis non obeſt, Mariæ verò ſtupenda virginitas, etiam in ſuis deuotis ignita tela nequiſſimi extinguit.

DISCVRSVS V.

Ad Chriſti contactum exire ſolebat virtus quæ ſanabat omnes; verùm ex ſolo aſpectu pulcherrimæ virginis ceſſabant in hominibus inhoneſti motus.

DISCVRSVS VI.

Vana pulchritudo irritamentum libidinis eſt, quam timoratæ Virgines cum Maria deteſtantur, mundanæ verò ſuperadditâ veſtimentorum pompâ prouocant.

DISCVRSVS VII.

Maria, quæ Angelos felicitate & puritate ſuperat, caſtos, maximè ſegregatos Religioſos, ad præclariorem conditionem in cælis obtinendam præ ceteris extollit.

DISCVRSVS VIII.

Sicut peſtis in corporibus, & hæretica prauitas in animabus; ita luxuria, quam caſti execrantur, quaſi cancer in alios ſerpit.

DISCVRSVS IX.

Caſti vitium carnis effugiunt, & proximum per modeſtiam in propoſito honeſtatis cuſtodiunt.

DISCVRSVS X.

Perfecta caſtitatis cuſtodia vix ſine fuga perſonarum alterius ſexus ſeruari poteſt.

DISCVRSVS XI.

Continuatur idem argumentum, & dicitur quòd vir per frequens conſortium mulieris facilè diſſoluatur & vileſcat.

DISCVRSVS XII.

Non ſolùm turpes, ſed nec blãdos ſermones inter ſe conferre debent vir & mulier, ſi pudicitiæ conſultum velint.

DISCVRSVS XIII.

Vt quis ſeruet animam à conſenſu carnalis concupiſcentiæ illæſam, in reijciendo minores voluptates ſe Deo fidelem exhibeat, & ſeipſum ab immodico vino temperet.

DISCVRSVS XIV.

Verus amator caſtitatis ſibi cauet à mulierum liberiori aſpectu: plures enim per ſpeciem creaturarum deficiunt, quàm in Dei cognitione & amore proficiant.

DISCVRSVS XV.

Vagum mulieris aſpectum meritò improbat caſtitatis amator; non enim eſt omnium, ex ſpecie creaturarum in cognitionem Creatoris venire.

DISCVRSVS XVI.

Ad Chriſti exemplum amator caſtitatis modeſtiam oculorum ſeruat, ne videatur ab aliquo, aut aliquid ipſe videat, quod per diſſipatas cogitationes pacem cordis illius inquietet.

DISCVRSVS XVII.

Eiuſdem argumenti continuatio; & quo ſenſu vana mulierum pulchritudo incautos decipiat.

DISCVRSVS XVIII.

Species mulieris decipit carnales, qui dum oculos paſcunt, non ſedant, ſed acuunt videndi appetitum.

DISCVRSVS XIX.

Quemadmodum carnales ignaui & molles efficiuntur, ita caſtitas eſt robuſtorum virtus, qua amatores eius ad bonum fortiores reddantur.

DISCVRSIS XX.

Virgines non modò piam, ſed etiam tranquillam vitam ducunt, liberatæ à tribulationibus carnis & cura educandæ prolis.

DISCVRSVS XXI.

Virginitas liberat à moleſtijs ortis ex conditionum diſparitate, quibus non rarò coniuges inter ſe diſſentiunt.

DISCVRSVS XXII.

Virgines, quæ nulla lege viri ligatæ, ad nuptias inordinatè aſpirant, ipſis nuptijs multis rationibus infeliciores poſtponendæ ſunt.

DISCVRSVS XXIII.

Coniugata ſecurè gaudet nuptijs, quas periculosè ambit innupta, quæ luxu veſtimentorum vanam, & diſcooperto ſinu ſe quodam modo communem profitetur, & liberiùs quàm deceat ſolutam conuerſatur.

DISCVRSVS XXIV.

Non præiudicat Virginum integritati, quam Deus miraculis ſæpè defendit, quod olim dictum eſt, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.

DISCVRSVS XXV.

Cùm omnes ſint ſeruandæ virginitatis mediante gratia Dei capaces, ineptè quidam ſingulis virum exoptant aut murum.

DISCVRSVS XXVI.

Virgines non modò à moleſtijs huius vitæ immunes ſunt, quibus premuntur coniugati, ſed etiam in vita futura præ ceteris priuilegio maioris neceſſitudinis ab Agno merentur honorari.

DISCVRSVS XXVII.

Virgines Deo chariores cenſentur, quæ mundum contemnentes cogitant quæ Domini ſunt, & Eccleſiæ proſunt.

DISCVRSVS XXVIII.

Aureola decorabuntur virgines in cælo, quæ tantò erit clarior, quantò victoria in ſuperanda carne in vnoquoque fuerit perfectior.

DISCVRSVS XXIX.

Meritò virgines cunctis hominibus cæleſtem ſponſum præferunt, qui ſolus immortalis & nobilior eſt vniuerſis.

DISCVRSVS XXX.

Prudentes virgines cæleſtem ſponſum omnibus mundi Magnatibus præeligunt, ad cuius nuptias (ne maieſtatem illius formident) ab omnibus Dei amicis inuitantur.

DISCVRSVS XXXI.

Virgines cæleſtem ſponſum amando, inordinatum amorem extinguunt, qui quantò plus diligitur, tantò amabilior redditur.

DISCVRSVS XXXII.

Qui dux eſt virginitatis, eſt etiam virginibus auctor & largitor amoris, quo ſponſum amantem redament.

DISCVRSVS XXXIII.

Cùm humilitas in excelſis periclitari ſoleat, meritò virgines pro illius conſeruatione ſollicitæ in ſolo Domino gloriari debent.

DISCVRSVS XXXIV.

Virgines non extollantur ex ſublimitate ſtatus, ſed deprimat eas pondus amoris, quo cæleſti ſponſo obſtrictæ ſunt, ad quem oborta tentatione confugiant.

DISCVRSVS XXXV.

Virginalis excellentia nedum ab hominibus, ſed etiam ab inſenſibilibus creaturis honoratur, cuius amiſſionem in innuptis ab omnibus deplorandam

dam

dam eſſe, Deus per Prophetam indicauit.

DISCVRSVS XXXVI.

Cùm ab omnibus deplorandus ſit virginum caſus, magna eſſe conuincitur illorum impietas, qui lapſas dicterijs & riſu euulgant.

TRACTATVS TERTIVS.

De Humilitate.

DISCVRSVS I.

Maria appellatur maris ſtella, cuius humilitatem potiùs imitari debemus, quàm excellentiam eius nimis curioſè ad ſciendum ſolùm inquirere.

DISCVRSVS II.

Fruſtrà confidimus quòd Maria nobis erit mater gratiæ, niſi imitemur humilitatem eius, quæ in magnis non ambulans, ſeipſam appellauit ancillam Domini.

DISCVRSVS III.

Cùm humilitas ſit virtus magnatum Eccleſiæ, ſequitur quòd ſicut Maria præ ceteris magnificata, ita etiam omnium humillima fuit.

DISCVRSVS IV.

Ne Maria nimis celebraretur dum viueret, ex humilitate impetrauit, vt priùs vitam finiret, quàm aut publicis miraculis aut expreſſa commendatione Filij ſui honoraretur.

DISCVRSVS V.

Praxis humilium eſt, quòd ſuperiores ſibi inuicem arbitrentur. Et ne obſit ſaluti, ſi vel vni ſe præponant, ad exemplum Mariæ omnibus ſe poſtponunt.

DISCVRSVS VI.

Qui cùm Maria in hac vita contemnunt honores, poſt mortem oblatos à Deo ad eius gloriam acceptant: ſuperbi autem aſinorum imò porcorum ſepultura tunc fiunt infames.

DISCVRSVS VII.

Ne ſancti ſuperbiant, potiùs permittit Deus vt ad malum ſtimulentur, & peccent: Maria verò vel ob hoc miranda, quòd immunis ab omni culpa, humillima fuerit.

DISCVRSVS VIII.

Nemo licitè malum facit, etſi inde magnum bonum proueniat, electorum tamen peccata à Deo permiſſa cooperantur in bonum, & præbent eis occaſionem humilitatis.

DISCVRSVS IX.

Superbi præ ſtultis inſaniunt, cùm affectant titulis & nominibus celebrari, quæ Chriſtus negligenda eſſe docet ab eis, qui cum illo participes regni futuri ſunt.

DISCVRSVS X.

Etſi in alijs quodam ſenſu dici poſſet coacta humilitas, in beata tamen Maria ita fuit ſpontanea, vt verè appellari debeat honorata.

DISCVRSVS XI.

Sancti ſubinde humiliter ſeipſos laudant: vnde Maria aſſerüit, Dominum reſpexiſſe humilitatem ſuam ſine vllo præiudicio illius.

DISCVRSVS XII.

Maria, cuius humilitatem Deus reſpexit, ipſo inſpirante, omnium generationum beatificatione, & innumeris epithetis ac glorioſis nominibus ab Eccleſia honoratur.

DISCVRSVS XIII.

Deus magna Mariæ faciens, humilitatem eius honorauit oſtentatione ſuæ magnificentiæ, & miſericordiæ quam miſeris exhibet.

DISCVRSVS XIV.

Humilitas quæ ſpirituali celſitudini aſſociatur, homini valdè fructuoſa eſt, dæmoni terribilis, Deo autem amabilis eſſe probatur.

DIS-

DISCVRSVS XV.

Magna perfectio & charitatis feruor hominem rebus terrenis denudat, & humilitate ornat, quæ in Maria maxima fuit.

DISCVRSVS XVI.

Quemadmodum mali externo faſtu internam vilitatem contegunt, ita ſancti virtutes humilitate occultant, & ſecurè conſeruant.

DISCVRSVS XVII.

Quemadmodum ſuperbi ſtulteſcunt, & ſibi moleſtiam pariunt; ita manſuetorum humilitati ſalutaris ſapientia aſſociari ſolet.

DISCVRSVS XVIII.

Sicut quatuor minima terræ ceteris animantibus præſtant ſapientiâ, ita humiles per ſpecialem Dei prouidentiam circumſpectiores ſunt, & ſecuriùs gratiam conſeruant, & obtinent gloriam.

DISCVRSVS XIX.

Qui auſteritati vitæ humilitatem adiungunt, inueniunt in hac vita perfectam requiem animabus, nec facilè tentationi diaboli ſuccumbunt.

DISCVRSVS XX.

Deus in hac etiam vita conſolatur humiles, qui ad eum vadunt per ſaluum conductum humilitatis potiùs ſecuri, quàm meritis ſuis innitentes.

DISCVRSVS XXI.

Exigua, quorum auctores magni videntur, ſtultè mundani extollunt; ardua verò humilium extenuant, quorum etiam minima Dominus reſpicit, qui alta ſolùm à longè cognoſcit.

DISCVRSVS XXII.

Humilium ſe humiliantium oratio non ſolùm vſque ad nubes aſcendet, ſed illas etiam penetrabit: Deus enim qui ſuperbis reſiſtit, iiſdẽ ſe exorabilem præbet.

DISCVRSVS XXIII.

Humilium oratio ſicut Deo ſemper placet, ita eſt impetratoria eius quod petitur, aut meritoria alicuius melioris.

DISCVRSVS XXIV.

Cùm in multis excuſet error, niſi tamen quis ex humilitate ſe omnium minimum exiſtimet, facilè ex propria complacentia deceptus, ſalutis ſuæ iacturam patietur.

DISCVRSVS XXV.

Humilis licitè alios decipit, dum per externam peccatoris & abiecti apparentiam tegit ſuam dignitatem; ſicut econtrà perniciosè ſuperbit, qui propriam vilitatem affectatâ honeſtatis ſpecie malo fine celat.

DISCVRSVS XXVI.

Humilis nihil de honoribus cogitans, à Deo vocatus tamquam Aaron, inſtar dormientis ſuſcitatur ſubinde ad dignitates.

DISCVRSVS XXVII.

Superbi ad dignitates inepti eas ambiunt, quas humiles à periculis perterriti timent: ſed rationes quæ illis metum incutiunt, eumdem meritò temperant.

DISCVRSVS XXVIII.

Ex faſtuoſo inceſſu & immoderato riſu cognoſcitur ſuperbus, quem humilis cum metu ſalutem ſuam operando temperat, qui liberè in die nouiſſimo ridebit.

DISCVRSVS XXIX.

Multiloquium ſuperbiæ ſignum eſt, humilitas verò apparet in iis qui pauca dicunt, & diligenter cauent ne lingua eorum magniloqua videatur.

DISCVRSVS XXX.

Veſtimentorum modeſtia humilitatem probat, nimia verò pompa ſuperbiam: vt enim aliqui per eam præclaros ſe mentiuntur, cũ ſint viles; ita humiles obſcuro habitu ſuam dignitatem tegunt.

DISCVRSVS XXXI.

Veram humilitatem acquirit homo violen-

violenta ſui humiliatione, quam qui per frequentem peccatorum confeſſionem exercent, eorumdem remiſſionem ſecuriùs à Deo obtinent.

DISCVRSVS XXXII.

Superbia vilem reddit eum in quo dominatur, contra quam humilis ſe defendit, ſciens quòd humilibus exaltatio, ſuperbis verò deiectio prædicatur.

TRACTATVS QVARTVS.

De Obedientia.

DISCVRSVS I.

Obedientia non niſi humilium eſt, quæ in humillima virgine ſumma fuit: nam Domini mandatum in nullo tranſgreſſa, illius beneplacito in omnibus ſe commiſit.

DISCVRSVS II.

Maria feſtina in obediendo, docet quòd non tantùm expreſſo Dei mandato obedientes, ſed etiam tacito illius beneplacito meritò in omnibus conformes eſſe debeamus.

DISCVRSVS III.

Verus obediens, cur quid præcipiatur, non inquirit, hoc enim modo ſerpens Euam decepit, & poſt illam multi ſeipſos perdiderunt. Porrò in pace proficit, qui ſimpliciter obtemperat.

DISCVRSVS IV.

Debita eſt & meritoria obedientia ſubditi, qui dubitat bonúmne ſit an malum quod præcipitur: nam propter eam prodeſt opus quod ſine illa obfuiſſet.

DISCVRSVS V.

Obedientia cæca, qua homo perfectè ſe Deo tradit, efficit vt verus obediens de illius adiutorio confiſus, aggrediatur ea quæ humano iudicio impoſſibilia videntur.

DISCVRSVS VI.

Deus veris obedientibus blandus, & ſe & dulcedinem ſuam deguſtandam præbet, efficitque vt dura quæ Prælatus iniungit, ſubdito etiam leuia fiant.

DISCVRSVS VII.

Verus obediens in Prælato Deum agnoſcens, non ſolùm ab eo & Angelis bonis, ſed etiam à malis & beſtijs adiuuatur ad perficiendum ardua quæ illi imperantur.

DISCVRSVS VIII.

Meritoria valdè eſt obedientis cæcitas, qui non attendit errata, ſed Prælati imperia; & tantò magis prodit Chriſtum intus docentem, quantò imperfectior eſt cui obtemperat.

DISCVRSVS IX.

Qui facilè præſumit aut petit licentiam in agendis, deficit à perfecta obedientia, quæ ſacrificijs melior, & facultatibus à Prælato obtentis tutior eſt.

DISCVRSVS X.

Vt peccata declinemus, & bonis operibus inſiſtamus, vrget obedientia: quæ etiam indifferentibus meritum tribuit, quo iuſtè deſtituitur qui ex proprio ſenſu operatur.

DISCVRSVS XI.

Ex animo, ſine gemitu, ad imitationem Chriſti obediendum eſt, vt ſit prompta & ad omnia indifferens obedientia.

DISCVRSVS XII.

Obedientia ſubinde efficit, vt priuatio eius quod recreat, & coniunctio illius quod natura horret, non adferat vero obedienti afflictionem, ſed conſolationem.

DISCVRSVS XIII.

Veris obedientibus eſt Deus ſalus & protectio, qui etſi minùs indigeant, tamen plurium cuſtodiæ eos commendat.

DISCVRSVS XIV.

Veri obedientes Magnatibus (qui quòd nullum ſuperiorem agnoſcant in terris, facilè Deum offendunt) illuſtriores, & à concupiſcentijs immunes, in magna libertate animi viuunt.

DISCVRSVS XV.

Sicut magna eſt obedientium ſecuritas, ita inobedientes meritò ſuam damnationem timere debent; quam tantò certiùs incurrent, quantò minùs illam apprehendunt.

DISCVRSVS XVI.

Inobedientes ſibi mortem cauſant, quam Deus non fecit, quorum voluntas propria, & ſignum & inſtrumentum eſt pœnarum inferni, cui ſe Deus maximè offenſum oſtendit.

DISCVRSVS XVII.

Magna eſt obedientiæ dignitas quæ Deo offert voluntatem, cuius tantùm libera diſpoſitio homini relicta eſt, quæ proinde operibus humilibus tribuit honorem.

DISCVRSVS XVIII.

Nobilium more tractantur à Deo, qui obedientiam zelant; quibus non imperat cum auſteritate, ſed ſuaniter monet ſola ſui beneplaciti manifeſtatione.

DISCVRSVS XIX.

Nihil magis obedientiæ præſtantiam extollit, quàm quòd à Deo Patre & Maria Virgine (qui non niſi ſemel aliquid monendo locuti ſunt) hominibus commendata ſit.

TRACTATVS QVINTVS.
De Fide.

DISCVRSVS I.

Summa omnium fuit Mariæ fides, quæ ſtultitiæ arguit eos qui quòd fide Deum apprehendant, ſine bonis operibus ſibi promittunt vitam æternam.

DISCVRSVS II.

Prudentiſſima Virgo, & citò & perfectè credidit omnia credenda. Noſtra fides quamuis in omnibus non ſit explicita, ſi tamen fuerit feruens, magna reputabitur.

DISCVRSVS III.

Sicut Mariæ fides maxima & fortiſſima fuit, ita multorum infirma valdè eſt, qui ad illam deuotè confugientes ab eadem in fide roborantur.

DISCVRSVS IV.

Maria præ omnibus fide fortis eam profeſſa eſt maximè tempore paſſionis, quæ etiam ſola de reſurrectione Filij ſui explicitam fidem habuit.

DISCVRSVS V.

Etſi corde credamus ad iuſtitiam, tamen confeſſio fidei neceſſaria eſt ad ſalutem, in qua tepeſcunt omnes, qui rebus ſacris debitam reuerentiã non exhibent.

DISCVRSVS VI.

Mundus cum fidei confeſſione incepit, cuius defectu Apoſtoli triduo paſſionis Deum offenderunt, à quo fortis Virginis fides infirmitati noſtræ dona gratiarum impetrauit.

DISCVRSVS VII.

Fidem quæ latet in corde, tempore & loco operibus profiteri debemus, ad gloriam eius qui occultè illam infudit.

DISCVRSVS VIII.

Non temerè, ſed iuſta de cauſa facienda eſt fidei confeſſio, quâ ſancti contemptis periculis ſæpè Deum mirabilem eſſe oſtendunt.

DISCVRSVS IX.

Ignorat ſe nudum & cæcum eſſe, qui deficit in fide, quæ ſicut eſt prima virtutum, ſic etiam non niſi poſt multa peccata vltimo loco perire ſolet.

DISCVRSVS X.

Paucorum eſt gladio ſpiritus & verbo Dei aduerſarios impetere, omnium autem ſcuto fidei tela nequiſſimi extinguere.

DISCVRSVS XI.

Fides eſt communis Eccleſiæ lampas, quam ſubinde exigua lux humanæ opinionis aut mundanæ conſuetudinis obfuſcat.

DISCVRSVS XII.

Ne fides nimis laxa pereat, timorem Dei debet incutere: ne verò inordinatè conſcientiam premat, ſpe miſericordiæ eius moderanda eſt.

DISCVRSVS XIII.

Domeſtici Dei difficilia huius vitæ & obſcura fidei ſine offenſione pertranſeunt, in qua multi ex illius defectu impingunt.

TRACTATVS SEXTVS.
De Gratitudine.

DISCVRSVS I.

Maria Virgo Dei beneficiorum memor, compendioſum modum adinuenit eiſdem gratias agendi, quo qui vtuntur, meritò cenſeri poſſunt de numero electorum.

DISCVRSVS II.

Qui grati ſunt, ad laudem Dei vtuntur beneficijs acceptis, idcircò eos dignos cenſet, quibus etiam non poſtulata concedat.

DISCVRSVS III.

Maria pro beneficijs etiam alijs conceſſis grata, docet quòd gratiæ iuſtis non dentur, ſed commodentur: pro quibus gratiarum actio Deo reddita, efficit vt petitiones noſtræ efficaciter innoteſcant apud Deum.

DISCVRSVS IV.

Nemo eſt qui Deo gratias completas perſoluat, qui tamen quæ poteſt actu, & quæ non poteſt affectu offert, non eſt dicendus ingratus, cui beneficia obſunt.

DISCVRSVS V.

Ingratitudo multùm aggrauat culpam quæ poſt remiſſionem præteritorum peccatorum commiſſa eſt, niſi leuis ſit, & ex fragilitate aut per ſurreptionem commiſſa.

DISCVRSVS VI.

Qui grato animo agnoſcit beneficium Dei, quo fuit liberatus à malis præteritis, is fiducialiter ſperare poteſt quòd illum liberabit à futuris.

DISCVRSVS VII.

Ingrati homines mirabilia opera Dei non conſiderant, & ideò nihil agunt, quod Deus ſuo benigno aſpectu dignetur.

DISCVRSVS VIII.

Sancti horrent ingratitudinis vitium: vnde à rebus creatis abſtinentes ſe mortificant, amore Redemptoris, qui cum reliquis virtutibus etiam exemplum gratitudinis nobis reliquit.

DISCVRSVS IX.

Magna eſt diuitum ingratitudo, qui per eleemoſynas non honorant Deum de ſua ſubſtantia, ſumma autem illorum qui in pauperibus eum contemnunt.

DISCVRSVS X.

Sicut impiorum oratio aliquando fit in peccatum, ita quorumdam gratiarum actio ſubinde exoſa eſt Deo.

DISCVRSVS XI.

Cùm omni tempore & loco Deo gratiæ agendæ ſint, nec hoc à peccatoribus dignè fieri poſſit, meritò ſolliciti ſumus, vt ſemper Deo accepti, in bono quod cœpimus vſque in finem perſeueremus.

DISCVRSVS XII.

Gratiarum actio vtilis & iucunda eſt, præſertim quando fortis vt mors dilectio, & ſincerus amicitiæ amor, ex afflictione & cruce, eam Deo promit.

DISCVRSVS XIII.

Mirabili modo fit, vt afflictiones dulceſcant per gratiarum actionem, quæ pro illis redditur, ne per impatientiam tribulationes euomantur, quas Deus vt medicinas animæ ordinat.

TRACTATVS SEPTIMVS.
De Paupertate.

DISCVRSVS I.

Altiſſima fuit Mariæ paupertas poſt illam quam Chriſtus exercuit, qui Virgi-

Virginem nobis imitabilem propoſuit, ut per terrenorum contemptum quaſi per ſcalas aſcendendo, ſublimemur in cælis.

DISCVRSVS II.

Christus & Maria omnia poſſidentes, perfectiùs quàm Apoſtoli renuntiarunt neceſſarijs, quorum paupertatem Deo gratiſſimam ſequuntur Religioſi, ex ſpontanea inopia mendicantes.

DISCVRSVS III.

Euangelici pauperes, qui oblata refutant poſſidere, feruentiùs Deum ſitiunt, quem hîc vberiùs & poſt mortem citiùs deguſtant: nam etiam nihil habentes quod tribuant, ad maius eorum meritum poſſunt eſſe miſericordes.

DISCVRSVS IV.

Difficulter diues rebus, paupertatem ſpiritus, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt, aſſequitur; ideò in maiori metu viuens, ad excellentiorem ſanctimoniam conari debet.

DISCVRSVS V.

Quemadmodum nihil poteſt cohibere cupiditatem auari, ita vir cæleſtium deſideriorum nullam temporalium rerum iacturam timet.

DISCVRSVS VI.

Diuitiæ ſuperflua obſunt poſſeſſori, eumque charitate & bonis Spiritualibus vacuum arguunt, quæ Deus non infundit niſi ijs qui terrena erogant.

DISCVRSVS VII.

Qui nimis anxiè incommoda paupertatis declinat, ſubinde incidet in manus Dei irati, à quo vita & omnibus bonis ſpoliabitur.

DISCVRSVS VIII.

Sicut ſollicitudinibus lacerantur qui nimis terrena cupiunt, ita mira pace gaudent, qui ea animosè contemnunt.

DISCVRSVS IX.

Diuites huius ſæculi nihil habent quod ſpiritus guſtet; pauperes verò Chriſti bona animæ poſſident, quibus ditati reficiuntur.

DISCVRSVS X.

Pauperes Religioſi, qui nec retinent quo alijs egenis ſubuenire poſſint, ab omni exactione liberi ſunt, quibus beatius eſt mendicare vnde viuant, quàm poſſidere vnde eleëmoſynas tribuant.

DISCVRSVS XI.

Voluntarij pauperes, & Euangelici mendicantes, de Dei prouidentia ſecuri, ac paruis & paucis contenti, hilares efficiunt datores, quibus amicè congaudent.

DISCVRSVS XII.

Auari non ſatiantur, ſed ſuffocantur in diuitijs, qui tamquam idololatræ Deo exoſi, & ſibi graues ſunt. Beati autẽ quos amor Dei pauperes rebus fecit.

DISCVRSVS XIII.

Nemo eſt qui nullius egeat: certiores autem ſunt Religioſorum diuitiæ, quæ per terrenarum poſſeſſionem non periclitantur.

DISCVRSVS XIV.

Diuitiæ cum ſollicitudine acquiſitæ & conſeruatæ, dolorem poſt ſe relinquunt, in eo cui violenter tandem auferuntur: qui verò ſponte illis renuntiat, ſerenitate conſcientiæ gaudet.

DISCVRSVS XV.

Voluntaria inopia Chriſti, Euangelicam paupertatem amatoribus ſuis amabilem & imitabilem reddidit.

DISCVRSVS XVI.

Diuites huius ſæculi ſolida animæ bona contemnunt, vt terrena, quæ nihil proſunt, accumulent; Religioſi verò pauperes, his abiectis, illis diuites ex hac vita recedunt.

DISCVRSVS XVII.

Religioſi moleſtias paupertatis fortiter ferunt, ſcientes ſe tamquam artificioſas imagines Deo amabiles in cælo collocandos eſſe.

DISCVRSVS XVIII.

Non minus ſecurus eſt de centuplo, qui pauca ferventi amore paupertatis reliquit, quàm is qui multa eodem feruore Deo obtulit.

DISCVRSVS XIX.

Religioſi pauperes rebus, & nudi inordinatis affectibus, ac vera charitate ferventes, non facilè incurrunt damnum ſalutis propriæ, & aptiſſimi ſunt vt proſint alienæ.

DISCVRSVS XX.

Qui ita paupertatem vouent, vt non vereantur amore eius ſubinde inediam pati, Martyribus annumerandi cenſentur.

DISCVRSVS XXI.

Terrena, quæ in veteri Teſtamento in pretio erant, in nouo vileſcunt: ideò Deus, qui tunc vacuos à ſe repulit, nunc eos qui omnibus renuntiant, pro ſuis præcipuis electis agnoſcit.

DISCVRSVS XXII.

Sicut diuitiæ huius ſæculi in ſe viles ſunt, ita cupidi earum poſſeſſores, per ipſas apud Deum vileſcunt, quibus voluntarios pauperes tamquam veros diuites præfert.

DISCVRSVS XXIII.

Etſi omnes peccatores captiui tenentur, auari tamen à dæmone abſorbentur, voluntarij verò pauperes, in quibus nihil habet quod ſuum eſt, in vita liberi & in morte ſunt ſecuri.

TRACTATVS OCTAVVS.
De Patientia.

DISCVRSVS I.

Magnus fuit matris Tobiæ dolor, expectantis filij reditum; maior autem Mariæ, quærentis Chriſtum qui remanſerat in Ieruſalem.

DISCVRSVS II.

Dolor Mariæ de Filij amiſſione excellentiam patientiæ eius probauit, quæ ſine præiudicio eius dolens petiuit & quæſiuit mœroris ſuæ remedium.

DISCVRSVS III.

Maria acerbum dolorem patiens in amiſſione Filij ſui, ex imagine cognouit magnitudinem pœnæ damni, vt eam pro nobis peccatoribus feruentiùs deprecetur.

DISCVRSVS IV.

Quemadmodum Filius Dei inſcia matre remanſit in Ieruſalem ad magnum exercitium patientiæ eius; ita ſubinde abſconditur ad maius meritum pijs animabus, ſubtractione guſtus internæ deuotionis.

DISCVRSVS V.

Mœrori Virginis de Filio perdito nullum ſe miſcuit ſolatium, vnde & ſummæ patientiæ exemplum reliquit, qua electi merentur ſalutarem præſentis vitæ exitum, & abſque dilatione futuræ gloriæ introitum.

DISCVRSVS VI.

Magna eſt Sanctorum patientia, à propria carne moleſtias tolerantium: quæ etſi debeat ſuſtentari, tamen non niſi per ſingularem Dei gratiam poteſt ſuperari.

DISCVRSVS VII.

Quemadmodum Sanctorum iuſtitia indomitos leones cicurauit, ita homo per integritatem vitæ patientiam acquirit, & manſueſcit.

DISCVRSVS VIII.

Patientia omnibus neceſſaria eſt, ſine qua ſicut nemo à culpa immunis, ita pro ſalute ſibi commiſſorum fructuosè poteſt eſſe ſollicitus.

DISCVRSVS IX.

Maleuoli aliorum peccata curiosè inquirunt vt traducant; verùm patientia clari ſunt, qui non verentur odium incurrere, dum fraternè proximum corripiunt de ijs quæ palàm ab eo committuntur.

DIS-

DISCVRSVS X.

Quemadmodum impatientem mala acerbiùs affligunt, ita per tolerantiam eneruata verè patientibus meritoria fiunt.

DISCVRSVS XI.

Qui hilariter fert quod neceſſariò ferendum eſt, is ad imitationem Chriſti ex Dei amore facilè tolerabit malum, à quo, cùm velit, ſe vindicare poteſt.

DISCVRSVS XII.

Viles ſunt impatientes, qui maledicorum verbis deijciuntur; illi autem fortes cenſendi ſunt, qui illatas iniurias, quas nemo euadit, contemnunt.

DISCVRSVS XIII.

Patientes ſicut Chriſto & matri eius venerabiles, ita diabolo & ijs qui ſtant à parte eius, terribiles eſſe conſtat.

DISCVRSVS XIV.

Æquo animo ferenda ſunt malorum hominum obloquia, quibus boni magis in patientia fundati, ſecuriùs animas ſuas poſſident.

DISCVRSVS XV.

In corporis infirmitate fortes eſſe debemus per patientiam, quam Deus permittit, vt illius occaſione ægrotantis ſaluti meliùs prouideri poſſit.

DISCVRSVS XVI.

Infirmitates patientibus conſolatoriæ ſunt, tamquam animarum medicinæ quibus ſanantur, & quaſi dolabra, quæ imaginem Chriſti in illis efformant.

DISCVRSVS XVII.

Conſolatoria ſpes pauperum & oppreſſorum per patientiam roboratur: qui autem ab illa deficit, etiam fiduciam in Deum amittit.

TRACTATVS NONVS.
De Pietate & Miſericordia.

DISCVRSVS I.

Specialis eſt Mariæ miſericordia erga ſuos deuotos, quos non ſolùm à malo liberari, ſed etiam præſeruari materna ſollicitudine curat.

DISCVRSVS II.

Inefficax ſæpè eſt eorum ſupplicatio, qui ſolùm quia rogati ſunt, rogant. Hinc ſancti, dum ex miſericordia pro alijs orant, non ſemper audiuntur.

DISCVRSVS III.

Tanta eſt Virginis miſericordia, vt ſubinde non rogata roget & impetret miſeris ſolatium vitæ, & peccatoribus fructum finalis pœnitentiæ.

DISCVRSVS IV.

Magna fuit Virginis pietas, quæ triginta annis patienter ferens propriam inopiam, deficiente vino in nuptijs, vix per momentum pati potuit alienam.

DISCVRSVS V.

Quemadmodum peccando Deum offendimus, ita præ omnibus Sanctis Mariam (quantum in nobis eſt) dolore afficimus, quæ tamen inuocantibus ſe miſericors manet.

DISCVRSVS VI.

Magna Mariæ in peccatores pietas ita lenit Deum iratum, vt mitiget rigorem iuſtitiæ propter illam quæ pro ſola miſericordia ſollicitat.

DISCVRSVS VII.

Clementis eſt quærere titulos miſerendi, ideò Maria Deum imitata, omnium miſeretur, ea ratione, quòd præter illam non ſit alia mater gratiæ.

DISCVRSVS VIII.

Nullus parens legitur in Scriptura repulſam paſſus, Chriſtum pro Filio ſollicitans: hinc Maria, quæ pro filijs Filium orat, meritò exorat.

DISCVRSVS IX.

Maria Virgo ſingularis, non miſeris modò, ſed etiam peccatoribus ſibi infeſtis miſericors & mitis eſſe probatur.

DISCVRSVS X.

Quemadmodum credentes in Chriſtum ad gloriam omnipotentiæ ipſius maio-

maiora fecerunt, quàm ab ipſo facta leguntur, ita Maria pietas eum infinita miſericordia Dei quodammodò contendens, eamdem magis illuſtrat.

DISCVRSVS XI.

Maria egenis & agris peccatoribus miſericors, ſpecialiter illorum ſalutem procurat, qui pro illius reuerentia diem Sabbatinum celebrant.

DISCVRSVS XII.

Peccatores qui deficiunt à perfectione vitæ Chriſtianæ, qua poſſent Chriſto mediatore ſaluari, per interceſſionem Mariæ accedunt ad Deum, quæ ideò fœlix cæli porta vocatur.

DISCVRSVS XIII.

Maria, quæ alicui videri poſſet excedere in miſericordia, per Dei Patris nimiam charitatem, & Filij exceſſiuam Paſſionem, ac per Spiritus ſancti bonitatem, magnam ſuam pietatem excuſare poterit.

DISCVRSVS XIV.

Maria propter eximiam dignitatem ſuam ad impetrandum potens, numquam ſine miſericordia (cuius mater eſt) miſeris diſpenſanda relinqui debet.

DISCVRSVS XV.

Pater miſericordiarum reſpicit matrem gratiæ ex peccatis olim afflictam, & nihilominùs in peccatores miſericordem adeò, vt etiam nunc illis impetret veniam.

DISCVRSVS XVI.

Miſericordes magni cenſentur, qui cum Virgine perditis peccatoribus ſingularem gratiam à Deo poſtulant: cui non diſplicet, quòd ſancti maiorem petant quàm is largiri decreuit.

DISCVRSVS XVII.

Beata Virgo dæmoni terribilis, erga peccatores præſertim qui imagines eius colunt, mitis eſt, quos ſubinde ex ſpeciali miſericordia per virgas emendari curat.

DISCVRSVS XVIII.

Sicut Sancti miſericordias Domini in æternum cantabunt, ita poſt hanc vitam operum miſericordiæ, quæ fecerit homo, diſtincta commemoratio & præcipua remuneratio erit.

DISCVRSVS XIX.

Miſericordia iuſtitiæ aſſociatur, quæ tunc laudabilis eſt, quando eleëmoſynarius non vni ſolùm, ſed abſque partialitate diuerſis ſua bona diſpenſat.

DISCVRSVS XX.

Peccator miſereri debet animæ propriæ, cuius deſolatam ſterilitatem pœnitentia reparat, quæ etiam fructus bonorum operum per peccatum mortificatorum reuocat ad vitam.

DISCVRSVS XXI.

Sibi grauis eſt, qui ſe proximo crudelem exhibet; iucundus autem, qui miſeretur, & aliorum offenſas diſſimulat, quia ſuarum rèmiſſione gaudet.

DISCVRSVS XXII.

Exigua eſt hominis in hominem miſericordia, cùm tamen per eam citiùs errantes corrigamus, & Deo nobis offenſo reconciliemur.

TRACTATVS DECIMVS.

De Conſtantia.

DISCVRSVS I.

Maria iuxta crucem IESV *in ſilentio conſtanter agens, doloris gladium in anima pertulit.*

DISCVRSVS II.

Maria conſtanter ſtabat iuxta crucem, vt gladius doloris animam eius pertranſiens, corpus feriret, & compaſſionis ſigna foris exhiberet.

DISCVRSVS III.

Maria crucifixo propinqua, ſuo exemplo tribulatos animat, cum quibus Deus ſecuriùs quieſcit.

DIS-

DISCVRSVS IV.

Sicut crux plantata templum Deo conſecratum oſtendit, ita homo Dei domum ſe eſſe probat, qui in accipienda & ferenda cruce conſtantiam Mariæ imitatur.

DISCVRSVS V.

Maria ſtans iuxta crucem, docet per humilitatem, vanam ſui oſtentationem fugiendam eſſe, & amicitiam cum Deo ſemel initam conſtanter continuari debere.

DISCVRSVS VI.

Sicut Chriſtus in capite libri prædeſtinationis ſcriptus, Dei voluntatem perfectè compleuit, ita Maria nobis præbens exemplum conſtantiæ, in omnibus ſe illi conformauit.

DISCVRSVS VII.

Maria, quæ nullam admiſit culpam, nihilominùs forti animo ſuſtinuit crucem. Beati qui patienter ferunt ſuam, quia in morte ſecuri erunt.

DISCVRSVS VIII.

Homo conſtans in bono hoſtibus terribilis, fit Deo per tribulationem charus, quam fortiter tolerat, qui ſe meditatione crucis Chriſti ſuſtentat.

DISCVRSVS IX.

Conſtantes voluntariè bibunt calicem quem illis Chriſtus propinauit, non eligentes ſibi crucem, ſed tollentes eam quam is portandam immittit.

DISCVRSVS X.

Sancti fiduciam, non omnimodam certitudinem habent de peccatorum remiſſione, ideò conſtantes ſunt cùm falſa eis imponuntur, vt pro veris ignotis ſatisfaciant.

DISCVRSVS XI.


Conſtans tyranno abutenti poteſtate non cedit, ſciens non niſi Deo permittente iuſtos affligi, qui Chriſto calicem propinanti meritò reſpondere debent.

DISCVRSVS XII.

Crucis Chriſti recogitatione, & eiuſdem ſuſceptione fortiores reddimur, & extollimus victoriam eius, qui nos ab hoſte liberans ſibi ſubiugauit.

DISCVRSVS XIII.

Iuſtus leoni ſimilis, regno cælorum adaptatur per conſtantiam, quam etſi infideles colunt, ſoli tamen Chriſtiani, qui perſeuerant vſque in finem, per eam fortiter moriuntur.



INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ QVÆ IN HOC OPERE SECVNDVM LITTERAM, VEL ETIAM SENSV MYSTICO AVT MORALI EXPLICANTVR.

In quo Littera T: Tractatum, E. Elenchum Sermonum de Tempore, E. R. Elenchum Sermonum pro Religioſis, n. verò eorumdem numerum deſignat.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

CAP. I. DIXITQVE Deus: Fiat lux. T.1.num.2.

Tenebræ erant ſuper vniuerſam terram, & dixit: Fiat lux, & facta eſt lux. T. 1. num. 95. 96.

Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, vt præſit piſcibus maris. T.8. num 91.

II. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam. T.2. num. 18.

Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. T.2. num. 255. & ſequent.

Hoc nunc os ex oſſibus meis. T.4. num. 55. & ſequent.

Erat autem vterque nudus. T.5. num. 166.

III. Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim ad cuſtodiendum viam ligni vitæ. T. 1. num. 47.

Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud. T.2. num. 239.

Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. T.7. num. 294. 295.

IV. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum. T.6. num. 90.

Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain. T.6. num. 91. 92.

Concidit vultus tuus. T. 9. n. 259. 260.

XI. Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum. T. 3. num. 243. & ſequent.

Cœperunt hoc facere, nec deſiſtent, &c. T.10. n. 178. 179.

XII. Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. T.6. nu. 91. 92.

XIII. Nec poterat eos capere terra vt habitarent ſimul. T.7. num. 131.

XIV. Leuo manum meam ad Dominum, &c. & non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt. E.R. num. 33. & ſequentibus.

Vallis autem ſilueſtris habebat puteos multos bituminis. E. R. num. 597.

XV. Noli timere Abram, &c. T. 4. nu. 160. 161. 162.

Ecce ego vadam abſque liberis. T.8 num. 7.

Aues autem non diuiſit. E. nu. 67. 68.

Sopor irruit ſuper eum. E. num. 467.

XVII. Appellaberis Abraham, quia patrem multarũ gentium conſtitui te. T.3. n. 130. 131.

XVIII. Apparuit ei Dominus in conualle Mambre. T.3. num. 255.

XX. Abimelech verò non tetigerat eam. T.2. num. 243.

XXI. Non videbo morientem puerum. T.10. num. 4.

XXII. Nunc cognoui quòd timeas Deum. T.8. num. 231. 232. 233.

XXVII. In me ſit iſta maledictio, fili mi. T.9. num. 71. 72.

XXVIII. Non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & porta cæli. T.9. num. 155.

XXX. Da mihi liberos, alioquin moriar. T.9. num. 184.

XXXI.

Digitized by Google

XXXI. Vide ne aſperè loquaris contra Iacob. T. 9. *num.* 111. 112.

XXXII. Timuit Iacob valdè: & perterritus diuiſit populum, *&c.* T. 5. *num.* 166.

XLI. Eductum de carcere Ioſeph totonderunt, ac veſte mutata obtulerunt ei. T. 6. *num.* 82.

XLIII. Maiorque pars venit ad Beniamin. T. 10. *num.* 114. 115. 116.

XLVII. Dies parui & mali. T. 7. *num.* 185. 186.

EXODVS.

CAP. VII. Conſtitui te Deum Pharaonis. T. 4. *num.* 74 75. 76.

X. Factæ ſunt tenebræ horribiles in terra Aegypti. T. 1. *num* 276. *& ſequent.*

XV. Tetendit manum ſuam, & deuorauit eos terra. T. 7. *num.* 296. 297. 298.

XVI. Egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per dies ſingulos. T. 7. *num.* 270.

XX. Ego Dominus Deus tuus, fortis & zelotes. T. 8. *num.* 59. 60.

XXIII. Non ſuſcipies vocem mendacij, nec iungas manum tuam vt pro impio dicas falſum teſtimonium. T. 1. *num.* 289. 290. *& deinceps.*

Ter in anno apparebit omne maſculinum coram Domino Deo tuo. T. 6. *num.* 78.

Non apparebis in conſpectu meo vacuus. T. 7. *num.* 106. *& num.* 172. *& ſequentibus.*

XXIV. Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes. T. 4. *num.* 211.

XXVI. Facies & ſaga cilicina ad operiendum tectum tabernaculi. T. 3. *num.* 427.

XXXIII. Non videbit me homo, & viuet. T. 2. *nu.* 13.

Iam nunc depone ornatum tuum, vt ſciam quid faciam tibi. T. 9 *nu.* 285. *& ſequent.*

NVMERI.

CAP. XI. Et accenſus in eos ignis Domini deuorauit extremam partem. E. R. *n.* 28.

XXV. Ecce do ei pacem fœderis mei, quia zelatus eſt pro Deo ſuo. T. 8. *nu.* 127.

XXVII. Prouideat Dominus Deus ſpirituum hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc. T. 9 *nu.* 38. 39.

DEVTERONOMIVM.

CAP. IV. Inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris. T. 8 *nu* 62. 63.

XV. Omnino indigenus & mendicus non erit inter vos. T. 7. *nu.* 137. *& ſequent.*

XVIII. Prophetam de gente tua, *&c.* ſuſcitabit tibi Dominus T. 3. *nu.* 376. *vſque ad finem Diſcurſus.*

XXV. Non alligabis os boui trituranti. T. 8. *num.* 75. 76.

XXXII. Concreſcat vt pluuia doctrina mea. T. 8 *nu.* 91.

Immolauerunt dæmonijs, & non Deo. T. 7. *nu.* 18.

Abſque conſilio & ſine prudentia. E. *nu.* 4.

XXXIII. Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat ſuper caput Ioſeph. T. 9. *nu.* 8.

Immolabunt victimas iuſtitiæ, qui inundationem maris quaſi lac ſugent. T. 8 *nu.* 32.

IOSVE.

CAP. VII. Noſter es an aduerſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam. T. 1 *n.* 160. *ſequent.*

I. REGVM.

CAP. III. Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram T. 1 *nu.* 106.

XIV. Ecce verſus fuerat gladius vniuſcuiuſque ad proximum ſuum, & cædes magna nimis. T. 2 *nu* 73.

XV. Melior eſt enim obedientia quàm victimæ. T. 4. *nu.* 100. 101. 102

Verumtamen lugebat Samuel Saulem. T. 4. *num* 220. 221.

XXV. Verè fruſtrà ſeruaui omnia quæ huius erant in deſerto, & reddidit mihi malum pro bono. T. 6. *num.* 112. 113.

II. REGVM.

CAP. XII. Non te frangat iſta res. T. 8. *num* 168 169.

XVI. Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid. T. 10 *nu.* 145 *& ſequent.*

XXIV. Peccaui valdè in hoc facto, *&c.* quia ſtultè egi nimis. T. 6 *num.* 56. *vſque* 60.

Vertatur obſecro manus tua contra me, *&c.* T. 8. *num* 144.

Venit autem Gad Propheta in die illa. T. 6. *num.* 83.

III. REGVM.

CAP. III. Diuidite infantem viuum in duas partes, *&c.* T. 1. *num.* 127.

Date huic infantem viuum, & non occidatur. T. 9 *num* 85. *& ſequent.*

XVII. Mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcinericium panem. T. 9. *num* 47. 48.

Ingreſſus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ E. *nu* 250 *& ſequent.*

XVIII. Vorauit holocauſtum, & ligna & lapides, *&c.* T. 3. *n.* 211

Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de terra. E. *n.* 327.

XIX. Tolle animam meam, neque enim melior ſum patribus meis. T. 10. *num* 88.

Vir quidam tetendit arcum in incertum ſagittam dirigens. E. *num.* 321.

IV. REGVM.

CAP. IV. In medio populi mei habito. T. 9. *nu.* 12.

Digitized by Google

TOBIAS.

CAP. X. Omnia ſimul in te vno habentes. T.8 *num.* 45.

XII. Neceſſe fuit vt tentatio probaret te. T.10.*num.* 39.*& ſequentibus.*

IOB.

CAP. II. Tu autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtrà. T.6.*n.*180. *vſque ad finem Diſcurſus.*

III. Maledixit diei ſuo, *&c.* Pereat dies in qua natus ſum *&c.* T.8.*num.*24.25.

VI. Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt. T 8.*num.*33.

Ad increpandum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis. T.8 *num.*168 169.

X. Tædet animam meam vitæ meæ. T.8. *num.*19.20.

XII. Lampas contempta apud cogitationes diuitum. T.3 *num.*297.

XLI. Cor eius indurabitur tamquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus. T. 8. *num.*136.137.

XLII. Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, & faciem eius ſuſcipiam. T.9.*num.*137. 138.

PSALMI.

PSAL. VI. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum. E.R.*num.*23.24.

IX. Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo: Non eſt Deus. E.*n* 1.

XI. Impij in circuitu ambulant. T. 7. *num.*43.*& ſequent.*

XVII. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. E. *num.*221.

XXI. Timeat Dominum omne ſemen Iſraël, quoniam non ſpreuit neque deſpexit deprecationem pauperum. E.*nu.*307.*& ſeq.*

XXII. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. T.10.*num.*104.*& ſequent.*

XXIII. Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. E.*num.*294.295.296.

XXVII. Deſtrues illos, & non ædificabis eos. T.2 *num.*153.154.

XXX. Quoniam bonorum meorum non eges. E.*num.*304.*& ſequent.*

XXXI. Nolite fieri ſicut equus & mulus, *&c.* T.6.*num.* 61. *vſque ad finem Diſcurſus. Item.num.*85.86.87.

XXXIII. Benedicam Dominum in omni tempore. T.1 *num.*32.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. T.6. *num.*7.8.

XXXIV. Humiliabam in ieiunio animam meam. T.3.*num.*320.

XXXV. Meditatus eſt iniquitatem in cubili ſuo. T.1.*num.*50.

XXXVI. Mutuabitur peccator, & non ſoluet. T.6.*num.*35.36.

Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas. E.R.*num.*91.92 93.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. E.*num.*22.23.

XXXVIII. Etenim in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtrà conturbatur. T.4.*nu.*187. 188.*&* T.6.*num.*89.

XLVIII. Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis, *&c.* T.1. *num* 41 *& ſequent.*

Sicut oues in inferno poſiti ſunt. T. 1. *num.*54.

Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. T. 3. *num.*125.*& ſequent. & num.*178.

Simul in vnum diues & pauper. T.7.*nu.*43. *& ſequent.*

L. Auerte faciem tuam à peccatis meis. T.5.*num.*114.*& ſequentibus.*

LIV. Iacta ſuper Dominum curam tuam. E.R.*num.*81.82.

LXI. Nónne Deo ſubiecta erit anima mea, ab ipſo enim ſalutare meum. E. *num.* 393. *& ſequent.*

Mendaces filij hominum in ſtateris. T. 1. *num* 213.*& ſequent.*

Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. T.7. *num.*170.

LXV. In multitudine virtutis tuæ mentiti ſunt tibi inimici tui. T.2.*num.*286.

Tranſiuimus per ignem & aquam, *&c.* T.2. *num.*29.

LXVIII. Placebit Deo ſuper vitulum nouellum. E.*num.*53.

LXX. Quoniam tu es patientia mea. T.8. *num.*17.18.

LXXI. Deſcendet ſicut pluuia in vellus. T.9. *num.*17.28.

LXXII. Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. T.4. *num.*26.*vſque* 30.

LXXIII. Deus autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ. E. *num.*32.*vſque* 38.

LXXVII. Percuſſit omne primogenitum Aegypti, primitias omnis laboris eorum. T. 1. *num.* 209.*& ſequent.*

Virgines eorum non ſunt lamentatæ. T.2. *num.*361.*vſque ad finem Diſcurſus.*

LXXXII. Imple facies eorum ignominia. T.1.*nu.*65.*& ſequent.*

Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine, T.2.*num.* 353. 354.

LXXXIII. Ibunt de virtute in virtutem. T.1.*num.*194.195.196.197.

Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. T. 1. *num* 202.*& ſequent.*

LXXXV. Confitebor tibi Domine Deus meus, & glorificabo nomen tuum in æternum. T.6.*nu.*84.

LXXXVI. Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. T.9. *nu.* 188. *vſque* 191.

XCI. Delectaſti me Domine in factura tua. T.2.*num.*149.

Verè patientes erunt vt annuntient. T. 8. *num.* 129. *vſque ad finem Diſcurſus.*

XCVIII. Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. T.4.*num.*5.6.7.

CIII. Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. E. *num.*251.

Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. T.6.*num.*144. 145.146.

CVIII. Cùm iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. T.6.*nu.*130. *& ſequent.*

CX. Confeſſio & magnificentia eius. T.5. *num.*109.110.111.

CXI. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet, *&c* T 9.*nu* 258.259.

CXVII. Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. E. *num* 98. *vſque* 101.

CXVIII. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. E.R.*num.*116. 117.

CXXXV. Qui dat eſcam omni carni. T. 6. *num.*103.

CXLI. Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium. T.7.*num.*32.33.

CXLVI. Laudate Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus, Deo noſtro ſit iucunda laudatio. T.6.*num.*155.156.

PROVERBIA.

CAP. II. Lætantur cùm malefecerint. T.4.*num.*185.186.

V. Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui. T.6.*num.*117.118.

VI. Qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus cùm tetigerit eam. T. 2. *num.*241.242.

IX. Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit. T.1.*nu.*10.

X. Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, manus autẽ fortium diuitias parat. E.R *n.*395. 396.397.398.

XIII. Eſt quaſi diues, cùm nihil habeat, *&c.* T.7.*n.*110. E.*n.*410.*vſque* 414.

Spes quæ differtur affligit animam. E.*n* 406. *& ſequent.*

XVI. Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam. T.1 *num.*10?.

XVII. Omni tempore diligit qui amicus eſt. T.6 *n.* 151.152.*&* T. 10.*n.* 55.*vſque* 60.

XVIII. Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. T.1.*n.*31. *& ſeq.*

XIX. Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit. T.1.*num* 20.

Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis. T.9.*num.*154.

XX. Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri, ſed homo ſapiens exhauriet illud. T.1.*num.*119.

XXX. Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. T. 3. *num.* 258. *per totum Diſcurſum.*

XXXI. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas. T.2.*num.*50. *& ſequent.*

Non extinguetur in nocte lucerna eius. T.10.*num.* 136.

ECCLESIASTES.

CAP. III. Mundum tradidit diſputationi eorum. T.3.*n.*458. *vſque ad finem Diſcurſus.*

V. Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam. T.2.*num.*119.*& deinceps.*

VII. Fecit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus. T.9.*nu.*117. 128.129.

VIII. Sunt impij ita ſecuri, ſunt quaſi iuſtorum facta haberent, ſed & hoc vaniſſimum iudico. T.1.*num.*266.*& ſeq.*

IX. Melior eſt canis viuus leone mortuo. T.2.*num.*53.

Viuentes enim ſciunt ſe morituros. E. *num.*336.*& ſequent.*

XII. Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo. T. 4. *num.* 253. *vſque ad finem Diſcurſus.*

CANTICA.

CAP I. Recti diligunt te. T.8.*nu.*225.226.

V. Nuntietis ei quia amore langueo. T.6. *num.* 29 30.

VI. Reuertere, reuertere Sunamitis, *&c.* vt intueamur te. T.7.*num.*7.*& ſequent.*

VII. O filia Principis. T.1.*n.*143.

VIII. Quis mihi det te fratrem ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris & deoſculer te. E.*nu.*79.

Quæ habitas in hortis, amici auſcultant. T.3.*num.*315.316.

SAPIENTIA.

CAP. II. Præfert nouiſſima iuſtorũ, & gloriatur patrem ſe habere Deum. E.*n.*468.469.

XI. Diligis enim omnia quæ ſunt. T. 9. *num* 57.58.

ECCLESIASTICVS.

CAP. I. Ad loca vnde exeunt flumina reuertuntur. T.6 *num.* 19. *& ſequent.*

III. Qui amat periculum, peribit in illo. T 2. *num.* 99.

Altiora te ne quæſieris. T.3. *num.* 4.

VI. Erunt tibi compedes in protectionem fortitudinis, *&c.* vincula illius alligatura ſalutis. T.1. *num.* 45. *& ſequent.*

VII. Noli facere mala, & non te apprehendent. E. *num.* 12.

In omnibus operibus memorare nouiſſima tua, *&c.* E. *nu* 4.

IX. Ne derelinquas amicum antiquum, nouus enim non eſt ſimilis illi. E. R. *num.* 25. *& ſequent.*

X. Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo. T. 3. *nu* 310.

XI. Facile eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem. T.1. *num.* 71. *& ſequent.*

XV Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. T 6. *num.* 149.150.

XIX. Qui ſpernit modica, paulatim decidit. T.1. *num.* 210.

XX. Eſt odibilis qui procax eſt in loquendo. T.1. *num.* 122. *& ſequent.*

XXI. Cor fatui quaſi vas confractum. T.7. *num.* 79. *& ſequent.*

Verba prudentum ſtatera ponderabuntur. T.1. *num* 92. *& ſequent.*

XXIII. Audi tacens, ſimul & quærens. T.1. *num* 109.

XXVI. Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ. T.2. *num* 6.

XXXI. Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula, *&c.* quis eſt hic, & laudabimus eum? T.7 *num.* 52.53.54.

XXXVI. Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio; & vbi non eſt mulier, ingemiſcit egens. T.9. *num.* 141. *& ſequent.*

ISAIAS.

CAP. I. Et apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa. T.2. *num.* 233.

V. Opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. T.6. *nu.* 93.94.

Væ qui coniungitis domum ad domum, *&c.* numquid vos ſoli habitabitis in medio terræ. E. *num.* 30.

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum E. *num.* 166. *vſque* 174.

VI. Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum. E *num.* 461. *& ſequent.*

IX. Vocabitur nomen eius admirabilis. T. 5. *num.* 109.110.111.

XXXI Cuius ignis in Sion, & caminus eius in Ieruſalem E.R. *num.* 110.

XXXVIII. Domine vim patior, reſponde pro me. E. R. *num.* 1.

Domine vim patior, quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerit? T.2. *nu.* 94. 95.

XLII. Non erit triſtis, neque turbulentus. E.R. *n.* 62. *vſque* 68.

XLVII. Venient tibi duo hæc ſubitò in die vna, ſterilitas & viduitas. T.9 *num.* 275. *& ſeq.*

LV. Quomodo deſcendit imber, *&c.* ſic erit verbum meum. T.1. *num.* 13.

Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, & non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui. T.1. *num.* 12.

LVI. Nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis. T.2. *num.* 272.

LVIII Si deſieris extendere digitum. T.1. *nu.* 79. *& ſequent.*

Sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua. T.9. *num.* 255. *& ſequent.*

LIX. Impegimus in meridie. T.1. *n.* 277.

LXV. Ecce ego creo cælos nouos. T.6. *n.* 2.

LXVI. Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? E. *n.* 257. *& ſequent.*

IEREMIAS.

CAP. XXII. Sepultura aſini ſepelietur putrefactus & proiectus. T.3. *num.* 81.83.

XXIX. Ego ſcio cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, cogitationes pacis & non afflictionis, vt dem vobis finem & patientiam. E. R. *num.* 74. *& ſeqq.*

THRENI.

CAP. III. Sedebit ſolitarius, & tacebit, & leuabit ſe ſuper ſe. T.1. *num.* 226. *vſque ad finem Diſcurſus.*

Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius & tacebit, quia leuabit ſe ſuper ſe. E. *num.* 20.

IV. Melius fuit occiſis gladio quàm interfectis fame. T.8. *num.* 40.41.

Lubricauerunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum. T.10. *num.* 113.

EZECHIEL.

CAP. XVIII. Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur. T.1. *n.* 165. 166.167.

XXVIII. Omnis lapis precioſus operimentum tuum. T.3 *num.* 218.

Nihil factus eſt, & non erit in perpetuum. T.3. *num* 310.311.

DANIEL.

CAP. V. Quos volebat exaltabat, & quos

quos volebat humiliabat. T. 1. *num.* 97.
vi. Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me. T.8. *num.* 90
xiii. Tibi dedit Deus honorem ſenectutis. T. 1. *num.* 97.
Sic faciebatis filiabus Iſraël, & illæ timentes loquebantur vobis. T.2. *num.*68.

OSEE.

Cap. i. Sponſabo te mihi in fide. E. *numero* 280.281.
iv. Peccata populi mei comedent. T. 5. *num.*154
vi. Dolaui in Prophetis. T.8.*n.* 223.224.

AMOS.

Cap. viii. Mittam famem in terram, non famem panis, *&c.* E. *num.* 288.289.

IONAS.

Cap. iv. Scio enim quia tu es clemens, *&c.* T. 9. *num.* 220.221.

AGGAEVS.

Cap. i. Seminaſtis multùm, & intuliſtis parum. T. 7. *num.* 202. *& ſequentibus.*
ii. Magna erit gloria domus huius nouiſſimæ, plus quàm primæ. T.7. *num.* 285 *& ſequent.*

ZACHARIAS.

Cap. viii. Viri baculus in manu eius, præ multitudine dierum. T.10. *num* 169.

MALACHIAS.

Cap. iv. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ. E. *num* 7.

II. MACHABAEORVM.

Cap. i. De magnis periculis à Deo liberati, magnificè gratias agimus. T.6. *num.*77.

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHAEVS.

Cap. iv. VIDETE quid audiatis. T.5.*nu.*149 *& ſequent.*
v. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. T 6. *num.* 162.163.
Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. T.6. *num* 174.175.176.
Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. T.2. *num.*10.
Et qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. T.1. *num.* 60.
Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. T.9. *nu.* 308. *& ſequent.*
vi. Adueniat regnum tuum. T.7. *nu.*166. E. *nu.* 331.332.
vii. Numquam noui vos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem. T.3. *nu.*16.
ix. Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male habentibus T.9. *nu.* 7.8.
x. Excutite puluerem de pedibus veſtris. T.7. *nu.*248 249.250.
Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta: T.5. *nu.*89.
xi. Regnum cælorum vim patitur. T. 7. *nu.* 63. *& ſequentibus.*
Et inuenietis requiem animabus veſtris. E. R. *nu.* 85.86.
xiii. Fallacia diuitiarum ſuffocat verbum. T.7.*nu.* 55.56.
xvii. Et audientes ceciderunt in faciem ſuam. T.4. *nu.*93.
Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis. T.5. *nu.*26. *& ſequent.*
xix. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. T.2. *nu.*103. *& ſequent.*
Qui poteſt capere, capiat. Non omnes capiunt verbum hoc. T.2. *nu.*261. *vſque ad finem Diſcurſus.*
Vade, & vende omnia quæ habes. T. 4. *nu.* 210. *& ſequent.*
Omnis qui reliquerit domum, *&c.* centuplum accipiet. T.6. *nu.*160. T.7. *n.*234. *& ſequent.*
xx. Amice, non facio tibi iniuriam. E. *numero* 336.237.238.
xxi. Ite in caſtellum, *&c.* ſtatim inuenietis aſinam, *&c.* ſoluite & adducite mihi, & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite: Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet. T. 4. *nu.* 38. *vſque* 41.
Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. T.9. *nu.* 131.
xxiv. Orate autem vt non fiat fuga veſtra hieme vel Sabbato. T.9. *nu.* 150.151.

MARCVS.

Cap. v. Hæc autem mulier quæ erat in profluuio ſanguinis, *&c.* erogauerat omnia ſua. T. 8. *nu.*28.
ix. Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos. T. 3. *nu.*24 25.
xii. Vidua hæc pauper plus omnibus miſit. T.6. *nu.*126.
xiii. Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ. T.2. *nu.* 158. *& ſequent.*

xvi. Si

XVI. Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. T.4. *n* 45. *vſque ad finē Diſcurſus.*

Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. T.8. *nu* 183. *& ſequent.*

L V C A S.

CAP. I. Regnabit in domo Iacob in æternum. T. 5. *nu.* 163. 164 165.

Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. T.6 *nu.* 31. *& ſequent.*

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc, *&c.* T.3. *nu.* 145. *vſque ad finem Diſcurſus.*

II. Exiſtimantes autem eum eſſe in comitatu. T. 1. *nu* 110. *& ſequent.*

IV. Non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. E. *nu.* 331.332.

V. Qui habet duas tunicas, det non habenti. T.5. *nu.* 94.95.

VI. Væ vobis qui ſaturati eſtis. T.7. *n.*173.

IX. Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur. T.7. *nu.*111.112.

Qui vult venire poſt me, *&c.* tollat crucem ſuam quotidie. T.10. *nu.* 43. *vſque ad finem Diſcurſus.*

Dicebant exceſſum eius. T.9. *nu.* 172. *& ſequentibus.*

Permitte mihi primum ire ſepelire patrem. T. 9. *nu.*95. *& ſequentibus.*

Nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. T. 10. *numero* 168. *& ſequens.*

X. Incidit in latrones, qui etiam ſpoliauerunt. T. 1. *nu.*99. *& ſequent.*

XI. Quod ſupereſt date eleëmoſynam. T.7. *nu.* 26. 27.

XII. Qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues. T.7. *nu* 189. 290.

XIV. Qui nō renuntiat omnibus quæ poſſidet, nō poteſt meus eſſe diſcipulus. T.7. *n.*181.

XV. Quæ mulier habens drachmas decem. T.3. *nu* 327.328.

XVI. Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt; & qui in modico iniquus eſt, & in maiori, *&c.* T.2.*n.*119. *& deinceps*

Si in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis? T.2. *n.*132.

Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt apud Deum. T.7. *num* 215. *& ſeqq.*

Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua. T.7. *nu.* 57.

XVII. Domine adauge nobis fidem. T. 5. *num.* 18.

Serui inutiles ſumus, *&c.* T. 1. *num.*133. *& ſequent. &* T.3. *num.*300. *&* 301.

Ecce enim regnum Dei intra vos eſt. T.7. *nu.* 117. *vſque ad finem Diſcurſus.*

XVIII. Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra? T.5. *nu.* 37.38.

XVIII. Quàm difficilè qui pecunias habent in regnum cælorum intrabunt. T.7. *numero* 168.169.

XIX. Omni habenti dabitur, & abundabit. T.6 *num.*17

XXII. Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat. T.8. *num.*158.159.

I O A N N E S.

CAP. III. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. T.8 *num.*52. *& ſequentibus.*

VI. Superuenerunt naues à Tiberiade iuxta locum vbi manducauerant panem, gratias agente Domino. T.6. *n.* CXI. *& ſequent.*

IX. Vt qui non vident videant. T.5. *n.*86.

XII. Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. E. *num.* 103. *& ſequent.*

XIII. Et poſt buccellam introiuit in eum ſatanas. T.7. *num.*100.101.

XIV. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. T.2. *n.*37. *& deinceps.* T.9. *n.*123. *& ſequent.*

XV. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis. T.1. *nu.* 20.

Sine me nihil poteſtis facere. T. 6. *numero* 172.173.

Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. T.1. *nu.*181.

XVI. Expedit vobis, vt & ego vadam. E. *num.* 236.237.238.

XVII. Vt omnes ſint ſicut tu, Pater, in me, & ego in te, vt & ipſi vnum ſint. T.4. *n* 166.

XVIII. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? T.10. *n* 148. *& ſeq.*

XIX. Stabat iuxta crucem IESV, mater eius. T. 10. *num.* 83.84.85.

XXI. Traxit rete ad terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus; & cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. T.8 *nu.* 153.

Conuerſus Petrus vidit diſcipulum quem diligebat IESVS ſequentem. E. *n.*49.

ACTVS APOSTOLORVM.

CAP. III. Nunc, fratres, ſcio quia per ignorantiam feciſtis T.8. *num.* 111.

IV. Multitudinis autem credentium erat cor vnum. T.7. *nu.* 102. *vſque* 106.

VII. Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. E. *num.*40. *vſque* 46.

IX. Domine, quid me vis facere? E. *numero* 135.136.

X. Surge Petre, occide, & manduca. T.7. *num.* 251. *& ſequent.*

XIII. Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſecundùm

cundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. E. R. nu. 110.101.

Beatius eſt magis dare quàm accipere. T. 7. num. 133.134.135.

AD ROMANOS.

Cap. I. Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. T. 3. num. 452. vſque. 458.

III. Faciamus mala vt veniant bona. T. 3. num. 109. vſque 118.

VI. Exiſtimate vos quidem mortuos, &c. T. 4. num. 193.194.

VII. Vt fiat ſupra modum peccans peccatum. T. 3. num. 318.

VIII. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit vſque adhuc. T. 7. nu 114.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. T. 3. num. 119. vſque ad finem Diſcurſus.

Propter te mortificamur tota die. T. 6. num. 107.108.

Certus ſum quia neque mors, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei. T. 3. numero 155.

IX. Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. E. num. 375.376. & ſequens.

XI. Si autem gratia, iam non ex operibus. T. 9. num 25.26.27.

Sine pœnitentia ſunt dona Dei. T. 8. n 49. vſque 52.

XII. Neceſſitatibus Sanctorum communicantes. T. 5. num. 99.

Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. T. 3. num. 8.

XIII. Reddite omnibus debitum, cui tributum, tributum. T. 7. num. 121. vſque 125.

XIV. Infirmum autem in fide aſſumite. T. 5. num. 34.

I. AD CORINTHIOS.

Cap. I. In omnibus diuites facti eſtis in illo. T. 7. num. 116.

III. Spiritus Dei habitet in vobis. T. 2. num. 167.168.

IV. Spectaculum facti ſumus mundo. E. num. 181.

V. Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit. T. 2. num. 372.

Modicum fermenti totam maſſam corrumpit. E. num. 111. vſque 120.

VI. Omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis. T 7. num. 132.

Fugite fornicationem. T. 2. num. 70. & ſequent.

VII. Melius eſt enim nubere quàm vri. T. 2. num. 249.

Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. T. 2. n. 269.270.

Ego autem vobis parco. T. 2. n. 2c4

Beatior autem erit ſi ſic permanſerit. T. 2. num. 206.

Et qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur. T. 2. num. 247.

VIII. Scientia inflat, charitas autem ædificat. T. 2. num. 181.

IX. Numquid Deo cura eſt de bobus? T. 9. num. 88. & ſequent.

XII. Si totum corpus oculus, vbi auditus? T. 4. num. 32.33.

XIII. Omnia ſuffert, omnia credit. T. 1. num. 146.

XIV. Si quis autem ignorat, ignorabitur. T. 3. num. 349. vſque ad finem Diſcurſus.

XV. Nouiſſimè autem omnium tamquam abortiuo viſus eſt mihi. T. 3. n. 270.271.272.

Abundantiùs illis omnibus laboraui. T. 3. num. 156. vſque 166.

XVI. Omnia veſtra in charitate fiant. T. 2. num. 338.339.

II. AD CORINTHIOS.

Cap. IV. Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia. T. 1. n. 64. & ſeq.

Si etiam opertum eſt Euangelium noſtrum, in ijs qui pereunt eſt opertum. T. 5. num. 161.

VI. Nihil habentes, & omnia poſſidentes. T. 7. num. 13. & 18. 19. & ſequent.

VIII. Altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum. T. 6. num. 1. & ſequent.

Scitis enim gratiam Domini, & quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues. T. 7. n. 23.24. & 191. & ſequentibus.

Si voluntas prompta eſt ſecundùm id quod habet, accepta eſt. T. 7. nu. 37. vſque ad finem Diſcurſus.

IX. Hilarem enim datorem diligit Deus. T. 6 num. 178. & ſequentibus.

XII. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. T 8. num 217.218.

Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ. T. 3. nu. 97. & deinceps. T. 8. nu 79. & ſeq.

AD GALATAS.

Cap. IV. Inimicus vobis factus ſum verum dicens. T. 8. nu 116. & ſequent.

V. Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini. T 9 num. 288.

AD EPHESIOS.

Cap. II. Propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos. T. 9. nu. 171. & ſequent.

II. Qui eratis aliquando longè, nunc autem propè. T. 10. num. 3.

Iam non eſtis hoſpites & aduenæ. T. 5. *num.* 170. *& ſequent.*

v. Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. T.2. *num.* 178.179.

AD PHILIPPENSES.

CAP. II. In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes. T.3. *n.* 60. *& ſequent.*

IV. Cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. T. 6. *num.* 39. *& ſequent.*

I. AD THESSALONICENSES.

CAP. IV. Non contriſtemini ſicut & ceteri qui ſpem non habent. T. 8. *n.* 64. *& ſeq.*

v. Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. T 6 *num.* 142. *& ſequent.*

I. AD TIMOTHEVM.

CAP. II. Qui vult omnes homines ſaluos fieri. T.9. *num.* 173.174.

v. Si quis ſuorum, maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit. T.2. *n.* 213.

Modico vino vtere. T. 2. *num.* 139.

VI. Qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum. T.5. *num.* 78.79.80.

II. AD TIMOTHEVM.

CAP. II. Sermo eorum vt cancer ſerpit. T.2. *num.* 65. & T. 5. *num.* 121.122.

A quo captiui tenentur. T.1. *nu.* 58.

IV. Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet. T.6. *nu.* 79.80.

AD TITVM.

CAP. I. Omnia munda mundis. T.8. *numero* 172. 173.

AD PHILEMONEM.

VERS. XVIII. Si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa. T.9. *num.* 66.67.

AD HEBRAEOS.

CAP. VII. Sine patre, ſine matre, ſine genealogia. T.7. *num.* 11.12.

XI. Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum. T.3. *num.* 139.140.

Quibus dignus non erat mundus. E. *n.* 232. *& ſequent.*

Conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello. T 45. *num* 44.45.

XIII. Sint mores ſine auaritia. T.7. *n.* 58.

Optimum eſt gratia ſtabilire cor. T. 3. *num.* 288.

IACOBI.

CAP. I. Patientia autem opus perfectum habet. E. *num.* 130.

Diues in itineribus ſuis marceſcet. T. 7. *num.* 180.

II. Facti eſtis iudices cogitationum iniquarum. E. *num.* 93.

Superexaltat autem miſericordia iudicium. T.6. *num.* 116. *& ſequent.*

IV. Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur. E. *num.* 138. *& ſequent.*

v. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra. E. R. *num.* 107.108.

I. PETRI.

CAP. I. Redempti eſtis de vana veſtra conuerſat one. E.R. *num.* 3. *& ſequent.*

II. Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, *&c.* T.2. *num.* 113.

III. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, *&c.* T.8. *n.* 201.

Parati ſemper ad ſatisfactionem omni petenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe. T. 5. *num.* 132.

IV. Chriſto igitur paſſo in cruce, & vos eadem cogitatione armamini. T.10. *num.* 153. *vſque* 157.

Nemo autem veſtrûm patiatur vt homicida. T.8. *num.* 99.

II. PETRI.

CAP. II. Aſpectu enim & auditu iuſtus erat. T. 2. *num.* 142.143.

I. IOANNIS.

CAP. II. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. T.5. *num.* 123. *vſque ad finem Diſcurſus.*

Vnctio eius docet vos de omnibus. T. 1. *num.* 8.

III. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, *&c.* quomodo charitas Dei manet in illo? T.7. *num* 73. *vſque* 76.

Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, *&c.* T.10. *num.* 127. *& ſequent.*

IV. Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint. T. 1. *num.* 149.

IVDAS.

VERS. XXIII. Odientes & eam quæ carnalis eſt maculatam tunicam. T.2. *num.* 370.

APOCALYPSIS.

CAP. I. Significauit illi quæ oportet fieri citò. E. *num* 51.52.

III. Nullius egeo. T.7. *n.* 162. *& ſequent.*

XIV. Nemo poterat dicere canticum niſi, *&c.* virgines enim ſunt, hi ſequuntur Agnum. T.2. *num.* 275.276. *& ſequent.*

Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno. T.2. *num.* 283.284.

XVIII. Quantum glorificauit ſe & in delicijs fuit, tantum date illi tormenti, *&c.* T.3. *num.* 323. *& ſequent.*

XXII. Dominus Deus ſpirituum Prophetarum miſit Angelum ſuum, oſtendere ſeruis ſuis quæ oportet fieri citò. T.4. *num.* 14.

INDEX RERVM MAXIME NOTABILIVM,

Quæ in hoc Decachordo Morali continentur.

A.

Actus, Actio.

ACTIONES *noſtra in bonum finem referri debent*. Tractat. I. Diſcurſ. XII. num. 131. 132. & ſeqq.

Quàm vtile ſit omnia facere in nomine Domini. num. 131. 132.

Actiones in nullum bonum finem relata inutiles ſunt. num. 134. & 139.

Adam.

An Adam in ecſtaſi viderit Dei eſſentiam. Tract. II. Diſc. II. num. 18.

Aduocati.

Non facilè acquieſcendum eſt conſilijs Aduocatorum. Tract. I. Diſc. VI. num. 59. 60.

Affectus.

Etiam in mortificationibus & pœnitentijs ex proprio affectu non eſt procedendum. Diſc. XV. num. 163. 164.

Qui affectus ſuos & appetitus cohibet, non facilè credit omni ſuggeſtioni. Tract. I. Diſc. XIII. num. 143. 144.

Affectus inordinati ad res terrenas, ſunt vincula quibus poſt hanc vitam ab ingreſſu regni cælorum præpedimur. Tract. VII. Diſc. XVI. num. 213.

Affectus per pedes intelliguntur. Diſc. XIX. num. 248.

Quorum affectus ab omni re terrena alieni ſunt, idonei maximè ſunt vt alijs proſint. num. 250.

Afflictio. *vide*, Tribulatio.

Alimenta.

Quid per alimenta apud Apoſtolum (Habentes alimenta, *&c.*) *intelligatur*. Tract. VII. Diſc. VII. num. 92.

Alphonſus.

Alphonſi I. Neapolitani Regis prudentia in iudicio ferendo. Tract. I. Diſcurſ. XII. numero 129.

Ambitio.

Superbi ambiunt dignitates ad quas inepti ſunt. Tract. III. Diſc. XXVII. per totum.

Ambitio eſt cauſſa bellorum. Tract. IV. Diſcurſ. XIV. nu. 163. & ſeqq.

Amicitia.

Amicitia mundanorũ qualis ſit. Tract. VII. Diſc. VI. num. 83. 84. 85.

Verus amicus diligit tempore aduerſitatis ſicut tempore proſperitatis. Tract. X. Diſc. V. num. 55.

Amor.

Amor interdum per timorem excitatur. Tract. II. Diſc. XXXIV. num. 352.

Quare antiquitus pingi ſoleret cum crumena aperta & porrecta in manibus, ſed oculis obuelatis. Tract. IX. Diſc. V. num. 57.

Amor Dei.

In amando Deo nullus eſt præfixus terminus, quamuis ſit in alijs pijs exercitijs. Tract. I. Diſc. XIX. num. 202. & ſeqq.

Magnum ſinceri amoris argumentum eſt ſoli Deo velle placere. Tract. II. Diſc. I. nu. 1. 2. & Tract. VI. Diſc. XI. num. 160. & ſeqq.

Amor Dei hominem rebus terrenis denudat, & humilitate ornat. Tract. III. Diſcurſ. XV. num. 107. & ſeqq.

Amor Dei perfectior eſt in Religioſis, qui per ignem ab Elia extructum ſignificatur. nu. 209. & ſeqq.

Qui verè Deum amant, in proſperis & aduerſis ei adhærent. Tract. VI. Diſc. XII. n. 165. & ſeqq.

Amor Dei eſt ſimilis igni cæleſti. num. 161.

Amor ſui.

Amor ſui ſe prodit non tantùm dum proprijs commodis inordinatè quis ſtudet, ſed etiam dum nimis ſollicitè ſe ab incommodis tuetur. Tract. IX. Diſc. IV. num. 45.

Amor proprius eſt diſcordiarum mater. ibidem.

Qui eo vitio laborant, quales ſint. num. 46. 47.

Anima.

Animæ ſterilitas in hac vita reparari poteſt; ſed ſi in peccato diſcedat, deſperata eſt. Tractat. IX. Diſc. XX. num. 276.

Animæ noſtræ miſereri debemus. ibid.

Etſi anima peccatrix in mundo non ſit omnino deſperata & derelicta, vidua tamen eſt & valdè miſera. nu. 177.182.

Quomodo in pace & tranquillitate ſeruetur. Tract. VIII. Diſc. XIV. num. 198.199.

Per peccatum non ſolùm infructuoſa eſt & ſterilis, ſed etiam vidua, ideóque deſolata. num. 285.

Non naſcitur ex traduce, ſed à Deo creatur. Tract. IX Diſc IV num. 39.

Apoſtoli.

Per eos Chriſtus maiora fecit quàm per ſemetipſum. Tract. IX. Diſc. X. num. 123.

Non tantùm virtute magna miraculorum, ſed etiam patientia, præditi reddebant teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti. Tract. VIII. Diſc. VIII. nu. 111.

Non ob aliud multorum odium incurrerunt, niſi quòd vitia corrigentes, veritati redderent teſtimonium. Tract. VIII Diſc. IX. n. 123.

Vocantur principes ſuper terram, non principes in terra. Tract. VII. Diſc. I. nu. 8.

Euangelica paupertas eos principes conſtituit. num. 12.

Quomodo, licet pauperes, omnia poſſiderent. Tract. VII. Diſc. II. nu. 19. & ſeqq. Diſc. III. num. 36.

Apoſtoli an tempore paſſionis amiſerint fidem. Tract. V. Diſc. IV. nu. 50. & ſeqq.

Pro miraculo reputandum eſt, quòd ſimplices Apoſtoli in fidei promotione fuerint tam efficaces, & in eius confeſſione tam fortes. Tract. V. Diſc. VIII. num. 103 & ſeqq.

Apparitio.

In apparitionibus & viſionibus magna prudentia & circumſpectio neceſſaria eſt. Tract. I. Diſc. XV. num. 117. & ſeqq.

Aſcenſiones.

Aſcenſiones in corde diſponere quid ſit, & quàm vtile. Tract. I Diſc XIX. per totum.

Aſtutia.

Aſtuti ſæpè capiuntur in ſua aſtutia. Tract. I. Diſc. VII. num. 68.

Auaritia, Auarus.

Eſt vitium curatu difficile, & multorum vitiorum radix. Tract. VII. Diſcurſ. XXIII. num. 293.

Cupidum hominem tamquam eſcam diaboli ab eo deuorandam reſeruat. num. 294.

Auari homines in magna inquietudine viuunt, & cum maiore horrore moriuntur. num. 298.

Cur præ alijs vitijs ab Apoſtolo dicatur idolorum ſeruitus. Tract. VII. Diſc. XII. nu. 155.

Eſt inexplebilis. num. 156.

Magna eſt auaritiæ tyrannis. Tract. VII. Diſc. V. num. 58.

Plus periculi imminet ab auaritia, dum ſollicitudine & labore diuitiæ congeruntur, quàm ſi diues quis naſcatur. Tract. VII. Diſc. VII. nu. 91.

Præcipuam malitiam habet ex iniuria quam auarus eius occaſione Deo facere paratus eſt, animam ſuam venalem habens. Tract. VII. Diſc. VIII. num. 100.

Quomodo auarus proijciat intima ſua cum Iuda proditore. ibid. & 101.

Quomodo auarus ſibi nequam, alijs verò bonus ſit. Tract. IX. Diſc XX. num. 270.

Auari, frumenta & grana cum pauperum præiudicio maiori caritati reſeruantes, Deo exoſi ſunt, & ſæpè puniti. Tract. I. Diſc. XXVI. nu. 254. & ſeqq.

Auari & in pauperes immiſericordes ſummè ingrati ſunt. Tract. VI. Diſc. IX per totum.

Auari ſunt arenoſæ terræ ſimiles, quæ nihil in aliorum vtilitatem profert, ſed pluuiam & rorem & alias cæli influentias ſibi auidiſſimè inſorbet. Tract. VII. Diſc. VIII. num. 109.

Reclamante conſcientia impetu deſideriorum feruntur ad omnia illicita. Tract. VII. Diſc. V. nu. 61.

Diuitijs ſaturati, affectu tamen eſuriunt. Tract. VII. Diſc XIII. num. 172.

Non ſolùm Deus, ſed etiam quilibet ſanctus ſe hoſtem illorum declarabit. num. 178.

Illorum animabus ex diuitiarum ſollicitudine æterna imprimitur exulceratio. Diſc. XIV. num. 180.181.

Similes ſunt ancillæ culinariæ, & quomodo. Tract. VII. Diſc. XVI. num. 205.

Ii quibus diuitiæ non neceſſariæ ad vitæ ſuſtentationem nimis ſapiunt, in periculo damnationis verſantur. Tract. VII. Diſc. XII. num. 151.

Inſtar ſitibundi facilè ſe conijciunt in multa diſcrimina & perplexos euentus. Tract. VII. Diſc XII. num. 154.

Sunt adulteri. Tract. VII. Diſcurſ. XII. numero 158.

Aureola.

Aureola quid ſit, quibus detur, & qualis. Tractat. II. Diſcurſ. XXVIII. numero 289. & ſeqq.

B.

Barba.

NOn *ſolùm barbatis, ſed etiam imberbibus maxima ineſt prudentia.* Tractat. I. Diſc. II. num. 16.17.18.

Bene-

Beneficia.

Beneficia ſtimuli ſunt quibus incitamur ad amandum. Tract. v i. Diſc. i v. nu. 55.

Beneficiorum acceptorum memoria numquam debet perire. Tract. i. Diſc. x v i. nu. 173. & ſeqq.

Beneficijs acceptis debite modo ad honorem Dei vtens, noua accipit. Tract. v i. Diſc. i i. numero 18. & ſeqq. & Diſc. i i i. num. 34. & ſeqq.

Benefactori aliquid gratuitum & ſpontaneum reddendum in recognitionem. Tract. v i. Diſc i v. num. 46.

Beneficijs Dei etſi completè grati eſſe non poſſimus, debemus tamen facere quod poſſumus. ibidem ferè per totum.

Beneficia largienda ſunt non amicis diuitibus, ſed pauperibus. Tract. i x. Diſc. x v i i i. num. 251.

Beneficia qua diuitibus conferuntur pereunt largitori. num. 251.

S. Bernardinus.

S. Bernardini præſentiam etiam laſciui reuerebantur. Tract. i i. Diſc. v. num. 40.

Bona temporalia.

Affectus inordinati ad res terrenas, ſunt vincula quibus poſt hanc vitam ab ingreſſu regni calorum prepedimur. Tractat. v i i. Diſc. x v i num. 213.

Quomodo ſecuriùs conſeruari poſſint. Tractat. v i i. Diſc. x i i i. num. 168.

Quomodo ſint diſtribuenda. Tract. i x. Diſc. x i x. numero 263.

Ex inæquali eorum diſpenſatione qua incommoda ſequantur. num. 267.

In eorum renuntiatione conſiſtit præcipua ratio vita religioſa. Tract. v i i. Diſc. x x i. num. 171.

Vileſcunt in oculis eorum qui ſpecialem cum Deo familiaritatem habent. Tract. v i i. Diſc. x x i. num. 270.

Etſi aliquid in ſe eſſe iudicentur, tamen inordinati eorum amatores nihil de ijs inueniunt tempore neceſſitatis. Tract. v i i. Diſc. x v i. num. 205.

Amor bonorum temporalium adfligit potiùs quàm recreet. Tractat. v i i. Diſc. i x. num. 114.

Qui plura bona temporalia actu vel affectu contemnit, altiorem in cælo locum & ditiorem theſaurum conſequitur. Tract. v i i. Diſ. i. n. 17.

Vilia ſunt, & nobilibus atque electis Dei indigna. Tract. v i i. Diſc. x x i. num. 281.

Si aliqua ſint quæ ad tempus ſatiſfacere videantur, non futuræ neceſſitati, ſed ſolùm præſenti aliquo modo ſuccurrunt. n. 282.

Vnum ſi inordinato amatori ſubtrahatur, ſtatim reliquorum faſtidium generatur. Tractat. v i i i. Diſc. i. num. 5

C.

Calumniæ. *vide*, Iniuriæ.

Carnalis tentatio.

Sub aliqua ratione eligibilis & appetibilis eſſe videtur. Tract. v i i i. Diſc. v i. numero 79.

Caſtis mentibus magnam materiam patientiæ præbet. num. 80.

Nullo modo eſt appetenda. ibid.

Eam S. Bernardus martyrium vocat. nu. 81.

Carolus Magnus.

Caroli Magni prudentia in iudicio ferendo. Tract. i. Diſc. x i i. num. 128.

Caſtitas.

Caſtitas à caſtanea deriuatur, & conuenit in proprietatibus. Tract. i i. Diſc. x i i. n. 123. 124. 125. 126.

Qui caſtitatem ſeruare vult, ab immodico vino abſtinere debet. Tract. i i. Diſc. x i i i. num. 135. & ſeqq. & Diſc. x v i i. num. 179. 180.

Perfecta caſtitas vix ſine fuga perſonarum alterius ſexus ſeruari poteſt. Tract. i i. Diſc. x. num. 84. & ſeqq. & Diſc. x i. num. 103. & ſeqq. & Diſc. x i i. per totum. & Diſc. x i v. numero 142. & ſeqq. & Diſc. x v. num. 158. & ſeqq. & Diſc. x v i. num. 161. & ſeqq. & Diſc. x v i i. per totum. & Diſc. x v i i i. numero 182. & ſeqq. & Diſc. x x i i i. num. 241. & ſeqq.

Caſtitas eſt robuſtorum virtus, & per eam fortis quis efficitur. Tract. i i. Diſc. i x. n. 192. & ſeqq.

Caſtitatis varia exempla. Tractat. i i. Diſc. i v. num. 29. & Diſc. v i. num. 45. 46. & Diſc. i x. nu. 79. & Diſc. x. nu. 87. & Diſc. x i i. nu. 126. 127. & Diſc. x i v. n. 142. & Diſc. x i x. nu. 201. 202. & Diſc. x x i v. nu. 251. & ſeqq. & Diſc. x x x v i. nu. 379.

Caſti etiam leues contactus ſtudioſè vitare debent. Tract. i i. Diſc. x x i i i. num. 242. & ſeqq.

Caſtitas virginalis facit homines Deo propinquos & affines. Tract. i i. Diſc. i i. num. 9. & ſeqq.

Caſtitas B. Mariæ præ omnibus fuit ſingularis & excellens. Tract. i i. Diſc. i. num. 4. & ſeqq. & Diſc. i i i. per totum. & Diſc. v i i. num. 50. & ſeqq.

Ob excellentem caſtitatem B. Maria in vita mortali Deum vidit. Tract. i i. Diſc. i i. nu. 10. & ſeqq.

Sancti ſummè ſolliciti fuerunt vt ſeruarent caſtitatem. Tractat. II. Diſcurſ. IV. numero 30.

Caſtitatem facilè impetrant & ſeruant qui ſunt deuoti Mariæ V. Tractat.II. Diſcurſ IV. num.31.& ſeqq.& Diſc.VII.num.56.& ſeqq. & Diſcurſ IX. num.77.& 81. & Diſcurſ.XXX. num.315.

Maria V. particularem curam gerit eorum qui volunt ſeruare caſtitatem. Tractat. II. Diſc.VII.num.57.& ſeqq.

Caſtitatem oportet ſeruare per fugam. Tractat.II.Diſc.IX.num.70.& ſeqq.

Per conſortium caſtorum caſtus quis efficitur. Tract.II.Diſc.IX.num.76. & ſeqq.

Caſtitas Elzearij & Delphinæ coniugum. Tract.II.Diſc.IX.nu.77.

Cereus.

Cereos die Sabbati in honorem B. Virginis accendere pium & ſalutare eſt. Tract. IX. Diſc.XI.num.148.

Charitas.

In multis Sanctis patuit, charitatem ſua non quærere. Tract.IX.Diſc.IV.num.38.

Efficit vt homo ſibi alterum præferat. n.41.

Singularis eius effectus eſt, quòd non ſit faſtidioſa. num.42.

Quæ ſint vera eius conditiones. Tract. IX. Diſc.IV.num.36.

Charitas, ſine qua nemo fructuosè proximo laborat, & inordinata qualibet cupiditas, qua ſeipſum quis periculo peruerſionis exponit, ſimul non morantur. Tract. VII. Diſc. XIX. num.256.

Chimicus.

Chimicus aſtutè irriſus fuit à Leone X. Pontifice. Tract.III.Diſc.XVIII.num.263.

Chriſtiani.

Vix interdum aliqui Chriſtiani diſtinguuntur à gentilibus. Tract. VI. Diſc. I. num.12. & ſeqq.

Chriſtus.

Chriſtus pulcherrimus & formoſiſſimus fuit. Tract II. Diſc.III.num.24.25.

Chriſtus cæleſtis ſponſus omnibus hominibus præferendus eſt, vtpote qui ſit immortalis, & nobilior vniuerſis. Tract II.Diſc.XXIX. num. 301. & ſeqq. & Diſc. XXX. num. 318. & ſeqq.

Chriſtus virginum ſponſus quantò plus diligitur, tantò amabilior redditur. Tract. II. Diſc XXXI.num.323.& ſeqq.

Chriſtus ſpecialiter amat ſponſas ſuas virgines vt ab ijs intenſiùs ametur. Tract. II. Diſc.XXXII.num.333.& ſeqq.

Chriſtus Pater noſter dedignatur filios degeneres. Tractat. III. Diſc. II. numero 15. & ſeqq.

Chriſti prompta obedientia omnibus imitanda eſt. Tract.IV.Diſc.XI.nu.129.& ſeqq. & Diſc XVII.num.121.& ſeqq.

Chriſtus cur nudari voluerit tempore paſſionis. Tract.V.Diſc.IX.num.118. & ſeqq.

Paupertas eius omnem aliorum paupertatem dignitate & altitudine ſuperat. Tract.VII. Diſc.I.num.1.

Quare ſe à parentum ſuorum conſortio ſubtraxerit, & matrem tanto dolore affici permiſerit. Tract.VIII Diſc.III.num.39.

Quomodo ſit intelligendum illud quod ait, Nemo tollit animam meam à me. Tract.VIII. Diſc.XI.num.156.

Quo ſenſu fuerit matri ſuæ lumen oculorum. Tract.VIII.Diſc.I.num.9.

In bonitate erga genus humanum excedere videtur. Tract.IX Diſc.XIII.num.172.

Eius paupertas fuit nobis ad exemplum, & ad noſtrum ſolatium. Tract. VII.Diſc XV. nu.193.& ſeqq.

Quomodo intelligendum ſit, quòd ſedeat ad dexteram Patris, cùm dextera ſit honoratior locus, & ſaltem propter humanitatem Chriſtus Patri cedere debeat. Tractat. VIII. Diſc.XIII.num.183.

Vt nobis præberet exemplum fortiſſimæ patientiæ, admiſit, imò excitauit in ſe deſiderium vitæ, & mortis horrorem. Tract. VIII. Diſc.II.num.34.

Abſolutè altiſſimam paupertatem coluit. Tract.VII.Diſc.I.num.17.23.

Maiora fecit per Apoſtolos quàm per ſemetipſum. Tract.IX.Diſc.X.num.123.

Id eius honori & gloriæ non præiudicat. nu.124.131.

Per humiles diſcipulos diſputantium petulantiam retundere voluit. num. 130.

Eius miſericordia numquam deſtituta fuit ſocietate iuſtitiæ. Tract.IX. Diſc.VI.num.74. & ſeqq.

Circumſpectio.

Circumſpectio neceſſaria eſt in viſionibus & apparitionibus. Tract. I. Diſc.XV.num.157. & ſeqq.

Circumſpectio neceſſaria eſt in omni actione. Tract. I. Diſc. III. num. 22. & Diſc. V. nu.39.& ſeqq. & Diſc.VI.nu.49.& ſeqq.

Circumſpectio in verbis neceſſaria eſt. Tractat.I. Diſc. VIII. per totum. & Diſc.IX. per totum. & Diſc.X num.106.107.

Cogitationes.

Cogitationes hominum quæ ſint. Tract. VII. Diſc.XVII.num.215.

Cogni-

Cognitio.

Duplex eſt cognitio, ſcientia & experientia. Tract. VIII. Diſc. XVII. num. 232.

Concupiſcentia.

Symbolicè ignis in rubo, remanens eſt concupiſcentia in iuſto ſed non comburitur. Tract. IX. Diſc. I. num. 8.

Confeſſio.

Confeſſio frequens vtilis eſt. Tract. III. Diſc. XXV. num. 367. & ſeqq. & Diſc XXXI. num. 438. & ſeqq. & Tract. VI. Diſc. V. num. 72. 73.

Confuſio.

Confunditur interdum homo, vt à peccato reſipiſcat. Tractat. I. Diſc. VII. num. 65. & ſeqq.

Coniuges.

Miſerabilis coniugum ſtatus, vbi non eſt verus vtrimque amor. Tractat. II. Diſc. XXI. num. 215. 216. & Diſc. XXXIV. nu. 351.

Coniuratio.

Coniuratio prudenter ſublata. Tract. I. Diſc. III. num. 25.

Conſcientia.

Eſt aduerſarius noſter, de quo Lucæ 12, 58. Tract. VII. Diſc. X. num. 123.

Conſcientia puritate qui gaudet, ſpem & fiduciam in Deo habere poteſt. Tract. X. Diſc. X. num. 128.

Conſiliarius.

Inſignis cuiuſdam Conſiliarij ſtupiditas. Tract. I. Diſc. XXIX. num. 290.

Conſilium.

Sæpè initur conſilium de modo inuadendi aliena, & interim periclitatur propria. Tract. I. Diſc. V. nu. 39. 40. 41.

Conſilium de malo & rebus terrenis ita offuſcat hominem, vt pericula ſumma non videat. Tract. I. Diſc. VI. nu. 49 & ſeqq.

Non acquieſcendum malis conſilijs. Tract. I. Diſc. VI. nu. 55.

Imprudens eſt qui nimis facilè acquieſcit conſilio Aduocatorum. Tractat. I. Diſc. VI. nu. 59. 60.

Conſolationes diuinæ.

In oratione maximè percipi ſolent ex agro Dominico. Tract. VIII. Diſc. IV. num. 54. 56.

Sunt flores vineæ, ad quam ſponſa dilectum ſuum inuitat. nu. 54.

Ex earum diſtributione duo bona proueniunt. ibid.

Qui eas in orando prætendunt, & Chriſtum quaſi diuitem, vt eos remuneret, ad menſam vocant, perfecti minùs ſunt in charitate. num. 58.

In illis olfacimus Deum. num. 63.

Subtractio diuinarum conſolationum diuerſas ob rationes permittitur à Deo. Tract. VIII. Diſc. IV. num. 53.

Conſortium.

Conſortia virorum & fœminarum ſunt periculoſiſſima. Tractat. II Diſc. X. num. 84. & Diſc. XI. per totum. & Diſc. XII. per totum. & Diſc. XXIII. num. 241. & ſeqq.

Conſortia hominum carnalium maximè fugienda ſunt volentibus ſeruare caſtitatem. Tract. II. Diſc. IX. nu. 70. & ſeqq.

Per caſtorum conſortium caſtus quis efficitur. Tract. II. Diſc. IX. nu. 76. & ſeqq.

Conſtantia.

Signum eſt fortiſſimi & reſignati animi, & ſingularis conſtantiæ, in magnis affluctionibus non ſolùm clauſo ore per ſilentium, ſed etiam corde tacite conſeruare patientiam. Tract. X. Diſc. I. nu. 10.

Conſtantia eſt, crucem non ſolùm portare, ſed etiam in illa gloriari. Tract. X. Diſc. XII. n. 159.

Vir conſtans per leonem adumbratur. Diſcurſ. XIII. nu. 169.

Per conſtantiam fit homo terribilis hoſtibus tam viſibilibus quàm inuiſibilibus. Tract. X. Diſc. VIII. nu. 95.

Quomodo conſtantiam B. Virginis imitari poſſimus nu. 98.

Ad veram conſtantiam non ſufficit vt quis crucem qualemcumque quocumque modo portet, ſed voluntarios baiulos crucis & ſitibundos compotatores calicis ſui quærit Chriſtus. Tract. X. Diſc. IX. nu. 121.

Nec etiam verè ſunt conſtantes qui eas tantùm portant cruces quas ſibiipſis conſtruunt. nu. 124.

Conſtantes eſſe debemus, etiam quando falsò aut iniuſtè nobis aliquid imponitur. Tract. X. Diſc. X. nu. 133.

Corpus.

Corpus & omnia quæ ad illud pertinent, noſtra non ſunt, ſed ſola anima. Tractat. II. Diſc. XIII. nu. 132. 133. 134.

Correptio fraterna.

Eo in officio duplici patientia opus eſt. Tractat. VIII. Diſc. IX. nu. 128.

Creaturæ.

Creaturarum pulchritudo ad Deum nos dirigere nata eſt. Tract. II. Diſc. XV. num. 156. 157.

Crudelitas.

Crudelitatis Iudaicæ exemplum. Tract. I. Diſc. XXI. nu. 215.

Crux.

Quare Eccleſia celebret ſolemnitatem ſancta

Digitized by Google

ſta Crucis. Tract. IX. Diſc. XVII. num. 241.

Curioſitas.

Non oportet curioſum eſſe in ſcrutandis ſublimioribus myſterijs. Tract. III. Diſc. I. num. 4. 5. 6.

Curioſitas in inquirendis aliorum peccatis eſt vitium graue, & malum magnum. Tract. VIII. Diſc. IX. num. 114.

D.

Damnati.

Damnatorum triſtitiam multùm auget recordatio bonorum operum, quæ illis per peccatum omnino inutilia facta ſunt. Tract. IX. Diſc. XX. nu. 279.

Deceptio.

Sancti & humiles licitè alios decipiunt, dum per externam peccatoris & abiecti apparentiam tegunt ſuam dignitatem; ſicut econtrà perniciosè ſuperbit qui propriam vilitatem affectatâ honeſtatis ſpecie malo fine celat. Tract. III. Diſc. XXV. per totum.

Deliberatio.

Deliberatio adhibenda in rebus dubijs, maximè in mundanis. Tract. I. Diſc. XXVIII. num. 282. & ſeqq. & Diſc. XXIX. num. 288. & ſeqq.

Detractio.

Non ſolùm verbis, ſed etiam ſignis fit detractio. Tract. I. Diſc. VIII. num. 79. 80. 81.

Deus.

Generalem omnium rerum curam habet per prouidentiam ſuam. Tractat. IX. Diſc. VII. num. 89.

Eamdem prouidentiam gerit & exercet etiam circa indignos. nu. 90.

In eius tribunali non leuiter fertur iudicium, aut ſententia pronuntiatur contra peccatores. Tract. IX. Diſc. XV. nu. 207.

Niſi longanimis eſſet, & peccatores ad pœnitentiam expectaret, nemo omnino ſaluaretur. Tract. IX. Diſc. XXII. num. 303.

Reliquit ergo in ſe peccantibus locum pœnitentiæ. num. 307.

Dei miſericordia.

Dei miſericordia in hoc apparet, quòd permittat peccatores interdum confundi. Tract. I. Diſc. VII. num. 65. 66. 67.

Dei miſericordia erga peccatores qui aliquando illi ſeruierunt. Tract. I. Diſc. XVI. num. 176. & ſeqq.

Dei prouidentia.

Dei prouidentia erga Religioſos ne malè pereant. Tract. I. Diſc. XVI. num. 178. 179.

Dextera.

Dexterâ olim ſiniſtra potior & honoratior fuit. Tract. VIII. Diſc. XIII. num. 184.

Diabolus.

Ad nomen B. Virginis contremit. Tract. IX. Diſc. XVII. num. 230. & Tract. X. Diſc. VIII. num. 96.

Imagines eiuſdem horret. Tractat. IX. Diſc. XVII. num. 236.

Furori eius manſuetudo B. Virginis è diametro oppoſita eſt. Tract. IX. Diſc. IX. num. 115. 121.

Sicuti ei nullum tempus longum, ita nullum plagarum genus exquiſitum eſſe videtur quo Sanctorum patientiam exercet. Tract. VIII. Diſc. I. num. 11.

Valdè extimeſcit cultum B. Virginis die Sabbatino factum. Tract. IX. Diſc. XI. n. 153.

Eſt exactor noſter, de quo Lucæ 12. 58. Tract. III. Diſc. X. num. 123.

Dignitates.

Deus vult hominem dormire ad officia & dignitates. Tract. III. Diſc. XXVI. num. 374. & ſeqq.

Diſplicent Deo anhelantes ad dignitates, ad quas humiles aſſumuntur. Tractat. III. Diſc. XXVI. per totum.

Superbi ad dignitates inepti eas ambiunt, quas humiles periculis perterriti timent. Tractat. III. Diſc. XXVII. per totum. & Tract. IV. Diſc. XIV. num. 163. & ſeqq.

In quibuſdam caſibus tenetur quis accipere officium & dignitates. Tract. III. Diſc. XXVII. num. 392.

Dionyſius.

Dionyſius tyrannus coniurationem contra ſe factam prudenter ſuſtulit. Tract. I. Diſc. III. num. 25.

Dionyſij Carthuſiani oratio circa finem vitæ. Tract. I. Diſc. XVIII. num. 196.

Diſſimulatio.

Diſſimulatio ob bonum finem licita eſt. Tract. I. Diſc. XII. num. 129 130.

Diuites, Diuitiæ.

Neceſſarium eſt eis ad ſalutem vt ſint pauperes ſpiritu. Tract. VII. Diſc. IV. num. 44.

Quem Dominus in terribili illa ſententia, Diues difficilè intrabit, *&c. nomine diuitis intelligat.* ibid.

Minùs diſpoſiti ſunt vt veram ſpiritus paupertatem poſſideant. num. 46.

Ex ſola temporalium poſſeſſione non ſunt dicendi à Deo benedicti. num. 49.

Quare & quomodo præ ceteris in continuo timore viuant. num. 51.

Poteſt quis eſſe diues, & ſimul pauper ſpiritu. num. 53.

Non diuitibus beneficia conferenda ſunt, ſed pauper-

pauperibus. Tract.ix. Diſc.xviii.num.251.
Ea beneficia quæ ipſis conferuntur, pereunt largitori. nu. 252.
Similes ſunt crumenis vento inflatis. Tractat. vii.Diſc.ix.num.110.111.
Quomodo ſeipſos decipiant. nu.113.
Semper ſunt miſeri, & affliguntur potiùs ex diuitijs quàm recreantur. nu.114.
In Eccleſia Dei ſunt diuites ſicut Oeconomi in domo aut familia. Tract. ix. Diſc. xix. nu 263.
Quomodo regnum Dei intra ſe habere poſſint. Tract viii. Diſc xiii. num.171.
Similes ſunt ancillæ culinariæ, & quomodo. Tract vii.Diſc.xvi.num.205.
Scaphæ euerſæ & aquis innatanti comparantur. Tract.vii.Diſc.xxi.num.283.
Quantò quis Deo eſt ſimilior, tantò minùs indiget diuitijs externis. Tract.vii.Diſc.xxii. nu.284.
In parua æſtimatione habendæ ſunt. Tractat vii.Diſc.i.num.15.
Ex ijs ſcalas conficere poſſemus, per quas adſcendentes obtineremus theſaurum ſummum & infinitum. ibid.& num 16.
Variè in Scripturis nominantur: mendacium, fallacia, vanitates & inſania falſa, & faſcinatio. Tract.vii.Diſc.iv.nu 55.
Cur plerumque improbis ſuppetant, non verò ſanctis & pijs. Tract. vii. Diſc. xii. num.160.
Rectè ſpinis comparantur. Tract. vii. Diſc.xiv.nu.180.181.182.
Qui inordinatè feruntur ad eas acquirendas, non tantùm ſollicitudine diſtrahuntur, ſed etiam læſione conſcientiæ dilaniantur. numero 183.
An quæ in vanis veſtimentorum, hortorum, ædificiorum, &c. pompam inſumuntur, ſuperfluæ an neceſſariæ dicendæ ſint. Tract. vii. Diſc.vi.nu 75.
Mens humana quæ tenaciter diuitias huius mundi conſeruat, nullo modo continere poteſt ſolidiſſima dona Dei.nu.79.
Rari ſunt qui in diuitiarum diſtributione debitum ſeruant modum. Tract.ix.Diſc.xix. num.262.
Eæ diuitiæ ſunt abominabiles, quæ illicitis contractibus & turpi lucro acquiſitæ ſunt. Tract.vii.Diſc.vii.nu.91.
Ex ſe indifferentes quamuis ſint, obſunt tamen nimis amanti & ſollicitè conſeruanti. Tract.vii.Diſc.vi.nu.72.
Sunt ſtercora quibus diabolus conatur excæcare oculos ſapientium. Tract.vii.Diſc.xii. num.152.

Quare à Chriſto ſpinis comparentur. Tractat.vii. Diſc.viii.nu.97.
Corporalem quietem auferunt. ibid.
Nimis conſeruatæ etiam metum mortis inijciunt. nu.98.
Sunt litium & diſcordiarum ſeminarium. Tract.vii.Diſc.x.nu.131.
In earum renuntiatione conſiſtit præcipua ratio vitæ religioſæ. Tract. vii. Diſc. xxi. num.271.
Difficile eſt inter eas paupertatem ſpiritus illæſam ſeruare. Tractat. vii. Diſc. iv. num. 43.
Qui diuitijs nimis inhiant, in varia pericula ſe conijciunt. Tract.i.Diſc.vi nu.56.57.
Diuitijs nimis inhiantes, ſtultorum nomine cenſentur, & ſunt captiui dæmonis. Tract. i. Diſc.vi.nu.57. 58.
Diuites difficulter ſaluantur. Tract. i. Diſc.vi.nu.58.

Dubium.

In mundo multa ſunt dubia & obſcura, ac proinde ſumma deliberatio eſt adhibenda ne peccetur. Tract.i. Diſc. xxviii. nu. 282. & ſeqq. & Diſc.xxix. nu.288.& ſeqq.
Dubitans an quid ſit peccatum mortale nec ne, & ad actum procedens, peccat mortaliter. Tract.i.Diſc.xxix.nu.292. & ſeqq.

E.

Eccleſia.

ETſi multò humilior appareat, in ſe tamen ſine comparatione eſt glorioſior quàm Synagoga fuit. Tract.vii.Diſc.xxi.nu.280.
Meritò ciuitas appellatur, quòd conſtet ex hominibus charitate aut ſaltem fidei vnitate coniunctis. Tract.ix.Diſc.xiv.nu.188.
Quomodo dicantur glorioſa de illa. ibid. & ſeq.

Eleëmoſynæ.

Eleëmoſynæ miſericorditer diſtributæ conſeruant animas per iuſtitiam à corruptione quam peccatum in illis cauſat. Tract. ix. Diſc.xix.nu.258.
Quomodo ſint erogandæ. nu.260.
Quæ eleëmoſyna Deo ſint gratiſſima. Tractat.vii.Diſc.ii.nu.29.

Error.

In multis errat homo ſine damno ſuo & peccato, ſi tamen erret, ex defectu humilitatis non patrocinabitur illi error aut ignorantia. Tract. iii. Diſc. xxiv. num. 346. & ſeqq.
Impunè & ſine damno errant verè humiles. Tract. iii. Diſc. xxiv. num. 349. & ſeqq.

Euangelici Pauperes. *Vide*, Pauperes Euãgelici.

Euchariſtia.

Chriſtus, quomódocumque in Euchariſtia irreuerentialiter tractetur, tamen ſine vllo ſui damno, & vix vmquam vacuus reuertitur. Tract.1.Diſc.11.nu.11.12.13.

Qua ſit diſtinctio inter irreuerentem tractationem corporis Chriſti in Euchariſtia, & irreuerentem auditionem verbi Dei. Tract. 1 Diſc.11.nu.11.12.

F.

Fides.

Fides Mariæ V. omnium ſumma fuit. Tractat.v.Diſc.v.num.1.& ſeqq.& Diſc.111.num.28.& ſeqq.

Argumenta hæreticorum contra Mariæ V. perfectam fidem diſſoluuntur. Tract. v.Diſc.1.num.8 .& ſeqq.

Non ſufficit fides ſine operibus. Tract. v. Diſc.1.num.12.& ſeqq.

Maria Virgo citò & perfectè credidit omnia credenda. Tractat. v. Diſc. 11. num. 16. & ſeqq.

Fides aliquando magna, aliquando parua vocatur. ibid.nu.18.

Non eſt neceſſe quod omnes æqualiter habeant fidem explicitam, in multis enim ſufficit implicita. ibid.nu.19.& ſeqq.

Fides feruida pro magna reputatur, etſi non fuerit explicita. ibid.num.22.& ſeqq.

Maria Virgo procurat ſibi deuotis fidei augmentum. ibid.num.25.& Diſc.111.num.42.& Diſc.1v.nu.57.

Infirmi in fide qui dicantur. ibid. Diſc. 111. nu.34.& ſeqq.

Fides grano ſinapis comparatur. ibidem num.40.& ſeqq.

Maria Virgo præ omnibus fide fortis eam profeſſa eſt, maximè tempore paſſionis; quæ etiam ſola de reſurrectione Filij ſui explicitam fidem habuit. ibid. Diſc. 1v. per totum. & Diſc.v1.num.72.& ſeqq.

Apoſtoli an tempore paſſionis Chriſti habuerint fidem. ibid.nu.50.& ſeqq.

Qui vni fidei articulo diſcredit, factus eſt omnium reus. ibid.num.55.56.

Etſi corde credamus ad iuſtitiam, tamen confeſſio fidei neceſſaria eſt ad ſalutem, in qua tepeſcunt omnes qui rebus ſacris debitam reuerentiam non exhibent. Tract. v. Diſc. v. per totum.

Tametſi confeſſio fidei non obliget pro ſemper, numquam tamen ex humana verecundia omittendum eſt aliquid eorum quæ ad fidem pertinent. ibid.nu.67.& ſeqq.

Mundus cum fidei confeſſione incepit, cuius defectu Apoſtoli triduo paſſionis Deum offenderunt, à quo fortis Mariæ Virginis fides infirmitati noſtræ dona gratiarum impetrauit. Tract.v.Diſc.v1.per totum.

Fidem quæ latet in corde tempore & loco operibus profiteri debemus, ad gloriam eius qui occultè illam infudit. ibid. Diſc. v11.per totum.

Fides per annulum ſignificatur. ibid. nu.98. 99 & Diſc.x11.nu.158.

Non temerè, ſed iuſta de cauſa facienda eſt fidei confeſſio, quæ ſancti contemptis periculis ſæpè Deum mirabilem eſſe oſtendunt. ibidem. Diſc.v111.per totum.

Qui in fide deficit, ignorat ſe cæcum & nudum eſſe. Tract.v.Diſc.1x.nu.121.

Fides prima virtutum non niſi poſt multa peccata vltimo loco perire ſolet. ibid. nu. 122. & ſeqq.

Miraculis probauit Deus, quòd theſauri cæleſtes in Eccleſia repoſiti non referentur niſi ijs qui veram fidem habent. ibid.nu.130.131.

Non omnes tenentur dare rationem fidei. Tract.v.Diſc.x.nu.133.

Tametſi non omnes debeant ſe defendere gladio verbi Dei, tenentur tamen inſtructi eſſe ſcuto fidei. ibidem nu.139.& ſeqq.

Clypeus fidei bonis operibus ſeruari debet. ibid.nu.140.

Fides eſt communis Eccleſiæ lampas, quam ſubinde exigua lux humanæ opinionis aut mundanæ conſuetudinis obfuſcat. Tract. v.Diſc.11. per totum.

Facilè fidem quis perdit, ſi nimis laxam illam habuerit. ibid.Diſc.x11.nu.158.& ſeqq.

Fides etiam periclitatur per inordinatam anxietatem conſcientiæ. ibid. nu.164.& ſeqq.

Fides timore & ſpe conſeruatur. Tract. v. Diſc.x11.per totum.

Fideles dicuntur ciues & domeſtici Dei. ibid. Diſc.x111.nu.171.& ſeqq.

Veri fideles difficilia huius vitæ & obſcura fidei pertranſeunt. ibidem per totum.

Facilè impingunt qui obſcura fidei myſteria nimis ſcrutantur. ibid.nu.177.178.

Non facilè omnibus eſt adhibenda fides. Tractat. 1. Diſc. x111. num. 144. & ſeqq.& Diſc xv. per totum, vbi agitur de diſcretione ſpirituum.

Dubius in fide hæreticus cenſetur. Tract. 1. Diſc.xx1x.nu.292.

Fides eſt baſis & fundamentum virtutum. Tract. 111.Diſc.x.nu.139.

Fiducia.

Fiducia quid ſit. Tractat. x. Diſc. x. num.128.

Fidu-

Fiducia in Deum.

Tam neceſſaria nobis, & accepta Deo eſt fiducia & ſpes, vt illam reſpiciat tamquam rationem & meritum miſericordia ſua nobis conferenda. Tract. VIII. Diſc. XVII. num. 230.

Flores.

Cur eis, quos in raptu aut ſingulari oratione repraſentare volunt, pictores flores appingere ſoleant. Tract. VIII. Diſc. IV. nu. 63.

Fortitudo.

Fortitudo Damaſci, quam Chriſtus abſtulit, qua ſit. Tract. VII. Diſc. XIX. num. 247.

Fortitudo animi.

Fortes animo patienter ferunt obloquia & dicta hominum. Tract. I. Diſc. IX. num 103.

Fortitudinem in aduerſis habent qui verè Deum amant, & pro omnibus ei gratias agunt, quales fuerunt martyres. Tract. VI. Diſc. XII. & XIII. ferè per totum.

Franciſcani.

Sequuntur à longè paupertatem B. Virginis. Tract. VII. Diſc. II. num. 27.

Non ſunt mundo oneroſi. Tract. V. Diſc. XI. num. 155. 156.

Franciſcus.

S. Franciſcus in omnibus actionibus ſuis ſolùm Deum reſpiciebat. Tract. I. Diſc. XII. num. 137.

S. Franciſci ſollicitudo pro cuſtodia caſtitatis. Tract. II. Diſc. IX. nu. 79. & Diſc. X. num. 87.

Franciſci Ximenes mira prudentia. Tract. I. Diſc. XIII. num. 147.

Fraus.

Fraudulentorum mala occultata ſæpè ipſis inſcijs deteguntur. Tract. I. Diſc. VII. n. 68. 69.

Fredericus Dux Auſtriæ.

Mutata veſte ſolus inter ruſticos verſabatur, cum quibus pro mercede diurna arabat, vt verum audire poſſet. Tract. VII. Diſc. V. num. 59.

Furtum.

Furtum aſtutè & prudenter detectum. Tractat. I. Diſc. I. nu. 7.

G.

Gratia præueniens.

Gratia ſufficiens datur etiam reprobis, abundans verò ſolis electis. Tract. IX. Diſc. I. num. 7.

Gratitudo.

Maria Virgo Dei beneficiorum memor, compendioſum modum inuenit eidem gratias agendi, quo qui vtuntur, cenſeri poſſunt de numero electorum. Tract. VI. Diſc. I. per totum.

Qui grati ſunt ad laudem Dei vtuntur beneficijs acceptis, quibus etiam non poſtulata conceduntur. ibidem Diſc. II. per totum. & Diſc. III. nu. 34 & ſeqq.

Gratiarum actiones Maria Virginis fuerunt puriſſima. ibid. num. 19.

Grati hominis eſt, ſe ſemper agnoſcere indignum & debitorem benefactori. ibid. num. 29. 30.

Maria Virgo pro beneficijs etiam alijs collatis grata fuit. ibid. Diſc. III. num. 31. 32. 33.

Propter mirabilem Maria Virginis gratitudinem factum eſt, vt præ omnibus Sanctis donis & gratijs repleretur. ibid. num. 34.

Nemo eſt qui Deo gratias completas perſoluat, qui tamen actu offert ea qua poteſt, & qua non poteſt affectu, non eſt dicendus ingratus. Tract. VI. Diſc. IV. per totum.

Qui grato animo agnoſcit beneficium Dei quo fuit liberatus à malis præteritis, is fiducialiter ſperare poteſt quòd illum liberabit à futuris. Tract. VI. Diſc. VI. per totum.

Gratorum hominum conditio eſt, quòd nihil clauſis oculis prætereant eorum quæ Deus pro nobis fecit. ibid. Diſc. VII. num. 88. & ſeqq.

Abel figura hominis grati, Cain verò ingrati. ibid. num. 90. 91. 92.

Sancti horrent ingratitudinis vitium: vnde à rebus creatis abſtinentes ſe mortificant amore Redemptoris, qui exemplum gratitudinis nobis reliquit. ibid. Diſc. VIII. per totum.

Quorumdam gratiarum actio ſubinde exoſa eſt Deo. Tract. VI. Diſc. X. ferè per totum. & Diſc. XI. num. 149.

Gratiarum actio de rebus iniuſtis & illicitis Deo execrabilis eſt. ibid. num. 141.

Omni tempore & loco Deo ſunt agendæ gratiæ. Tractat. VI. Diſc. XI. num. 142. & ſeqq.

Afflictiones dulceſcunt per gratiarum actionem quæ pro illis fit. ibid. Diſc. XIII. num. 166. & ſeqq.

Gratiarum actio vtilis & iucunda eſt, præſertim quando ſincerus amicitiæ amor ex afflictione & cruce eam Deo promit. Tract. VI. Diſc XII. per totum.

Guſtus ſpiritualis. *Vide*, Conſolationes diuinæ.

H.

Hæreſis.

Hæreſis non eſt primum peccatum, ſed poſt multa peccata incurritur. Tract. V. Diſc. IX. num. 122. & ſeqq.

Hæretici.

Diabolum imitantur, dum imagines Sanctorum & B. Virginis oppugnant, cùm ipſos Sanctos

ctos & B. Virginem nequeant. Tract. IX. Diſc. XVII. num. 233.

Hedvviges.

Quomodo continuam memoriam celebrauerit pauperrima Virginis Maria. Tract. VII. Diſc. XV. nu. 201.

Hypocritæ.

Hypocrita volunt reputari iuſti, cùm tamen ſint impy. Tract. I. Diſc. VII. nu. 73. 74. 75. 76.

Hypocrita parua reprehendunt, & in magnis, quibus offenditur Deus, caecutiunt. Tractat. I. Diſc. XX. num. 105. & ſeqq.

Homo.

Tres hominum conditiones ſeu ſtatus; iuſtorum, peccatorum, & obſtinatorum. Tract. I. Diſc. IV. num. 35. 36. 37.

Status hominum angelicâ conditione felicior eſt. Tract. II. Diſc. VII. num. 52. 53.

Non tenetur ſemper & in omnibus voluntatem conformem habere voluntati diuinæ. Tractat. VII. Diſc. III. num. 38.

Eius dignitas & dominium in beſtias. Tractat. VIII. Diſc. VII. num. 91.

Eius conſpectum fugiunt feræ. ibid.

Honor.

Sancti ſemper fugiunt honores, quos optant reprobi. Tract. III. Diſc. IV. nu. 56. & ſeqq.

Ioannes Chryſoſtomus labia ſibi præſcidit vt fugeret honorem à populo ſibi oblatum. Tract. III. Diſc. IV. num. 59.

Qui in vita ſua fugiunt honores, accipiunt illos poſt mortem. Tract. III. Diſc. VI. num. 79. & ſeqq.

Honores non magnificant, ſed tantùm exaltant hominem. Tract. III. Diſc. XIII. nu. 182. & ſeqq.

Honores mutant mores. Trac. III. Diſc. XIV. nu. 193.

Horæ Canonicæ.

Cur ſingulis diebus in Completorio dicatur Confiteor. Tractat. I. Diſc. XVIII. num. 197.

Humilitas.

Humilitas ſociatur veræ prudentiæ. Tract. V. Diſc. X. num. 105.

Humilitatis indicium eſt, importunè loquenti honeſtè tacendo cedere. Tractat. I. Diſc. X. num. 105.

Humilitas virginibus ſpecialiter conuenit. Tract. II. Diſc. XXXIII. num. 341. & ſeqq.

Humilitas Mariæ Virginis omnibus proponitur imitanda. Tract. III. Diſc. I. n. 8. & ſeqq.

Interna animi humilitas Deo & B. Virgini gratiſſima eſt. Tract. III. Diſc. II. num. 19. & ſeqq.

Humilitas externa parum prodeſt ſine interna. ibid.

Humilitas per ſalem ſignificatur. Tract. III. Diſc. II. num. 23. & ſeqq.

Humilitas eſt virtus magnatum Eccleſiæ & aulæ cæleſtis. Tractat. III. Diſc. III. nu. 26.

Præ omnibus puris hominibus Maria Virgo humillima fuit. Tract. III. Diſc. III. nu. 27. & ſeqq. & Diſc. V. num. 65. 69.

Humilitas oritur ex eo quod quis Dei attendit magnitudinem ac diuitias, & ſuam paruitatem ac paupertatem. Tract. III. Diſc. III. nu. 28. & ſeqq.

Humilitas omnium gratiarum & virtutum fundamentum eſt. Tract. III. Diſc. III. nu. 39. 40. & Diſc. X. nu. 137. & ſeqq.

Præ humilitate timuerunt Sancti dum viuerent famâ miraculorum clarere. Tract. III. Diſc. IV. num. 46.

Publicè humiliari timent reprobi, optant verò electi. Tract. III. Diſc. IV. num. 56. & ſeqq.

Mira S. Ioannis Chryſoſtomi humilitas. Tract. III. Diſc. IV. num. 59.

Praxis humilium eſt, omnibus ſe poſtponere. Tract. III. Diſc. V. num. 60. & ſeqq.

Roberti Francorum regis mira humilitas. Tract. III. Diſc. V. num. 71.

Humiles inſtar paruulorum omnem honorem & gratiam ſibi factam ignorant & contemnunt. Tractat. III. Diſc. VI. nu. 76. & ſeqq.

Qui ſe humiliant in hac vita, exaltantur in altera, ſicut B. Virgo. Tract. III. Diſc. VI. num. 78. & ſeqq. & Diſc. IX. num. 131. & ſeqq. & Diſc. XIII. num. 190. & ſeqq. & Diſc. XX. num. 291. & ſeqq.

Deus aliquando miraculis honorat amatores humilitatis. Tract. III. Diſc. VI. numero 80.

Conſtantini Imperatoris humilitas. Tractat. III. Diſc. VI. num. 81.

Humilitas eſt omnium virtutum cuſtodia, vt patet in S. Paulo, cui datus eſt ſtimulus carnis. Tract. III. Diſc. VII. num. 96. & ſeqq.

Humilitas eſt optimum remedium ad euadendas carnis tentationes. Tract. III. Diſc. VII. num. 102. & ſeqq.

Per cineres ſignificatur humilitas, ex cuius magnitudine colligitur magnitudo amoris Dei. Tractat. III. Diſcurſ. XV. ferè per totum.

Humiles occultant & conſeruant omnes virtutes. Tract. III. Diſc. XVI. num. 226. & ſeqq. & Diſc. XXIX. num. 411. & ſeqq.

Humiles per fœnum campeſtre ſignificantur, ſicut ſuperbi per fœnum tectorū. Tract. III. Diſc. XVI. num. 234. & ſeqq.

Hu-

Humiles verè ſapientes dici debent. Tractat. III. Diſc. XVII. num. 247. & ſeqq.

Sine humilitate nemo verè ſapiens eſſe poteſt. Tract. III. Diſc XVII num. 248. & ſeqq.

Humiles per ſpecialem Dei prouidentiam circumſpectiores ſunt, & ſecuriùs gratiam conſeruant. Tract. III. Diſc. XVIII. nu. 256. & ſeqq.

Humilis debet imitari formicam, lepuſculum, locuſtam, & ſtellionem. Tract. III. Diſcurſ. XVIII. num. 259. & ſeqq.

Qui auſteritati vitæ humilitatem adiungunt, inueniunt in hac vita perfectam animarum requiem, nec facilè tentationi diaboli ſuccumbunt. Tractat. III. Diſc. XIX. per totum.

Deus in hac etiam vita conſolatur humiles. Tract. III. Diſc XX. num. 286. & ſeqq.

Humiles ad Deum ſecuri vadunt per ſaluum humilitatis conductum. Tractat. III. Diſc. XX. nu. 288. & ſeqq.

Humilitas eſt ſaluus conductus. Tract. III. Diſc XX. num. 298.

Humilium dicta & facta ridentur & contemnuntur à munde, laudantur verò à Deo. Tract. III. Diſc. XXI. num. 303. & ſeqq.

Humiles ſemper ſunt obedientes. Tract. IV. Diſc. I. num. 2. & ſeqq.

Humilitas non ſolùm Deum, ſed etiam impios & crudeles homines mouet ad benignitatem & miſericordiam. Tract. III. Diſc. XXXI. num. 444 & ſeqq.

Maxima humiliatio eſt, vera & frequens peccatorum ſuorum confeſſio. Tractat. III. Diſc. XXXI. numero 438. & ſeqq.

Veram humilitatem acquirit homo per violentam ſui humiliationem. Tract. III. Diſcurſ. XXXI. num. 435. & ſeqq.

Humiles ſub veſtimentorum modeſtia & obſcuro habitu ſuam dignitatem tegunt. Tractat III. Diſc. XXX. nu. 421. & ſeqq.

Humiles timent laudari, ſed optant contemptibiles apparere. Tractat. III. Diſc. XXIX. numero 411. & ſeqq.

Humiles cauent multiloquium. Tract. III. Diſcurſ. XXIX. num. 411. & ſeqq.

Humiles ab immoderato riſu nunc ſe temperantes, ſecurè ridebunt in die iudicij. Tractat. III. Diſc. XXVIII. num. 398. & ſeqq.

Humiles timent aſſumi ad dignitates ob pericula. Tract. III. Diſc. XXVII. per totum.

Humiles nihil de honoribus cogitantes à Deo ad dignitates ſubinde promouentur. Tract. III. Diſc. XXVI. per totum.

Humilis licitè alios decipit, dum per externam peccatoris & abiecti apparentiam tegit ſuam dignitatem; ſicut è contra perniciosè ſuperbit, qui propriam vilitatem affectata honeſtatis ſpecie malo fine celat. Tractat. III. Diſc. XXV. per totum.

Inter humilem & humiliantem magna eſt diſtinctio. Tract. III. Diſc. XXII. num. 317. & ſeqq. & Diſc. XXIII. nu. 333.

Humilium oratio nubes penetrat, & Deum exorabilem facit. Tract. III. Diſc. XXII. per totum. & Diſc. XXIII. num. 333. & ſeqq.

Humilitas triplex eſt, Spontanea, Coacta, & Honorata. Tract. III. Diſc. X. nu. 134. & ſeqq.

B. Mariæ humilitas ſola honorata dici debet. Tract III. Diſc. X. n. 142. & ſeqq. & Diſ. XIII. num. 189. & ſeqq.

Sancti ſubinde humiliter ſeipſos laudant. Tract. III. Diſcurſ. XI. num. 154. & ſeqq. & Diſc. XII. num. 168.

Quidam nequiter ſe humiliant, vt vanum aliquod nomen obtinere poſſint. Tract. III. Diſc. XII. nu. 181.

Humilitas celſitudini, & celſitudo humilitati ſociari poteſt. Tract. III. Diſc XIV. n. 194.

Quantò maior quis eſt, tantò debet eſſe humilior. Tract. III. Diſc. XIV. nu. 195. & ſeqq.

Humilitas celſitudini apposita dat ei mirum incrementum. Tractat. III. Diſc. XIV. num. 196. & ſeqq.

Humiles verè magni & multi ſunt coram Domino. Tract. III. Diſc. XIV. nu. 199 & ſeqq.

Verbum humilitas *non ſemper ſignificat virtutem tantoperè commendatam, ſed aliquando afflictionem.* Tract. IX. Diſc. XV. nu. 199. 201.

I.

Ignorantia.

IGnorantia duplex eſt, ſcilicet priuatiua & negatiua. Tract. I. Diſc. X. num. 111.

Ignorantia etſi interdum excuſet, non tamen ſemper, maximè ſi ſit defectu humilitatis. Tract. III. Diſc. XXIV. num. 346. & ſeqq.

Imagines.

In eas debacchantur hæretici, propterea quòd ipſos Sanctos aut B. Virginem oppugnare nequeant. Tract. IX. Diſc. XVII. num. 233.

Ex imaginibus quàm vberem quæſtum ſpiritualem faciant Catholici nu. 236.

Nobilis quidam, qui è ſacello domeſtico imagines Sanctorum eiecerat, quomodo caſtigatus fuerit. nu. 238.

Impatientia.

Impatientis quàm patientis deterior eſt conditio. Tract. VIII. Diſc. X. nu 135.

Impatiens incudi comparatur. nu. 136.

Impatiens pœnam ſibi duplicat. nu. 138.

In Iſmaele impatiens præfiguratus eſt. n. 139

 Impa-

Impatientia eſt omnis diſcordia & ſciſſionis mater. Diſc.xx1.num.153.

Impatiens qui ad quaſlibet iniurias iraſcitur, vilitatem ſuam prodit. Diſc. x11. num.169.

Sibi magnum malum parat, qui parvum ab altero fortè per inadvertentiam illatum, aliquando clauſis oculis non diſſimulat. Tract. 1x. Diſc.xx1.num.188.

Impatientes dum parua incommoda miſericorditer pati nolunt, magna ſibi conciliant. num.189.

Per impatientiam eſt quis ſibi argumento, quòd non ſit de numero filiorum Dei, ſed de reproborum conſortio. Tract.v111. Diſc.xv1. num.116.

Vehiculum eſt omnium vitiorum. Tractat. v111. Diſc. v111. num. 103. Diſc. x. num.135.

Ingratitudo.

Ingratitudo omnibus exoſa, & lex contra biſtys ingratos lata. Tract.1. Diſc.xv1.n.173. & ſeqq. & Tract.v1. Diſc.1x.num.115.

Magna eſt ingratitudo eorum qui benefactorum obliuiſcuntur, maior autem illorum qui recordantur & negligunt commemorare. Tractat.v1.Diſc.1v.num.52.& ſeqq.

Ingratitudo aggrauat culpam quæ poſt remiſſionem præteritorum peccatorum commiſſa eſt, niſi ſit leuis. ibidem Diſc.v. per totum. & Diſc.v1. ferè per totum.

Ingrati poſt remiſſionem peccatorum equis & aſinis ſimiles ſunt. Tract. v1. Diſc v1. num.85. & ſeqq.

Ingrati mirabilia Dei opera non conſiderant, & ideò nihil agunt eius benigno aſpectu dignum. ibid. Diſc.v11.per totum.

Cain figura hominis ingrati. ibid. n.91.92.

Lucifer primus ingratitudinis auctor. ibid. Diſc.v111 num.99.

Ingrati ſunt impudentiores canibus. ibidem num.105.& ſeqq.

Magna eſt diuitum immiſericordium ingratitudo. Tract.v1. Diſc.1x.per totum.

Iniuriæ.

Qui offenſas & iniurias per miſericordiam remittunt, meritò in pace & conſcientiæ ſerenitate viuunt. Tract.1x. Diſc. xx1.num.292. & ſeqq.

Maleuolorum oblocutiones electis ſunt proficua. Tract.v111.Diſc.x1v.num.192.

Per iniurias contribuunt nobis aduerſarij media, ſine quibus animam noſtram illæſam ſeruare non poſſumus. num.196.

Cum riſu à nobis excipi debent iniuriæ, obloquia & contradictiones. num.200.

Ad iniurias & leuia verba qui iraſcitur, vilitatem ſuam prodit. Tract.v11. Diſc. x11. num.169.

Verba maledicorum nil ſunt niſi ſonus aërem concutiens, cutem non lædens. num.170.

Qui calumnijs & conuitijs pios & fortes viros proſcindunt, nocentes ſunt, quamuis ijs nihil nocuerint. num 177.

Contra linguas maledicas quilibet ſe armare debet per patientiam. numero 178.

Sibi magnum malum parat, qui paruum ab altero per in advertentiam fortè illatum, aliquando clauſis oculis non diſſimulat. Tract.1x. Diſc.xx1.nu.188.

In ſchola Chriſti monentur diſcipuli vt iniurias ſibi obiectas miſericorditer diſſimulent. Tract.1x.Diſc.xx1.nu.190.

Inſpiratio.

Inſpirationibus diuinis, maximè illis quæ ad Religionem vocant, ſtatim acquieſcendum. Tract.1. Diſc.xxv.num.246.& ſeqq.& Diſcurſ.xxv1.per totum.

Intentio.

Intentio bona in omnibus actionibus habenda, & quàm vtilis ea ſit. Tract.1. Diſc.x11. per totum. & Diſc.xx111. per totum.

Plures bonæ intentiones proſunt. Tract.1. Diſc.x11.num.138.

Non licet ob quemcumque finem bonum intentum facere quodcumque malum. Tract.111. Diſcurſ.v111.num.109.& ſeqq.

Iob.

Eum Hebræorum Rabbini ex verbis iſtis, Pereat dies in qua natus ſum, &c. non tantùm impatientiæ, ſed & blaſphemiæ taxarunt. Tractat.v111. Diſc.11.num.14.

Non impiè agens, ſed dura patiens ea verba protulit. Tractat.v111. Diſc.11. num.15.

S. Ioannes Chryſoſtomus.

S. Ioannes Chryſoſtomus adeò fugit plauſum populi, vt labia ſibi præſciderit, cui B. Virgo aurea labia reſtaurauit. Tractat.111. Diſc.1v. num.59.

Iſraëlitæ.

Quare à Deo eis præceptum ſit, vt ex Ægypto egreſſuri, callidè Ægyptios ſpoliarent. Tractat. v11. Diſcurſ. xx1. numero 272. & ſeqq.

Iudiciaria poteſtas. Vide, Poteſtas iudiciaria.

Iudicium.

Erroneum eſt mundi iudicium in laudando dicta & facta diuitum ac ſuperborum, & humilium. Tract.111. Diſc. xx1. num.303. & ſeqq.

In iudicijs humanis ſæpè eſt error. Tract.111. Diſcurſ.xx1v.num.346.

Iudi-

Iudicia hominum quæ ſint. Tract. vii. Diſc xvii.num.215.

Iudicium extremum.

Rigor extremi iudicij per Angelum libram in manu tenentem repræſentatur, & additur ratio. Tractat.i.Diſc.xxi.num.211.& ſeqq.

Eſt magna dies Domini, in qua omnium operum erit memoria, operum tamen miſericordiæ expreſſa commemoratio. Tract.ix.Diſc xviii. num.242.243.244.

Omnes homines in morte ſua particulare iudicium accipiunt. Tract.vii.Diſc.xviii. num.240.

Iuſtitia.

Eſt parens patientiæ. Tract.viii.Diſc.vii. num.94.

Quæ noſtra iuſtitia dicatur, & quæ Dei. Tractat.ix. Diſcurſ.xix.num.256.258.

L.

Lapſus.

Non tantùm lapſis ſuccurrit B. Virgo Maria, ſed etiam lapſuris. Tract.ix.nu.3.4.

Laus.

Sancti humiliter ſubinde ſeipſos ſine peccato laudant. Tractat.iii.Diſc. xi. num. 154. & ſeqq.

Abſtinendum ordinariè eſſe à laude propria, docetur miraculo. Tract.iii.Diſc.xi.n.159.

Laudat mundus diuitum & ſuperborum dicta & facta, humilium verò ridet & contemnit. Tract.iii.Diſc.xxi. num.303.& ſeqq.

Liber vitæ.

In eo non ſolùm deſcripti ſunt omnes prædeſtinati, ſed etiam media quibus ad ſalutem peruenient. Tract.x.Diſc.vi.num.63.

Liberi.

Si probi ſint, nihil parentibus charius, pulchrius aut iucundius eſſe poteſt. Tract. viii. Diſc. i.num.1.2.

Non niſi ſummo dolore amittuntur. Tractat.viii.Diſc.i.num.7.

Lingua.

Verba otioſa & ſuperflua vitanda ſunt. Tract.i.Diſcurſ. viii.num.79 & ſeqq.

Inſipiens dicendus eſt qui multùm loquitur. Tract.i. Diſc.viii. num. 87.88.& Diſc. x. num.117.& Diſc xi num.119.

Difficile eſt linguam refrenare. Tract. i. Diſc.ix. num.90. & ſeqq. & Diſc.x.nu.107. 108.

Lingua maledica.

Contra linguas maledicas quilibet ſe armare debet per patientiam. Tract.viii.Diſc.xii. numero 178.

*Flagellum linguæ poteſt vocari generalius diluuium quàm Noëticum.*num.179.

*Linguam maledicam fugere poſſumus, non effugere.*num.180.181.182.

Lites.

Lites inducunt hominem in multas difficultates, ac imprudens & ſtultus eſt, qui illis intentus eſt. Tract.i.Diſc.vi.num.59.60.61.

Nihil iucundum eſt illi qui litibus implicatur. Tract.i.Diſc.vi.num.62.

Qui cum homine litigat, ordinariè cum Deo pacem frangit. Tract.i.Diſc.vi.nu.63.

Vix eſt poſſibile, vt litigantes in tribunalibus & contendentes de rebus terrenis non excedant limites charitatis. Tract.vii.Diſc.x. num.132.

Loquax.

Loquaces ſtulti dicendi ſunt. Tract. i. Diſc.viii. num.87.88. & Diſc.x. num.117. & Diſcurſ.xi.num.119.& ſeqq.

Podagrici ordinariè ſunt loquaces. Tract.i. Diſc.xi.num.124.

Superbiæ ſignum eſt loquacitas. Tract. iii. Diſc.xxix.nu.407.& ſeqq.

Luxuria.

Inter omnia vitia nullum eſt magis contagioſum quàm luxuria. Tract.ii. Diſc.viii. num.63. & ſeqq. & Diſc.x.num.88.& ſeqq.

Luxuria peſti & hæreſi ſimilis eſt. ibidem. & Diſc.ix.num.70.

Luxuria vitium per fugam ſuperatur. Tract.ii.Diſc.ix.num.70.& ſeqq.

Immodicum vinum incitat ad luxuriam. Tract. ii. Diſc. xiii. num. 135.& ſeqq. & Diſc.xvii.num.179.180.

Luxurioſi efficiuntur ignaui & molles. Tractat.ii.Diſc.xix num.191.

Luna.

Luna à B. Virgine calcata, omnem terrenarum rerum vniuerſitatem deſignat, quam ipſa calcauit. Tract.vii.Diſc.i.num.3.

M.

Macedones.

An illorum paupertas fuerit altiſſima. Tract.vii.Diſc.i.nu.1.& 2.

Mali.

Mali volunt malè agere & latere, ne vituperentur; cõtrà faciunt boni. Tract.i.Diſc.vii. num.73.& ſeqq.

Mandata Dei.

Mandata Dei ſunt retinacula quibus homo prohibetur à nimis liberè peccando. Tract. i. Diſc.v.num.44.45.

Maria Virgo.

Maria Virgo maris ſtella dicitur, vt eam imitemur. Tract.iii.Diſc.i.num.2.& ſeqq.

Ma-

Maria Virgo particularem curam gerit eorum qui ſeruant caſtitatem. Tract. II. Diſc. VII. num. 57. & ſeqq. & Diſc. XXX. num. 315.

Maria Virgo in vita mortali non ſolùm multiplices reuelationes habuit, ſed etiam Deum clarè vidit. Tract. II. Diſc. II. nu. 10. & ſeqq.

Maria Virgo ſibi deuotis impetrat caſtitatem. Tract. II. Diſc IV. num. 31. & ſeqq. & Diſc. VII. num. 56. & ſeqq. & Diſc. IX. nu. 77. & 81.

Maria Virgo prudens & moderata fuit in verbis ſuis. Tract. I. Diſc. VIII. num. 86. & Diſc. IX. num. 91. & Diſc. X. numero 109. 110.

Maria Virgo libera fuit ab omni errore & ignorantia propriè dicta. Tract. I. Diſc. X. num. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116.

Maria Virgo in omnibus actionibus ſuis optimum finem habuit. Tract. I. Diſc. XII. n. 131. & ſeqq.

B. Maria docet nos probare ſpiritus, ſi ex Deo ſint. Tractat. I. Diſc. XV. numero 159. & ſeqq.

Multùm prodeſt peccatori coluiſſe B. Mariam. Tract. I. Diſc. XV. num. 172.

Deuoti B. Mariæ non facilè decipiuntur in rebus dubijs & obſcuris. Tract. I. Diſc. XXIX. num. 297.

An Deus B. Mariam potuerit meliorem facere. Tract. II. Diſc. I. num. 5.

Mariæ pulchritudo omnibus fuit ædificatoria & promotrix caſtitatis. Tract. II. Diſc. I. n. 4. & ſeqq. & Diſc. III. nu. 21. & ſeqq. & Diſc. IV. num. 31. & ſeqq. & Diſc. V. num. 40. & ſeqq.

Mariæ caſtitas & continentia præ omnibus fuit ſingularis & excellens. Tractat. II. Diſc. I. num. 4. & ſeqq. & Diſc. VII. numero 50. & ſeqq.

Maria Virgo dedignatur filios degeneres, maximè ſuperbos. Tract. III. Diſc. II. nu. 17. & ſeqq.

Interna humilitas maximè gratos facit homines B. Mariæ. Tract. III. Diſc. II. num. 19. & ſeqq.

Maria Virgo ob humilitatem ſalſum mare dici poteſt. Tract. III. Diſc. II. num. 25.

Maria Virgo præ omnibus puris hominibus humillima fuit. Tract. III. Diſc. III. nu. 27. & ſeqq. & Diſc. X. num. 142. & ſeqq.

Mariæ Virginis humilitas ex eius excellentia & dignitate colligitur, & contrà. Tract. III. Diſc. III. num. 34. & ſeqq.

Maria Virgo in vita ſua à publicis miraculis abſtinuit, vt humilior poſſet apparere. Tractat. III. Diſc. IV. num. 41. & ſeqq.

Maria Virgo omnibus tam viris quàm feminis ex humilitate ſe poſtpoſuit. Tract. III. Diſc. V. num. 6[?]. 69.

Maria Virgo quia in hac vita fuit humillima, nunc ſuper omnes eſt exaltata. Tract. III. Diſc. VI. num. 78.

Mariæ Virginis idcircò mirabilior & præſtantior eſt humilitas, quia de nullo vitio verecundari debebat. Tract. III. Diſc. VII. numero 106. & ſeqq.

Quomodo dixerit Maria Virgo, Quia fecit mihi magna qui potens eſt. Tract. III. Diſcurſ XIII. num. 183. & ſeqq.

Maria Virgo facillimè mouetur ad miſericordiam; & additur exemplum. Tract. III. Diſc. XV. num. 224. 225.

Mariæ Virginis obedientia ſumma fuit. Tractat. IV. Diſc. I. per totum.

Maria Virgo feſtina fuit in obediendo. Tractat. IV. Diſc. II. num. 13. & ſeqq.

Mariæ Virginis fides omnium ſumma fuit. Tract. V. Diſc. I. num. 1. & ſeqq. & Diſc. III. num. 28. & ſeqq.

Maria Virgo citò & perfectè credidit omnia credenda. Tract. V. Diſc. II. num. 16. & ſeqq.

Maria Virgo ſibi deuotis procurat fidei augmentum. ibidem num. 25. & Diſc. III. nu. 42. & Diſc. IV. num. 57.

Maria Virgo præ omnibus fide fortis eam profeſſa eſt, maximè tempore paſſionis; quæ etiam ſola de reſurrectione Filij ſui explicitam fidem habuit. ibid. Diſc. IV. per totum.

Maria Virgo Dei beneficiorum memor, compendioſum modum inuenit eidem gratias agendi, quo qui vtuntur, cenſeri poſſunt de numero electorum. Tract. VI. Diſc. I. per totum.

Maria Virgo pro beneficijs etiam alijs collatis grata fuit. Tractat. VI. Diſc. III. nu. 31. 32.

Magnis non ſolùm annumeranda eſt propter eximiam manſuetudinem ſuam, ſed etiam præferenda. Tract. IX. Diſc. XVI. num. 216.

Etſi grauiſſimè lædatur ex peccatorum offenſione in Deum commiſſa, ita tamen diſſimulat, ac ſi non ſentiret. ibid.

Etſi in omnibus alijs paruam ſe & humilem exhibuerit, in poſtulando tamen continuis precibus diuitias miſericordiæ Domini, magnitudinem ſuam probauit. num. 228.

Ad eius nomen contremit diabolus. Diſcurſ. XVII. num. 230.

Singularis miſericordiæ indicium eſt, quando ipſa aliquem duriuſculè tractans, oſtendit quòd illum ſua materna ſollicitudine dignetur. num. 239.

Digitized by Google

De exceſſu in miſericordia notari non poteſt, quia habet vnde ſe excuſet. Tract.IX.Diſ.XIII. num.176.

Magnam libertatem habet in exhibenda & præſtanda miſericordia. num.177.

Sola ipſa plus apud Deum poteſt, quàm omnes Sancti ſimul. num.180.

Sicut Deus eſt pater miſericordiarum, ita ipſa mater eſt gratiæ & miſericordiæ. nu.183. 184.

Quatenus vocetur ciuitas Dei. Diſc. XIV. num. 189.190.191.

In memoria illius ſunt, qui ſolam eius notitiam profitentur. num.192.195.

Vt de eius pietate peccatores non deſperent, in eius & Chriſti Filij eius genealogia peccatores recenſentur. num.194.

Eam in cælis modò reſpicit Deus, & ſuſpicit, propter dolorem & afflictionem quam olim perpeſſa eſt. Diſc.XV.num.198.

Fortè meruit, vt in negotio animarum ſemper habeat votum deciſiuum. num.206.

Fuit ſummæ excellentiæ, & vnde. Tract.VII. Diſc I.num.3.

Quare Lunam habeat ſub pedibus. ibidem & ſeq.

Prima fuit quæ poſt Chriſtum paupertatem coluit. num. 5.

Eius voluntaria paupertas per nomen Sunamitis *expreſſa fuit.* num.7.

Maiorem mœrorem ſenſit illo tempore quo dolens Filium ſuum quærebat, quàm mater illa Tobiæ, filij ſui moram ferens. Tractat. VIII. Diſc.I.nu.I.

Omnes reliquos Sanctos in rerum terrenarum contemptu præceſſit. Tract. VII. Diſc.I. num.17.

Quomodo, licet pauper, omnia poſſideret. Diſc.II.num.18.

Erga omnes mouetur ad miſericordiam ſine differentia. Tract.IX.Diſc.VII.num.91.

Omnibus ſine delectu eamdem poſtulare non veretur, qui illius capaces ſe reddunt. numero 92.

In pauperes fuit miſericors & liberalis. Tract.VII.Diſc.II.num.25.

Eius imago pauperi cuidam crepidam auream donat. ibid.

Velut Abigail Dauidem, ipſa Deum lenit. Tractat.IX.Diſc.VI.num.64.& ſeqq.

Tanta eius eſt miſericordia, vt parata ſit, ſi per Dei beneplacitum liceret, pro peccatoribus, præſertim ad illam confugientibus, ſubire pœnam. num.6 .

Non tantùm ſuccurrit lapſis, ſed etiam lapſuris. Tract.IX. Diſc.I. num.3.4.

Sæpè procurat, vt Deus præueniat deuotos ſuos ſua miſericordia, antequam incidant in talem perſonam, à qua eis lapſus occaſio oriri poſſit. num. 5.

Sollicita eſt vt ſui à malis imminentibus, antequam eueniant, præſeruentur. nu.9.

Si volumus, vt ipſa nos gratiæ & miſericordiæ participes reddat, continuè ad eam oculos noſtros leuemus. Tract.IX.Diſc.VIII.nu.105.

Maior eſt eius in filios ſuos clementia, quàm naturalis affectus matrum in filios. nu.106.

Clementiæ titulo contenta eſt. Diſc. IX. num.110.

Solam eam dæmon per carnis moleſtias ne ſemel quidem allatrare præſumpſit. num. 112.

Quomodo ſit virgo ſingularis. ibid.& ſeqq.

Manſuetudo eius furori dæmonis è diametro oppoſita eſt. num.115.

Viſcera miſericordiæ illius nulli vmquam clauſa ſunt. Diſc.X.num.134.

Canonicum quemdam miro modo conuertit. num.135.

A nobis inuocata, vota noſtra exaudiens, cum infinita Dei miſericordia contendere velle videtur. num.136.139.

Qui pro eius honore diebus Sabbatinis opus bonum faciunt, ipſius benignitatem experiuntur. Diſc.XI.num.146 &c.

Errant qui eam inſenſibilem depingunt, ſine compaſſione, ſine affectu. Tract. X. Diſc. II. num.20.

Sicut prior eſt in donis, ita præcipua inter omnes qui in hoc mundo, Deo permittente, opprimuntur doloribus. Diſc.III.num.23.

Ita fleuit & defleuit amariſſimam vnigeniti ſui mortem, vt tamen nec ſermone, nec morum compoſitione, nec membrorum agitatione aliquid commiſerit, quod in minimo leges modeſtiæ violare videretur. Tract. X. Diſc. VII. num.81.

Cum ſumma triſtitia & amariſſimo fletu inconcuſſam conſtantiam habuit. num.82.

An ſpaſmum paſſa fuerit præ doloris acerbitate ibid.& ſeqq.

Ad illius inſtantiam peccatores in peccatis mortui ad vitam reuocati fuerunt. Tract. IX. Diſc.VI.num.79.

Illius orationes tantæ ſunt virtutis, vt quodammodò quæ non erant Deo placita, placita fieri videantur. num.82.

Sæpè contingit vt peccatores morti & æternæ damnationi deſtinati, ea intercedente pœnitentiam agant, &c. Diſc.VII.num.85.

Qua ratione omnia creata per verum dominium ei perfectiſſimè ſubiecta fuerint. Tractat.VII.Diſc.II.nu.22.

Neceſſaria ſibi ſubtrahebat vt egentibus ſubueniret. num. 23.

Etiam non rogata à nobis pro nobis orat. Tract. IX. Diſc. III. num. 23. 24. 25. & ſeqq.

Præcipuum eius epitheton eſt Mater miſericordiæ. num. 31.

Non fuit triſtis de morte Filij ſui ſicut ceteri qui ſpem non habent. Tract. VIII. Diſc. V. num. 65.

In quali triſtitia fuerit, dum Filium ſuum per triduum amiſerat. num. 67.

Eius patientia non fuit imperfecta ex eo quòd Euangeliſta eam deſcribat tamquam querulo/am, dicentem, Fili, quid feciſti nobis ſic? Tract. VIII. Diſc. II. num. 23.

Magna eius fuit conſtantia, cùm adſtaret Filio ſuo in cruce pendenti. Tract. X. Diſc. I. num. 5. & ſeqq.

Fuit Angerona in terris, & modò in cælis eſt Volupia. num. 11.

Filij ſui cruci fuit ceteris omnibus propinquior. Diſc. II. nu. 14.

Quantopere animam eius doloris gladius pertranſierit. num. 15.

An ſit martyr dicenda. Tract. VII. Diſc. XX. num. 259.

Sine præiudicio patientiæ dolens quærebat Filium ſuum. Tractat. VIII. Diſcurſ. II. num. 26. 27.

Quare eam tanto dolore affici permiſerit ſuus Filius. Tract. VIII. Diſc. III. num. 39.

Quo ſenſu ei Chriſtus fuerit lumen oculorum. Tract. VIII. Diſc. I. num. 9.

Patientia ei cælitus infuſa fuit num. 17. 18

Subinde peccatoribus procurat ſalutem, qui eam deſperatione quodammodò impoſſibilem reddidiſſe videntur. Tract. IX. Diſc. III. nu. 33.

Multi in cælo rident, qui gemerent in inferno, niſi eius eis patrocinium profuiſſet. Tract. IX. Diſc. XI. num. 154.

Poſt Chriſti paupertatem eius paupertas fuit altiſſima. Tract. VII. Diſc. I. numero 3.

Longè abfuit ab amore ſui. Tract. IX. Diſc. IV. num. 37.

Eſt ſacrarium Spiritus ſancti, quod omnibus malefactoribus patet. Tract. IX. Diſc. XII. num. 164. 167.

Maiorem poteſtatem habet, & pluris apud Deum valet quàm omnes Sancti ſimul. Tractat. VIII. Diſc. III. num. 47.

Aurum à Magis ſibi oblatum probabiliter in pauperes diſtribuit. Tract. VII. Diſc. II. num. 26. 28.

Sæpè patientes ſuo eſt dignata patrocinio & conſolatione. Tract. VIII. Diſc. XIII. nu. 188.

Ad eius nomen tremit diabolus. Tract. X. Diſc. VIII. num. 96.

Martyres.

Pro miraculo reputandum eſt, quòd Martyres in fidei promotione & confeſſione fuerint tam efficaces & fortes. Tract. V. Diſc. VIII. nu. 103. & ſeqq.

Puerorum fortitudo in ſubeundo martyrio. ibidem. num. 112.

Ad rationem martyrij ſatis eſt, vt quis propter Deum tale quid aggrediatur aut patiatur, quod mortem adferre poſſet, quamuis cauſa non conſequatur ſuum effectum. Tractat. VII. Diſc. XX. num. 266.

An mors ſit de ratione martyrij. Tract. VII. Diſc. XX num. 259.

Regni cælorum certa promiſſio facta eſt Martyribus. Tractat. VIII. Diſcurſ. XVII. numero 236.

Eorum mors pretioſa coram Domino propter patientiam. Tract. VIII. Diſc. XIII. numero 183.

Vnde fiat vt conſtantiam ſuam maximè in morte prodant. Tract. X. Diſc. XIII. num. 180.

Quare atrociſſima tormenta exultantes & ridentes toleraſſe legantur. Tract. VIII. Diſc. III. num. 42.

An martyr dicendus qui pro quacumque veritate moritur. Tract. VIII. Diſc. IX. n. 116.

Matrimonium.

In matrimonio multa ſunt difficultates. Tract. II. Diſc XX. num. 203. & ſeqq. & Diſcurſ. XXV. per totum. & Diſcurſ. XXVI. n. 269. & ſeqq.

Diſcrimen ſtatus matrimonialis & virginalis. ibidem.

Matrimonium Ioſeph & Mariæ feliciſſimum. Tract. II. Diſc. XXI. num. 223. 224.

Mendacium.

Ne minimum mendacium eſt proferendum, etiamſi ex illo omnium ſalus eſſet emanatura. Tractat. IX. Diſc. XX. num. 272.

Miſericordia.

Ex defectu miſericordiæ contingit non rarò, vt homo cupidus vindictæ, retineat non modò, ſed & ſæpè repetat mala quæ aliquando paſſus eſt. Tract. IX. Diſc. XXI. num. 290.

Miſericors qui eſt, quomodo item diues. n. 293

Ab æternis ſupplicijs immunes ſunt miſericordes. num. 298.

Exigua eſt hominum in homines miſericordia. Diſc XXII. num. 303. 304.

Defectuoſa illa hominum miſericordia Deo meritò eſt exoſa, & illius pietati valdè contraria. num. 305.

Miſericordiam qui facit erga inimicum, glorioſa

rioſa eum victoria ſuperat. numero 308.

Per miſericordiam inimico exhibitam fit, vt is propria ſponte moriatur peccato, ſanctéque ac piè Deo viuat. num. 311.

In aula Dei nemo in æſtimatione eſt, niſi qui manſuetudine & miſericordia illuſtris eſt. Tract. IX Diſc. XVI. nu. 222.

In ea virtute qui illuſtres fuerint. num. 223. & ſeqq.

Miſericordia vera quàm longiſſimè à nobis profligat vitioſum amorem proprium. Tractat. IX. Diſc. IV. num. 44.

Ita proximo miſereri debemus, ne nos damnũ patiamur. Tract. IX. Diſc. XX. num. 272.

Operum miſericordiæ & pietatis explicita & expreſſa fiet commemoratio in extremo iudicio. Tractat. IX. Diſc. XVIII. num. 242. 243.

Quod aurum eſt reſpectu cupri in monetis, hoc opera miſericordiæ & pietatis in comparatione aliorum operum. num. 243.

Operum miſericordiæ memoria ſemper in cordibus & viſceribus ſanctorum permanet. nu. 245. 246.

Miſericordia eſt inſtar olei, quod vbique indelebiles notulas, & veſtigia quæ elui non poſſunt, relinquit. nu. 246.

Opera miſericordiæ vocantur etiam iuſtitia. nu. 259.

Non ſolùm ſunt illuſtres futuri in cælo, ſed etiam, tamquam magni, honorandi in terra. Tract. IX. Diſc. XVI. nu. 215.

Monitio.

Sermo monentis eſt pluuiæ ſimilis. Tractat. VIII. Diſc. VIII. nu. 109. & ſeq.

Monitio tamen acrior, ſine patientia, impetuoſo eſt nimbo ſimilis. ibid.

Morbi.

Qui morbis aut infirmitatibus detinentur, ad patientiam exercendam cohortandi ſunt. Tract. VIII. Diſc. XV. nu. 203.

Cùm in morbos incidimus, Deum non vt interemptorem, ſed vt chirurgum reſpicere debemus. ibid.

Deus nos morbis inuadi permittens, familiaritatem noſtram ambit, & quærit occaſionẽ liberiùs accedendi. Tract. VIII. Diſc. XV. n. 204.

Morbi ſunt inuentiones amoris diuini. ibid.

Patienter ſunt tolerandi. nu. 206. Diſc. XVI. num. 218.

Qui ex eis nobis proueniant fructus. Diſcurſ. XV. num. 211.

Sunt litteræ amatoriæ à Deo miſſæ. Diſcurſ. XVI. num. 214. 220.

Nec ſemper indignantis, ſed etiam aliquando amantis Dei ſigna ſunt. num. 215.

In reprobis & impatientibus ſunt indicia indignationis diuinæ. Tract. VIII. Diſc. XVI. num. 217.

Patientem meliorẽ efficiunt, impatientem verò deteriorem. Tract. VIII. Diſc. XVI. num. 222.

Sunt patientibus velut dolabra, impatientibus velut ſecures. num. 223.

In ijs ferendis qui ſunt patientes, rectà recti ad cælum tendunt. nu. 225.

Mors.

An mors ſit de ratione martyrij. Tract. VII. Diſc. XX. nu. 259.

Mortis memoria facilem illam reddit meditanti. Tract. I. Diſc. XXX. nu. 298. & ſeqq.

Optima ad mortem præparatio, eſt ſuiipſius mortificatio. Tract. I. Diſc. XXX. n. 299. & ſeqq.

Morti omnes ſubiacent. Tractat. I. Diſc. XXX. nu. 310. 311. 312. 313.

Mors triplex eſt, ſcilicet naturalis, Religioſorum & Damnatorum. Tract. IV. Diſc. XVI. nu. 192 & ſeqq.

Mortificatio.

Qui ſtudent mortificationi, facilem habent mortem. Tract. I. Diſc. XXX. nu. 299. & ſeqq.

Qui ſe mortificant, gratos ſe eſſe oſtendunt pro beneficijs à Deo acceptis. Tract. VI. Diſcurſ. VIII. nu. 107. & ſeqq.

Mortificationes omnes per gratiarum actionem dulceſcunt. ibidem Diſc. XIII. num. 172.

Qui ſine mortificatione ſui viuunt, offendunt & peccant. Tract. VII. Diſc. VII. nu. 90.

Mulier.

Mulierum formoſitas quàm efficax. Tract. II. Diſc. V. num. 43. & Diſc. VI. nu. 44. & ſeqq. & Diſc. XVII. nu. 172. & ſeqq.

Mulierum vanus ornatus eſt irritamentum libidinis. Tract. II. Diſc. VI. num. 47. 48. & Diſc. XXII. nu. 232.

Mulierum conſortium & aſpectus eſt periculoſiſſimus. Tract. II. Diſc. VIII. num. 63 & Diſc. IX. num. 79. & Diſc. X. num. 84. & ſeqq. & Diſc. XI nu 103. & ſeqq. & Diſc. XII. per totum. & Diſc XIV. nu. 142. & ſeqq. & Diſc XV. nu. 158. & ſeqq. & Diſc. XVI. nu. 161. & ſeqq. & Diſc. XVIII. n. 181. & ſeqq. & Diſc. XXIII. num. 241. & ſeqq.

Mulieres vanè ſe ornantes indicant ſe eſſe viripetentes. Trac. II. Diſc. XXII. n. 232. & ſeq. & Diſc. XXIII. nu. 237. & ſeqq.

Non tam à gladio quàm à mulierum blandimento ſibi cauere debet qui illarũ conuerſioni ſtudet. Tract. VII. Diſc. XIX. nu. 252. & ſeq.

Naturaliter miſericordia prædita ſunt. Tractat. IX. Diſc. XI. nu. 142.

Multiloquium.

Multiloquium ſuperbiæ ſignum eſt. Tractat. III. Diſc. XXIX. nu. 407. & ſeq.

In multiloquio non deeſt peccatum. Tractat. I. Diſc. VIII. num. 82. 83.

Qui multa loquitur, inſipiens dicendus eſt. Tract. I. Diſc. VIII. num. 87. 88.

Multiloquium eſt mater contentionis & filia gulæ. Tract. I. Diſc. VIII. num. 88. & Tract. III. Diſc. XXIX. nu. 413.

Tutius & facilius eſt tacere quàm multùm loqui. Tract. I. Diſc. IX. num. 90. 91. 92. 93.

Mundani, Mundus.

Mundus fallax eſt. Tract. I. Diſc. XXVIII. num. 275. 276.

Mundani in denſiſſimis tenebris ſunt. Trac. I. Diſc. XXVIII. nu. 279. & ſeqq.

Mundus plenus eſt abuſibus. Tractat. I. Diſc. XXVIII. nu. 282. & ſeqq. & Diſc. XXIX. num. 288. & ſeqq.

In eodem genere peccati magis offendit Deum ſæcularis quàm Religioſus. Tract. I. Diſc. XXIV. num. 235. & ſeqq.

Mundani & Religioſi ſtatus diſtinctio quo ad ſecuritatem. Tract. I. Diſc. XXII. per totum. & Diſc. XXIII. per totum. & Diſcurſ. XXVII. nu. 260. & Diſc. XXIX nu. 295.

Mundus etſi conſolatorius videatur, multos tamen occidit. Tract. I. Diſc. IX. num. 96. 97. & Diſc. XXVII. nu. 260. & ſeqq.

Qui mundum contemnit, viuere dicendus eſt. Tract. I. Diſc. IX. nu. 97. 98. 99. 100.

Mundus à Chriſto illaqueatus & ligatus eſt. Tract. I. Diſc. IX. nu. 100. 101.

Mundanorum ſtatus periculoſus eſt & fugiendus. Tract. I. Diſc. XVII. num. 180. 181. 182. 183. & Diſc. XVIII. num. 188. & ſeqq.

Qui mundo placent, Dei odium incurrunt. Tractat. I. Diſc XVII. nu. 82. & ſeqq.

Mundani malunt apparere quàm eſſe magni Tract. III. Diſc. XIII. nu. 184. & ſeqq.

Mundani parua reprehendunt, & in magnis quibus Deus offenditur cæcutiunt. Tract. I. Diſc. XX num. 201. & ſeqq.

Mundani difficulter ſeruant caſtitatem. Tract. II. Diſc VII. num. 57. & ſeqq.

N.

Nuditas. *Vide,* Pectorum nuditas.

O.

Obedientia.

O*Bedientia non niſi humilium eſt.* Tractat. IV. Diſc. I. num. 2. & ſeqq.

Mariæ Virginis obedientia ſumma fuit. Tract. IV. Diſc. I. nu. 4. & ſeqq.

Maria Virgo feſtina fuit in obediendo. Tractat. IV. Diſc. II. num. 13. & ſeqq.

Feſtina obedientia eſt non tam parère quàm aſſentiri Deo. Tract. IV. Diſc. II. num. 16. & ſeqq.

Verus obediens non tantùm expreſſo Superioris mandato, ſed etiam tacito illius beneplacito ſe conformat. Tract. IV. Diſc. II. n. 18. & ſeqq. & Diſc. XVIII. num. 231. & ſeqq.

Verus obediens cur quid præcipiatur non inquirit, ſed ſimpliciter obtemperat, & in pace proficit. Tract. IV. Diſc. III. per totum.

Deficiente obedientia regnat diſcordia. Tractat. IV. Diſc. III. nu. 31. & ſeqq.

Debita eſt & meritoria obedientia ſubditi qui dubitat bonúmne ſit an malum quod præcipitur. Tract. IV. Diſc. IV. per totum.

Obediens in dubijs defendere ſe poteſt auctoritate præcipientis. Tractat. IV. Diſc. IV. nu. 41. & ſeqq.

Obedientia cæca qua homo perfectè ſe Deo tradit, efficit vt verus obediens de illius adiutorio confiſus, aggrediatur illa quæ humano iudicio impoſſibilia videntur. Tract. IV. Diſc. V. per totum.

Verus obediens in Prælato Deum agnoſcens, non ſolùm ab eo & Angelis bonis, ſed etiam à malis & beſtijs adiuuatur, ad perficiendum ardua quæ illi imperantur. Tract. IV Diſc. VII. per totum.

Obedientia vrget vt peccata declinemus, & bonis operibus inſiſtamus. Tract. IV. Diſc. X. nu. 115. & ſeqq.

Obedientia operibus indifferentibus meritum tribuit, quo deſtituitur qui ex proprio ſenſu operatur. Tract. IV. Diſc. X. nu. 119. & ſeqq.

Obedientia Deo grata, dæmoni exoſa eſt, etiam in ijs quæ ad corporis commoditatem ſpectant. Tract. IV. Diſc. X. nu. 124. & ſeqq.

Obedientia eſt corruptæ hominum voluntati & naturæ valdè moleſta. ibidem.

Ex animo ſiue gemitu ad imitationem Chriſti obediendum eſt, vt ſit prompta & ad omnia indifferens obedientia. Tract. IV. Diſc. II. per totum.

Obedientia ſubinde efficit, vt priuatio eius quod recreat, & coniunctio illius quod natura horret, non adferat vero obedienti afflictionem, ſed conſolationem. Tract. IV. Diſc. XII. per totum.

Veris obedientibus eſt Deus ſalus & protectio, quos multorum cuſtodiæ commendat, tametſi minùs indigeant. Tract. IV. Diſc. XIII. per totum.

Veri obedientes Magnatibus illuſtriores ſunt, & à concupiſcentijs immunes, in magna libertate animi viuunt. Tract. IV. Diſc. XIV. per totum.

Obedientia charitatis & perfectæ libertatis diſtin-

di ſtinguitur ab obedientia ſeruitutis. Tract. IV. Diſc. XIV. nu. 1 0. & ſeqq.

Sicut magna eſt obedientium ſecuritas, ita inobedientes meritò illam damnationem timere debent, quam tantò certiùs incurrent, quantò minùs illam apprehendunt. Tract. IV. Diſc. XV. per totum.

Inobedientes ſibi mortem cauſant quam Deus non fecit, quorum voluntas propria, ſignum & inſtrumentum eſt pœnarum inferni, cui ſe Deus maximè offenſum oſtendit. Tractat. IV. Diſc XVI. per totum.

Obediens mortuo ſimilis eſt. Tract. IV. Diſc. XVI. nu. 193. & ſeqq.

Magna eſt obedientiæ dignitas quæ offert Deo voluntatem. Tract. IV. Diſc. XVII. n. 210. & ſeqq.

Per obedientiam opera & officia obſcura honorabiliora fiunt. Tract. IV. Diſc. XVII. num. 211. & ſeqq.

Meritoria eſt obedientis cæcitas, qui non attendit errata, ſed Prælati imperia; & tantò magis prodit Chriſtum intus docentem, quantò imperfectior eſt cui obtemperat. Tractat. IV. Diſc. VIII. per totum.

Deus veris obedientibus blandus, ſe & dulcedinem ſuam deguſtandam præbet, efficitq; vt dura quæ Prælatus iniungit, ſubdito leuia fiant. Tract. IV. Diſc. VI. per totum.

In tribus debet eſſe cæcus verus obediens. Tract. IV. Diſc. VIII nu. 86. & ſeqq.

Qui facilè præſumit aut petit licentiam in agendis, deficit à perfecta Obedientia, quæ ſacrificiis melior & facultatibus à Prælato obtentis tutior eſt. Tractat. IV. Diſc. IX. per totum.

Licentia & obedientia in quo differant Tractat. IV. Diſc. IX. num. 110. & ſeqq.

Sine præiudicio obedientiæ pœnalia & ſenſualitati contraria per licentiam obtinentur à ſubdito. Tract. IV. Diſc. IX. num 113.

Nobilium more tractantur à Deo qui obedientiam zelant; quibus non imperat cum auſteritate, ſed ſuauiter mouet ſola ſui beneplaciti manifeſtatione. Tract. IV. Diſc. XVIII. per totum.

Hilariter obedientes à B. Virgine interdum viſitati fuerunt. Tract. IV. Diſc. XVIII. numero 240.

Obedientiæ præſtantia ex eo colligitur, quod à Deo Patre & Maria Virgine hominibus commendata ſit. Tractat. IV. Diſcurſ. XIX. per totum.

Obedientia præſtat homini efficaciam & gratiam verbi. Tract. IV. Diſc. XIX. nu. 250. & ſeqq.

Obiectum obedientiæ eſt verbum Dei, quod non minori ſollicitudine ſeruari debet quàm corpus Chriſti. Tractat. IV. Diſc. XIX. numero 249.

Creaturæ irrationales imperio verorum obedientium parent. Tract. IV. Diſc. XIX. nu. 252. & ſeqq.

Opera bona.

Opera indifferentia per obedientiam facta induunt rationem boni & meriti. Tractat. IV. Diſc. X. num. 119. & ſeqq.

Opera bona non ſunt differenda in tempus futurum. Tract. I. Diſc. XXV. nu. 246. & ſeqq.

Opera bona ſine bona voluntate non proſunt. Tractat. I. Diſcurſ. XXI. numero 212. & ſeqq.

Opera bona quomodo debeant examinari ad pondus ſanctuarij. Tract. I. Diſc. XXII. n. 219. 220.

Pura intentio dat valorem bonis operibus. Tract. I. Diſc. XXIII. num. 226. & ſeqq.

Per bona opera cum ſingulari feruore facta poteſt quis de congruo mereri reparationem poſt lapſum. Tract. I. Diſc. XIV. num. 151. 152. 153. 154. & Diſc. XV. num. 165. 166. 167. 168. 169. 170. & Diſc. XVI. per totum.

Opera bona in ſtatu gratiæ facta per peccatum mortificantur, quæ deinde reuiuiſcunt accedente ſtatu gratiæ. Tract. I. Diſc. XIV. num. 155. 156. & Diſc. XV. num 165. 166. 167. 168.

Ordinariè benè finiunt vitam, qui bonis operibus intendere ſolebant. Tract. I. Diſc. XV. nu. 168. 169.

Bona opera in iuuentute facta ſenibus proſunt. Tract. I. Diſc. XVI. nu. 173.

Opera ex ſe bona ſine obedientia parum, contra obedientiam facta nihil valent. Tract. IV. Diſc. X. num. 120. & ſeqq.

Bona opera oleo lampadis comparantur. Tract. V. Diſc X. num. 140.

Bonorum operum valor pendet à continuo ardore charitatis. Tract. VI. Diſc. XI. nu. 145. 146.

Eorum recordatio multùm augebit damnatorum triſtitiam, quòd illis per peccatum omnino inutilia facta ſint. Tract. IX. Diſc. XX. num. 279.

Quomodo relinquant auctorem ſuum. numer. 281.

Pœnitentia peccatoris in hoc eis præſtat, quòd opera mortificata omnia reſuſcitet. numero 283.

In iudicio extremo omnium bonorum operum erit memoria. Tractat. IX. Diſc. XVIII. num. 241.

 Tan-

Tanta eſt vnius boni operis in gratia ſtatu facti maieſtas, vt terrorem incutiat mille peccatis mortalibus. Tract.x. Diſc.vII.nu.93.

Opprobria. *vide*, Iniuriæ.

Oratio.

In oratione attendere oportet ne verbis ſuperfluamus. Tract.I. Diſc.vIII.nu.79. & ſeqq. præſertim num.83.

Impiorum oratio aliquando ſit eis in peccatum. Tract.vI. Diſc.x.num.129. & ſeqq.

Quomodo ſemper & ſine intermiſſione orandum ſit. ibid. Diſc.xI.num.141.& ſeqq.

Oratio humilium nubes penetrat, & Deum exorabilem facit. Tract. III. Diſc.xxII. per totum.& Diſc.xxIII. nu.333.& ſeqq.

Superborum oratio inutilis eſt. Tract. III. Diſc.xxII. num. 316. & ſeqq. & Tract. vI. Diſc.III.num.41.42.

Oratio eius qui gratus eſt pro beneficijs acceptis, Deo innoteſcit. Tract. vI. Diſc. III. num. 39.& ſeqq.

Ordo.

Quis inter omnes Ordines ſit perfectior. Tract.III.Diſc.xv.num.211.& ſeqq.

Ordo S. Franciſci non eſt mundo oneroſus. Tract.v.Diſc.xI.num.155.156.

Oſculum.

Oſculum an ſit peccatum mortale. Tract.I. Diſc.xxvIII.num.283.

Oſcula ſunt periculoſa, & indicant incaſtum animum. Tract. II. Diſc.xII. numero 127. & Diſc.xxIII.num.245.

P.

Parentes.

Qvanta cura incumbat parentibus pro bona prolium educatione. Tractat.II.Diſc.xx. num. 208. & ſeqq. & Diſc. xxxv. num. 369. & Diſc.xxxvI.num.370.

Parentes malè faciunt impediendo proles ſuas à Religione, vel ſtatu virginitatis. Tract. II. Diſc.xxx.nu.316.317.

Numquam repulſam patiuntur, ſi pro filijs ſuis regent. Tract.Ix.Diſc.vIII.numero 95. 98.

Maior parentum eſt in liberos propenſio, quàm ſit auari cuiuſcumque alterius rei cupido. Tract. vIII.Diſc.I.num 7.

Paſſio Chriſti.

Deuota recogitatio paſſionis Chriſti fortem reddit. Tract.x.Diſc.xII. num.153.

Quid ſit cogitatione paſſionis Chriſti armari. nu.155.

Pater cæleſtis.

In dilectione generis humani nimius eſt. Tract.Ix.Diſc.xIII.num.171.

Patiens, Patientia.

Omnibus eſt neceſſaria, & ſine ea nemo animam propriam immunem ſeruat à peccatis. Tract. vIII. Diſc. vIII. numero 103.

Omnium virtutum promotrix & conſeruatrix cenſeri poteſt. ibid.

Eſt comes ſapientiæ. num 105.

Veram Chriſtus Dominus quando docuerit. ibidem.

Hac pugnandum eſt in eliminandis vitijs, & ſacris miſſionibus de fide propaganda. nu. 108.

Hac prædicti Apoſtoli teſtimonium reddebant Domino Ieſu Chriſto. nu.111.

Patientia eius qui pro virtute & Chriſtiana veritate mali aliquid ſuſtinet, vt obloquium, irriſionem, &c. diſponit ad martyrium. Diſc. Ix.nu.116.

Patientia Chriſtiana eſt, inter malos bonum eſſe, & inter mundi amatores ſe eiuſdem contemptorem exhibere. nu.120.

Non eſt perfectus in patientia, qui nimis timet iniuſta incommoda ex iuſta malorum vituperatione ſibi obuentura. ibidem.

Sanctorum patientia eſt bona valdè. nu.124.

Varij eius gradus à Doctoribus notantur. Tractat.vIII.Diſc.II.nu.27.& ſeqq.

Infimus eſt, quo afflictus quidem paratus eſt dolorem & triſtitiam pati potiùs quàm murmurare, tamen omni modo laborat vt ab afflictione ſe expediat. ibid.

Secundus & altior gradus eſt, quo quis, vt Chriſto crucifixo conformetur, efficaciter petit cruces & afflictiones: quæ ſi immiſſæ fuerint, de illis ſibi gratulatur. nu. 30.

Non aduerſatur patientiæ, qui in perpeſſione rei difficilis tædium ſentit. Tract. vIII. Diſc II.nu.20.

Imò tædij & mœroris ſenſus ſæpè eſt patientiæ argumentum. nu.21.

Optimè ſtat doloris & mœroris ſignificatio, etiam verbis querulofis expreſſa, cum perfecta patientiæ conſtantia. nu. 22.

Vera & meritoria patientia, præſertim in tentatione carnis, ſine gratia Dei haberi non poteſt. Tract.vIII Diſc.vI.nu.86.

Qui eam habere cupit, magna conſcientiæ puritate ornatus eſſe debet. nu.89.

Eius parens eſt iuſtitia. Tract. vIII. Diſc. vII. nu. 94.

Qui maximè patientes ſunt, qui ſine vlla ſua culpa ſuſtinent pœnam. nu.98.

In pœnis ſuſtinendis exerceri debet patientia. numero 99.

Patientes omnibus proſunt. Tract. vIII. Diſc.Ix.nu.130.

Sine patientia omnibus vitijs patet acceſſus in

in animam. Diſcurſ. x. numero 135.

Patientis quàm impatientis melior eſt conditio. Tract. v111. Diſc. x num. 135.

Per patientiam mala miro modo extenuantur. num. 143.

Rariſſima patientiæ exemplum S. Remigius. Diſc. x1. numero 148.

Patientiam probat tribulatio. num. 149.

Patiens non modò non murmurat in tribulationibus, ſed etiam moleſtias ſibi à Deo immiſſas lætanter & gratanter acceptat. numero 154.

Summa patientia eſt, tolerare non neceſſariò aut coactè, ſed vltrò, electione & voluntate. num. 161.

Patientes in magna ſunt æſtimatione apud Deum. Diſc. x111. nu. 188.

Eoſdem B. Virgo ſæpè ſuo patrocinio & conſolatione eſt dignata ibid.

Patientes diabolo & impijs ſunt terribiles. num. 189.

Cùm diabolus patientiæ cedat, haud mirum ſi per eamdem ſatellites eius confundantur aliquando. Tract. v111. Diſc. x111. num. 190.

Patientia cauſa effectiua non eſt tribulatio & afflictio, ſed occaſio & materia. Diſc. x1v. num. 196.

Eſt præcipuum medium quo animam noſtram, & per conſequens regnum cælorum, nobis ſecurum reddimus. num. 197.

Ad patientiam exercendam monendi ſunt qui morbis & infirmitatibus detinentur. Diſcurſ. xv. num. 203.

Patientia veram rectitudinem ſibi coniunctam habet. Tract. v111. Diſc. xv1. nu. 227.

Nihil nos tam ſingulariter ponit in ſpe, quàm patientia in tribulatione. Tract. v111. Diſc. xv11. num. 231.

Patientia in tribulationibus eſt nota interioris tum vitæ tum gratiæ. Tractat. v111. Diſc. xv11. num. 211.

S. Paulinus.

S. Paulini miſericordia erga pauperes. Tractat. 1. Diſc. x1x num. 202.

S. Paulus.

Quis fuerit, & ad quid datus S. Paulo ſtimulus carnis. Tract. 111. Diſc v11. n. 96. & ſeqq.

S. Paulus quomodo vocet ſe abortiuum. Tract. 111. Diſc. x1x. num. 270. & ſeqq.

Pauper.

Non ſolùm bonis verbis, ſed ipſo effectu pauperum neceſſitati ſuccurrere oportet. Tract. 1. Diſc. v111. nu. 80.

Immiſericordes erga pauperes ſummè ingrati ſunt, & ob hoc terribile Dei iudicium incurrunt. Tract. v1. Diſc. 1x. ferè per totum.

Pauperrimus quiſque, quomodo cum Petro & Andrea dicere poſſit, Ecce nos reliquimus omnia, *& proinde centuplum expectare.* Tractat. v11. Diſc. xv111. num. 235. & ſeqq.

Pauperes Euangelici.

Sunt diuites ſimul & pauperes. Tract. v11. Diſc. 111. num. 31. 36.

Poſt mortem nihil eos retardat, quin ſtatim ruant in amplexus cæleſtis ſponſi. num. 34.

Specialem eorum curam gerit Deus, ideóque cogitare debent quomodo placeant ei. Tractat. v11. Diſcurſ x1. num. 142.

Miris modis eis vitæ neceſſaria prouidet. num. 144. 145. 146.

Cum lætitia & gratiarum actione mendicatum panem accipiunt. num. 148.

De duobus meritò gaudent: Primò, quia confidere poſſunt ſibi remitti peccata: Secundò, ſperare poſſunt quòd poſt mortem citò ſibi aperietur cælum. Tract. v11. Diſcurſ. v. num. 69.

Cibum animæ guſtant quando volunt. Tractat. v11. Diſc. 1x. num. 117. 118.

Glorioſam Beatorum in cælo regnantium conditionem ex parte adipiſcuntur in terris. num 118.

A vectigali eleëmoſynarum ſoluendo ſunt immunes. Diſcurſ. x. num. 122. 128.

Sunt ſpirituales onagri. num. 125. 126.

Quibus in opinione hæreticorum ſimiles ſint. Tract v11. Diſc. 11. nu. 27.

Quomodo apud Deum haberi poſſint pro liberalibus & miſericordibus. Tractat. v11. Diſc. 111. nu. 40.

Non ſolùm par, ſed multò feruentior poteſt eſſe animus & ignis amoris in illis nihil habentibus & nihil dantibus, quàm in eo qui multa diſtribuit, aliqua tamen retinet. numero 41.

Martyribus ſunt adſcribendi. Tract. v11. Diſc. xx. nu. 267.

Sunt teſtes fiduciæ, quam omnes habere debent de diuina prouidentia. num. 270.

Quomodo omnia poſſideant. Tract. v11. Diſc. 11. num. 19. & ſeqq.

Non murmurant contra Deum, etiamſi videant plura & delicatiora conſumi in vſus mundanos. ibidem.

Deum intra ſe habent. nu. 20.

Omnes ſimul fortes ſunt, quia ſingulari fortitudine induuntur ex alto. Tract. v11. Diſc. v111. nu. 105.

Sunt ipſo Salomone ſapientiores. ibidem.

Dæmoni admodum ſunt terribiles. numero 106.

Sunt terra illa bona, in qua verbum Dei fructificat. num. 109.

Eis

Eis iudiciaria poteſtas à Chriſto promiſſa eſt.Tract.VII. Diſc.XVIII.nu.241.

Pera eorum, in qua ſuas diuitias repoſitas habent, eſt ſpiritus. Tract. VII. Diſc. XVI. num.211.

Magna illorum eſt ſecuritas. Tract. VII. Diſc.X. num 130

Regnum cælorum violenter rapiunt. Tractat.VII.Diſc.X.nu.135.

In magna ſunt æſtimatione apud Deum. Diſc.XI.nu.140.

Chriſti gratioſam paupertatem deuotè contemplantes, non poſſunt non eſſe contenti de ſua. Tract VII.Diſc.XV.nu.195.

Horrent illud verbum meum. Tract. VII. Diſc.XIV nu.189.

Sunt imago Chriſti. Tract.VII.Diſc.XVII. num.217.

Non tamen qualeſcumque, aut picta, ſed ſculpta.nu.219.& ſeqq.

Non tantùm Deo tandem fiunt amabiles, ſed etiam honorabiles & ſpectabiles hominibus in terris,& Angelis in cælis.nu.223.

Cum reliquis quidem hominibus, tam bonis quàm malis,habent Deum in Patrē,præ reliquis verò habent Filium Dei tamquam Epiſcopum animarum ſuarum, à quo facilè benedictionem obtinent.nu. 227.

Ex duobus fundamentis regnum cælorum ſperant, ex humilitate & ex paupertate. num.231.

Sunt imagines in cælo collocandæ.nu.232.

Non debent eſſe ſolliciti pro neceſſarijs, quia omnium piorum ades illis patent, & omnium poſſeſſiones illis cedunt.num.21.

Non tantùm à conſcientiæ ſcrupulis, ſed etiam à ſæculi curis liberi ſunt. Tract. VII. Diſc.XIV. num.184.

Dicere poſſunt, Nullius egeo. Tract. VII. Diſc.XIII.num.172.

Cui pauper Euangelicus comparandus.Tractat.VII.Diſc.I.num.7.

Paupertas.

Paupertas voluntaria an ſit dicenda martyrium. Tract.VII.Diſc.XX.num.260.

Eius amator tempore mortis tam fiducialiter ſe & omnia ſua Deo commendat, vt vix illum perterreat antiqui ſerpentis præſentia. Tractat VII. Diſc.XXIII.num.300.

Quæ ſit nobiliſſima paupertas.Tractat.VII. Diſc.I.nu n.1.

An Macedonum paupertas fuerit altiſſima. ibid.& num.2.

Paupertas Chriſti omnem aliorum paupertatem dignitate & altitudine ſuperat. numero 2.

Poſt Chriſti paupertatem altiſſima fuit paupertas B.Mariæ.nu.3.

Nobilitat eos qui pertinent ad aulam Dei. num.9.

Eam poſt charitatem S. Franciſcus dominam *appellat*.ibid.

Quomodo Reges conſtituat ſuos cultores. nu 10.& ſeqq.

ab Apoſtolo Paulo vocatur Chriſti gratia. Tract.VII.Diſc.II.num.24.

Non eſt nimis fugienda, alioquin Deus iraſcetur. Tract. VII. Diſc. VII. num.86. 87.88.

Quomodo intelligenda ſit ſententia illa in Prouerbijs, Omnes dies pauperis mali. Tractat VII.Diſc XIV.nu.185.186.

Paupertas Euangelica comparatur camino à S.Ioanne Chryſoſtomo.Tract.VII.Diſc.XVI. num.214.

Abſolutè altiſſimam paupertatem coluit Chriſtus. Tractat. VII. Diſcurſ. I. num. 17. 23.

Poſteà B.Virgo.ibidem.

Paupertas Chriſti fuit nobis ad exemplum, & ad noſtrum ſolatium. Tract.VII. Diſc.XV. nu.193.& ſeqq.

Pax.

Pax, quam paupertas adfert, eſt continua. Tract.VII.Diſc.XIV.nu.185.

Peccator.

Non facilè quis peccat, ſi Deum omnia ſcire conſideret,& mala ſecutura expēdat.Tract.I. Diſc.III.num.24.25.26.27.& Diſc.V.nu.40. 41.& Diſc.VI.nu.49.& ſeqq.

Peccatores ad malum præcipites ſunt. Tractat I.Diſc.III.nu.28.

Peccatores in malo ingenioſi, in bono ſtupidi ſunt. Tract. I. Diſc. III. num.29.& Diſc.V. num.39.40 41.

Permiſſio peccati in electis poteſt eſſe effectus prædeſtinationis. Tract. III. Diſc. VIII. nu.118.119.

Etſi non ſint facienda mala vt eueniant bona, permittit tamen Deus ſubinde peccata ob maius bonum. Tractat. III. Diſc. VIII. per totum.

Peccator conſuetudinarius non debet deſperare. Tractat. III. Diſc. XXV. num. 366. & ſeqq.

In eodem genere peccati minùs peccat Religioſus quàm ſæcularis. Tract. I. Diſc.XXIII. per totum.

Peccatores canibus ſimiles ſunt. Tract. I. Diſc.XXVII.nu.266.267

Peccatorum periculoſa ſecuritas. Tract. I. Diſc.XXVII. nu.264.& ſeqq.

Peccatorum ſecuritas eſt ſeminarium iniquitatis. Tract. I. Diſc. XXVII. num. 271.

In anima peccatoris aliquando latens occulta quadam ſemina ſanctitatis & pietatis ſoli Deo nota. Tract. III. Diſc. V. num 66. 67.

Peccator ſimilis eſt paruulo modò genito in miſeria. Tract. III. Diſc. V. nu. 73. 74. 75.

Peccator meritò coram Deo ſe humiliare debet. Tract. III. Diſcurſ. VII. nu. 87. & ſeqq.

Permittit Deus ſanctos aliquando peccare ne ſuperbiant. Tract. III. Diſc. VII. num. 86. & ſeqq.

Non ſunt facienda peccata, etiamſi ex illis ſæpè ſequatur multum boni. Tract. III. Diſc. VIII. num. 109. & ſeqq.

Peccatum veniale fieri non poteſt ad vitandum ſcandalum aut graue peccatum. Tract. IX. Diſc. XX nu. 272.

Peccatorum confeſſio & recordatio hominem fortem & conſtantem efficit. Tract. X. Diſc. X. num. 131.

Cùm per peccatum accenſam lucernam gratiæ extingui permittimus, turbemur quidem, ſed non deſperemus. num 136. 137.

Peccando maieſtatem Dei offendimus, & Sanctos omnes quodammodò contriſtamus. Tractat. IX Diſc. V. nu. 50. & ſeqq.

Pudor & erubeſcentia eſt pœna peccati. Tract. V. Diſc. IX. nu. 114. & ſeqq.

Magna eſt miſeria peccatoris propriam ſalutem negligentis. Tractat. IX. Diſc. XX. num. 274.

Peccatoris miſeria in qua re vel maximè conſiſtat. num. 275.

In quo conſiſtat miſericordia quam anima ſua præſtare debet. num. 282.

Eius pœnitentia in hoc reliquis virtutibus præſtat, quòd non ſolùm ei præſtet vitam, ſed & omnia opera mortificata reſuſcitet. num. 283.

Felicior eris, ſi non ſolùm de proprijs ſis contritus peccatis, ſed etiam fueris miſericors alienis. Tractat. IX. Diſc. XXI. num. 302.

Felices item illi, de quibus Chriſtus non tantùm dæmonia eijcit, ſed inſuper comminatur ne ampliùs introëant in eos. Tract. IX. Diſc. VIII. nu. 99.

Multùm prodeſt peccatori coluiſſe B. Mariam. Tract. I. Diſc. XV. nu. 172.

Magna eſt differentia inter peccatorem qui nomine iumenti, & eum qui nomine beſtiæ exprimitur. Tract. I. Diſc. XVI. nu. 177.

Deus ſingularem curam gerit peccatorum qui aliquando illi ſeruierunt. Tractat. I. Diſcurſ. XVI. num. 177. 178. 179.

Peccatores verè ſtulti dicendi ſunt. Tract. I. Diſc. III. nu. 30. & Diſcurſ. V. nu. 39. 40. 41. 48. & Diſc. VI. nu. 49. 50. 51. 52.

Peccator cùm in profundum venerit, contemnit. Tractat. I. Diſc. IV. num. 31. 32. 33. & 37.

Peccator inuerecundus in ſeipſo habet ſignum reprobationis. Tract. I. Diſc. IV. nu. 37. & Diſc. VII. num. 66.

Qui cautè (licet non caſtè) peccat, needum in profundum peccatorum venit. Tractat. I. Diſc. IV. num. 36. & 38.

Qui hic peccando voluptatibus terrenis abundare volunt, æternis poſteà carebunt. Tract. I. Diſc. V. num. 41. 42. 43.

Peccatori poſuit Deus retinacula, ne nimis liberè peccet. Tractat. I. Diſcurſ. V. num. 44. 45.

Peccatores ita interdum ſe peccatis implicant, vt poſteà, cùm voluerint, extricare ſe non poſſint. Tract. I. Diſc. VI. num. 49. 50. & ſeqq.

Peccatores ita intenti ſunt malis ſuis, vt futura pericula non conſiderent. Tract. I. Diſc. VI. nu. 49. 50. 51. 52.

Peccatoribus neceſſaria eſt vulpis prudentia. Tractat. I. Diſc. VI num. 53.

Peccatores ouibus ſimiles ſunt. Tract. I. Diſc. VI. nu. 54.

Peccatores alieno periculo à malis abſterreri deberent. Tract. I. Diſc. VI. nu. 53. 55.

Peccatores ſunt captiui dæmonis. Tract. I. Diſc. VI. num. 58.

Peccatores interdum à Deo confundi permittuntur. Tract. I. Diſc. VII. num. 65. & ſeqq. vſque ad 72.

Peccatores dum mala ſua ſtudent occultare, aliunde deteguntur. Tract. I. Diſc. VII. num. 68. 69.

Peccatorum mala per veram pœnitentiam obteguntur; qui etiam à Deo ſubitò honeſtantur. Tractat. I. Diſc. VII. num. 69. 70. 71. 72.

Peccatores pluris faciunt probitatis opinionem quàm veram honeſtatem, iuſtitiam & probitatem. Tract. I. Diſc. VII. num. 73. 74. 75. 76. 77. 78.

Per peccatum bona opera in ſtatu gratiæ facta mortificantur. Tract. I. Diſc. XIV. num. 155.

Status peccati in quem quis ex ſtatu gratiæ lapſus eſt, per ſenectutem intelligitur. Tract. I. Diſc. XV. nu. 167.

Peccator per bona opera antè facta poteſt de congruo mereri reparationem poſt lapſum. Tractat. I. Diſcurſ. XIV. nu. 151. & ſeqq.

& Diſcurſ. xv. numero 165. & ſeqq.

Felix ille peccator, qui de numero filiorum Mariæ nondum deletus eſt. Tractat. ix. Diſcurſ. viii. num. 95.

Omnibus bonis animæ ſpoliati, ſoli miſericordiæ Dei derelicti ſunt. Tract. ix. Diſc. xi. num. 142.

Pietati & miſericordiæ B. Virginis vitam & ſalutem ſuam acceptam habere debent. Tractat. ix. Diſcurſ. xii. num. 166.

Dum in affectu peccati ſunt, non patet eis ingreſſus ad Chriſtum. num. 168.

Pectorum nuditas.

Nuditas pectorum inceſtum animum indicat; & an ſit peccatum mortale. Tractat i. Diſc. vii. num. 74. & ſeqq. & Diſc. xxviii. num. 285. & ſeqq & Diſc. xxix num. 294. & Tract. ii. Diſc. xxiii. nu. 237. 238.

Pecunia.

Per pecuniæ amorem perit prudentia. Tractat. i. Diſc. i. num. 7.

Maior eſt pecuniæ tyrannis, quam exercet in illos qui poſt aurum abeunt, & in pecuniæ theſauris ſperant, quàm mulierum vis attractiua. Tract. vii. Diſc. iv. num. 54.

Pedes.

Per pedes affectus intelligendi. Tract. vii. Diſc. xix. num. 248.

Pulchri quando ſint. ibidem.

Perfectio.

Perfectionis ſcala omnibus omnino hominibus erecta eſt. Tractat. ix. Diſc. xii. numero 160.

Perſeuerantia.

Perſeuerantia in bonis operibus neceſſaria eſt. Tractat. vi. Diſc. xi. nu. 144. & ſeqq.

Petrus.

Quomodo omnia reliquerit, cùm nihil vel parum habuerit. Tract. vii. Diſc. xviii. nu. 236. 237.

Pœnitentia.

Per veram pœnitentiam obteguntur peccata. Tract. i. Diſc. vii. nu. 69. 70.

Per pœnitentiam reſtituitur honor. Tractat. i. Diſc. vii. nu. 70. 71. 72.

In pœnitentijs & mortificationibus quæ diſcretio ſit adhibenda. Tract. i. Diſc. xv. n. 163. 164.

Pœnitentia non eſt procraſtinanda. Tract. i. Diſc. xxvi. nu. 258.

Qui pœnitentiali vitæ humilitatem adiungunt, inueniunt in hac vita perfectam animarum requiem, nec facilè tentationibus ſuccumbunt. Tract. iii. Diſc. xix. per totum.

Pœnitentialia opera ſine obedientia parum, contra obedientiam facta nihil valent. Tractat. iv. Diſcurſ. x. numero 120. & ſeqq.

Qui pœnitentiæ operibus incumbunt, non curare debent vana mundanorum iudicia. Tract. x Diſc. xii. num. 152.

Pœnitentia peccatoris in hoc reliquis virtutibus præſtat, quòd non ſolùm vitam ei præſtet, ſed & omnia opera mortificata reſuſcitet. Tract. ix. Diſc. xx. num. 283.

Sola illa hoſtilem nauem innumeris peccatis onuſtam & confertam tam animosè oppugnat, vt omnia ea interimat. Tract. x. Diſcurſ. vii. num 94.

Pondus.

Ponderis vulgaris & ſacri diſtinctio, & vtriuſque iuſtitia. Tract. i. Diſc. xxi. nu. 212. & ſeqq.

Mandata Dei ſunt pondus ſanctuarij. Tractat. i. Diſc. xxii. num. 219.

Podagrici.

Podagrici ordinariè ſunt loquaces. Tractat. i. Diſc. xi num. 124.

Poteſtas iudiciaria.

Poteſtas iudiciaria pauperibus Euangelicis promiſſa eſt. Tractat. vii. Diſcurſ. xviii. num. 241.

Apoſtolis ob varias rationes conuenit. numero 244.

Prædeſtinatio.

Signum eſt prædeſtinationis, quòd Deus permittat homines propter benè acta vituperari & confundi. Tract. i. Diſc. vii. n. 66. 67.

Prædeſtinationis mirabile Dei arcanum. Tract. iii. Diſc. v. nu. 66 67.

Permiſſio peccati in electis poteſt eſſe effectus prædeſtinationis. Tract. iii. Diſc. viii. num. 118. 119.

Prædicatores.

Prædicatores benedictionem petere debent ante concionem. Tractat. i. Diſc x. num. 107. 108.

Prælati.

Per mulierem, quærentem drachmam perditam, deſignantur. Tractat. ix. Diſc. iii. num. 31.

Bona monaſterij æqualiter diſpenſare debent. Tract. ix. Diſc. xix. nu. 267.

Prælati iuniores non debent ſe acriores exhibere, aut omnia ſtatim in momento reformare. ibidem.

Propoſitum.

Bona & firma propoſita quàm vtilia ſint, tametſi non ſequatur effectus. Tract. i. Diſcurſ. xix. num. 199. & ſeqq.

Prudentia.

Prudentia mundi quæ. Tractat. i. Diſc. vii. num. 64. 65.

Pru-

Prudentia non eſt ſemper coniuncta doctrinæ. Tract. 1. Diſc. XI. num. 122.

Prudentia inter decem virtutes B. Virginis prima eſt, ob rationes allegatas. Tract. 1. Diſcurſ. 1. nu. 1. 2.

Prudentia adhibenda eſt ante omnia opera. Tract. 1. Diſc. 1. nu. 2. 3.

Prudentiæ variæ deſcriptiones. Tract. 1. Diſc. 1. num. 2. 3. 4.

Prudentia perit per inordinatos appetitus & paſſiones. Tract. 1. Diſc. 1. num. 4. 7.

Vera prudentia non poteſt eſſe in peccatoribus, ſed larua eius tantùm. Tract. 1. Diſc. 1. nu. 5. & Diſc. IV. nu. 38.

Prudentia vera, alia ſimpliciter perfecta, alia non. Tractat. 1. Diſcurſ. 1. numero 5. 6. 7.

Prudentia ſimpliciter perfecta in ſolis & omnibus gratiam habentibus reperitur. Trac. 1. Diſc. II. nu. 8.

Prudentia ſimpliciter perfecta maximè apparet in Religioſis. Tractat. 1. Diſc. II. numero 9.

Prudentia non eſt annexa ætati, ſed iunioribus etiam ſæpè ineſt. Tract. 1. Diſc. II. nu. 16. 17. 18.

Prudentia donum diuina diſpenſatione conceditur iunioribus. Tractat. 1. Diſc. II. numero 17.

Prudentia potiùs humilibus & pauperibus conceditur, quam ſuperbis & diuitibus. Tractat. 1. Diſc. II. nu. 18.

Prudentes à ſtultis magnam capiunt vtilitatem, ſed non è contra. Tractat. 1. Diſc. II. nu. 19. 20. 21.

Prudentes debent eſſe circumſpecti. Tract. 1. Diſc. III. nu. 22.

Prudentes ſunt peccatores in malo, imprudentes in bono. Tract. 1. Diſc. III. num. 29. & Diſcurſ. V. nu. 39. 40. 41. 48.

Imprudentes ſæpè ſe in difficultates iniiciunt, à quibus ſe vix expedire poſſunt. Tractat. 1. Diſc. V. num. 39. 40. 41. & Diſc. VI. nu. 49. 50. 51. 52.

Prudentia vulpis neceſſaria eſt homini. Tract. 1. Diſc. VI. num. 53.

Prudentes cauent à litibus & proceſſibus. Tract. 1. Diſc. VI. nu. 60. & ſeqq.

Prudentes huius ſæculi dum fraudes & mala ſua occultare ſtudent, ſæpè confunduntur. Tractat. 1. Diſc. VII. nu. 68. 69.

Prudenter faciunt qui de peccatis pœnitent: obtinent enim à Deo remiſſionem, & ſimul recuperant perditum honorem. Tractat. 1. Diſc. VII. nu. 70. 71. 72. 73.

Prudens debet eſſe circumſpectus & moderatus in verbis ſuis. Tract. 1. Diſc. VIII. num. 86. 87. & Diſc. X. num. 117. & Diſc. XI. nu. 120. & ſeqq.

Prudens omnium iudicio cenſeri debet qui declinat multiloquium, & amat ſolitudinem. Tract. 1. Diſc. IX. num. 96. 97. 98. 99. & Diſc. XI. num. 120.

Prudens Deo ſe coniungit, & ſecurus eſt. Tract. 1. Diſc. IX. num. 104.

Vera prudentia humilitas ſociatur. Tract. 1. Diſc. X. num. 105.

Prudens de rebus arduis & grauibus loquitur. Tract. 1. Diſcurſ. XI. nu. 118.

Prudentis viri eſt in omnibus actionibus ſibi bonum finem præſcribere. Tract. 1. Diſc. XII. num. 125. & ſeqq.

Prudentia Salomonis, & Caroli Magni in iudicio ferendo. Tract. 1. Diſc. XII. num. 127. 128.

Prudens numquam temerè aliquid aggreditur. Tract. 1. Diſc. XIII. num 142.

Hieroglyphicum prudentiæ eſt oculus in ſolea. Tract. 1. Diſc. XIII. nu. 142.

Prudentis eſt non facilè cuiuis credere. Tractat. 1. Diſc. XIII. num. 144. 145.

Prudens diſcernit quid, quando, & vbi expediat aut non expediat fieri. Tractat. 1. Diſcurſ. XIII. num. 147. 148. & Diſc. XXVIII. numero 277.

Prudentia eſt ſubinde ſentire & in praxi procedere contra aliorum conſilium. Tract. 1. Diſc. XIII. num. 147. 148.

Prudens meritò mundum odio habet. Tractat. 1. Diſc. XVII. num. 186. & Diſc. XXVII. num. 264.

Puellæ.

Eas indotatas in matrimonium dari olim voluit Lycurgus, & quare. Tractat. VII. Diſc. X. nu. 134.

Pueri.

Puerorum & paruulorum præſentia iucunda & grata eſt. Tractat. II. Diſcurſ. XXVI. nu. 281. 282.

Pulchritudo.

Vana pulchritudo, præſertim mulierum, eſt irritamentum libidinis. Tractat. II. Diſcurſ. V. numero 43. & Diſcurſ. VI. numero 44. & ſeqq. & Diſcurſ. XVII. numero 172. & ſeqq. & Diſcurſ. XXII. numero 232.

Mariæ Virginis pulchritudo auxit intuentibus caſtitatem. Tract. II. Diſcurſ. I. numero 4. & ſeqq. & Diſcurſ. III. numero 21. & Diſcurſ. IV. numero 31. & ſeqq. & Diſcurſ. V. numero 40. & ſeqq. & Diſcurſ. VI. num. 45. & ſeqq.

Puluis.

Puluerem de affectibus ille excutit, qui diuitias loco honorabili non dignatur, ſed ad pedes proijcit. Tract. VII. Diſc. XIX. numero 248.

R.

Reconciliatio.

NOn meretur à Deo exaudiri, qui cum proximo in gratiam redire recuſat. Tract. IX. Diſc. XV. num. 213.

Religio.

Religioſorum corporales moleſtia ſemini comparantur. Tract. I. Diſc. XXVI. numero 259.

In eodem genere peccati minùs peccat Religioſus quàm ſæcularis. Tract. I. Diſc. XXIV. num. 235. & ſeqq.

Status Religioſi & mundani diſtinctio quo ad ſecuritatem & vtilitatem. Tract. I. Diſcurſ. XXII. num. 221. 222. & Diſc. XXIII. per totum. & Diſc. XXVII. num. 260. & ſeqq. & Diſc. XXIX. nu. 295.

Regula Religioſorum quàm ſint vtiles & ſecura ad æternam ſalutem. Tract. I. Diſcurſ. XXII. num. 220. & ſeqq.

Conſtitutiones monaſticæ non ſemper obligant ſub peccato mortali. Tract. I. Diſc. XXII. num. 221.

Religioſi minima errata timent ne grauiora committant. Tract. I. Diſc. XX. nu. 210.

Religioſi à tyrannide diaboli liberi ſunt, & participes fiunt cæleſtium conſolationum. Tractat. I. Diſc. XVIII. num. 191. 192.

Religioſi de virtute in virtutem proficiunt ex Dei benedictione. Tract. I. Diſc. XVIII. numero 194. & ſeqq.

Religioſi ex vi ſtatus ſui ſemper meliora proponunt. Tract. I. Diſc. XIX. num. 198. & ſeqq. & Diſc. XXIII. per totum.

An laudabile ſit ingredi Religionem abſq; multorum conſilio & diuturna deliberatione. Tract. I. Diſc. XIII. num. 148. & Diſc. XIV. num. 149.

Religioſorum amor per ignem Eliæ ſignificatur. Tract. III. Diſc. XV. num. 209. & ſeqq.

Nihil eſt ſecurius quàm illi ſpiritui credere qui ad mundi contemptum & ad Religionem approbatam vocat. Tract. I. Diſc. XV. num. 165.

Religioſorum particularem curam gerit Deus ne malè moriantur. Tract. I. Diſc. XVI. n. 177. 178. 179.

Religioſorum particularem curam gerit Maria Virgo. Tract. II. Diſc. VII. nu. 57. & ſeqq.

Religioſus meritò fugit mundum qui iuſtos odit. Tract. I. Diſc. XVII. per totum.

In religione ſine metu perſecutionum benè & ſecurè viuitur. Tractat. I. Diſcurſ. XVIII. num. 188. & ſeqq. & Diſc. XXII. num. 221. 222.

Religioſus non debet ſe implicare negotijs ſæcularibus. Tract. I. Diſc. XVIII. num. 189. & ſeqq.

Religioſi in rebus dubijs & obſcuris non facilè decipiuntur. Tractat. I. Diſc. XXIX. nu. 295. & ſeq.

Religioſas Virgines Deus particulariter protegit. Tract. IV. Diſc. XIII. nu. 157. & ſeqq.

Religioſus mortuo ſimilis eſt. Tract. IV. Diſc. XVI. nu. 192. & ſeqq.

Religioſi cur ſemper dicant, Deo gratias. Tract. VI. Diſc. I. num. 6. & ſeqq.

Status Religioſus adumbratus fuit per ſcalam Iacob. Tractat. IX. Diſc. XII. num. 158. 159.

Renuntiatio.

Qui nulli rei renuntiat, cæleſtem theſaurum conſequi non valet. Tract. VII. Diſc. I. num. 17.

Reſignatio.

Reſignatio ſui in voluntatem Dei quanta ſit virtus. Tract. X. Diſc. VI. num. 62.

Omnes qui ad gloriam ex Dei præordinatione pertinent, non niſi perfecta voluntatis diuinæ adimpletione ad illam peruenient. numero 63.

Tantò eſt perfectior reſignatio, quantò homo alacriùs pergit in id in quo ſe conformat voluntati diuinæ, & in quo difficiliùs & magis ſenſualitati ſuæ aduerſatur. nu. 68.

Qui in reſignatione excelluerint. num. 72.

In reſignatione conſiſtit ſumma perfectionis & vera iuſtitia, & reſignati numquam ſunt ex omni parte deſolati. num. 76.

Retia.

Retia, quæ nobis cum Apoſtolis relinquenda ſunt, ſunt voluntas habendi. Tract. VII. Diſc. XVIII. num. 237.

Riſus.

Ex immoderato riſu cognoſcitur ſuperbus. Tract. III. Diſc. XXVIII. num. 395. & ſeqq.

Humiles ab immoderato riſu nunc ſe temperantes, ſecurè ridebunt in die iudicij. Tractat. III. Diſc. XXVIII. num. 398. & ſeqq.

S.

Sabbatum.

IVdæi ſtultè & Phariſaico more illud obſeruabant. Tractat. IX. Diſc. XI. numero 150.

Tem-

Tempore neceſſitatis non erat ſeruandum. num.152.

Cultum B. Virginis eo die factum valdè extimeſcit diabolus. nu.153.

Sabbati die qui pro B. Virginis honore opus aliquod bonum faciunt, ipſius benignitatem experiuntur. Tract. IX. Diſc. XI. nu.146.

Sabbatum etiam Ethnicis olim ipſis celebre & ſolemne fuit. num.148.

Salomon.

Salomonis prudens iudicium. Tract. I. Diſc. XII. nu.127.

Scala Iacob.

Per eam, ſecundùm quoſdam, poſteritas Iacob ſignificatur. Tractat. IX. Diſcurſ. XII. num.156.

Tropologicè adumbrat vitam Chriſtianam. numero 157.

Religioſorum viuendi modum figurat. numero 158.

Sapientia.

Sapientia non poteſt acquiri ſine humilitate. Tract. III. Diſc. XVII. num. 248. & ſeqq.

Sancti.

Sancti amant ab hominibus confundi & viſuperari. Tract. I. Diſc. VII. num. 66. 67. & Tract. III. Diſc. IV. num. 56. & ſeqq.

Sancti mundum fugiunt & amant ſolitudinem & ſilentium. Tract. I. Diſc. IX. numero 96.

Sancti patienter ferunt verba & obloquia. Tract. I. Diſc. IX. num. 103.

Sancti Deo ſe coniungentes ſecuri eſſe debent. Tract. I. Diſc. IX. num. 104.

Sanctos odit mundus. Tract. I. Diſc. XVII. num. 181. 182. 183.

Sancti videntes mundi pericula, fugiunt. Tract. I. Diſc. XXVII. nu. 264. & ſeqq.

Sancti ſoli Deo placere ſtudent. Tract. II. Diſc. I. num. 1. 2.

Sancti ſummè ſolliciti pro ſeruanda caſtitate. Tract. II. Diſc. IV. num. 30.

Sancti dum viuerent, præ humilitate timebant famâ miraculorum clarere. Tract. III. Diſc. IV. num. 46.

Sanctos Deus peccare permittit, ne ſuperbiant. Tract. III. Diſc. VII. num. 86. & Diſcurſ. VIII. per totum.

Gratia Dei immobiles illos reddit, vt non contriſtentur quidquid illis acciderit. Tractat. VIII. Diſc. VII. num. 95.

Ex magna miſericordia ſibi duri ſunt, vt alijs blandi eſſe poſſint. Tract. IX. Diſc. XX. num 271.

Cur mundus continuo odio patientiam Sanctorum exerceat. Tractat. VIII. Diſcurſ. IX. numero 122. 123.

Qui fiat quòd etiam ſanctiſſimi ſpe quidem gaudeant, cum metu tamen ſuam ſalutem operentur. Tract. X. Diſc. X. nu. 129.

Cur Sanctis ad pedem altaris confeſſionem faciat Sacerdos. Tract. IX. Diſc. V. nu. 52.

Ex peccatis noſtris contriſtantur. ibidem.

Per patientiam proficiunt, & in ſinu ridentes, in ſilentio & ſpe iniuriam fortiter ferunt. Tract. VIII. Diſc. XIV. nu. 201.

Horrent aliquando peccatores, & faciem ab ijs auertunt. Tract. IX. Diſc. V. nu. 56.

Quare Deus eos aliquando permittat non modò affici, ſed & confici doloribus. Tractat. VIII. Diſcurſ. V. num. 70. 71.

Ad eorum ſalutem vtitur Deus impijs. num. 73.

A Sanctis maledici, terribile eſt. Tract. IX. Diſc. VI. num. 71.

Sancti qui habent firmiorem de Dei prouidentia fiduciam, ſuauiùs imò aliquando mirabiliùs ab eo curantur. Tract. VII. Diſc. XI. num. 143.

Cur eis, quos in raptu aut ſingulari oratione repræſentant, roſas, violas, & alios flores appingere ſoleant pictores. Tract. VIII. Diſcurſ. IV. num. 63.

B. Virgini comparati, ſunt inſtar cymbarum. Tractat. X. Diſc. VII. num. 87.

Sancti in cælo.

Cur ſubinde, pro hominibus intercedentes, à Deo non exaudiantur. Tractat. IX. Diſcurſ. II. num. 19.

Senex, ſenectus.

Honor ſenibus impendendus. Tractat. I. Diſc. XVI. num. 173.

Senes & decrepiti alendi ſunt. Tract. I. Diſcurſ. XVI. nu. 173. 174.

Non ſunt differenda bona opera vſque in ſenectutem. Tractat. I. Diſc. XXV. num. 246. & ſeqq.

Silentium.

Silentium homini prudenti neceſſarium eſt. Tractat. I. Diſc. VIII. & IX. per totum. & Diſc. XI. per totum.

Silentium facit homines Deo propinquare. Tractat. I. Diſc. IX. num. 96. & 102. & Diſc. X. num. 106.

Solitudo.

Solitudinem amantes Deo appropinquant. Tract. I. Diſc. IX. num. 96. & Diſc. XVIII. num. 192.

Sollicitudo.

Offenditur Deus ab eo qui nimis eſt ſui ſollicitus. Tractat. VII. Diſc. XI. numero 141.

Spes in Deo.

Tam neceſſaria nobis, & accepta Deo eſt ſpes, vt illam reſpiciat tamquam rationem & meritum miſericordiæ ſuæ nobis conferendæ. Tractat. VIII. Diſc. XVII. num. 230.

Nihil nos tam ſingulariter ponit in ſpe, quàm patientia in tribulatione. num. 231.

Spiritus.

Probandi ſpiritus vtrùm ex Deo ſint. Tractat. I. Diſc. XIII. num. 142. & Diſc. XV. numer. 158. 159. & ſeqq.

Spiritus ad mundi contemptum & ad Religionem approbatam vocanti ſecurè quis credere poteſt. Tract. I. Diſc. XV. num. 165. 166.

Spiritus eſt pera Religioſorum, in qua ſuas diuitias repoſitas habent. Tract. VII. Diſcurſ. XVI. num. 211.

Familiare eſt Scripturæ, per ſpiritum intelligere iracundiam ſiue impetuoſitatem quamdam. Tract. X. Diſc. XII. numero 139.

Spiritus ſanctus.

In bonitate & miſericordia erga genus humanum excedere videtur. Tractat. IX. Diſcurſ. XIII. nu. 173. & ſeqq.

Stulti.

Stulti licet magnam prudentibus conferant vtilitatem, ab iis tamen nullam accipiunt. Tractat. I. Diſc. II. num. 19. 20. 21.

Stulti in loquendo & reſoluendo feſtini ſunt. Tract. I. Diſc. XI. num. 118. 119. 120. & ſeqq.

Subditus.

Subditus non debet diſcutere rationes & cauſas præcepti à ſuperioribus impoſiti. Tractat. IV. Diſc. III. nu. 26. & ſeqq.

Subditus obediens in dubiis defendere ſe poteſt auctoritate præcipientis. Tractat. IV. Diſcurſ. IV. nu. 41. & ſeqq. *Vide* Obedientia.

Superbus, Superbia.

Superbi non ſunt obedientes. Tractat. IV. Diſc. I. num. 2. & ſeqq.

Superbi interdum à Deo permittuntur cadere in peccatum quod obſit eorum honori. Tractat. III. Diſcurſ. XXXII. numero 450. & ſeqq.

Superbia vilem reddit hominem. Tract. III. Diſc. XXXII. nu. 448. & ſeqq.

Superbi externo faſtu internam vilitatem contegunt. Tract. III. Diſc. XVI. num. 226. & ſeqq. & Diſc. XXI. nu. 306. 307. & Diſc. XXIX. nu. 418. & Diſc. XXX. num. 421. & ſeqq.

Multiloquium eſt ſignum ſuperbiæ. Tractat. III. Diſc. XXIX. nu. 407. & ſeqq.

Ex faſtuoſo inceſſu & immoderato riſu cognoſcitur ſuperbus. Tract. III. Diſc. XXVIII. num. 395. & ſeqq.

Superbi ad dignitates inepti eas ambiunt, quas humiles à periculis perterriti timent. Tract. III. Diſcurſ. XXVII. per totum.

Perniciosè ſuperbit, qui propriam vilitatem affectata honeſtatis ſpecie malo fine celat. Tract. III. Diſc. XXV. nu. 364. & ſeqq.

Superborũ error vel ignorantia non excuſat à peccato. Tract. III. Diſc. XXIV. n. 348. & ſeqq.

Superbus eſt reus criminis læſæ maieſtatis diuinæ. Tract. III. Diſc. XXII. nu. 325. & ſeqq. & Diſc. XXIV. nu. 355.

Superbia peccatum maximum eſt, & à Deo maximè inter omnia punitur. Tract. III. Diſcurſ. XXII. num. 323. & ſeqq. & Diſc. XXIV. num. 355. & ſeqq.

Superborum oratio nihil prodeſt. Tract. III. Diſc XXII. nu. 316. & ſeqq.

Superbia hominem ad nihilum redigit. Tractat. III. Diſc. XXI. num 309. & ſeqq.

Superbi facilè turbantur. Tractat. III. Diſc. XIX. num. 282. & ſeqq.

Superbi magnificos titulos venantur, & ſæpè confunduntur. Tractat. III. Diſc. IX. n. 124. & ſeqq. & Diſc. XVI. num. 245. & Diſc. XIX. nu 277.

Superbi etſi alti dici poſſint, non tamen magni, nam malunt apparere magni quàm eſſe. Tract. III. Diſc. XIII. numero 182. & ſeqq. & Diſc. XXI. num. 306. 307. & Diſc. XXX. num. 429. & ſeqq.

Superbi per fœnum tectorum ſignificantur. Tract. III. Diſc. XVI. nu. 234. & ſeqq.

Superbi non poſſunt habere veram ſapientiam. Tract III. Diſc. XVII. nu. 248. & ſeqq.

Per ſuperbiam ordinariè homines cadunt ex ſtatu gratiæ. Tract. III. Diſc. I. nu. 9. & ſeqq.

Superbus Deo exoſus eſt. Tract. III. Diſcurſ. V. nu. 72.

Superbi in hac vita ſepultura aſinorum & porcorum ſepeliri dicuntur. Tractat. III. Diſc. VI. nu. 82. & ſeqq.

Superbi honorem Dei furari præſumunt. Tract. III. Diſc. VII. num 92. & ſeqq.

Deus omnibus modis quærit vt ſuperbi ſe humilient. Tract. III. Diſc. VII. n. 91. & ſeqq.

Superbi verè ſtulti dicendi ſunt. Tract. III. Diſc. IX. num. 124. & ſeqq. & Diſc. XVII. numero 242. & ſeqq. & Diſc. XXXII. num. 450. & ſeqq.

Superflua.

Superflua an poſſint retineri & conſeruari, quando nullus eſt qui in graui aut extrema neceſſitate ſit. Tract. VII. Diſcurſ. V. num. 74.

Taci-

T.

Taciturnitas.

T*Aciturnitas ſignum eſt prudentiæ.* Tractat.I. Diſc. IX num 90. 91. & Diſc.XI. num.120.& ſeqq.& Diſc.XXX.nu.308.

Tactus.

Leues tactus ſtudioſè vitari debent à virginibus. Tractat.II. Diſc.XXIII. num.240. & ſeqq.

Tarquinius Dux Romanorum.

Quale reſponſum dederit Legatis cuiuſdam gentis aurum offerentibus pro componenda pace, & obtinenda libertate. Tract. VII. Diſc.II.num.21.

Tempus.

Non ſunt differenda bona opera in tempus futurum. Tractat. I. Diſcurſ. XXV. numero 246. & ſeqq.& Diſcurſ. XXX. num. 308. & ſeqq.

Tenebræ.

Tenebræ Ægypti quales fuerint, & quid ſignificent. Tractat. I. Diſcurſ. XXVIII. numero 278. & ſeqq. & Diſc. XXIX. num. 295. 296.

Tentatio carnis.

Sub aliqua ratione eligibilis & appetibilis eſſe videtur. Tract.VIII Diſc.V.nu.79.

Timor.

Per timorem interdum excitatur amor. Tract.II.Diſc.34.nu.351.

Tribulationes.

Tribulationes & afflictiones dulceſcunt ijs qui verè Deum amant, & eis pro omnibus gratias agunt. Tract.VI. Diſc XII. & XIII. ferè per totum.

Per conſtantiam in tribulatione homo fit terribilis diabolo. Tract.X.Diſc. VIII. numero 98.

Per tribulationes Deus gloriam ab homine arripit. ibidem.

In tribulationibus qui conſtantes fuerint, non erunt inter ignobiles nu.99.

Cur D.Paulus de tribulationibus glorietur. num.102.

Nobilium eſt, in tribulatione gloriari. n.106.

Impijs eſt quod fuſtis canibus, pijs verò quod baculus quo ſe ſuſtentent. num.107.

Qui in tribulatione conſtantes ſunt & patientes, figurantur in Beniamino. Diſc. IX. num.114.

Quæ ad patientiam & conſtantiam in tribulatione nos excitare debeant. nu.119.

☞ *Tribulati ſibi perſuadere debent, crucem & pœnam communiter eſſe culpæ alicuius prolem.* Diſc.X.nu.135.

Per cruces & tribulationes in pietate magis fundamur. num.136.

Quomodo ij qui tribulationibus affliguntur conſolari ſe debeant num.142.144.145.

Præcipuum, imò vnicum ferè medium, quo Deus vtitur ad animarum internum ornatum, eſt tribulationum perpeſſio. Tract. VIII. Diſcurſ.III num.37.

Nullus eſt electorum qui tribulationis expers eſſe poſſit. ibid.

Si quis inordinatè triſtetur de triſti aliquo euentu, meditetur paſſionem Chriſti, vt ita triſtitiam ſuam moderetur. Tract. X. Diſc.II. num.19.

Vt quis patienter eas ferat, tam quæ ſunt in anima quàm quæ in corpore, pro gratia Dei ſollicitus ſit neceſſe eſt. Tract. VIII. Diſc.VI. numero 85.

Tribulatio & afflictio per ſe non eſt cauſa effectiua patientiæ, ſed occaſio & materia. Tract.VIII.Diſc.XIV.num 196.

Vſuræ rationem habet. Tract. VIII. Diſcurſ.VII.num.102.

Tribulatio militi comparatur. Tract. VIII. Diſc X.nu.144.

Tribulatio & tentatio probat patientiam. Diſc.XI.nu.149.

Conſtantia eſt, crucem non ſolùm portare, ſed etiam in illa gloriari Tract. X. Diſc.XII. num.159.

Sunt medicæ potiones, & quomodo. Trac.VIII. Diſc.XVI.nu.219.

Sunt amatoriæ litteræ, à Deo electis ſuis miſſæ. num.220.

Patientem meliorem efficiunt, impatientem verò deteriorem. nu.222.

Sunt patientibus velut dolabra, impatientibus velut ſecures. num.223.

In ijs ferendis qui ſunt patientes, rectà recti ad cælum tendunt. num.225.

Eas à Deo contra nos permitti, eſt magnum Dei donum. Tractat. VIII.Diſcurſ.V.nu. 74.

Libentiùs adeſt Deus tribulatis, quàm nimis quietis animabus. Tractat.X. Diſc.III. num.24.

Faciliùs centum tribulati perueniunt ad portum ſalutis, quàm decem ſecuri. nu. 25.

Deus maximè quieſcit in anima quam multæ tentationes, cruces & paſſiones ſurſum & deorſum ferunt. numero 27.

Tribulationes ſunt nobis maximè neceſſariæ. nu.29.

Tribulati vocantur domus Dei in qua ipſe habitat. Diſc.IV.num.32.36.

Tribulatio indicat nos Deo eſſe ſacros. numero 38.40.

 Nihil

Nihil nos tam ſingulariter ponit in ſe, quàm patientia in tribulatione. Tract. VIII. Diſc. XVII. num. 231.

Patientia in tribulationibus eſt nota interioris tum vitæ, tum gratiæ. num. 241.

Triſtitia.

Ab ea ita abſorberi poteſt homo, vt nullo modo attendere valeat ad ea quibus triſtitia temperari poſſet. Tractat. VIII. Diſc. V. numero 66.

Quæ triſtitia prohibeatur in obitu charorum. Tract. VIII. Diſc. V. num. 64.

V.

Vana gloria.

MVndana vanitas & oſtentatio omnis eſt declinanda exemplo B. Virginis. Tract. X. Diſc. V. num. 52.

Oſtentatio ſui ſæpè eſt ſeminarium & occaſio vilipenſionis. ibid.

Quantò quis vilior, tantò in ſui oſtentatione eſt impudentior. numero 53.

Verbum Dei.

Verbum Dei ſtudioſè aſſeruandum. Tract. I. Diſc. II. num. 10.

Verbum Dei deuotè auditum mundat à peccatis venialibus. Tract. I. Diſc. II. num. 10.

Verbum Dei omnino perit, niſi deuotè audiatur. Tract. I. Diſc. II. num. 11.

Quæ ſit diſtinctio inter irreuerentem auditionem verbi Dei, & irreuerentem tractationem corporis Chriſti in Euchariſtia. Tractat. I. Diſc. II. num. 12. 13.

Verus verbi Dei auditor non attendit à quo dicatur, ſed quid dicatur. Tract. I. Diſc. II. num. 14. 15.

Veſtimentum.

Veſtimentorum modeſtia humilitatem indicat, nimia verò pompa ſuperbiam. Tract. III. Diſc. XXX. num. 411. & ſeqq.

Veſtimenta laſciua indicant luxurioſum & incaſtum animum. Tract. I. Diſc. VII. nu. 74. 75. 76 & Tractat. II. Diſc. XXII. num. 202. & ſeqq.

Veſtimentorum pompa Deo exoſa. Tract. I. Diſc. XXVIII. num. 277. & 283. & Tract. II. Diſc. I. nu. 3.

Veſtimentorum pompa eſt irritamentum libidinis. Tractat. II. Diſc. VI. nu. 47. 48.

Mundani per veſtimentorum pompam internam vilitatem contegunt. Tract. III. Diſc. XVI. nu. 227. & ſeqq.

Vidua.

Virgines præ viduis obtinebunt aureolam. Tractat. II. Diſcurſ. XXVIII. numero 291. & ſeqq.

Vinum.

Immodicus vini vſus incitat ad libidinem. Tract. II. Diſc. XIII. num. 135. & ſeqq. & Diſc XVII. num. 179. 180.

S. Vincentius.

S. Vincentij, Ord. S. Dominici, mira caſtimonia. Tract. II. Diſc. IV. num. 29.

Vir.

Viri nomen non ſemper in Scriptura diſtinguit ſexum, ſed innuit fortem & conſtantem animum. Tract X. Diſc. VIII. num. 109.

Virginitas.

Virgines religioſas Deus particulariter protegit. Tract. IV. Diſc. XIII. num. 157. & ſeqq.

Virgines piam & tranquillam vitam ducunt. Tract. II. Diſc. XX. per totum. & Diſcurſ. XXI. per totum.

Diſcrimen ſtatus virginalis & matrimonialis. ibidem.

Virgines ad nuptias inordinatè aſpirantes ipſis nuptiis infeliciores ſunt. Tract. II. Diſcurſ. XXII. num. 227. & ſeqq. & Diſc. XXIII. per totum.

Virgines vanè ſe ornantes indicant ſe eſſe viripetentes. Tract. II. Diſc. XXII. num. 232. & ſeqq. & Diſc. XXIII. nu. 237. & ſeqq.

Virgines debent ſtudioſè ſibi cauere, ne facilè admittant etiam leues contactus. Tract. II. Diſc. XXIII. num. 240. & ſeqq.

Virginitatem Deus ſæpè miraculis honorauit. Tract. II. Diſc. XXIV. num. 251. & ſeqq. & Diſc. XXXV. num. 359. & ſeqq.

Status virginalis præſtat matrimoniali. Tract. II. Diſc. XXIV. num. 253. & ſeqq. & Diſc XXVI. per totum.

Soluuntur argumenta contra ſtatum virginalem. Tract. II. Diſc. XXIV. nu. 255. & ſeqq.

Virginum ſtatus extra Religionem caſtè viuentium approbatur & laudatur. Tractat. II. Diſc. XXV. num. 266. & ſeqq.

Religioſæ virgines monaſticam clauſuram obſeruantes, ex vi ſtatus ſuperant eas quæ domi ſe continent. Tract. II. Diſc. XXV. n. 267. 268.

Virgines ſpecialem mercedem in cælis obtinebunt. Tract. II. Diſc. XXVI. num. 272. & ſeqq. & Diſc. XXVII. num. 287. 288.

Virginitas Deo grata eſt. Tract. II. Diſcurſ. XXVII num. 283. & ſeqq.

Virgines etiam vitâ functæ lamentandæ ſunt. Tract. II. Diſc. XXXVI. nu. 374. & ſeqq.

De virginum lapſu loqui & cachinnari impium eſt. Tract. II. Diſc. XXXVI. num. 373.

Virginitas non ſolùm Angelis, ſed Deo eſt ſimillima, & prima virgo eſt SS. Trinitas. Tract. II. Diſc. XXXV. nu. 365. & ſeqq.

Virginitatis iactura ab omnibus deploranda eſt.

eſt.Tractat. II.Diſc.XXXV.num.361.& ſeqq. & Diſc.XXXVI.nu.371.& ſeqq

Virginalis excellentia etiam ab inſenſibilibus creaturis honoratur.Tract.II.Diſc.XXXV. nu.359.& ſeqq.

Virgines ſpecialiter pro humilitatis cuſtodia ſollicitæ eſſe debent. Tractat. II. Diſcurſ.XXXIII.nu.341.

Virgines, poſtpoſito omni proprio commodo, in omnibus ſolum ſponſi cæleſtis beneplacitum reſpicere debent. Tract. II. Diſc.XXXIV. numer.348.& ſeqq.

Virgines ſpecialiter à cæleſti ſponſo amantur, vt eum intenſiùs redament. Tractat. II. Diſc.XXXII.nu.333.& ſeqq. & Diſc.XXXIV. num.348.& ſeqq.

Aureolâ decorabuntur virgines in cælo, quæ tantò erit clarior, quantò victoria in ſuperanda carne in vnoquoque fuerit perfectior. Tractat.II.Diſc.XXVIII.per totum.

Virgines viduis præferuntur quoad aureolam. Tractat. II. Diſcurſ. XXVIII. nu. 291. & ſeqq.

Virgines cunctis hominibus meritò cæleſtem ſponſum præferunt, qui ſolus immortalis & nobilior eſt vniuerſis. Tract.II.Diſc.XXIX.per totum.& Diſc.XXX.per totum.

*Virgines ſpecialiter in hortis conuerſari & habitare cenſentur.*Tract.II.Diſc.XXX.n.311. & ſeqq.

Virgines ſpecialem ſecuritatem habere poſſunt ex eo quòd Chriſtum non ſolùm amicum ſed etiam ſponſum habeant. Tract. II. Diſcurſ.XXX.num.319.& ſeqq.

*Virgines cæleſtem ſponſum amando inordinatum amorem extinguunt; qui quantò plus diligitur, tantò amabilior redditur.*Tract.II. Diſc. XXXI. per totum.

Viuere.

Illi viuere dicendi ſunt qui mundi delicias contemnunt. Tractat. I. Diſc. IX. num. 97. 98.

Voluntas.

Bona voluntas pro facto ſæpè reputatur. Tractat. I. Diſc. XIX. per totum, maximè num.204.

Vitiatâ voluntate, ſeruitia Deo exhibita non proſunt. Tractat. I. Diſc. XXI. numero 212. & ſeqq.

Voluntas omnium rerum formas accipit, quibus per amorem ſe copulat. Tractat. I. Diſcurſ XXVIII.num.76.

Opera ex ſe bona ex propria voluntate ſine obedientia vel contra eam facta, parum aut nihil valent. Tract.IV. Diſc.X. nu. 120.& ſeq.

*Qui viuunt ſecundùm propriam voluntatem, ſecum portant ſignum & inſtrumentum ſuæ damnationis.*Tract.IV.Diſc.XVI. n.197. & ſeqq.

Reſignatio propriæ voluntatis Deo gratiſſima & maximè honorifica eſt. Tractat. IV. Diſc.XVII.num.210.& ſeqq.

Voluntas bona reputatur pro facto. Tractat.VII.Diſc.III.nu.37.39.

Voluntas habendi, eſt rete quod nobis cum Apoſtolis relinquendum eſt. Tract. VII. Diſcurſ.XVIII.num.237.

Voluntatis promptitudini tota meriti ratio tribuitur. nu.239.

Voluntas hominis non debet ſemper & in omnibus eſſe conformis voluntati diuinæ. Tractat.VII.Diſc.III.num.38.

Voluntas diuina.

Omnes qui ad gloriam ex Dei præordinatione pertinent, non niſi perfectæ voluntatis diuinæ adimpletione ad illam peruenient. Tractat.X.Diſc.VI.num.63.

Voluntas Dei permiſſiua nõn numquam exprimitur in Scriptura per verba non modò beneplacitum Dei, ſed etiam præceptum ſignificantia. Tract. X.Diſc.XI.num.146.

Voluptas.

Voluptates ita intricant hominem, vt poſteà extricari non poſſit. Tract.I.Diſc.VI.num.53. 54. 55

Qui voluptates mundi ſequitur, mortuus cenſeri debet. Tract I.Diſc.IX.num. 97.

Nemini ex rerum copia poteſt adeſſe continua voluptas. Tract. VII.Diſc.XIV.nu. 185.

Vxor.

An præſtet vxorem ſe ditiorem aut nobiliorem ducere, nec ne. Tract.II.Diſc.XXIX.n.307. 308.

Z.

Zelotypia.

Zelotypia eſt continua carnificina. Tract.II. Diſcurſ.XXI.num.215.216.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXV.



Digitized by Google